BULLARUM

DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM

SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM

TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS

A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET Ss. CANONUM PERITORUM

QUAM

SS. D. N. PIUS PAPA IX

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT

TOMUS X

CLEMENS VIII (ab an. MDXCIII ad an. MDCIII)

AUGUSTAE TAURINORUM

SEBASTIANO FRANCO ET FILIIS EDITORIBUS

M DCCC LXV.

ALMA COLLEGE
262.11
LIBRARY
T195
Alma, California

25400

SEBASTIANUS FRANCO ET FILII

MAGNI BULLARII ROMANI

NOVI EDITORES

LECTORI BENEVOLO

SALUTEM.

Alterum Magni Romani Bullarii volumen, totius operis decimum, opitulante Deo, secundis curis adornatum, ex nostro typographeo prodit. Qua es in Sanctam Romanam Ecclesiam observantia, Lector optime, quo in graviora studia amore abriperis, lubenter ac prolixo animo illud excipe. Non equidem dubitamus quin, sive in eo rerum maiestatem praestantiamque inspicias, sive diligentiam studiumque nostrum percontere, opus hocce magni facturus sis, lectuque dignissimum existimaturus, cum in ea praesertim tempora incide-rimus, in quibus infimae plebis homunciones nihil antiquius habent quam ut omnia sacra, honore cultuque prosequenda, adunco naso fastidiant; novitates autem periculi plenas nedum ore profiteantur, ast, stultissimi et vanissimi, corde amplectantur, illius immemores aut potius inscii, quod Apostolus ad Timotheum scribebat: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et appositiones falsi nominis scientiae*[1]. Eia, perridiculis eorum fabellis Ecclesiae Catholicae veritates firmissimas opponamus, pseudosophorum deliramentis blasphemiisque Vaticana oracula, obstruamusque ora

1 Epist. I, VI, 20.

impudentissima illos ostendentes *fabricatores mendacii*[1]. Qua quidem in re nil nos illorum audacia terreat, nihil potentia viresque abiiciant: est enim fortitudo virtus animi egregii atque excellentis, quae nisi quod honestum sit, nihil rectum putat, quaeque si omni tempore servanda omnique conatu fovenda est, tum eo maxime quum fas nefasque, discrimine nullo, homines amplexantur, atque quod unice utile dignoscitur, sequuntur. Hisce veluti fundamentis in animo praeiactis, quod ad Dei honorem, ad Ecclesiae Sanctae suae firmitatem, ad Romanorum Pontificum praeconium opus aggressi sumus, licet innumeris difficultatibus obrutum, illud alacriter prosequimur; dumque haec scribimus, iam iam in eo sumus ut duo priora *Appendicis* volumina in lucem ponamus, quae, paullo post, undecimum Bullarii insequetur: partes enim nostrae non desiderabuntur, nec datam fidem fallemus, illud Senecae prae oculis habentes: *Quamvis leve et vulgare beneficium sit, si praesto fuit, si proximam quamque horam non perdidit, multum sibi adiicit, gratiamque pretiosi sed lenti et diu cogitati muneris vincit. Qui tam parate fecit, non est dubium quin libenter faciat.*[2] Quod eo dicimus ut intelligant universi promissa nos persoluturos fidemque liberaturos, licet iis, qui dies non obstacula impedimentaque numerant, fidem, vel ad horam, nos fefellisse possit profecto videri.

Pauca nunc de hoc loqui volumine nobis liceat. Sanctissimi Pontificis Clementis Papae VIII decem pontificatus annos illud capit, acta nimirum ab anno Christi M D XCIII ad totum an. M DC II, in quo ab editione Hieronymi Mainardi parumper differimus. Is namque tomi V partem secundam[3] ab anno tertio sacri principatus Clementis exorsus, Constitutionum seriem ad undecimum usque perduxit, nos vero a secundo; seu, quod eodem recidit, novem ille, decem nos Pontificii regni annos complexi sumus. Bullas omnes, ordine chronologico, accuratissime, quantum fieri potuit, disposuimus, pluribus

1 Iob., XIII, 4.
2 *De Beneficiis*, lib. II, cap. II.
3 Quae Romae excusa fuit an. M DCC LIII, Carolo Cocquelines curante, typis Hieronymi Mainardi.

BULLARIUM

ROMANUM

Tom. X

ex Mainardiana *Appendice* in suas sedes translatis diplomatibus. Tabula etiam volumini praefixa est, quae *novum ordinem* dispositarum Constitutionum pariterque *veterem* refert, ut si quas ex Romana editione locorum prolationes in operibus theologicis, iuris canonici, historicis aliisque nanciscamur, eas levi brachio conferre cum Taurinensi editione possimus, ad rem adhibita Tabula. Quod profecto non modo doctissimi editores Graecorum atque Latinorum Scriptorum praestarunt [1], verum etiam qui Sanctorum Ecclesiae Patrum castigatas ad unguem editiones dederunt [2].

Ab erroribus mendisque typographicis pontificios apices expurgare sedulo nobis cordi fuit; quam ob rem Romanam editionem cum aliis saepe contulimus, iisque in locis, ubi nulla sanandi corruptum vitiatumque textum spes nobis affulsit, variantes lectiones in notulis ad paginae oram proposuimus, eo sane consilio, ut et pontificiis verbis debitus tribueretur honos, et genuinae lectionis integritati textus redderetur; atque *modeste quidem hac libertate editoris, de qua nondum lis ad liquidum deducta esse videtur, usi sumus*, ut cum Ruhkophio loquamur [3].

Indices plures concinnavimus, in quibus quidquid alicuius momenti in toto volumine reperire est, patientissime adnotavimus. Quae omnia si nostram voluntatem aperte ostendunt, ad bene de hoc tam magno incepto sperandum mirum in modum nos erigunt. Nec minus recreat ac refecit apostolica benedictio verbaque humanissima quibus Sanctissimus Pontifex Maximus Pius Papa IX (Quem diu sospitet Deus), cum ad Eius pedes nonum Bullarii volumen deponeremus, nos comiter excepit. Accedit studium perillustrium subscriptorum, quos ubique locorum nacti sumus, praesertim in

1 Böckh, Dissen et Schneidewin in *Pindarum* (Lipsiae, M DCCC XI - XXI, et Gothae, M DCCC XLIII); Wunder et Welcker in *Sophoclem* (Gothae et Erfurti, M DCCC XXXI - XLI); Orelli et Baiter in *M. T. Ciceronem* (Tiguri, M DCCC XXVI - XXXVII).

2 D. Bernardus de Montfaucon in *Opera omnia gr. et lat. Sancti Ioannis Chrysostomi* (Parisiis, M DCC XVIII); fratres Ballerinii in *Sancti Leonis M.* (Veronae, M DCC LV - LVII); D. Dionysius Sammarthani et D. Guilelmus Bessin in *Sancti Gregorii M.* (Parisiis, M DCC V); ac demum, ne nimii in re apertissima simus, D. Ioannes Mabillon in *Sancti Bernardi opera* (ibidem, M DC XC).

3 In *Praefatione* ad *L. A. Senecae opera.*

Hispaniarum et Portugalliae regnis, ubi mirum dictu est qua sollicitudine, non modo Ecclesiarum venerandi antistites, verum et reges, et principes, et utriusque iuris periti, et viri docti Bullario Romano nomen dederint: quibus gratias maximas agimus agemusque dum vivemus. Nobis demum innumeris curis multisque laboribus distentis Apostoli verba usurpare liceat: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* [1]; Ille est enim nobis *spes a turbine, umbraculum ab aestu* [2].

Augustae Taurinorum, kalendis septembris an. M DCCC LXV.

1 Epist. II *ad Cor.*, I, 3 et 4.
2 Isaiae, XXV, 4.

TABULA

Quae novum ordinem *refert, quo chronologice dispositae sunt Pontificiae Constitutiones in Editione Taurinensi, collatum cum* veteri ordine *Romanae Editionis Hieronymi Mainardi.*

Edit. Taur. Tom. X. A.D.	CLEMENS VIII.	Edit. Rom. T. V, p. II.
1593	L Æquum reputamus et rationi	48
»	LI Æquum reputamus, *etc.* . . .	49
»	LII Litium dispendiis	50
»	LIII Pontificis auctoritas	51
»	LIV Quoniam nostro pastorali. .	367[1]
»	LV Caeca et obdurata	52
»	LVI Cum hebraeorum malitia . .	53
»	LVII Commissum nobis exulto . .	54
»	LVIII Inter multiplices nostri. . .	55
»	LIX Quae ad prosperam	56
»	LX Decet ex benignitatis . . .	57
»	LXI Pro nostro munere.	58
»	LXII Gregem dominicum	59
»	LXIII Quoniam nemo debet . . .	60
»	LXIV Quae ad tuenda	61
»	LXV Ex venerabilis fratris . . .	62
»	LXVI Romanus Pontifex	63
»	LXVII Pastoris muneri incumbit .	64
»	LXVIII Decet Romanum Pontificem	65
»	LXIX Super universas orbis . . .	66
»	LXX Confirmationis nostrae manum	67
»	LXXI Regimini universalis Ecclesiae	68
»	LXXII Sanctimoniales quae mundi .	69
»	LXXIII Decet Romanum Pontificem	70
»	LXXIV Inter gravissimas, quas pro .	71
»	LXXV Exponi nobis nuper fecisti .	72
»	LXXVI Cum ex iniuncto nobis . . .	73
»	LXXVII Quo viri qni tum salubribus .	368[2]
»	LXXVIII Cum nuper felicis recordationis	74
»	LXXIX Ex debito pastoralis officii. .	75
»	LXXX Pastoralis officii nobis . . .	76
1594	LXXXI Quanto numerosi exercitus .	77
»	LXXXII Ex apostolicae servitutis . .	78
»	LXXXIII Assidua pietatis et charitatis	369[3]
»	LXXXIV In maximis redituum. . . .	79
»	LXXXV Decet Romanum Pontificem	80
»	LXXXVI Benedictus Pater misericordiarum	81
»	LXXXVII Cum sicut accepimus. . . .	82
»	LXXXVIII Inter multiplices animi nostri	83
»	LXXXIX Ad exequendum pastoralis officii	84

1 Ex *Appendice*, tom. v, part. III. — 2 Ibi. — 3 Ibi.

Edit. Taur. A.D.		Edit. Rom. T. V, p. II.
1594	XC Ut charissimus in Christo. .	85
»	XCI Religiosae congregationes .	86
»	XCII Romani Pontificis auctoritas .	87
»	XCIII In sacra coelestis clavigeri .	88
»	XCIV Pro nostro munere.	89
»	XCV Cum in diversis locis . . .	90
»	XCVI Ex debito nostri ministerrii .	91
»	XCVII Romani Pontificis auctoritas	92
»	XCVIII Exponi nobis nuper fecit. .	93
»	XCIX Pastoralis Romani Pontificis.	94
»	C Lis quae pro felici regularium	95
»	CI Romanus Pontifex universalis	96
1595	CII Exigit pastoralis muneris . .	97
»	CIII Eae sunt nostrae et sedis . .	98
»	CIV Decet Romanum Pontificem ea	99
»	CV Quae ad sanctorum veneration em	100
»	CVI Pia mater Ecclesia.	101
»	CVII Paterna nostra in subditos .	102
»	CVIII Cum alias felicis recordationis	103
»	CIX Decet Romanum Pontificem his	104
»	CX Decet Romanum Pontificem iis	105
»	CXI Dudum felicis recordationis .	106
»	CXII Sanctissimus Dominus noster	107
»	CXIII Graves quibus in tantis. . .	108
»	CXIV Cum alias, sunt exponi . . .	109
»	CXV In supremo curae pastoralis .	110
»	CXVI Ex supremae dispositionis .	111
»	CXVII Ex quo divina Maiestas . . .	370[1]
»	CXVIII Sacrosantum catholicae fidei	112
»	CXIX Exponi nobis nuper fecerunt	113
»	CXX Inter caetera cordis nostri. .	114
»	CXXI Aequa et circumspecta Romani	115
»	CXXII Magnus Dominus et laudabilis	116
1596	CXXIII Ex quo in Ecclesia Dei . . .	117
»	CXXIV Suscepti muneris ratio . . .	118
»	CXXV Decet Romanum Pontificem	119
»	CXXVI Romanus Pontifex eos . . .	120
»	CXXVII Romanum Pontificem decet .	121
»	CXXVIII Controversiis et litteris olim	122
»	CXXIX Sacri apostolatus ministerio .	123
»	CXXX Decet Romanum Pontificem ea	124

1 Ibi.

Edit. Taur. A.D.		Edit. Rom. T. V, p. II.
1596	CXXXI Quare semper cordi nobis . .	125
»	CXXXII Paterna nostra erga cunctos .	126
»	CXXXIII Iustitiae ratio et publicae .	127
»	CXXXIV Pastoralis nostra de animarum	128
»	CXXXV Quaecumque ad religiosorum	129
»	CXXXVI Cum sicut non sine magno . .	130
»	CXXXVII Ea Romani Pontificis	131
»	CXXXVIII Exposcit pastoralis nostrae .	132
»	CXXXIX Ambitiosum honorum . . .	133
»	CXL Romani Pontificis providentia	134
»	CXLI Pro iniuncti nobis apostolici .	135
»	CXLII Divinae gratiae abundantiam	136
»	CXLIII Summa fraternitatis tuae . .	137
»	CXLIV Ad Romanum Pontificem spectat	138
»	CXLV Decet Romanum Pontificem	139
»	CXLVI Nuper ad nos perlatum est .	140
»	CXLVII Laudabilis Apostolicae Sedis	141
1597	CXLVIII Decet Romanum Pontificem	142
»	CXLIX Cum sicut accepimus . . .	143
»	CL Superna dispositione	145
»	CLI Romanus Pontifex gratiarum	214
»	CLII Exponi nobis nuper fecit . .	371 [1]
»	CLIII Sacrarum religionum	146
»	CLIV In his nostrae auctoritatis . .	147
»	CLV Decet Romanum Pontificem	148
»	CLVI Romanus Pontifex ea suae .	149
»	CLVII Cum sicut accepimus	150
»	CLVIII Romani Pontificis providentia	151
»	CLIX Paterna de nostris et S. R. E.	152
»	CLX Ex omnibus christianae charitatis	153
»	CLXI Sanctissimus D. N. D. Clemens papa VIII	154
»	CLXII Ex iniuncto nobis apostolici .	155
»	CLXIII Expositum nobis nuper fuit .	156
»	CLXIV Ex iniuncto nobis apostolicae	157
»	CLXV Frumenti penuriam	158
»	CLXVI Pastoralis officii nobis . . .	159
»	CLXVII Cum ad sublevandum	160
»	CLXVIII Romani Pontificis consueta .	161
»	CLXIX Cum ad nos nuper per . . .	162
»	CLXX Cum nos heri	163
»	CLXXI Fraternitatis tuae nomine . .	164
»	CLXXII Ratio pastoralis officii . . .	165
»	CLXXIII Ex ore sedentis in throno . .	165
1598	CLXXIV Exposcit debitum nostri . . .	167
»	CLXXV Decet Romanum Pontificem	168
»	CLXXVI Cum ex iniuncto nobis . . .	169
»	CLXXVII Sedes Apostolica benigna . .	170
»	CLXXVIII Sancta Romana Ecclesia . .	171
»	CLXXIX Sanctissimus in Christo . . .	172
»	CLXXX Quoniam in regimine	173
»	CLXXXI Maiestatis tuae ac dilectorum	174
»	CLXXXII Exponi nobis nuper fecistis .	175
»	CLXXXIII Quae ad beatorum martyrum	176

[1] Ex *Appendice*.

Edit. Taur. A.D.		Edit. Rom. T. V, p. II.
1598	CLXXXIV Ex iniuncto nobis apostolici .	177
»	CLXXXV Humanae vitae quotidianis .	178
»	CLXXXVI Ad Romani Pontificis munus	179
»	CLXXXVII Licet potestatis plenitudo . .	180
»	CLXXXVIII Cum ob nonnullas graves . .	181
»	CLXXXIX Sincerae devotionis affectus .	182
»	CXC Inter praecipuas curas . . .	183
»	CXCI Fidei ac devotionis merita .	184
»	CXCII Ex consueta Romani Pontificis	185
»	CXCIII Pastoralis nostrae sollecitudinis	186
»	CXCIV Ad Romanum Pontificem spectat	187
1599	CXCV Manus Dominis manu patris	188
»	CXCVI Regis pacifici qui regnat . .	189
»	CXCVII Omne datum optimum . . .	190
»	CXCVIII Magna dona, Philippe rex . .	191
»	CXCIX Paterna nostra erga vos . . .	192
»	CC Inter gravissimas curas . . .	193
»	CCI Exponi nobis nuper fecit . . .	194
»	CCII Alias, sicut accepimus . . .	195
»	CCIII Redemptoris et Salvatoris .	372 [1]
»	CCIV Ad exequendum pastoralis .	373
»	CCV Salutis nostrae amator . . .	374
»	CCVI Annus Domini placabilis . .	196
»	CCVII Sanctimonialium, quae relictis	197
»	CCVIII In supremo iustitiae throno .	198
»	CCIX Cum, sicut accepimus . . .	199
»	CCX De quiete ac felici regimine .	200
»	CCXI Sincerae fidei et devotionis .	201
»	CCXII Dives in misericordia sua . .	202
»	CCXIII Ad militantis Ecclesiae . . .	203
»	CCXIV Praeclara praedecessorum . .	204
»	CCXV Illius, qui in coelestibus . .	205
»	CCXVI CircumspectaRomaniPontificis	206
»	CCXVII Nuper si quidem charissimus	207
»	CCXVIII Exponi siquidem nobis . . .	208
»	CCXIX Tempus acceptabile	209
»	CCXX Decet Romanum Pontificem .	210
»	CCXXI Romani Pontificis ciscumspecta	211
»	CCXXII Volentes civitatem	212
»	CCXXIII In conferendis muneribus . .	213
1600	CCXXIV Cum nos alias per nostras . .	214
»	CCXXV Maiestatis tuae nomine . . .	215
»	CCXXVI Debitum pastoralis officii . .	216
»	CCXXVII Cum litteris apostolicis . . .	217
»	CCXXVIII His, quae ad regularium . .	218
»	CCXXIX Ex debito pastoralis officii . .	219
»	CCXXX Ex pastoralis nostri muneris .	220
»	CCXXXI Ex iniuncto nobis desuper . .	221
»	CCXXXII Romanum decet Pontificem .	222
»	CCXXXIII Paterna nostra erga subditos	223
»	CCXXXIV Cum novissime Pontificale .	224
»	CCXXXV Ordinis vestri conservationi .	225
»	CCXXXVI In supereminenti militantis .	226

[1] Ibi cum duabus sequentibus.

Edit. Taur. A.D.		Edit. Rom. T. V, p. II.
1600	CCXXXVII Honestis catholicorum regum	227
»	CCXXXVIII Dubia quae ex constitutionibus	228
»	CCXXXIX Apostolicae sedis requirit . .	229
»	CCXL Magna, quae in dies	230
»	CCXLI Magna, quae in dies, *etc.* . .	231
»	CCXLII Officii nostri partes	232
»	CCXLIII In apostolicae dignitatis. . .	233
»	CCXLIV Inter multiplices pastoralis .	234
»	CCXLV In supremo militantis . . .	235
»	CCXLVI Onerosa pastoralis officii . .	236
»	CCXLVII Decet Romanum Pontificem .	237
»	CCXLVIII Superna dispositione, cuius .	238
»	CCXLIX Sanctissimus Dominus noster	239
1601	CCL Decet Romanum Pontificem .	240
»	CCLI Super universas orbis. . . .	241
»	CCLII Decet Romanum Pontificem .	264
»	CCLIII Nullus omnino, praetextu . .	242
»	CCLIV Propensa nostra in maiestatem.	243
»	CCLV Romanum decet Pontificem .	244
»	CCLVI Intelleximus nuper quod . .	245
»	CCLVII Paterna nostra erga	246
»	CCLVIII Romana catholica Ecclesia .	247
»	CCLIX Sincerae fidei et devotionis .	248
»	CCLX In summis Apostolicae Sedis	249
»	CCLXI Romanum decet Pontificem .	250
»	CCLXII Cum nos alias, ut in	251
»	CCLXIII Accipientes pro nostra . . .	252
»	CCLXIV Superna dispositione	253
»	CCLXV Quoniam ab observantia . .	254
»	CCLXVI Sanctissimus Dominus . . .	375
»	CCLXVII Alias felicis recordationis . .	255
»	CCLXVIII Exigit nobis iniunctum . . .	257
»	CCLXIX Ex iniuncto nobis desuper .	258
»	CCLXX Decet Romanum Pontificem .	256
»	CCLXXI Super universas orbis. . . .	259
»	CCLXXII Etsi alias felicis recordationis	260
»	CCLXXIII In suprema pastoralis . . .	261

Edit. Taur. A.D.		Edit. Rom. T. V, p. II.
1601	CCLXXIV Divina clementia disponente .	262
1602	CCLXXV Sincerae devotionis.	263
»	CCLXXVI Alias felicis recordationis . .	267
»	CCLXXVII Ut gratiae apostolicae. . . .	265
»	CCLXXVIII Pastoris aeterni	266
»	CCLXXIX In suprema Ecclesiae	268
»	CCLXXX Cum, sicut accepimus. . . .	269
»	CCLXXXI Pastoralis officii nobis . . .	270
»	CCLXXXII Exponi nobis nuper fecit . .	271
»	CCLXXXIII Quaecumque ad divini . . .	272
»	CCLXXXIV Sanctissimus Dominus . . .	273
»	CCLXXXV Exponi nobis nuper fecit charissimus	274
»	CCLXXXVI Decet Romanum Pontificem .	275
»	CCLXXXVII Cum in Ecclesia Catholica . .	276
»	CCLXXXVIII Apostolici muneris nobis . .	277
»	CCLXXXIX Apostolici muneris, *etc.* . . .	278
»	CCXC Apostolici muneris, *etc.* . . .	279
»	CCXCI Nuper a nobis emanarunt . .	280
»	CCXCII Romanum decet Pontificem .	281
»	CCXCIII Quae ad pietatis	283
»	CCXCIV Sanctissimus D. N. D. Clemens	282
»	CCXCV Cum ad componendas. . . .	284
»	CCXCVI Quae ad ecclesiarum	285
»	CCXCVII Apostolicae Sedis auctoritati	286
»	CCXCVIII Quae ad Religiosorum . . .	287
»	CCXCIX Pro nostri pastoralis	288
»	CCC Ex iniuncto nobis apostolici .	289
»	CCCI Ex debito pastoralis officii . .	290
»	CCCII Apostolici muneris	291
»	CCCIII Sanctae Romanae Ecclesiae .	292
»	CCCIV Decet Romanum Pontificem .	293
»	CCCV Decet Romanum Pontifiem discussionum	294
»	CCCVI Alias a nobis emanarunt . .	295
1603	CCCVII Nuper venerabiles fratres . .	296
»	CCCVIII Gloriosa progenitorum . . .	297
»	CCCIX Tuae fraternitatis nomine . .	298

ERRATA.			CORRIGE.
Pag. 280,	*num.* CXXXVIII Constitutionis		*lege* CXXXVII.
» 812,	» CCLXXXVIII	»	» CCLXXXIX.
» 873,	» CCCIV	»	» CCCIII.

INDICULUS

SS. PONTIFICUM CONSTITUTIONUM

QUAE IN TOMO X

EXTRA ORDINEM CHRONOLOGICUM VAGANTUR.

Adv. *Ut sapientum virorum consiliis optimis morem geramus* (1) *indiculum constitutionum pontificiarum quae in unoquoque volumine extra ordinem chronologicum vagantur, uti iam dare coepimus a tomo* XI *et deinceps, ita dare proponimus totidem foliis separatis pro voluminibus praecedentibus, incipientes nunc a tomo* X, *ubi apponenda erit cartula ista post pag.* XII.

Cum vero in toto volumine X *nulla legatur praecedentium pontificum constitutio inserta, ita ipsius tantummodo Clementis VIII constitutiones, quae extra ordinem dispositae ibi leguntur, indicabimus.*

Datum A. D.		*Pag.*
	CLEMENS VIII.	
22 Octobris	1593 Decet Romanum Pontificem in his auctoritatis suae,	658
3 Aprilis	1594 Decet Romanum Pontificem, quandocumque.	120
22 Maii	1594 Cum nuper congregationibus	113
2 Augusti	1594 Pro nostro munere. . . .	163
29 Augusti	1594 In sacra caelestis clavigeri Sede	151
17 Septembris	1595 Divinae gratiae abundantiam	304
7 Octobris	1595 Ex supernae dispositionis arbitrio	225
24 Octobris	1595 Cum nos nuper	222
12 Martii	1596 Regularis disciplinae restitutioni.	769
11 Februarii	1598 Sanctissimus in Christo Pater etc. Dixit ducatum .	428
20 Iunii	1599 Sanctissimus in Christo Pater etc. Cum iam dudum animadverteret.	770
25 Iulii	1599 Nullus omnino	662
5 Septembris	1600 In supereminenti.	600
23 Decembris	1600 Ambitiosam honorum. . .	599
29 Decembris	1600 In his rebus.	660
An. 1600	(*absque data mensis et diei*) Inter multiplices	622
20 februarii	1601 Decet Romanum Pontificem dissensionum	879
11 Augusti	1601 Ad Romani Pontificis (*nota*)	761
An. 1601-1602	(*absque data mensis et diei*) Divina clementia disponente . .	757
19 martii	1602 Sanctissimus in Christo Pater, etc. qui aliàs pro regularis disciplinae restitutione	771
9 iulii	1602 Cum ad uberes	718
10 martii	1603 Pias christifidelium societates	175
19 martii	1603 Cum ad regularem disciplinam.	772
11 Iulii	1603 Pro iniuncti etc. Nunc vero agnoscentes	301
24 Iunii	1604 Illos apostolicae benignitatis	229
22 Augusti	1604 Ex iis quae SS. D. N. Clemens PP. VIII.	667
20 Septembris	1604 Ad Romanum Pontificem spectat dubia	678

(1) Vide celebrem ephemeridem cui titulus *La Civiltà Cattolica*, die 7 martii 1868.

CLEMENTIS VIII

PAPAE CCXXXIII

CONSTITUTIONES

AB ANNO CHRISTI M. D. XCIII

PONTIFICATUS SUI SECUNDO.

An. C. 1593

L.

Validatio suppressionis praepositurae Sancti Thomae Senensis, quae fuerat Ordinis Humiliatorum, ac illius erectionis in praeceptoriam Militiae S. Stephani unitam, quamvis apostolicae Gregorii XIV. litterae expeditae hac super re non fuerint [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Æquum reputamus et rationi consonum, ut ea, quae de Romani Pontificis providentia processerunt, licet, eius superveniente obitu, litterae apostolicae desuper confectae non fuerint, suum sortiantur effectum.

Series gestae rei per Gregorium Pontificem. § 1. Sane cum olim praepositura suppressi olim Ordinis Humiliatorum, tunc vero saecularis S. Thomae Senensis, per liberam resignationem dilecti filii Guilielmi Sangalet, olim dictae praepositurae praepositi, quam tunc obtinebat, in manibus felicis recordationis Gregorii Papae XIV, praedecessoris nostri, sponte factam et per eum admissam, apud Sedem Apostolicam vacavisset et vacaret, tunc si, prout exhibita eadem praedecessori pro parte dicti Guilielmi olim petitio continebat, eiusdem praepositurae nomen, titulus et denominatio perpetuo supprimerentur et extinguerentur, ac dictae praepositurae loco una praeceptoria militiae Sancti Stephani PP. et martyris, sub Regula Sancti Benedicti, pro uno praeceptore dictae militiae, perpetuo erigeretur et instituetur, ex eo profecto eiusdem militiae augmento opportune consuleretur. Quare pro parte eiusdem Guilielmi, tunc asserentis se aliunde commode substentari posse, eidem praedecessori humiliter supplicato quatenus nomen, titulum et denominationem praepositurae huiusmodi perpetuo supprimere et extinguere, ac illius loco unam praeceptoriam militiae Sancti Stephani huiusmodi ad perpetuum erigere et instituere aliasque in praemissis opportune provi- An. C. 1593

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dere de benignitate apostolica dignaretur; idem praedecessor eumdem Guilielmum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, si quibus quomodolibet innodatus existebat, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum, absolvens, huiusmodi supplicationibus tunc inclinatus, sub datum videlicet VII kalendas septembris, pontificatus sui anno primo, in dicta praepositura, cui cura non incumbebat animarum, cuiusque et aliarum eiusdem suppressi Ordinis Humiliatorum praeposituraram, dum pro tempore vacarent, omnimoda dispositio Sedi praedictae semper erat reservata, nomen, titulum et denominationem praepositurae ac dignitatis praeposituralis huiusmodi, cuius ac illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus CL ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, uti dictus Guilielmus etiam tunc asserebat, non excedebant (ita quod de caetero praepositura denominari seu conferri[1] non posset), auctoritate apostolica, perpetuo suppressit et extinxit; ac eamdem praeposituram, seu illius loco unam praeceptoriam eiusdem militiae, pro uno fratre milite professo, etiam iuxta stabilimenta, indulta et privilegia dictae militiae uxorato et non antiano praedictae militiae, aut illam profiteri cupiente, cuiusvis gradus et conditionis foret, qui arma contra infideles et alios Catholicae Ecclesiae hostes gerere et militare, aliaque praedictae militiae incumbentia onera, iuxta eius Magni Magistri ordinationem, subire teneretur, ac sub conditionibus, obligationibus, pactis et privilegiis pro salubri militum directione, decore et Religionis huiusmodi propagatione per ipsum Magnum Magistrum iniungendis. Et quia etiam praeceptoria pro tempore vacatura eo modo et forma, prout idem Magnus Magister hac prima vice ordinasset, providere et disponi deberet, etiam perpetuo dicta auctoritate erexit et instituit; ac ipsi praeceptoriae sic, ut praefertur, erectae, pro eius dote, proprietates et bona praepositurae cum illi annexis huiusmodi dicta auctoritate similiter perpetuo applicavit et appropriavit; nec non ipsi praeceptori pro tempore instituto, atque adeo ipsi Magno Magistro, quoad dictam praeceptoriam ac plenam de illa disponendi potestatem, ut quibusvis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus aliisque omnibus et quibuscumque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus alii dictae militiae milites, etiam quoad antianitatem vel consequutionem aliarum eiusdem militiae praeceptoriarum seu commendarum aut beneficiorum, ac quibus tam in genere quam in specie quoad alias praedictae militiae praeceptorias, ipse Magnus Magister utebantur, fruebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, frui, potiri et gaudere poterant quomodolibet, in futurum similiter uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, eadem auctoritate, pariter perpetuo concessit et indulsit. Decernens suppressionem, extinctionem, erectionem, institutionem, applicationem, approbationem, concessionem, indultum aliaque praemissa valida et efficacia fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et inviolabiliter observari debere; nec non litteras ipsius praedecessoris desuper conficiendas nullo unquam tempore, quovis quaesito colore vel ingenio (etiam ad quorumvis instantiam, et ex quacumque, etiam iuridica et rationabili causa, vel etiam sub praetextu quod praemissa in forma iuris facta non forent, et non vocati interesse habentes et alii vocandi, caeteraeque solemnitates requisitae non essent observatae, et sine causa emanassent) revocari,

Praeposituae supradictae suppressio.

Praeceptoria erecta et instituta; dosque ei assignata.

1 Forsan *censeri*. (B. T.)

Gregorii XIV litterae validitatae omni meliori modo.

limitari, modificari aut ad terminos iuris communis reduci, vel quempiam adversus illa in integrum restitui, seu easdem de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis dicti praedecessoris defectu notari vel impugnari et per subreptionem aut obreptionem obtentas praesumi non posse, vel alias viribus carere, causamque seu causas, propter quas illae emanassent, coram loci Ordinario, etiam tamquam eiusdem Sedis delegato, verificari non debere, nec eas sub quibusvis revocationibus, reservationibus vel derogationibus similium vel dissimilium gratiarum, etiam per eumdem praedecessorem et successores suos et dictam Sedem ac alias quomodolibet factis et faciendis, necnon regulis seu constitutionibus apostolicis pro tempore editis ullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanassent, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, et de novo, etiam sub data per eumdem Magnum Magistrum eligenda, concessas, et perpetuo validas et efficaces in omnibus et per omnia existere; sicque in praemissis universis et singulis per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac praedictae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac dictum Ordinarium, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Cancellariae Apostolicae regulis, de unionibus committendis ad partes, exprimendoque vero valore; ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, et aliis apostolicis constitutionibus, ac dictae militiae, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis contrariis quibuscumque. Voluit autem dictus praedecessor quod praeceptoriam erectam praedictam pro tempore obtinens, perpetuis futuris temporibus, unum presbyterum idoneum, ab Ordinario approbandum, quod ecclesiae dictae praepositurae, sic in praeceptoriam erectae, in divinis deserviret, ac redditum annuum de bonis eiusdem praeceptoriae conficiendum haberet, et ex eo foveretur iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae V, etiam praedecessoris nostri, super novo statu praeposiurarum et divisione fructuum dicti Ordinis Humiliatorum editam, quae incipit: *Quamvis per extinctionem,* incumbere omnino deberet et teneretur.

Ordinata per Gregorium confirmat Clemens, et servari praecipit, perinde ac si bullae fuissent expeditae.

§ 2. Ne autem de absolutione, suppressione, extinctione, erectione, institutione, applicatione, approbatione, commissione, indulto, decreto et voluntate praedictis, pro eo quod super illis dicti Gregorii praedecessoris, eius superveniente obitu, litterae confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, ipseque Guilielmus illorum frustretur effectu; volumus et similiter auctoritate praedicta decernimus quod absolutio, suppressio, extinctio, erectio, institutio, applicatio, appropriatio, concessio, indultum, decretum et voluntas Gregorii praedecessoris huiusmodi perinde a dicta die VII kalendas septembris suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Gregorii praedecessoris litterae sub eiusdem diei data confecta fuissent, prout superius enarratur.

Perpetuam firmitatem praesentibus litteris addit.

§ 3. Quodque praesentes litterae ad probandum plene absolutionem, suppressionem, extinctionem, erectionem, institutionem, applicationem, approbationem, concessionem, indultum, decretum et voluntatem Gregorii praedecessoris huius-

modi ubique sufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur.

Exequutores designat. § 4. Quocirca venerabilibus fratribus nostris, tunc suis, archiepiscopo Pisano, Amerinensi et Avenionensi episcopis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando expedierit, ac quoties pro parte dicti Guilielmi fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari; non permittentes Guilielmum vel quoscumque alios desuper quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantia tollit. § 5. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, similiter praedecessoris nostri, de una, et Concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, ac aliis constitutionibus supradictis; seu si aliquibus communiter aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Clausulae poenales. § 6. Nulli ergo omnino hominum liceat haec paginam nostri mandati, voluntatis et decreti infringere, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDXCIII, V idus februarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 9 februarii 1593, pontif. an. II.

LI.

Validatio erectionis officii praesidis Cancellariae pro expediendis litteris quorumcumque officiorum vacabilium, etc.[1]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Æquum reputamus, *etc.*[2]

Nonnulli ad officia, praevia expeditione litterarum apostolicarum, admittebantur. § 1. Dudum siquidem, postquam felicis recordationis Iulius II unum praesidentium et alterum portionariorum annonae, deinde Leo X aliud scutiferorum apostolicorum de numero participantium, postea Paulus III unum Sancti Petri, et alterum Sancti Pauli militum nuncupatorum, ac tandem diversi alii Romani Pontifices, praedecessores nostri, plura et diversa alia variorum exercitiorum Romanae Curiae officia et collegia, tam in Cancellaria Apostolica quam extra eam, certis tunc suadentibus causis, erexerant et instituerant; quorum aliqua, sicuti scriptorum et cubiculariorum apostolicorum ac utriusque praesidentiae abbreviatorum, nec non sollicitatorum litterarum apostolicarum ac minoris gratiae scriptorum, et etiam forsan alia ex laudabili et eo usque observata consuetudine, illos, quibus suorum collegiorum officia ad Romani Pontificis dispositionem spectantia pro tempore concedebantur, non aliter quam litteris apostolicis super concessionibus debite expeditis, ad eorum officia admittebant, suisque collegiis aggregabant; alia vero, ut erant praedicta scriptorum, praesidentium, portionariorum ac sanctorum Petri et Pauli militum, nec

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Reliqua ut in praecedenti constitutione.

Alii vero per solam caedulam manu Pontificis vel alterius subscriptam.

non archivii eiusdem Romanae Curiae scriptorum ac minoris gratiae procuratorum, nonnullorumque aliorum officialium collegia huiusmodi, forsan privilegiorum aliquorum seu facultatum in dictorum collegiorum erectionibus aut alias concessorum, vigore, seu quavis alia ratione vel praetextu, suos officiales solius supplicationis aut motus proprii vel cuiusvis alterius caedulae piae memoriae Sixti Papae V, etiam praedecessoris nostri, seu alterius Romani Pontificis aut eiusdem Sixti praedecessoris, seu eius datarii vel alicuius super eo pro tempore deputati, manu obsignatae et subscriptae, aut litterarum patentium nuncupatarum, facta ostensione, lectura, nullis superinde litteris apostolicis, prout alii superius expressi, expeditis, ad officia sua eorumque exercitia, fructuumque, reddituum et proventuum ac emolumentorum perceptionem etiam admittebant, quibus efficiebatur ut, ob huiusmodi expeditionum et admissionum diversitatem ac concessionum gratiarum informitatem, utpote quaedam minus vel magis selemniter fiebant, officiorum ipsorum quaedam praeclara, circa quaedam vero minus praeclara in multorum, sicut eidem Sixto praedecessori innotuerat [1] offensam huiusmodi videbantur.

§ 2. Idem Sixtus praedecessor, attendens quod humani incertitudo iudicii, dum futuris eventibus modum et formam praescribere satagebat, ita plerumque fallebatur ut, quae provida deliberatione constituebantur, operae pretium erat postea immutare, unde praemissis minus videri debebat, si Romanus Pontifex ea, quae ab ipso ex certis apparentibus causis emanarant, aliis supervenientibus rationibus magis urgentibus adductus, interdum revocabat, et in meliorem commodioremque statum reducebat, et alias desuper disponebat, prout, rerum et personarum circumstantiis debite pensatis, conspiciebat in Domino salubriter expedire; ac abusum et depravatum morem circa posteriores dictas aliasque illarum similes officialium receptiones et admissiones diutius permanere nolens, necnon singularum caedularum motus proprii, et forsan desuper confectarum litterarum, nec non privilegiorum, indultorum, gratiarum et facultatum, dilectis filiis vicecancellario, summatori, datario, procuratoribus palatinis et scriptoribus ac aliis praedictis caeterisque curiae, cancellariae et camerae praedictis officialibus, eorumque collegiis et officiis concessorum, et inde sequutorum quorumcumque tenores pro expressis habens, sub datum videlicet IV idus novembris, pontificatus sui anno III, in primis, singulos Signaturae suae tam gratiae quam iustitiae referendarios tunc praesentes et futuros, ad litterarum apostolicarum sub plumbo super concessione sui referendariatus officii expeditionem, teneri voluit.

Sixtus V iussit pro referendariis U. S. bullas expediri;

§ 3. Et deinde formam et taxam expeditionis earumdem et quarumcumque aliarum litterarum apostolicarum de huiusmodi et quibuscumque aliis officiis, tam in dicta curia quam extra eam existentibus, super quorum concessione litterae ipsae, de mandato dicti Sixti praedecessoris, expedirentur, praescribere cupiens, perpetuo statuit et ordinavit quod, expedita desuper de more supplicatione seu motus proprii caedula, eiusdem Sixti praedecessoris et pro tempore existentis Romani Pontificis datarius super concessione cuiuslibet officii referendariatuum, tam iustitiae quam gratiae, ac aliorum officiorum huiusmodi litteras apostolicas, sola eius manu subscriptas, sub plumbo, absque summatoris eiusdem praedecessoris et quorumcumque aliorum tam Sedis Apostolicae quam dictae curiae offi-

Caeteris officialibus caedulam motus proprii.

Confecto tamen a datario Processu.

1 Sic.

cialium visione et subscriptione, expedire, et pro uberiori huiusmodi gratiae exactione, processum fulminatorium decernere deberet, mediante certa tunc expressa pecuniarum summa, ratione taxae et scripturarum ac laborum persolvenda, eidemque datario pro tempore existenti plenam et omnimodam facultatem et auctoritatem registratorem et notarium publicum, qui litteras huiusmodi registrare et processus huiusmodi describere valeret ad nutum suum amovibiles, deputandi concessit.

Litteras vero apostolicas per solos scriptores scribi posse declaravit, statuta taxa.

§ 4. Postmodum vero statuit etiam et ordinavit ut deinceps, perpetuis futuris temporibus, praedicti omnes et singuli scutiferi, praesidentes, portionarii, sanctorum Petri et Pauli milites, archivii dictae curiae scriptores, procuratores litterarum apostolicarum minoris gratiae, et litterarum contradictarum Rotae, et auditoris Camerae notarii, brevium apostolicorum scriptores et caeteri tam dictae curiae quam totius Status ecclesiastici, nostri, tunc ipsius Sixti praedecessoris, officiales, qui litteris apostolicis sub plumbo expeditis, in eorum ad sua officia admissionibus et perceptionibus non utebantur, quibus officia qualitercumque qualificata et nuncupata, erecta et erigenda, illorum vacatione quomodolibet occurrente, tam per ipsum Sixtum praedecessorem quam alios quoscumque Romanos Pontifices pro tempore existentes concedi et assignari aut alias de illis in eorum favorem disponi contigeret, antequam ad huiusmodi officia eorumque exercitia vel emolumenta recipi et admitti possent, litteras apostolicas sub plumbo super possessione, assignatione vel aliis dispositionibus huiusmodi ab aliquo vel aliquibus ex dictarum litterarum apostolicarum scriptoribus, et non ab alio vel aliis, qui de eorumdem scriptorum numero non essent descripti, expediri facere; ac taxam propterea de more aliarum expeditionum debitam, et a praedicto datario praescribendam et assignandam, rescribendario et computatori collegii scriptorum praedictorum et aliis eiusdem collegii officialibus, quibus illorum expeditio pro tempore incumberet, persolvere omnino tenerentur. Dictumque collegium scriptorum apostolicorum idem, qui in Sixti praedecessoris et Sedis praedictorum subventionem, ultra pretium officiorum suorum, summam septingentorum et quinquaginta scutorum auri in auro manibus depositarii eiusdem Sixti praedecessoris realiter et cum effectu nullo unquam tempore pro scriptura persolverat, seu illius loco taxa litterarum apostolicarum super concessionibus tam scutiferorum et praesidentium, necnon militum et dicti archivii scriptorum et procuratorum ac referendariorum aliorumque litteris sub plumbo non utentium, iam erectorum, et tunc in futurum, etiam referendariatus, et quorumvis aliorum erigendorum collegiorum officialium pro tempore faciendis, expediendarum, et taxa eorum massae communi, ratione expeditionis huiusmodi, ut praefertur, assignanda et praescribenda, valerent defraudari, omnes et singulas litteras huiusmodi, quas tunc deinceps per alios quam per dictos scriptores describi, et absque rescribendarii et computatoris vel aliorum praedictorum ad id, illorum loco, ab ipso collegio de gremio suo pro tempore deputandorum subscriptione expediri contigeret, nullas et invalidas nulliusque roboris vel momenti fore, quinimmo falsi vitio subiacere, nec cuiquam suffragari, ac ius in eisdem officiis vel ad illa acquiri, vel etiam coloratum possidendi titulum tribui posse.

Sub poena nullitatis.

Duo sollicitatorum palatii apostol. seu procuratorum palatinorum officia erexit.

§ 5. Et successive, ad praedicti Sixti praedecessoris et partium commoditatem, et ne Sixti praedecessoris et Sedis prae-

dictorum negotia, et ea quae via secreta expediebantur, ab omnibus controverterentur, duo sollicitatorum palatii apostolici nuncupanda officia, pro duobus dicti palatii sollicitatoribus, qui omnes et singulas quorumcumque dictae curiae officiorum ad eiusdem Sixti praedecessoris dispositionem spectantium, eatenus erectorum et in antea erigendorum, provisiones, possessiones, assignationes et deputationes ad illa, tam perpetuas seu ad vitam quam ad certum tempus, super quibus litterae apostolicae nova ordinatione ipsius Sixti praedecessoris expediendae veniebant, ac supplicationum, et litterarum apostolicarum desuper necessariarum expeditionem, ex tunc deinceps procurarent, ac supplicationibus et litteris apostolicis desuper confectis et expeditis, partibus ea prosequentibus consignarent, perpetuo erexit et instituit; ac cuilibet ex dilectis filiis Oliverio l'Evezque, qui, mille scuta auri in auro pro subventione necessitatum Sedis praedictae in pecunia numerata praestiterat, et Thomae etiam l'Evezque, clericis, Cenomanensis et Andegavensis repective dioecesum, unum ex officiis praedictis, a primaeva eorum erectione et institutione huiusmodi sic vacantibus, ad utriusque eorum vitam concessit et assignavit, nec non in eventum, in quem contingeret officia ipsa aut eorum alterum extingui vel annullari, Cameram praedictam ac omnia illius redditus et bona ad restitutionem dictorum mille scutorum auri in auro eidem Oliverio seu Thomae faciendam, teneri et obligatam fore, voluit et declaravit, prout in diversis caedulis, manu eiusdem Sixti praedecessoris, motu proprio signatis, et forsan desuper confectis litteris apostolicis plenius continetur.

Nomina duorum priorum officialium.

§ 6. Cumque usu iam comprobatum esset praedictum datarium confectioni expeditionique processuum fulminatorio-

Postmodum vero, sollicitatorum praedicto-

rum huiusmodi, ob urgentem aliorum negotiorum ad eum undique confluentium multitudinem, commode vacare non posse; et ne expeditiones huiusmodi cum aliis confunderentur, operae pretium esse ut illis proprium et distinctum officium assignaretur; idem Sixtus praedecessor, eorum consideratione et multis aliis causis adductus, novum statum, modum et ordinem in expeditionibus praedictis inducere, et quantum in eo erat, partium illas prosequentium commoditati consulere cupiens; nec non singularum caedularum et desuper confectarum litterarum huiusmodi tenores pro expressis et insertis habens, motu simili et ex certa eius scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, duo procuratorum palatinorum officia huiusmodi, ac concessionem et assignationem huiusmodi de illis Oliverio et Thomae praedictis, ad utriusque eorum vitam, ut praefertur, factas, ac officiorum procuratorum palatinorum huiusmodi, nomen, titulum, denominationem, statum, functiones et exercitia, auctoritate apostolica perpetuo suppressit, extinxit et penitus abolevit; ipsosque Oliverium et Thomam ab illis amovit et subduxit, nec non expeditionem litterarum apostolicarum super concessionibus, assignationibus et aliis dispositionibus officiorum huiusmodi, super quibus litterae huiusmodi expediri non consueverant, ut praefertur, conficiendarum, procurandi et sollicitandi, ac in illis se subscribendi vel alias quomodolibet ingerendi et intromittendi, processusque fulminatorios desuper decernendi, ac omnem et quamcumque aliam actionem, iurisdictionem et potestatem nec non omnia et quaecumque privilegia, facultates et indulta, tam vicecancellario quam summatori praedictis eorumque loca tenentibus, quam datario, procuratoribus palatinis et scriptoribus praedictis ceterisque Sedis, curiae, ca-

rum officio suppresso, aliud erexit officium praesidentatus, pro confectione processuum et expeditione bullarum pro quibuscumque officiis Romanae Curiae.

merae et cancellariae huiusmodi officialibus, eorumque collegiis, ministris et personis, etiam in suorum officiorum institutione, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros tunc suos, ac eumdem Sixtum praedecessorem et Sedem praedictam, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, in genere vel in specie, ac de mandato speciali et expresso, etiam vivae vocis oraculo emisso, et ex quibuscumque causis et titulis, etiam onerosis, desuper concessa, confirmata et etiam novissime reformata, quibuscumque formulis, ac etiam restitutivis, praeservativis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, etiam vim contractus inducentibus, concepta et suffulta; caeteraque omnia obstacula, quae litterarum tunc desuper conficiendarum vim et effectum impedire, aut eas annullare vel irritare possent, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inserti forent, idem Sixtus praedecessor etiam pro expressis habere voluit, auctoritate praedicta, revocavit, cassavit, annullavit, irritavit et abrogavit, viribusque et effectu prorsus evacuavit, et pro revocatis, cassis, nullis, irritis et abrogatis viribusque et effectu vacuis haberi et censeri (ita ut litterae tunc desuper conficiendae praedictae, sublatis praedictis omnibus et quibusvis aliis impedimentis, suum totalem effectum sortiri debere) decrevit: necnon unum officium praesidentatus, cui omnes et singuli, quibus praedicta et quaecumque alia Romanae Curiae et Status Ecclesiastici praedictorum officia, tam erecta (super quibus litterae apostolicae sub plumbo ante ordinationem Sixti praedecessoris eiusdem expediri non consueverant) quam imposterum quandocumque erigenda, ad illius et pro tempore existentis Romani Pontificis dispositionem pertinentia, illorum vacatione quomodolibet occurrente, tam per eumdem Sixtum praedecessorem quam successores nostros, tunc suos, Romanos Pontifices pro tempore existentes, et dictam Sedem concedi et assignari, ac alias de illis in eorum favorem disponi contingeret, antequam ad huiusmodi officia eorumque exercitium et emolumenta recipi et admitti possint, litteras apostolicas sub plumbo super concessionibus et assignationibus seu aliis dispositionibus praedictis (etiamsi in eis expresse cautum foret quod litterae per breve aut audientiam contradictarum vel officium minoris gratiae aut alias expediri possent) omnino, sub poena privationis et amissionis officiorum eorumdem, expediri facere deberent et tenerentur pro uno futuro expeditionum huiusmodi praesidente, qui particularem curam et sollicitudinem, ac plenam, liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem per se solum vel alium seu alios, quos ad hoc duxerit deputandos, omnes et singulas supplicationes seu motus proprii caedulas, super erectionibus, concessionibus, assignationibus et dispositionibus officiorum huiusmodi pro tempore ab eodem Sixto praedecessore signatas et datatas manibus magistrorum seu scriptorum registri supplicationum apostolicarum, absque eo quod ad Cancellariam Apostolicam vel alibi transmitterentur, recipiendi, ac litterarum apostolicarum desuper conficiendarum minutas seu rotulos compilandi, ac per aliquem seu aliquos ex dictarum litterarum apostolicarum scriptoribus, arbitrio suo eligendos, solito stylo, conscribi faciendi, easque, postquam ab eo recognitae, et ad supplicationem seu motus proprii caedulam collatae, et etiam sola eius seu personae ad id ab eo pro tempore deputandae manu subscriptae forent, illas absque rescribendarii et computatoris praedictorum, nec non vice-cancellarii seu sum-

Contrariis omnibus irritatis et abrogatis.

Litterae apostolicae, antequam ad officia huiusmodi admittantur, expediendae.

matoris eorumdem, eorumque in Cancellaria et Camera praedictis locatenentium vel quorumcumque aliorum officialium, tam Sedis quam Curiae et Cancellariae ac Camerae praedictarum visione et subscriptione, ad bullariam mittendi; subiectoque ibidem plumbo, et uno dumtaxat iulio praesidenti bullariae seu eius substitutis, pro unaquaque bulla huiusmodi soluto, eas per scriptores ad id arbitrio suo assumendos, in registrum penes eum conservandum referendi, et registratas, ad exemplum, ut in aliis consuevit, conferendi, ac processum fulminatorium desuper sub proprio eius sigillo decernendi, et denique litteras in totum expeditas et processus fulminatorios huiusmodi, solutis sibi, ratione expeditionis litterarum apostolicarum, super singulis officiis auditoriatus, thesaurariatus generalis et clericatus Camerae praedictae, ac thesaurariatus Datariae et praesidentatus bullariae, ac referendariatus utriusque signaturae, nec non erectionibus et institutionibus quorumcumque aliorum huiusmodi Curiae et totius Status Ecclesiastici officiorum vacabilium et resignabilium, simul cum illorum sic a primaeva erectione vacantium concessionibus et dispositionibus expediendarum, decem ducatis auri de Camera; pro singulis vero referendariatus alterius signaturae et caeteris omnibus officiis vacabilibus et resignabilibus, tam erectis quam erigendis, ad eiusdem Sixti praedecessoris et pro tempore existentis Romani Pontificis dispositionem, ut praefertur, pertinentibus, septem ducatis similibus dumtaxat, ita ut nihil aliud, sive pro taxa, sive minuta, registratura, carta, atramento, plumbo, sigillo, processu, laboribus, iuribus, salariis, regalibus et emolumentis, aliisque rebus ad litterarum et processuum huiusmodi confectionem et totalem expeditionem pertinentibus, ab ipso praesidente eiusque officialibus et ministris exigi vel peti deberet, nisi scriptura et registratura litterarum ac processuum huiusmodi ita prolixa et laboriosa foret, ut maiorem impensam merito requireret; quo casu, litterae ipsae ad datarium pro tempore existentem deferrentur, et desuper ab eo taxa iuxta laboris meritum praescriberetur, quae tamen quindecim ducatos similes non excederet, partibus ipsis seu earum agentibus relaxandi seu consignandi, ceteraque in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exercendi, plenam et liberam ac omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem haberet; et officium praesidentatus huiusmodi ad eius vitam obtinere, illudque in eiusdem Sixti praedecessoris vel pro tempore existentis Romani Pontificis manibus quandocumque resignare licite posset, ad instar aliorum curiae et Sedis praedictarum officiorum vacabilium et resignabilium, auctoritate praedicta, etiam perpetuo, erexit et instituit, illique sic erecto et instituto, pro eius dote, taxam, iura, salaria et emolumenta praedicta similiter perpetuo applicavit et appropriavit, ipsasque litteras in officio praesidentatus huiusmodi, ut praefertur, pro tempore expeditas, etiam quod sola ipsius praesidentis vel personae ab eo deputandae manu subscriptae forent, eamdem prorsus fidem et roboris firmitatem, obtinere voluit, quam obtinerent, si, iuxta stylum Cancellariae seu Camerae praedictarum, per omnes et singulos officiales ac alios, ad quos litterarum apostolicarum plenaria expeditio pertinebat, rite et legitime forent expeditae. Et nihilominus modernis et pro tempore existentibus defensoribus et deputatis collegii, qui litteris apostolicis sub plumbo expeditis in officialium suorum admissionibus minime utebantur, caeterisque omnibus, ad quos

Taxamque eidem ab uno quoque solvendam praefixit.

Quae tamen in aliquo casu potest augeri.

Cauto nequis sine litteris a praeside expeditis sui officii posset possessionem capere.

similium vel dissimilium admissionum receptio quomodolibet spectabat et spectaret in futurum, quocumque nomine, titulo, gradu seu dignitate fulgerent aut censerentur, sub indignationis eiusdem Sixti praedecessoris, et privationis suorum officiorum dictae Camerae applicandorum poenis districtius inhibuit, ne deinceps auderent sive praesumerent quemquam ad officia suorum collegiorum huiusmodi admittere, qui litteras super concessione officii sui sub plumbo in officio praesidentatus expeditionum huiusmodi, ut praefertur, expeditas, non produceret et ostenderet.

Praeses Papae familiaris, continuus commensalis, praelatus domesticus et S. Sedis notarius censendus:

§ 7. Insuper pro tempore existentem praesidentem expeditionum huiusmodi condignis favoribus et gratiis prosequi volens, ipsum in predicti Sixti praedecessoris et pro tempore existentis Romani Pontificis verum, indubitatum et non fictum familiarem, continuum commensalem, ac praelatum domesticum, et Sedis praedictae notarium creavit, constituit et deputavit, aliorumque suorum et pro tempore existentis Romani Pontificis familiarium, continuorum commensalium, et praelatorum domesticorum, dictaeque Sedis notariorum numero et consortio favorabiliter aggregavit, ac pro vero, indubitato et non ficto eiusdem Sixti praedecessoris et pro tempore existentis Romani Pontificis familiari, continuo commensali, et praelato domestico, Sedisque huiusmodi notario haberi et reputari voluit et mandavit; eique, ut in quibuscumque impetrationibus, concessionibus et litteris tam gratiam quam iustitiam concernentibus, se praedicti Sixti praedecessoris et pro tempore existentis Romani Pontificis familiarem, continuum commensalem, et praelatum domesticum, dictaeque Sedis notarium nominare et inscribere, ac ab aliis nominari et inscribi facere, habitumque et insignia notariorum Sedis huiusmodi per aliquem antistitem vel aliam personam in dignitate ecclesiastica constitutam, sibi, recepto prius ab eo fidelitatis debitae solito iuramento, exhibendi, recipere et gestare; nec non in praedicti Sixti praedecessoris et successorum suorum Romanorum Pontificum signatura continuo intervenire et assistere, omnibusque et quibuscumque ac prorsus similibus privilegiis, praeeminentiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, facultatibus, honoribus, antelationibus, praerogativis, favoribus, concessionibus et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus caeteri eiusdem Sixti praedecessoris et pro tempore existentis Romani Pontificis veri et indubitati et non ficti familiares, continui commensales, et praelati domestici, dictaeque Sedis notarii, etiam de numero participantium existentes, etiamsi habitum et rochetum notariorum Sedis huiusmodi non deferret, de iure, statuto, usu, consuetudine vel aliquo speciali privilegio seu alias quomolibet utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere possent et poterant quomodolibet in futurum, tam in iudicio quam extra, ac ubique locorum, absque ulla prorsus differentia, non ad illorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, in omnibus et per omnia, ac si officio praesidentatus huiusmodi expeditionum, illudque pro tempore obtinenti specialiter et expresse per tunc desuper conficiendas litteras, concessa fuissent, sine tamen aliorum praelatorum domesticorum ac ipsorum notariorum de numero participantium praeiudicio, uti, potiri et gaudere, nec non, ut quicumque loci Ordinarius, aut in ipsius Sixti praedecessoris Romani Pontificis signatura gratiae vel iustitiae referendarius, seu metropolitanae vel alterius cathedralis ecclesiae canonicus, aut persona in dignitate eccle-

Cui insignia et habitum notariorum gestare, nec non privilegia concessit.

Nonnulla ex privilegiis concessis praesidi enucleantur.

siastica constituta, ad id per ipsum praesidentem pro tempore existentem eligenda, quascumque pensiones annuas super quarumvis episcopalium et archiepiscopalium vel aliarum ecclesiarum, nec non monasteriorum, prioratuum, praepositatuum, dignitatum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis Ordinum regularium, fructibus, iuribus, obventionibus, emolumentis et etiam distributionibus quotidianis, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, emolumenta ac distributiones huiusmodi sibi, quoad viveret, dicta auctoritate apostolica reservatas et reservata, ac illorum reservationes huiusmodi usque ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera in Romana Curia vel extra eam, etiam in mortis articulo, de consensu pro tempore existentis praesidentis expeditionum huiusmodi, cassare et extinguere, et postquam cassatae et extinctae forent, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, iuribus, obventionibus, emolumentis et distributionibus; seu fructus, iura, obventiones et distributiones huiusmodi, usque ad summam praedictam, uni vel pluribus personis, ad id per eum nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, eisdem modo et forma, ac cum clausulis, decretis et obligationibus quibus pro tempore existenti praesidenti expeditionum huiusmodi reservatae seu reservata forent, et absque consensu solvere habentium pensiones seu obtinentium ecclesias, monasteria, prioratus, praeposituras, dignitates et alia beneficia huiusmodi, dicta auctoritate reservare, constituere, concedere et assignare, ac alias in forma solita transferre, libere ac licite valeret; reservationesque et translationes pensionum seu fructuum, iurium, obventionum et distributionum huiusmodi, earumdem litterarum vigore faciendae, valerent plenamque roboris firmitatem obtinerent, in omnibus et per omnia; perinde ac si per ipsum Sixtum praedecessorem seu pro tempore existentem Romanum Pontificem, de consensu solvere, habentium pensiones seu obtinentium ecclesias, monasteria, prioratus, praeposituras, dignitates et alia beneficia huiusmodi factae fuissent, concessit et indulsit. Insuper statuit et ordinavit quod officium praesidentatus expeditionum huiusmodi pro tempore obtinens, in capella Pontificia, ac quibuscumque sessionibus, processionibus, acquitationibus aliisque actibus, tam publicis quam privatis, in eiusdem Sixti praedecessoris et pro tempore existentis Romani Pontificis praesentia vel absentia faciendis, immediate post pro tempore existentem thesaurarium datariatus sedere et incedere deberet; ac officium praesidentatus expeditionum huiusmodi, in favorem cuiuscumque personae idoneae, quandocumque sibi placeret, resignare, nec resignationis huiusmodi receptio per Romanum Pontificem, ex quavis causa, derogari vel differri, neque pro signatura concessionis eiusdem, per resignationem huiusmodi vacantis, quidquam, ultra summam ducentorum florenorum auri de Camera ab eo, cui de eo sic vacante provideretur, exigi posset: quodque idem praesidens expeditionum pro tempore existens, si utriusque vel alterius iurium doctor, nec in utraque signatura praedicta referendarius foret, per solam concessionem officii praesidentatus, expeditionem concessionum huiusmodi, in utriusque signaturae referendarium, cum omnibus et singulis praerogativis, honoribus et oneribus consuetis, eo ipso creatus et assumptus esset et esse censeretur, et litterae apostolicae super supplicatione concessionis officii praesidentatus expeditio-

Locus honoris obtinenti huiusmodi officium praesidentatus.

num huiusmodi conficiendae, etiam in ea de officio referendariatus huiusmodi nulla facta esset mentio, nihilominus expedirentur tam in Cancellaria praedicta, quam per Cameram secretam, cum expressione concessionis officii referendariatus; neque posset aut deberet per pro tempore existentis Romani Pontificis datarium seu quemcumque alium pro signatura huiusmodi supplicationis, licet vim concessionis plurimorum officiorum propter praemissa habente, aliquid ultra id, quod superius est expressum, omnino exigi, sed sicut per concessionem officii praesidentatus expeditionum huiusmodi veniebat pariter concessio aliorum officiorum praedictorum, sic per unicam solutionem signaturae praedictae sit integre satisfactum, quasi de unica concessione. Quodque omnes et singulae litterae apostolicae sub plumbo ac etiam in forma brevis, tam super litteris tunc desuper conficiendis huiusmodi et aliis quibuscumque gratiis, indultis, facultatibus, concessionibus, tam gratiam quam iustitiam vel mixtim concernentibus per pro tempore existentem praesidentem expedictionum huiusmodi a Sixto praedecessore praedicto eiusque successoribus ac dicta Sede pro tempore impetratis seu etiam ei motu proprio concessis, in omnibus et singulis Cancellariae, Camerae et Curiae praedictarum officiis; nec non plumbo et registro ac ubilibet, gratiis, adinstar clericorum dictae Camerae, expediri; et rescribendarius ad taxandum litteras apostolica pro tempore deputatus, easdem litteras, cum subscriptione *gratis* pro persona praesidentis expeditionum huiusmodi subscribere; et tam ipse quam alii scriptores, abbreviatores, sollicitatores litterarum apostolicarum, et quicumque alii dictae Cancellariae officiales, expeditioni litterarum huiusmodi pro tempore praesidentes et ministri, litteras apostolicas personam praesidentis expeditionum huiusmodi concernentes, sub excommunicationis latae sententiae ac privationis et suspensionis suorum officiorum, nec non privationis emolumentorum eorumdem, poenis per eos, qui eas gratis subscribere vel concedere nollent, eo ipso incurrendis, absque alio Sixti praedecessoris et successorum suorum ac Sedis praedictorum ulteriori mandato, omnino gratis in omnibus et per omnia, usque ad plumbum et alia necessaria inclusive, omni contradictione cessante, expedire ac subscribi et expediri facere et permittere deberent et tenerentur.

Dispositio quoad litteras, quae *gratis* expediuntur.

§ 8. Insuper de venerabilis fratris nostri, tunc sui, Petri olim episcopi Spoletanensis, nunc Aversanensis, summa fide, integritate, probitate et doctrina idem Sixtus praedecessor in Domino confidens, ipsumque Petrum episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existebat, ad effectum suarum dumtaxat consequendum, earumdem serie absolvens et absolutum fore censens, eidem Petro episcopo officium praesidentatus expeditionum huiusmodi, a primaeva eius erectione sic vacans, per eum, quoad viveret, adinstar aliorum officiorum Sedis et curiae huiusmodi tenendum, regendum et gubernandum, cum illi annexis ac iuribus, taxis, emolumentis, nec non honoribus, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, praeeminentiis, antelationibus, praerogativis, iurisdictionibus, favoribus, gratiis, indultis et facultatibus supradictis, auctoritate praedicta, concessit et assignavit; ipsumque Petrum episcopum ad officium praesidentatus expeditionum huiusmodi eiusque liberum exercitium ac

Huiusmodi officium Petro episcopo Spoletano concessit Sixtus.

omnia et singula alia supradicta ex tunc recepit et admisit, ac per eos, ad quos spectabat et pro tempore spectaret, recipi et admitti, receptumque et admissum in eis, quoad viveret, manuteneri, sibique de eisdem integre responderi debere, voluit et mandavit; ac cum eodem Petro in officio praesidentatus expeditionum huiusmodi, recipere et quoad viveret etiam, una cum Spoletanensi, cui praeerat et quibusvis aliis ecclesiis, etiam metropolitanis, ad quas eumdem Petrum episcopum transferri seu quibus praefici contingeret, nec non omnibus et singulis monasteriis, prioratibus, praeposituris, praeceptoriis, dignitatibus et aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus ac quorumvis Ordinum et hospitalium ac militiarum regularibus, quae in titulum, commendam, administrationem vel alias quomodolibet ex dispensatione apostolica obtinebat et imposterum obtineret; ac fructibus ecclesiasticis, loco pensionum annuarum, nec non pensionibus annuis super similibus fructibus, redditibus et proventibus sibi reservatis ac reservandis, quos et quas ex similibus dispensationibus percipiebat et perciperet in futurum; necnon aliis eiusdem Curiae officiis per eum ex indulto apostolico forsan obtentis et obtinendis, retinere, illudque per se vel alium seu alios idoneos et expertos, quos ad id duceret deputandos, exercere; ac omnibus et singulis superius expressis frui et gaudere, nec non de infrascripto pretio officii praesidentatus expeditionum huiusmodi, etiamsi illud ex fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis confectum et solutum foret, ipsumque Petrum episcopum intra triennium tunc proximum extra Spoletanensem et alias ecclesias vel alia loca debitae per eum residentiae personalis ubicumque decedere contingeret, disponere eiusque haeredes in eodem pretio etiam ab intestato succedere libere et licite possent, dispensavit, similiterque pariter indulsit; dictumque Petrum episcopum, qui ultra mille Oliverio et seu Thomae praedicto, ac septingenta et quinquaginta scuta auri in auro collegio scriptorum huiusmodi per eum restituenda, summam viginti millium scutorum monetae, decem iuliis pro quolibet scuto huiusmodi computatis, in Sixti praedecessoris sedisque praedictorum subventionem, nomine pretii officii praesidentatus expeditionum huiusmodi, in manibus datarii eiusdem Sixti praedecessoris seu eius depositarii, realiter et cum effectu persolvit, eius vita durante, ab eodem officio praesidentatus expeditionum per ipsum Sixtum praedecessorem vel successores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac Sedem et Cameram praedictas, etiam ex quavis causa, invitum amoveri, aut illud eique assignata et concessa iura regalia, emolumenta caeteraque supradicta in toto vel parte imminui vel subtrahi, quinimmo officium praesidentatus expeditionum huiusmodi ad dictum triennium per eius obitum minime vacare, sed eiusdem interea decedentis successorem, ad solvendum illius haeredibus, etiam ab intestato, integrum eiusdem officii pretium, tunc reperibile, teneri; ipsosque haeredes ad huiusmodi officium, et pro illo ad officium praesidentatus expeditionum huiusmodi, usque ad integram dicti pretii solutionem, directam habere actionem; ac eos, et non alios pro ea uni dumtaxat super pretio huiusmodi, quale et quantumcumque foret, cum persona ad dictum officium praesidentatus expeditionum huiusmodi promovenda, ante promotionem huiusmodi libere et licite convenire et contrahere; neque personam promovendam huiusmodi, antequam de dicto pretio, ut praefertur integre satisfecisset,

Qui plura ei indulsit atque concessit.

Pecuniarum summae favore S. Sedis ab episcopo Petro erogatae.

Eius haeredum actio in huiusmodi officium.

possessionem officii praesidentatus expeditionum huiusmodi apprehendere, nec eum aut alium quempiam illud interim, etiam per modum provisionis, nisi de fructibus et redditibus ex illo provenientibus, haeredibus et aliis praedictis re ipsa respondisset, exercere posset; nec non praedictum Petrum episcopum intra dictum triennium de dicto officio praesidentatus expeditionum huiusmodi, per viam legati, donationis, etiam causa mortis, testamenti seu alterius cuiuscumque ultimae voluntatis, seu etiam cuiusvis contractus inter vivos, in toto vel in parte, in unius vel plurium et diversarum personarum favorem disponere et ordinare, illudque transmittere et transferre, dicta auctoritate, etiam vigore litterarum tunc desuper conficiendarum huiusmodi, libere et valide posse; nec fructus ex eodem officio praesidentatus expeditionum huiusmodi pro tempore perceptos in sortem illius pretii connumerari, neque Petrum episcopum eiusque haeredes praedictos super iis et aliis praemissis omnibus per vice-cancellarium et camerarium, nec non Cameram ac thesaurarium, clericos, praesidentes et commissarios ac etiam datarium praedictos vel quoscumque alios, quavis auctoritate fulgentes, quovis praetextu, etiam nomine et actione spoliorum vel alias quomodolibet molestari vel inquietari debere declaravit, etiamsi officium praesidentatus expeditionum huiusmodi ex fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis emptum, illiusque pretii huiusmodi summam longe maiorem excederet, et ad quamcumque etiam notabilissimam summam ascenderet, quam totam et integram, tam Petro episcopo quam etiam, eo intra dictum triennium vita functo, eius haeredibus et successoribus praedictis gratiose inter vivos donavit et liberaliter concessit; ac totum dictum pretium integrum, quale-

Solitasque clausulas apposuit.

cumque et quantumcumque esset, dicti Petri episcopi, et intra triennium huiusmodi eo decedente, haeredum praedictorum omnino esse voluit; et nihilominus pro eiusdem Petri episcopi indemnitate, ac omnium et singulorum praemissorum observatione et exequutione, etiam noviter, ac loco damnorum et interesse, quae ipsum Petrum episcopum pati contingeret, nec non pro evictione, ac generali et particulari defensione, manutentione et conservatione, perpetuis etiam adversus Oliverium et Thomam ac collegium scriptorum huiusmodi et alios quoscumque ius et interesse desuper quomodolibet habentes seu habere tunc et pro tempore praetendentes, omnia et singula eiusdem Camerae iura, res et bona, etiam specialem notam requirentia, quaecumque, tam praesentia quam futura, nedum generaliter, verum etiam specialiter et expresse in amplissima forma dictae Camerae, cum omnibus et singulis clausulis et decretis ac cautelis in similibus obligationibus apponi solitis et consuetis, latissime extendendis et interpretandis, Petro episcopo eiusque haeredibus et successoribus praedictis similiter perpetuo obligavit et hypothecavit; nec non quatenus pro consequendo officio praesidentatus expeditionum huiusmodi, ab aliis maius pretium dictae summae viginti unius millium ac septingentorum et quinquaginta scutorum quandocumque repertum foret, vel reperiri contingeret, illud omne et totum, cuiuscumque quantitatis et summae foret, etiamsi dimidiam vel maiorem partem iusti pretii excederet, eidem Petro episcopo gratiose et irrevocabiliter ac perpetuo, etiam donatione inter vivos, remisit et condonavit; ac litteras tunc desuper conficiendas huiusmodi ad probandum plene quod pretium praedictum in Sixti praedecessoris ac Sedis et Camerae praedictorum subventionem con-

Petro episcopo intra triennium decedente, supradictum pretium haeredum esse voluit.

versum foret, aliaque praemissa ubique, tam in iudicio quam extra, sufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri; ac desuper conficiendas litteras praedictas nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis dicti Sixti praedecessoris vel alio quopiam defectu, etiam ex eo quod Oliverius et Thomas ac scriptores praedicti vel quicumque alii interesse habentes ad id vocati non forent, nec praemissis consenserant, ac illa, nulla legitima subsistente causa, sed de facto processerant, seu etiam enormis et enormissimae laesionis praetextu, vel ex quavis alia causa, quantumvis legitima, urgenti et iuridica, etiam necessario exprimenda, notari, impugnari, invalidari aut ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari, ac adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus concedi posse, minusque sub similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanarent, toties in pristinum et eum, in quo antea erant statum, restitutas, repositas et plenarie, etiam sub quacumque data per Petrum episcopum eiusque haeredes et successores praedictos eligenda, reintegratas et de novo concessas validasque et efficaces fore et esse, vimque validi et efficacis contractus inter Sixtum praedecessorem et Cameram ex una, et Petrum episcopum eiusque haeredes ac successores praedictos ex altera partibus, rite et recte initi et stipulati et utrinque iurati, habere et perpetuo obtinere; dictamque Cameram ad Petrum episcopum eiusque haeredes et successores praedictos in iuribus huiusmodi tuendos, et ab omni incommodo, damno, laesione, lite, causa et controversia immunes, indemnes et exemptos conservandos teneri et obligatam fore ac esse. Sicque et non aliter per quoscumque iudices, ordinarios vel delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contingeret, ex tunc irritum et inane decrevit. Ac tam Oliverio et Thomae quam collegio scriptorum huiusmodi et aliis praedictis caeterisque omnibus et singulis interesse habentibus vel praetendentibus perpetuum silentium desuper imposuit; et insuper voluit idem Sixtus praedecessor quod Petrus episcopus et singuli eius in dicto officio praesidentatus successores, antequam ad illud reciperentur et admitterentur, iuramentum de eodem officio fideliter exercendo in manibus datarii pro tempore existentis Romani Pontificis praestare omnino tenerentur.

Sixti vero litteras nulla ratione impugnari posse decretum.

Atque ita, et non aliter, ab omnibus, quavis auctoritate, esse iudicandum.

Non obstantibus praemissis ac dictae Cancellariae regulis, de consensu praestando in pensionibus, et non solvendo iure quaesito, ac revocatoria facultatum percipiendi pretium officiorum dictae Curiae et gratiis ad instar non concedendis; et quatenus opus esset recolendae memoriae Symmachi, Innocenti III, Pauli II et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, tunc suorum, ac etiam eiusdem Sixti praedecessoris, de rebus Ecclesiae seu Camerae et Sedis praedictarum non alienandis, ac etiam super residentia atque spoliis praelatorum; aliisque constitutionibus et ordinationibus, tam apostolicis quam in provincialibus et synodalibus et generalibus conciliis, specialiter vel generaliter, contra praemissa vel eorum ali-

Clausulae praeservativae appositae ab eodem Pontifice.

qua quomodolibet editis et edendis; nec non Spoletanae et aliarum ecclesiarum ac monasteriorum, etiam in quibus beneficia forsan forent, ac Ordinum, militiarum et hospitalium, etiam quorum illa extarent, nec non Camerae, Urbis, locorum, officiorum et collegiorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, usibus, naturis, stabilimentis et etiam novis reformationibus; privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus et litteris apostolicis, illis eorumque praesulibus, capitulis, conventibus, collegiis, officialibus, exequutoribus, appaltatoribus et quibusvis aliis personis, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, tunc suos, ac Sixtum praedecessorem et Sedem praedictos, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis et quantocumque tempore observatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat, specialiter et expresse derogavit, et nemini adversus praemissa omnia suffragari voluit, caeterisque contrariis quibuscumque.

Statutis, privilegiis, consuetudinibus, caeterisque contrariis non obstantibus.

§ 9. Ne autem de suppressione et extinctione, abolitione, revocatione, annullatione, cassatione, irritatione, abrogatione, evacuatione, avocatione, subductione, erectione, institutione, applicatione, appropriatione, revocatione, constitutione, deputatione, receptione, admissione, statuto, ordinatione, absolutionibus, concessione, assignatione, indulto, dispositione, declaratione, voluntate, obligatione, hypothecatione, remissione, donationibus, condonatione, mandato, decretis, derogatione, ac omnibus et singulis aliis praemissis, pro eo quod super illis dicti Sixti praedecessoris, eius superveniente obitu, litterae confectae non fuerunt, valeat quomodolibet haesitari, ipseque Petrus episcopus illorum frustretur effectu, volumus et similiter apostolica auctoritate praedicta decernimus quod suppressio, extinctio, abolitio, revocatio, annullatio, cassatio, irritatio, abrogatio, evacuatio, amotio, subductio, erectio, institutio, applicatio, appropriatio, constitutio, deputatio, receptio, admissio, statutum, ordinatio, absolutiones, concessio, assignatio, dispensatio, indultum, declaratio, voluntas, obligatio, hypothecatio, remissio, donationes, condonatio, mandata, decreta, derogatio et alia praemissa Sixti praedecessoris huiusmodi, perinde a dicta die quarto idus novembris suum sortiantur effectum, ac si super illis praedicti Sixti praedecessoris litterae sub eiusdem diei data confectae fuissent, prout superius enarratur.

Cum vero propter obitum Sixti apostolicae litterae non fuerint expeditae,

Clemens praedicta omnia a die initi contractus firma esse decernit;

§ 10. Quodque praesentes litterae ad probandum plene supplicationem, extinctionem, abolitionem, revocationem, annullationem et cassationem, irritationem, abrogationem, evacuationem, avocationem, subductionem, erectionem, institutionem, applicationem, appropriationem, revocationem, constitutionem, deputationem, receptionem, admissionem, statutum, ordinationem, absolutiones,

Praesentesque litteras plene probare declarat.

concessionem, assignationem, dispensationem, indultum, declarationem, voluntatem, obligationem, hypothecationem, remissionem, donationes, condonationem, mandatum, decreta, derogationem et alia praemissa Sixti praedecessoris eiusdem ubique afficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Exequutores deputat.

§ 11. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi, et Amerino, episcopis, ac dilecto filio curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, motu simili mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus corum, per se vel alium seu alios, Petro episcopo et successoribus praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos suppressione, extinctione, abolitione, revocatione et aliis praemissis pacifice frui et gaudere, non permittentes illos desuper per quoscumque contra praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari, perturbari vel impediri: contradictores quoslibet per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat contrariis, et sanctionem poenalem addit.

§ 12. Non obstantibus omnibus praemissis.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum voluntatis, decreti et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius noverit se incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, quinto idus februarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 9 februarii 1593, pont. an. II.

LII.

Nullitates ex defectu iurisdictionis, citationis et mandati, et non aliae, in omnibus Status Ecclesiastici tribunalibus attendendae [1]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Litium dispendiis et ambagibus, praesertim inter personas curae et iurisdictioni nostrae, etiam in temporalibus, subiectas, occurrere, quantum in nobis est, cupientes:

Pius IV tres tantum nullitates a iudicibus Urbis decrevit attendi.

§ 1. Statutum felicis recordationis Pii Papae IV, praedecessoris nostri, ne iudices almae Urbis nullitates attendant, nisi ex defectu citationis, iurisdictionis aut mandati, sed illis non obstantibus, ad expeditionem causarum procedant, ad omnes et quoscumque iudices ordinarios et delegatos, magistratus et officiales, in quibusvis ditionis nostrae temporalis Ecclesiasticae provinciis et civitatibus, terris, oppidis et locis quamcumque iurisdictionem exercentes et dignitate fungentes, hac nostra perpetuo valitura constitutione, extendimus et ampliamus, atque in quocumque tribunali aut curia saeculari vel ecclesiastica firmiter et inviolate servari.

Clausula sublata, *etc.*

§ 2. Sicque et non aliter per quoscumque ex ipsis iudicibus, etiam causarum

1 Hoc idem quoad tribunalia Urbis iussit Pius IV constitut. LXXI: *Cum ab ipso*, tom. VII, pag. 214. Et specialiter in Rota, in alia constitut. LIV: *In Throno*, ibid., pag. 155. Et in commissionibus causarum id specificari decrevit in altera eius bulla LXXII: *Cum nuper*, ibid. pag. 224.

Palatii Apostolici auditores, etiam S. R. E. cardinales ac legatos, etiam de latere, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi facultate, in quacumque causis et instantia, etiam nunc pendente aut in futurum movenda, ecclesiastica, prophana, civili et criminali aut mixta, iudicari et definiri, et quibuscumque nullitatibus praeter superius expressas nequaquam attentis, ad expeditionem causarum earumdem procedi debere praecipimus et mandamus. Decernentes irritum et inane si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulas derogatorias addit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in conciliis, etiam generalibus, editis; nec non legibus, etiam imperialibus, earumdemque provinciarum, civitatum, oppidorum et locorum, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ipsis earumve consiliis, iudicibus, magistratibus, officialibus, curiis, tribunalibus, collegiis vel personis quomodolibet concessis, etiam saepius approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio, aut quaevis alia expressio habenda, aut quaevis alia forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, perinde ac si ad verbum inserti, et forma in illis tradita ad unguem servata foret, pro plene et sufficienter expressis habentes, ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 4. Volumus autem praesentium litterarum exemplis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo praelati ecclesiastici obsignatis, eamdem fidem haberi, quae haberetur eisdem praesentibus exhibitis vel ostensis; eásdemque praesentes in valvis Basilicae Lateranensis ac Principis Apostolorum de urbe, et in acie Campi Florae, ut moris est, affigi et publicari, ac post triginta dies cunctos, quos concernunt, perinde afficere, ac si eorum cuilibet personaliter intimatae fuissent.

Nulli ergo, *etc.*

Sanctio poenalis.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, quinto idus februarii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 9 februarii 1593, pont. an. II.

Anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDXCIII, indictione VI, die vero XXII, mensis martii, pontificatus Sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Clementis divina providentia Papae VIII anno eius II, supradictae litterae effixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicae SS. Petri et Ioannis Lateranensis de Urbe, et in acie Campi Florae, per nos Ioannem Baptistam Bagni et Franciscum Baron Sanctissimi D. N. Papae cursores.

Raptista Pressius, *Mag. Curs.*

LIII.

Confirmatio decreti Congregationis Sacrorum Rituum, quo nonnulla statuuntur super associatione episcopi Oxomensis, tam in eundo ad ecclesiam quam ab ea redeundo [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pontificis auctoritas nos admonet et exposcit ut quae a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus congregationis Sacrorum Rituum rite ordi-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

nata et decreta sunt, suum debitum sortiantur effectum.

Episcopus atque Capitulum Congregationem pro declaratione, de qua in rubrica, supplicarunt.

§ 1. Dudum siquidem cardinalibus dictae Congregationis pro parte venerabilis fratris Sebastiani, moderni episcopi, et dilectorum filiorum Capituli Oxomensis, communi ipsorum omnium voto et consensu, et ad tollendas omnes quaestiones litesque ac controversias, quae circa infrascripta quomodolibet oriri possent, humiliter supplicatum fuit pro declaratione per eamdem Congregationem facienda, quibusnam potissimum diebus praedictum Capitulum teneretur pro tempore existentem episcopum Oxomensem, tam euntem ad ecclesiam quam ab ea recedentem, comitari: Congregatio praedicta, supplicationibus sibi porrectis huiusmodi satisfacere cupiens, decrevit et declaravit in hunc, qui sequitur, modum, videlicet:

Decretum Sanctae Congregationis.

§ 2. Congregatio Sacrorum Rituum ad supradictam petitionem respondendum censuit, prout et alias decretum fuit pro ecclesia Hispalensi, videlicet:

Dignitates, canonicos et Capitulum debere accedere, ubi episcopus cappa induitur, ut eum ad ecclesiam venientem debito cum honore comitentur; in redditu etiam debere saltem usque ad ostium domus ipsum episcopum associare; ei vero privatim venienti, videlicet sine cappa pontificali, nonnullos ex dignitatibus et canonicis ad ostium ecclesiae occurrere, et in redditu similiter usque ad ostium ecclesiae ipsum comitari debere. Episcopum autem cum cappa pontificali ad ecclesiam accessurum, ut solemniter celebret, vel ut assistat divinis officiis aut processioni, vel ut aliud quidquam ex pontificalibus exerceat, curare debere ut Capitulo congruo tempore intimetur hora eius accessus ad ecclesiam, ad hoc ut Capitulum praedictum commode se ad eius occursum accingere possit: idemque episcopus convenientem et opportunam horam eliget; verbi gratia, si missam solemnem in aliquo die festo sit celebraturus, tunc post Primam in choro finitam, antequam Tertia inchoetur, ad ecclesiam accedere poterit, quo casu dignitates, canonici caeterique capitulares, statim post Primam completam, facto modico intervallo, prodire debent obviam episcopo ad eius cubiculum, eumque ad ecclesiam venientem deducere, quemadmodum ipsa Congregatio faciendum esset respondit. Cumque episcopus in ecclesiam venerit, Tertia, suo tempore, inchoanda erit, iuxta praescriptum Pontificalis Romani; idque omnino faciendum est, non obstante quacumque consuetudine ipsius Capituli in contrarium. Cum enim pastor teneatur ad suam ecclesiam accedere, et ex eius praesentia divini cultus augmentum, ecclesiaque ipsa splendorem et decorem non modicum recipiat, non est ei praebenda occasio vel non accedendi (ex quo debita cum decentia id facere nequeat) vel indecenter accedendi. Insuper declaravit quod quando episcopus, finita missa vel aliqua hora canonica, est ab ecclesia discessurus, tantisper cessandum est a reliquis horis decantandis, quousque capitulares abeuntem episcopum reducere possint, ut in omnibus congrua obedientia praelato et debitum Deo obsequium reddatur, cui sacrificium cum inobedientia non placet. Declaravit praeterea quod si interdum contingat episcopum, vel processione, vel aliqua hora canonica nondum finita, abire compelli ob aliquam sui necessitatem, tunc non opus erit ut omnes capitulares cum eo discedant, sed satis erit si quatuor de Capitulo eum domum reducant, itaut processioni vel divinis officiis impedimentum aut perturbationis occasio non praebeatur; quamvis haec, quae raro eveniunt, minime consideranda sint, cum leges, circa ea, quae frequentius

Horarum competentium pro divinis officiis distributio.

accidunt, accomodentur. Ad evitandas autem perturbationes et confusiones in iis diebus in quibus episcopus divinis officiis est interfuturus, campana aliquanto citius pulsetur, ut, tempore et rebus agendis simul consideratis, cuncta rectius fiant, et horis congruis expleantur. Ubi autem episcopus solam concionem auditurus ad ecclesiam accedit, etiamsi cappa pontificalis indutus eam concionem auditurus sit, non omnes capitulares, sed aliqui dumtaxat, videlicet saltem duae ex dignitatibus et sex ad minus ex canonicis episcopum venientem ad ostium ecclesiae excipere, atque ad eumdem usque locum abeuntem reducere.

Supplicant pro confirmatione.

§ 3. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte Sebastiani moderni episcopi et Capituli Oxomensis praedictorum petitio continebat, ipsi episcopus et Capitulum praedicta, per dictos cardinales, ut praefertur, decreta et declarata, pro illorum subsistentia, firmiori cupiant nostro et apostolicae Sedis munimine roborari; quare pro parte dictorum Sebastiani moderni episcopi et Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, ut decretum et declarationem praedictam confirmare et approbare de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Clemens.

§ 4. Nos igitur, qui pacem et concordiam inter omnes, praecipue divino ministerio mancipatos, praesules et illis subditas ecclesiasticas personas vigere, et quae propterea per dictos cardinales mature discussa decreta et declarata sunt, suum debitum sortiri effectum summopere exoptamus, ipsosque Sebastianum et Capitulum illiusque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum et declarationem huiusmodi ab ipsis cardinalibus, ut praefertur, facta, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; et nihilominus, potiori pro cautela, eadem decernimus et declaramus, et ab ipsis dignitatibus et canonicis ac quibusvis aliis, ad quos ea quomodolibet spectant et pertinent, inviolabiliter et ad unguem observari debere; nec non dignitatibus et Capitulo aliisque praedictis in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenis infrascriptis per contrafacientes ipso facto, quavis appellatione cessante et omnino sublata, incurrendis, praecipimus, quatenus decretum et declarationem huiusmodi, omni subterfugio postposito, prout ab ipsis cardinalibus, ut praefertur, facta sunt, inviolabiliter et ad unguem observent.

Eaque ab omnibus inviolabiliter observari iubet.

Clausulae.

§ 5. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari posse. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; nec non irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; ac mandantes dicto Sebastiano, moderno et pro tempore existenti episcopo Oxomensi, quatenus decretum et declarationem et praemissa omnino observari faciat et cu-

ret. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per excommunicationis et suspensionis aliasque sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; nec non legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse declarando, easque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictae Ecclesiae Oxomensis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si dignitatibus et canonicis et Capitulo praedictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII februarii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 13 februarii 1593, pont. an. II.

LIV.

Prohibitio appellandi per religiosos Ord. Fr. Servorum B. Mariae Virginis a praelatis eiusdem Ordinis ad tribunalia saecularia, permissioque habendi recursum ad priorem gener., protectorem, seu vice-protectorem aut ad Rom. Pontificem[1].

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Quoniam nostro pastorali potissimum incumbit officio, ut ea, quae per regulares personas contra eorum regularia instituta temere attentantur, quantum nobis ex alto conceditur, opportunis remediis compescamus et amoveamus. Prooemium.

§ 1. Proinde, quia nuper dilecto filio magistro Laelio Balliono de Florentia, priore generali Ordinis Fratrum Servorum Beatae Mariae, non sine animi nostri molestia, referente accepimus, quod nonnullae dicti Ordinis etiam utriusque sexus regulares personae, Dei timore postposito, et suae professionis immemores, ut in eorum malefactis, et inobedientia se diutius confoveant, ab iis, quae per praelatos eiusdem Ordinis, et priores provinciales et alios superiores ab ipso priore generali pro tempore deputatos, acta sunt et decreta, ad tribunalia saecularia appellare, et ad ea temere confugere consueverunt, in non modicam iurisdictionis ipsorum superiorum laesionem, et regularis instituti alterationem, ac scandalum plurimorum. Causae huius constitutionis.

§ 2. Non praemissis obviare volentes, universis et singulis dicti Ordinis utriusque sexus regularibus personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, apostolica auctoritate, Prohibitio de qua in rubrica.

1 Alia de hoc Ordine, vide inferius in constit. quae incipit: *Decet*, huiusce Pontificis. — Constitutio isthaec in editione romana habetur in *Appendice*, sub numero CCCLXVII (tom. V, par. III). (R. T.)

tenore praesentium praecipimus et mandamus, eisque sub excommunicationis latae sententiae poena, a qua non nisi a nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo absolvi possint; necnon privationis perpetuae officiorum per eos obtentorum, et inhabilitatis ad illa et alia quaecumque dicti Ordinis officia exercenda, ac vocis tam activae, quam passivae eo ipso absque alia declaratione incurrendis poenis, districtius inhibemus, ne ad ipsa tribunalia saecularia, quovis praetextu aut quaesito colore, appellare, vel ad illa confugere, aut ea propterea quoquomodo adire audeant vel praesumant; sed si se a praelatis gravari praetendant, ad priorem generalem ipsius Ordinis, seu illius protectorem, aut vice-protectorem in Romana Curia, vel ad nos, sive Romanum Pontificem pro tempore existentem, supremum in Ecclesia Dei iudicem, sicut antiquitus semper facere consueverunt, recursum habeant, unde illis brevi manu iustitia ministrabitur.

Extensio ad fautores.

§ 3. Volentes et ita declarantes, quod nedum dicti Ordinis regulares personae contrafacientes, verum etiam eorum quomodolibet, directe vel indirecte fautores et consultores, easdem poenas eo ipso omnino incurrant.

Decretum irritans.

§ 4. Decernentes irritum et inane, quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum praesentium, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV februarii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 februarii 1593, pont. an. II.

LV.

Approbatio constitutionum Pauli IV et Pii V circa leges et ordinationes a Iudaeis ubique locorum observandas; et expulsio eorumdem ab omnibus civitatibus et terris Status Ecclesiastici, Roma, Avenione et Ancona exceptis.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Caeca et obdurata Hebraeorum perfidia, non solum ingrata est in Dominum ac Redemptorem humani generis Iesum Christum Dei filium ipsis promissum, et ex semine David secundum carnem natum, sed neque etiam sanctae Matris Ecclesiae, ipsorum conversionem patienter expectantis, magnam erga eos misericordiam agnoscit; quinimmo pietati christianae pro gratia iniuriam reddens, non cessat quotidie tot committere enormes excessus, tot detestanda patrare flagitia in praeiudicium ipsorum christifidelium, qui eos in testimonium verae fidei, et in memoriam passionis Dominicae, atque ut tandem resipiscant, benigne tolerant et recipiunt, ut nos, gravibus quaerimoniis ea de causa ad nos perlatis, impulsi, cogamur pro debito pastoralis officii opportunum aliquod huic malo remedium adhibere.

§ 1. Sane iam pridem felicis recorda-

Paulus IV nonnullas leges Iudaeis commorantibus in Statu Ecclesiastico praescripsit.

tionis Paulus Papa IV, praedecessor noster, per suam sub datum pridie idus iulii, pontificatus sui anno primo, editam constitutionem, prudenti ac salubri consilio, certas praescripsit leges, quas Iudaei in terris ditionis ecclesiasticae degentes servare tenerentur.

Pius V approbavit.

§ 2. Easque postmodum recolendae memoriae Pius Papa V, itidem praedecessor, sub datum videlicet tertiodecimo kalendas maii, pontificatus sui anno primo, non solum innovavit, sed etiam complura indulta et privilegia, quorum obtentu Iudaei se tuebantur, abrogando, eamdem Pauli praedecessoris constitutionem adversus illa restituit ac firmiter observari praecipit; ac demum per alias suas litteras eos ab omnibus ditionis temporalis ecclesiasticae civitatibus, terris et locis, urbe Roma et Ancona exceptis, perpetuo exulare iussit, prout in eorum litteris latius continetur.

Iudaei tamen plurima indulta contra praeditas leges extorserunt.

§ 3. Quae cum, optima suadente ratione, a Sancta hac Sede emanaverint, ipsi tamen Iudaei successu temporis paulatim ab huiusmodi vinculis se eximere attentarunt, et forsan ab aliis praedecessoribus nostris, qui ut eos ab eorum caligine ad agnitionem verae fidei allicerent, mansuetudinem christianae pietatis non denegandam eis censuerunt, aliquas super hoc tolerantias sive indulta extorserunt. Quibus postmodum, contra piam eorumdem praedecessorum mentem et intentionem, prave abutentes, eo fandem sunt progressi, ut adversus divinas, naturales humanasque leges, magnis et gravibus usuris pecuniarum, quas praesertim a pauperibus et egenis exigunt, monopoliis illicitis et foeneraticiis pactis, fraudibus, dolis in contrahendo, ac fallaciis, plurimos cives et incolas ditionis temporalis ecclesiasticae, ubi commorantur, misere exhauserint, circumvenerint, bonis spoliaverint, ac tenuis potissimum fortunae homines, praesertim rusticos et simplices, non solum ad extremam inopiam et mendicitatem, sed propemodum in servitutem redegerint; multa praeterea et quidem graviora scelera et flagitia, et ipsi commiserint, et perdito cuique ac nequissimo in facinoribus patrandis suam libentissime operam et quamcumque potuerunt opem praestiterint.

Hic itaque Pontifex dictas Pauli IV et Pii V constitut. innovat atque confirmat.

§ 4. Nos igitur, his et aliis gravissimis de causis adducti, huiusmodi nationem a plerisque ex nostris populis (apud quos experientia docuit eam multo plus detrimenti afferre, quam boni ab ipsa sperari queat) censuimus omnino expellendam, et tamen ne a nobis prorsus eiecta, ad gentes, quae Christum non norunt, divertat, atque a via salutis reliquiis Israel prophetico ore promissae longius recedat, eam ab amplioribus quibusdam aut nobis proximis civitatibus, ubi facilius legum vinculis et iudicum severitate in officio contineri possit, duximus non repellendam. Ac proinde nos eorumdem Pauli et Pii praedecessorum vestigiis inhaerentes, primum quidem eorum constitutiones et litteras, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, harum serie approbamus et innovamus, illisque perpetuae, inviolabilis et inconcussae firmitatis robur adiicimus.

Privilegia in contrarium concessa revocat:

§ 5. Deinde vero, usu et re ipsa edocti, quae eisdem Iudaeis, praeter illorum formam, pia et benigna eorum, qui secuti sunt, praedecessorum nostrorum indulgentia permissa fuerunt, ea, ut sperabatur minime profuisse, quinimmo contra mentem concedentium, malitia Iudaeorum in damnum christifidelium retorta extitisse, omnia et quaecumque, si quae forsan a sanctae memoriae Pio IV, Sixto V et aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, sive de eorum, ut asseritur, mandato, in favorem eorumdem Iudaeorum, tam in alma Urbe tan-

tum, quam in quibusvis aliis ditionis temporalis ecclesiasticae civitatibus, terris, oppidis et locis degentium, etiam super hoc ipso ut ubilibet commorari eis liceat, in genere vel in specie, etiam motu proprio vel sub praetextu causae et tituli onerosi, etiam vim contractus inducentis, aut alias concessa dicuntur; privilegia, permissiones, indulta aut capitula, quorum etiam omnium et singulorum tenores pro expressis ac ad verbum insertis habemus, in ea parte qua praedictis eorumdem Pauli et Pii V praedecessorum, necnon praesentibus nostris litteris adversantur, aut ultra illas aliquid concedunt, harum serie revocantes, cassantes, abolentes et annullantes, irritaque, cassa et nulla decernentes.

Exulareque praecipit a toto Statu ecclesiastico, praeter quam ab Urbe Roma, Ancona et Avenione.

§ 6. Hac nostra perpetuo valitura constitutione praecipimus et mandamus ut omnes, et quicumque Iudaei utriuslibet sexus, qui in quibusvis ditionis nostrae temporalis universae civitatibus, etiam Bononiensi et Beneventanae, oppidis, terris, castris et locis, etiam sub eadem ditione consistentium, baronum et domicellorum quamcumque iurisdictionem, praeeminentiam, titulum, insignia seu exemptionem habentium, ad praesens reperiuntur, debeant omnino, intra tres menses, a die publicationis praesentium litterarum in Romana Curia faciendae numerandos, ex eiusdem ditionis temporalis et Status Ecclesiastici finibus discessisse, et alio commigrasse. Quin potius, tam illos quam alios, siqui fortasse ad praedictum Statum accedent, iubemus in posterum a tota ditione praefata, non solum nostris, sed etiam perpetuis futuris temporibus, sine ulla spe redditus, exulare; ita ut quicumque Iudaei, sive peregrini, praesentes aut futuri, in quavis dictae ditionis civitate, oppido, terra vel loco, etiam domicellorum et baronum huiusmodi, quandocumque post lapsum trium mensium praedictorum inventi fuerint, rebus omnibus spolientur, eaeque fisci iuribus applicentur, eorum vero unusquisque, qui aetate et corpore viribus satis firmis ad eam poenam substinendam reperietur, ad triremes, quoad vixerit, sit eo ipso damnatus. Idque in toto Statu praedicto ubique servetur (urbe Roma et Avenionensi atque Anconitana civitatibus dumtaxat exceptis) ubi eos, qui ad praesens ibidem vel alibi intra praedictum Statum degunt, si ad dictas potius civitates quam alio se recipere maluerint, et praedictis de causis, et ad prosequendas cum orientalibus mercaturae, negociationes et commercia, et quia illos praesertim, qui nostro et huius Sedis conspectui proximi sunt, poenae formidine a maleficiis temperaturos atque interdum aliquos lumen veritatis facilius agnituros speramus, censuimus tolerandos.

Statutis locorum, apostolicisque et canonicis sanctionibus, et praedictis Pauli IV et Pii V constitutionibus ligari declarat.

§ 7. Verum his ipsis, quos in tribus tantum praedictis civitatibus commorari permittimus, universis et singulis Iudaeis praecipimus ut civitatum praedictarum, in quibus pro tempore habitaverint, statuta favorem christianorum concernentia, necnon edicta Ordinariorum et magistratuum, praecipue vero nostras ac praedictas Pauli IV et Pii V praedecessorum, et alias apostolicas et canonicas, quae circa ipsos Iudaeos aliquid disponunt, constitutiones inviolabiliter observent.

Exequutores huius constitutionis deputat.

§ 8. Quocirca tam dilectis filiis nostris in alma Urbe vicario, et S. R. E. camerario, quam aliis universis et singulis status et ditionis ecclesiasticae civitatum, oppidorum et locorum Ordinariis, necnon legatis, vice-legatis, praesidibus et gubernatoribus nunc et pro tempore existentibus, per apostolica scripta mandamus quatenus eorum unusquisque curet, quantum in se est, praesentes litteras, nulla alia a nobis expectata iussione aut mentis

declaratione, debitae exequutioni quam primum demandari, ac deinde perpetuo firmiter et inviolate observari, nec solum quicquam contra illarum tenorem, etiam praetextu hactenus concessorum indultorum, permissionum sive consuetudinum tolerare, indulgere aut permittere, vel licentias aliquas concedere praesumant, sed contra quoscumque inobedientes et transgressores omni severitate animadvertant, contradictores per opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo.

Clausulas derogatorias apponit.

§ 9. Non obstantibus praemissis, necnon quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, *etc.*, roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, tam per superius nominatos, quam illos quoscumque nostros praedecessores universitatibus eorumdem Iudaeorum, sive eorum aliquibus sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et ex quibusvis causis, etiam gravissimis et urgentissimis atque onerosis, vim contractus solemniter initi ultro citroque obligatorii inducentibus, tam in genere super praemissis et super habitando in locis ditionis ecclesiasticae eis benevisurae, quam in specie iis, qui in tribus praedictis civitatibus commorantur, seu alias concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi pro expressis, ac forma ad unguem servata, ad verbum insertis habentes, specialiter et expresse harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 10. Volumus autem praesentes litteras in valvis basilicae Principis Apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae, per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari et, elapso termino superius descripto, eos quos concernunt perinde afficere, ac si eorum cuilibet personaliter intimatae fuissent.

Formam publicationis subiicit.

§ 11. Illarum quoque transumptis, etiam impressis, *etc.* Nulli ergo, *etc.*

Transumptis credi iubet.

Datum Romae in Monte Quirinali, anno Incarnationis Dominicae MDXCIII, V kalendas martii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 25 februarii 1593, pontif. an. II.

LVI.

Contra Haebreos tenentes legentesque libros Thalmudi et alios hactenus damnatos, aut blasphemias et contumelias in Deum et sanctos continentes [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum Haebraeorum malitia novas in dies excogitet fraudes, quibus perniciosa volumina librosque impios ac plane detestabiles, tum antiquitus damnatos, tum recens conscriptos in vulgus proferat:

Approbatio prohibitionis libri Thalmudi et aliorum detestabilium scriptorum.

§ 1. Nos et ipsis exitiale, et christiano populo periculosum rati hanc eorum nequitiam conniventibus oculis tolerare, ac pro nostro pastorali officio opportunum huic malo remedium adhibere volentes, adducti exemplo complurium Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, praesertim felicis recordationis Gregorii IX, Innocentii IV, Clementis IV, Honorii IV, Ioannis XXII, Iulii III, Pauli IV et Gregorii XIII, qui saepius impium il-

1 De libris Thalmudi prima prodiit prohibitio ab Innocentio IV in constitut. IV: *Impia*, tom. III, pag. 508; et alia de his et similibus libris prodiit a Iulio III in constitut. XXXIII: *Cum sicut*, tom. VI, pag. 404.

lud Thalmudi nuncupatum et alia similia reprobata et detestanda scripta et volumina damnarunt, et retiner proihibuerunt, seu alias ex christiani orbis provinciis et regnis pio zelo exterminarunt, omnes et singulas eorumdem praedecessorum super hoc editas litteras, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, harum serie approbantes et innovantes:

Prohibitio Iudaeis hos libros et alia impia scripta retinendi, vel quovis modo utendi.

§ 2. Atque illis haec addentes, omnibus et quibuscumque universitatibus Hebraeorum, eorumque singulis, tam in temporali S. R. E. ditione quam etiam extra eam ubivis locorum et in quibusvis christiani orbis partibus constitutis, perpetuo prohibemus ne quosvis libros et codices impios Thalmudicos saepe damnatos, vanissimos, cabalisticos atque alios nefarios a praedecessoribus nostris probitos et condemnatos, necnon opera, commentaria, tractatus, volumina et scripta quaecumque, tam lingua hebraica quam quavis alia hactenus conscripta, aut versa, edita et impressa, ac in posterum conscribenda aut vertenda, edenda vel imprimenda, continentia seu continentes, tacite vel expresse, haereses vel errores contra sacras Veteris Legis et Testamenti scripturas, necnon contumelias, impietates, blasphemias contra Deum, sanctissimam Trinitatem et Salvatorem nostrum Dominum Iesum Christum, Eiusque sanctam christianam fidem, ac beatissimam ipsius Genitricem semper Virginem Mariam, et beatos Angelos, patriarchas, prophetas, apostolos aliosque sanctos Dei, sacratissimam Crucem, sacramenta novae legis, sacras imagines et sanctam catholicam ecclesiam et Sedem Apostolicam, ac contra christifideles, praesertim episcopos, sacerdotes et alias ecclesiasticas personas, atque etiam contra nuper ad eiusdem Christi fidem conversos, ac neophitos et alias contra religionem catholicam, vel in quibus etiam impudicae et obscenae narrationes memorantur, etiam praetextu quod expurgata fuerint, donec expurgentur, sive quod de novo typis excusa fuerint, mutatis nominibus, vel etiam sub obtentu seu tolerantia aut permissione, ut praetendunt, secretarii cuiusvis personae sacri Concilii Tridentini, aut indicis librorum prohibitorum per recolendae memoriae Pium Papam IV, praedecessorem nostrum, editi vel cuiusvis indulti apostolici aut licentiae per S. R. E. cardinales, etiam legatos, aut camerarium seu Cameram Apostolicam vel nuncios, etiam cum potestate legati et locorum Ordinarios, seu inquisitores haereticae pravitatis, forsan quomodolibet concessae, aut quovis alio quaesito colore, legere, habere, vel retinere, emere vel vendere aut evulgare, ullo modo audeant vel praesumant.

Revocatio quarumcumque facultatum, licentiarum et indultorum illa tenendi.

§ 3 Omnes vero et quascumque facultates, litteras, permissiones, indulta, tolerantias legendi, tenendi, etiam ad tempus certum vel incertum, vel aliis praetextibus quaecumque, ut praefertur, prohibita scripta, volumina, libros et alia supradicta quibusvis Iudaeis, in genere vel in specie, a praedecessoribus nostris et dicta Sede Apostolica seu eius legatis, etiam de latere vel nunciis aut inquisitoribus haereticae pravitatis, aut locorum Ordinariis vel quibusvis aliis, quavis dignitate vel auctoritate fungentibus, etiam S. R. E. cardinalibus, eiusque camerario Camerae praedictae, sub quibusvis verborum formis et conceptionibus, et quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis clausulis, ac vim contractus inducentibus, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, seu ad quorumcumque principum, etiam regali, ducali vel alia quacumque praeeminentia fulgentium instan-

tiam, vel eorum intuitu concessas, auctoritate et tenore praemissis, revocamus, irritamus et annullamus, ac pro revocatis, irritis et penitus infectis in perpetuum haberi volumus.

Prohibitio licentias huiusmodi concedendi, atque eis utendi.

§ 4. Districtius inhibentes tam quibuscumque ex praedictis, quavis auctoritate et facultate suffultis, personis, ne huiusmodi licentias, tolerantias, indulta quoque modo concedere, quam Iudaeis, ne illis sic per praesentes revocatis, aut posthac forsan de facto concedendis, uti, aut earum praetextu seu alias quomodolibet libros praedictos retinere, legere, deferre, emere, vendere aut de novo edere praesumant.

Praefixio termini ad libros eiusmodi consignandi inquisitoribus aut locorum Ordinariis.

§ 5. Quinimmo si quos ad praesens habent, eos statim intra decem dies Romae in officio Sanctae Romanae et universalis Inquisitionis; extra Urbem vero, intra duos menses a die publicationis praesentium numerandos, locorum Ordinariis seu inquisitoribus haereticae pravitatis (a quibus postmodum, absque alio mandato nostro, nulla interposita mora, comburantur) exhibere, tradere et consignare omnino teneantur et debeant.

Poenarum inflictio in contravenientes.

§ 6. Praecipientes tam ipsis Iudaeis quam quibuscumque typographis, bibliopolis seu mercatoribus et aliis quibuscumque christifidelibus, etiam cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existentibus, sub poenis amissionis librorum et publicationis omnium bonorum, fisco eius principis, in cuius ditione libri reperti fuerint, applicandorum, ac aliis etiam gravioribus et corporis afflictivis, arbitrio dioecesani ac etiam inquisitoris, si inibi fuerit, statuendis ac moderandis; necnon quoad christianos, etiam excommunicationis maioris latae sententiae, per unumquemque contrafacientem eo ipso incurrendae, ne huiusmodi libros et alia scripta superius prohibita, ut praefertur, retinere, habere, legere, edere, typis excudere seu imprimere, describere vel exemplare, advehere, emere, vendere, donare, commutare aut alias quomodolibet distrahere vel alienare.

Et in fautores Hebraeorum in praemissis.

§ 7. Neve quisquam, etiam sub praedictis et aliis poenis contra fautores apostatarum a fide et haereticorum a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis inflictis, ipsis Hebraeis, pro habendis, scribendis seu imprimendis huiusmodi libris, vel undecumque afferendis seu transvehendis, aut pro eorumdem legendorum licentia de caetero impetranda, opem, consilium, auxilium vel favorem praestare aut impendere quoquo modo audeat.

Deputati exequutores huius constitutionis.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus nostris, tam S. R. E. cardinalibus adversus haereticam pravitatem in toto terrarum orbe generalibus inquisitoribus, quam etiam patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis ceterisque locorum Ordinariis et inquisitoribus quibuscumque eiusdem haereticae pravitatis, in quibusvis regnis, provinciis et civitatibus pro tempore existentibus, per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi et eorum singuli, in civitatibus, terris et locis, ubi Iudaei commorantur, tam in eorum synagogis et locis publicis quam privatis, domibus aut officinis et alias ubique locorum, etiam apud bibliopolas christianos praedictos, sic prohibitos libros et scripta, per se vel alium seu alios ab eis deputandos, diligentissime perquirant, et contra eos, qui super retentione huiusmodi culpabiles reperti fuerint, ad praedictarum et aliarum etiam graviorum eorum arbitrio poenarum exequtionem procedant. Contradictores necnon inobedientes quoscumque, eisve auxilium, consilium vel favorem praestantes, per opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 9. Non obstantibus praemissis; necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis Hebraeis eorumve universitatibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis, clausulis et decretis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, etiam saepius approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi alias, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio habenda, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, necnon formas et decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis quoad reliqua in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae derogatoriae.

§ 10. Volumus autem praesentes litteras ad valvas basilicae Principis Apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae, atque in platea, quae Iudaeorum nuncupatur, per cursores nostros publicari, earum exemplis inibi affixis ac dimissis, ac post huiusmodi publicationem et elapsum terminum superius praescriptum, cunctos et singulos quos concernunt perinde arctare atque afficere, ac si eorum cuilibet personaliter intimatae fuissent.

Forma et effectus publicationis huius constitutionis.

§ 11. Illarumque exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eamdem prorsus fidem, in iudicio et extra illud haberi, quae ipsis praesentibus haberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, innovationis, additionis, prohibitionis, revocationis, irritationis, annullationis, voluntatum, inhibitionis, praecepti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Clausulae poenales

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDXCII, pridie kalendas martii, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 28 februarii 1593, pontif. an. II.

LVII.

Reformatio Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Cassinensis seu Sanctae Iustinae [1].

Dilectis filiis praesidenti, visitatoribus, abbatibus et monachis Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis, alias Sanctae Iustinae de Padua

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Proœmium.

Commissum nobis ex alto apostolicae servitutis ministerium pro debito pastoralis officii adimplere cupientes, in ea praecipue incumbendum arbitramur, quae ad cleri universi reformationem, et ecclesiasticae disciplinae integritatem restituendam pertinere dignoscuntur. Id autem in regularium personarum congregationibus eo accuratius duximus providendum, quo uberiores ex iis, dum in suorum institutorum observantia constantes perseverabunt, Ecclesiae Dei fructus proventuros esse confidimus.

Monachos Cassinenses a primaeva perfectione dilapsos.

§ 1. Et certe, inter universum monachorum coetum, ad Congregationem vestram Cassinensem, alias S. Iustinae de

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Padua, quae sub speciali nostra et Apostolicae Sedis est protectione, oculos convertentes, sicut tam florentem olim et in monasticae perfectionis pene fastigio feliciter constitutam et prisca virtute insignem comperimus, ita nunc, sive vitio temporum, sive hominum incuria et nimia forsan praepositorum indulgentia, a pristino suo splendore paululum declinantem erigere, simulque aliis partibus confirmare, et ad antiquum decus revocare summopere desideramus. In quo quidem cum parem desiderio nostro propensionem vestram, ex iis quae nobiscum egerunt dilecti filii Ordinis vestri professores, a regimine vestro ea de re ad nos proxime destinati, deprehenderimus, commendamus eximiam pietatem vestram ac zelum, vosque ad salutarem hanc reformationem sponte vestra incensos, paterna, qua vos semper complexi sumus, charitate hortamur ut beati monachorum patriarchae Benedicti, Ordinis vestri institutoris, aliorumque Sanctorum, qui ex eodem Ordine innumeri prodierunt, vestigiis insistentes, ad illam monasticae disciplinae perfectionem omni studio ita contendatis, ut eam in vobis nostris temporibus revixisse omnes intelligant, et exemplo vestro, aliae quoque regularium congregationes ad eamdem reformationis normam amplectendam alacrius excitentur.

Et ad antiquum decus anhelantes.

Hortatur ut pristinam assumant observantiam.

§ 2. Ut autem id facilius assequi valeatis, nonnulla, quae post maturam consultationem a probatisissimis viris, quibus hoc negotium mandavimus, nobis proposita sunt, pro congregationis vestrae reformatione maxime utilia ac salutaria constituenda censuimus. De apostolicae igitur potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, statuimus et ordinamus ut in vestra Congregatione posthac visitatores eligi possint eiusdem monasterii cum definitoribus, quorum officium simul cum Capitulo generali terminatur, professi, hac moderatione adhibita, ut tam in diaetis, quam in Capitulo generali non solum, dum agitur de ipsis in diaetis seu definitorio intervenientibus, sed etiam de eo promovendo ad quamcumque dignitatem aut assumendo ad aliquod officium, qui sit eorum alicuius comprofessus, ut liberius ea de re tractari et deliberari possit, ii, de quibus vel eorum comprofessis sic agetur, extra locum diaetae et definitorii extent, et nec suffragia conferant, nec caeteris suffragantibus intersint, et quod de consanguineis in examine monachorum constitutiones vestrae praescribunt, id etiam ad comprofessos extendimus.

De visitatoribus eligendis, eorumque facultatibus.

§ 3. In promotionibus autem ad abbatiam et prioratum liceat, pro bono Congregationis, tempus a constitutionibus vestris praescriptum, omnium definitorum consensu, dispensare. Monasteriis praeterea vacantibus usque ad septuagesimam provideat vestri Ordinis regimen in diaetis a dicto tempore citra definitores Capituli generalis. Praescribatur insuper numerus certus decanorum, quem nec augere nec minuere unquam liceat. Quod si nunc plures sunt decani, nemo imposterum eligatur quum is numerus effectus sit. Nemo autem ad decanatum promoveri possit, qui praeter vitae integritatem, qua debet praestare, aliquod etiam non vulgare specimen prudentiae non exhibuerit, et doctrinae congruentis adiumenta non habeat, casibusque saltem conscientiae egregie instructus non sit; qua in re definitorum iudicium ne fallatur, visitatores promovendorum merita inquirant, deque iis definitoribus, qui neminem ad ullum gradum valeant promovere, nisi habita de eo huiusmodi visitatorum relatione, medio ipsorum iuramento, fidem faciant. Ad haec a membrorum administratione decani remo-

De promotione ad abbatiam, prioratum et decanatum.

veantur, nec posthac deputentur, sed in monasteriis in regulari disciplina pro sui muneris debito exerceantur, iis exceptis, qui ob aetatem vel imbecillitatem ad onera regularia et ad munera graviora subeunda parum idonei existimantur, quibus huiusmodi administratio demandari poterit, cum onere, ut in iis eam regularis disciplinae observantiam curent exerceri, quae vestris constitutionibus praescribitur.

De prioribus claustralibus.

§ 4. Priores deinde claustrales et decani ab officiis et dignitate, ea etiam una ratione removeantur, quod disciplinae regulari nec ipsi incumbant, et alios ad eam amplectendam excitare negligant. Ideoque quotannis in Capitulo generali electionis iudicio subiiciantur, et pro singulis suffragia ferantur, ac si nunquam antea fuissent electi, ut eo pacto in officio retineantur.

In omnibus monasteriis pariformiter vivere debent monachi.

§ 5. In omnibus quoque monasteriis par modus et forma vivendi serventur, et in regulari disciplina aequaliter monachi exerceantur ad Regulae et constitutionum praescriptum: quod si in communibus regulis ex causa aliqua in parte dispensandum esse videatur, id singulis annis auctoritate definitorum Capituli generalis dumtaxat fieri possit, habita ratione cum locorum tum personarum indigentiae, et cum magno moderamine, prout iisdem definitoribus expedire videbitur.

Abbates negligentes removeantur.

§ 6. Abbates, qui definitorum praescriptum immutari ausi, et in curanda disciplina regulari admodum negligentes aut dissimulantes deprehensi fuerint, possint hac una de causa arbitrio vestri regiminis suspendi, et etiam a titulo et administratione removeri.

De mutatione monachorum.

§ 7. Monachi propterea in posterum non mutentur, nisi per consensum (ut aiunt) praesidis aut visitatorum in actu visitationis ad praescriptum constitutionum vestrarum, cognita et expressa causa, exceptis officialibus et iis quos, pro bono congregationis vestri Ordinis regimine, iudicaverit esse mutandos. Expensae autem mutationum pertineant ad monasteria e quibus discedunt monachi. Quare mutatis fratribus eorumdem monasteriorum superiores quam primum necessaria, secundum constitutiones vestras, subministrent; et itineris viam litteris patentibus prascribant, a qua non liceat deflectere, sub poenis privationis quorumcumque officiorum ac dignitatum, et vocis activae et passivae, et etiam carceris arbitrio eiusdem regiminis pro qualitate culpae; si qui vero monachi ob petulantiam et depravatos mores a praelatis omnibus recusentur, in carcerem detrudantur, donec resipiscant et emendentur, et quousque benevolos inveniant receptores.

Animarum cura per monachos non exercenda.

§ 8. Non permittant praeterea praelati, sub poena privationis quorumcumque officiorum et munerum et vocis activae et passivae, ut quovis colore animarum curam exerceant monachi, nec saecularium, etiam affinium et consanguineorum, negotia tractent, sine expressa licentia definitorum Capituli generalis, re bene cognita et mature examinata; et maxime ne eorum causae coram iudicibus compareant, ut omnis vagationi et proprietati occasio praecludatur.

De administratione rerum temporalium.

§ 9. In administratione autem rerum temporalium ea cautio adhibeatur, ne praelati eam ipsi per se exerceant, sed per cellerarios a definitoribus vel vestri Ordinis regimine deputatos. Insuper pecuniae omnes, quacumque ex causa ad monasterium pervenientes, deponantur penes monachum a definitoribus vel regimine vestro eligendum, aut probatum et fidelem telonarium, cuius ea praecipue cura sit eas in destinatis rationum libris sive codicibus fideliter et diligenter describere; earum autem ne obolum quidem expendat, aut alicui quovis praetextu

numeret, nisi de mandato cellerarii. Huiusmodi autem mandata in praeparato ad hoc codice describantur, et manu ipsius cellerarii subscribantur, expressa in iis summa pecuniae, cui et qua de causa sit persolvenda. Rationes dati et accepti, creditaeque ac debitae pecuniae iuxta constitutiones vestras reddantur, quibus praelatus, prior, cellerarius et decani non solum subscribant, sed etiam iuramento suo confirment veras esse, nihilque fraudis continere. Quod si quid defraudasse inventi fuerint, et veritatem proventuum et expensarum non expressisse, ab officiis, dignitatibus et administrationibus, sine ulla prorogatione, removeantur, et insuper tamquam periurii puniantur. Eligantur quoque in Capitulo generali a definitoribus tres, qui rationes proventuum et expensarum singulorum monasteriorum exactissime videant et examinent, et ea omnia exequantur, quae in hac parte per constitutiones vestras auditoribus causarum sunt commissa.

Munera nemini danda.

§ 10. Ne autem monasteriorum reditus et fructus in alios, quam par sit, usus convertantur, prohibemus munera et largitiones protectori, vice-protectori, Ordinario aut personae, quavis (tam ecclesiastica, etiam pontificali, aut alia maiori, etiam S. R. E. cardinalatus, quam mundana) auctoritate fulgenti, etiam occasione primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum, gratique animi testificationem, exceptis iis munusculis, quae in esculentis modici valoris, non honorum ambitu aut privata aliqua cupiditate, sed ad comparandam et conservandam monasteriis benevolentiam praedictis protectoribus aliisve benefactoribus et officialibus certis quibusdam temporibus publico congregationis aut monasteriorum non privato cuiuscumque nomine ex superiorum praescripto moderate fieri consueverunt.

§ 11. Prohibemus etiam invitationes et superfluos et extraordinarios sumptus pro praedictis personis aut aliis honorifice, laute et opipare suscipiendis, sub praetextu etiam hospitalitatis; quae si quando exercere contigerit, habita locorum, temporum et personarum ratione, ea moderatione fieri debeat, quae in vestris constitutionibus laudabiliter, et monasticae modestiae congruenter, praescripta continentur.

De hospitalitate.

Reformationes aliorum Ordinum congregationem hanc non obligant.

§ 12. Ut vero vestram hanc propensam ad reformationem voluntatem specialibus favoribus prosequamur, volumus ut si contingat per nos aut successores nostros Romanos Pontifices aliquam aliam reformationem quorumvis Ordinum seu institutorum regularium pro tempore fieri, per eam vestro Ordini nihil ulterius iniunctum, aut praemissis nullatenus derogatum censeri possit, nisi de vestro Ordine nominatim mentio fiat, et nisi specialis, expressa, de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, earumdem praesentium expressio habeatur; et aliter factae reformationes vos minime arctent, et derogationes nullius sint roboris vel momenti. Has autem nostras constitutiones a vobis inviolate, ut decet, observari in virtute sanctae obedientiae, et sub formali praecepto iniungimus.

Derogatio contrariorum.

§ 13. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus concilis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, praesertim felicis recordationis Gregorii XIII et Sixti V, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac universi Ordinis S. Benedicti vestraeque Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quantumvis amplis et amplissimis, ac sub quibusvis verborum formis et tenoribus, etiam derogatoriarum de-

rogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in contrarium praemissorum quomodocumque concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI martii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 martii 1593, pontif. an. II.

LVIII.

Confirmantur quaedam ordinationes pro Universitate Studii Generalis Perusini [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter multiplices nostri pastorali officii curas illam libenter amplectimur, per quam litterarum studia, praesertim in civitatibus Sedis Apostolicae temporali ditioni subiectis, quas praecipuo quodam affectu complectimur, consistentia, recte dirigi et gubernari valeant, et quae propterea provide statuta et ordinata fuerunt, apostolicae firmitatis robore solidamus.

Universitatis directores nonnulla pro illius regimine proposuere.

§ 1. Alias siquidem, scilicet de mense decembris proxime praeterito, pro parte dilectorum filiorum sapientum Universitatis studii generalis civitatis nostrae Perusiae nobis expositum fuit quod ipsi sapientes cupiebant, tam super numero lectorum in dicto studio singulares artes legere debentium, quam super modo et forma illos conducendi, eorumque lectionibus et exercitiis ordinariis, aliisque dictae Universitatis necessitatibus subveniendis, ac de aliquo loco, in quo dictae Universitatis collegii doctores pro doctorandis scholaribus, aliisque collegii functionibus et negociis adimplendis et pertractandis pro dignitate convenire et congregari valerent, per nos provideri; unde nobis humiliter supplicari fecerunt quatenus eorum desiderio huiusmodi annuere de benignitate apostolica dignaremur:

Clemens rem nonnullis cardinalibus examinandam commisit.

§ 2. Nos negocium huiusmodi dilectis filiis nostris Dominico Sancti Grisogoni Pinello, et Benedicto S. Marcelli titulorum presbyteris cardinalibus Iustiniano nuncupatis demandavimus. Unde praedicti Dominicus et Benedictus, cardinales, auditis pluries dictis sapientibus et doctoribus, ac visis et consideratis bannimentis super hoc prudenter a praedicto Dominico cardinali, dum anno superiori legationis de latere munere in tota Umbria fungeretur, et in dicta civitate nostra Perusina resideret, factis et publicatis, statuerunt et ordinaverunt quod singuli quarumcumque artium in dicta Universitate lectores publice legere incipiant, in prima tertiaria a die sequenti post commemorationem omnium defunctorum, nisi aliquo festo fuerit impedita, quia tunc incipient alio die sequenti; quae tertiaria durare debeat usque ad festum Sanctae Luciae. In secunda vero tertiaria a die post festum Epiphaniae Domini, usque ad dominicam in Passione. In tertia autem, post dominicam in Albis, usque ad festum S. Margharitae. Quibus tertiariis durantibus aliquae vacantiae minime concedantur, nec interim lectoribus

Qui tertiariarum terminos praefixerunt.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Nonnullaque alia statuerunt, quae hic recensentur.

liceat aliquas lectiones praetermittere, nisi fuerint impediti causa infirmitatis, quae probari debeatur testimonio physici notario Universitatis consignando. Durante autem prima tertiaria, tam iuris civilis quam Canonum et Institutionum lectores ter in hebdomada in schola eorum primi cathedrantis super lectione currenti coram scholaribus publice circulari debeant, et dum lectiones publicae habentur, quae saltem unius horae spatio durare debeant, nullus doctorari nec aliquis in privatis domibus lectiones legere possit; conclusiones vero publice, nisi tempore vacantiarum non substineantur; singulis autem diebus lectionum, pulsetur campana hora solita pro convocandis scholaribus et lectoribus, qui ad lectiones aliquem scholarem, ut vocant *nobilistam*, associare non possint; quodque singulorum scholarium, tam civium quam exterorum, in dicta Universitate litteris operam dare volentium, nomina, ut dignosci ac eorum qualitates aliquando examinari possint, describantur; quodque etiam post hac in perpetuum nullus lectorum nunc et pro tempore in dicta Universitate in aliqua facultate legentium aliqua ratione se ab onere legendi, etiamsi per triginta annos, et quantumvis longissimi temporis spatium, id munus exercuerit, etiam cuiusvis privilegii vel immunitatis praetextu, exemptum esse praetendere possit: sed quicumque legendi immunitate de praesenti non gaudent, ac provisiones et emolumenta ab eadem Universitate acceperint, munus suum realiter exequi et cum effectu adimplere teneantur, nec ratione cuiusvis iuris, statuti vel consuetudinis, nisi actualiter legerint, aliquod salarium vel emolumentum consequi valeant; exemptionesque, privilegia, indulta et immunitates quaecumque super his quomodolibet concedendae nullae omnino et irritae existant; illorum vero, qui ad praesens dictam exemptionem habent, salaria eorum et cuiuslibet ipsorum, obitu adveniente, in fabricam olim per praefatum Dominicum cardinalem designatam ad collegii seu Universitatis praedictae commodum, pro congregandis doctoribus, ac doctorandis scholaribus, et publicis conclusionibus substinendis, aliisque actibus et functionibus publicis faciendis, omnino converti et erogari deberet. Et insuper quod de caetero deputentur et conduci debeant duo alii magistri grammatices, cum annuo salario centum scutorum monetae pro quolibet ipsorum, et augumento concesso a felicis recordationis Sixto PP. V, praedecessore nostro, integre persolvendo, in quorum ac aliorum dictae Universitatis lectorum deputatione, electione et salariorum constitutione, ratio habeatur uniuscuiusque scientiae et sufficientiae, nulla habita consideratione nobilitatis seu antiquitatis, in quam curam ipsi sapientes omnino studeant atque incumbant.

Clemens VIII confirmat praedicta omnia, et observari mandat.

§. 3. Quare nos, volentes ut praemissa omnia firmius observentur quo fuerint apostolico munimine roborata, omnia et singula ordinationes et statuta praedicta, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa nostra scientia, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; omnesque et singulos iuris et facti aliosque defectus, si qui intervenerunt in iisdem, supplemus; eaque omnia et singula perpetuo valida et efficacia existere, ac tam per lectores et scholares, nunc et pro tempore existentes, quam alios quoscumque inviolabiliter perpetuo observari; sicque et non aliter per praedictae civitatis, etiam de latere legatum, vice-legatum et gubernatorem ac alios quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales et causarum palatii apostolici auditores,

sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; nec non quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Exequutores deputat.

§ 4. Mandantes propterea eiusdem civitatis legato, vice-legato seu gubernatori nunc et pro tempore existentibus, quatenus omnia et singula ordinationes et statuta praedicta ab illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, omnibus iuris et facti remediis, auctoritate nostra, perpetuo observari faciant. Contradictores quoslibet et rebelles, ac statuta et ordinationes huiusmodi non observantes seu contra facientes, etiam per sententias et censuras ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias et alias poenas aliaque opportuna iuris et facti remedia, quacumque appellatione seu reclamatione cessantibus, ac omnino postpositis, eadem auctoritate nostra compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachi secularis.

Obstantibus derogat.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, litteris dicti Sixti praedecessoris super applicatione seu augmento reddituum lectoribus dictae Universitatis assignatorum, ac quibusvis in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac civitatis et Universitatis praedictarum, etiam iuramento confirmatis, apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis civitati et Universitati praedictis ac illorum doctoribus, lectoribus et scholaribus caeterisque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac alias quomodolibet contra praemissa concessis, confirmatis et innovatis ac disponentibus. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XVII martii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 martii 1593, pontif. an. II.

LIX.

De electione praepositi generalis aliorumque praelatorum Congregationis monachorum Eremitarum S. Hieronymi de Observantia; de capitulorum generalium et diaetarum celebratione, totiusque Ordinis regimine.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quae ad prosperam religiosorum directionem ac reformationem pertinent, ea libenter concedimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Causae edendae huius constitutionis.

§ 1. Sane cum, post futura festa paschalia, Capitulum generale Congregationis monachorum Eremitarum S. Hieronymi in monasterio S. Petri *de Hospitaletto*, Laudensis dioecesis, celebrandum sit, nos, qui Congregationem ipsam ad pristinam regularis observantiae normam reduci ac reformari maxime cupimus, nonnulla, quae in eodem Capitulo publicari, et deinceps perpetuo in eadem Congregatione observari volumus, statuenda censuimus.

Approbatio ultimi Capituli generalis.

§ 2. Motu igitur proprio, et ex certa scientia maturaque deliberatione nostris,

et de apostolicae Sedis plenitudine, cum acceperimus ex diversarum apostolicarum constitutionum diversis temporibus, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, pro eadem Congregatione factarum, forsan invicem contrarietate, in Capitulo generali Mantuae ultime celebrato, ac in diaeta generali de mense octobris proxime praeterito habita, omnia in illis gesta iuxta praedictarum constitutionum praescriptum ad unguem fieri non potuisse; immo forsitan aliquibus earumdem constitutionum aliqua ex parte contraventum extitisse, et ideo de illorum validitate ab aliquibus haesitari potuisse et posse; nos omnia et singula, tam in praedicto capitulo quam in diaeta generali huiusmodi facta, gesta, statuta et ordinata, quatenus tamen sacris canonibus, et Concilii Tridentini decretis, ac regularibus eiusdem Congregationis institutis sint conformia, etiam si in illis constitutionum praedictarum omnium et singularum forma ad unguem minime servata, aut contra aliquarum ex illis dispositionem forsan facta fuerunt, auctoritate apostolica, tenore praesentium, validamus, confirmamus et approbamus, omnesque et singulos praemissos et alios quoscumque iuris et facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus; ac valida, firma et efficacia fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere decernimus.

Iussio confirmandi Georgium Lucianum praepositum generalem pro alio triennio.

§ 3. Insuper, quia per alias nostras in simili forma brevis litteras, dilectum filium Georgium Lucianum Cremonensem eiusdem Congregationis praepositum generalem in praedicta diaeta generali, in Virgilii de Mantua olim eiusdem Congregationis praepositi generalis, praedefuncti, locum canonice electum, ad triennium proximum, a die celebrationis proximi futuri Capituli generalis numerandum, confirmavimus, prout in illis litteris plenius continetur; dilectis filiis definitoribus, consultoribus, prioribus et aliis in dicto Capitulo praesidentibus ac vocem habentibus, in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae poena, praecipimus et mandamus ne circa electionem novi praepositi generalis quicquam intentare aut quoquo modo innovare praesumant; sed iuxta praedictarum nostrarum litterarum seriem, eumdem Georgium ad huiusmodi triennium in generalem confirment et recognoscant, eidemque prioratum aliquem eiusdem Congregationis, iuxta illius regularia instituta, per eum, dicto triennio durante, tenendum, regendum et gubernandum, qui etiam totius Ordinis caput, durante officio generalatus, existat, assignent et concedant; irritamque nihilominus et inanem quamcumque electionem seu aliam dispositionem secus faciendam fore nullisque viribus suffultam decernimus.

Gregorius XIII in eius constitutione CLXVI: *Ea quae*, tom. IV, fol. 65, nonnulla ad preces Congregationis statuit, quae eius constitutionibus adversantur.

§ 4. Praterea, quia, ut accipimus, in litteris seu constitutione felicis recordationis Gregorii Papae XIII, praedecessoris nostri, quae incipit: *Pro nostri muneris officio*, super statu dictae Congregationis, sub dat. die XXVI maii MDLXXIV, pontificatus sui anno quarto, expedita, inter alia disponitur quod deinceps dictae Congregationis praepositus generalis, visitatores, consultores et definitores, ex numero priorum ab ipsismet prioribus tantum eligerentur; et quod occurrente vacatione alicuius prioratus, ad illum non esset assumendus, nisi qui tempore vacationis et electionis alicuius monasterii vicarius esset; quodque visitatores monasteriorum Sancti Alexii de Urbe et Sancti Pauli Albanensis, in generali Capitulo et definitoribus eligendis vocem non habeant; et quod procuratores, qui ab unoquoque monasterio ad Capitulum destinantur, voce activa et passiva in

eodem Capitulo generali carerent, prout latius in eisdem litteris vel constitutione continetur, quae omnia regularibus eiusdem Ordinis institutis adversantur, atque in benemeritorum idoneorumque religiosorum praeiudicium tendunt:

Pontifex decernit praepositum, consultores et definitores eligi tam ex prioribus quam ex aliis subditis.

§ 5. Nos praedictae et aliae cuicumque constitutioni apostolicae de simili materia disponenti, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, in hac parte specialiter et expresse derogantes, harum serie, perpetuo statuimus et ordinamus quod post hac, tam generalis praepositus quam consultores et definitores, tam ex piorum quam subditorum;

Prioresque etiam ex non vicariis.

§ 6. Ipsique priores etiam ex eorumdem subditorum non vicariorum tantum;

Procuratorem generalem ex omnibus subditis.

§ 7. Procurator vero generalis similiter eiusdem Congregationis, tam ex subditorum quam priorum numero, sine tamen earum residentiarum praeiudicio, et dummodo alias idonei et sufficientes existant, elegi et deputari possint et debeant.

Vocem quisque habeat in Capitulis generalibus et diaetis, prout habeat ante bullam Greg. XIII.

§ 8. In generalibus vero et aliis intermediis Capitulis seu diaetis, omnes, qui iuxta eorumdem regularium institutorum dispositionem, locum et vocem habere possunt et debent, sicut antequam constitutio Gregorii praedicta emanasset, poterant ac debebant, locum ac vocem huiusmodi, ad quae omnes et singulos adversus praedictam constitutionem in pristinum restituimus, reponimus et reintegramus, libere et absque aliquo impedimento, habeant et habere possint ac debeant.

Praepositi generalis et priorum officia durent triennio, et non confirmentur.

§ 9. Et praemissis tamen eidem aut aliis constitutionibus apostolicis circa ea quae disponunt ut generalis praepositus et priores aliique officiales triennales esse debeant, minime derogatum aut alias praeiudicium illatum esse aut censeri, sed illorum respective officia huiusmodi ad triennium durare debere ultra quod in illis minime confirmari, sed priores de uno ad aliud monasterium transferri tantum posse declaramus et decernimus.

Ambitus prohibetur.

§ 10. Insuper omnes et singulos praedictae Congregationis religiosos, qui pro obtinendis in ipsa Congregatione dignitatibus, muneribus vel officiis, litteras commendatitias, favores, gratias, preces a quibuscumque personis tam ecclesiasticis quam saecularibus, cuiuscumque status, gradus, conditionis, praeeminentiae, etiam cardinalatus dignitate, et quacumque saeculari, etiam marchionali, ducali, regali vel imperiali potestate et praeeminentia fungentibus ac fulgentibus, requirere et mendicare, aut alias ab ipsis, etiam non requisitis, sed sponte omnino delatis, quoquo modo uti ausi fuerint, omnibus et quibuscumque dignitatibus, officiis, muneribus et aliis oneribus et honoribus ipsius religionis per eos obtentis, necnon voce activa et passiva perpetuo privati, ac ad illa et alia quaecumque deinceps obtinenda perpetuo inhabiles et incapaces, etiam absque alia declaratione, sed tantum modo ex ipsa litterarum, favorum, gratiarum et precum etiam oretenus porrectarum huiusmodi probatione, existant eo ipso.

Contrariis Pontificiis constitutionibus derogatur, et non contrariis approbationis robur adiicitur.

§ 11. Caeterum, constitutiones omnes quorumcumque romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum pro felici gubernio et directione dictae Congregationis hactenus emanatas, quorum omnium et singulorum tenores et datas praesentibus pro expressis haberi volumus, in his tamen, quae praesentibus nostris non adversantur, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, siqui intervenerint in eiisdem, supplemus; in illis autem in quibus praesentibus nostris aliquo modo adversari

praetendatur, illis specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus.

Clausulae adiunguntur praeservativae.

§ 12. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari aut quovis praetextu vel occasione infringi, revocari, retractari, suspendi, limitari, aut in ius vel controversiam revocari, neque sub quibuscumque suspensionibus, revocationibus, limitationibus, moderationibus aut contrariis dispositionibus pro tempore faciendis compraehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties illae in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse et censeri.

Clausula sublata, *etc.*

§ 13. Sicque et non alias per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam dicti Ordinis protectores, et alios sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Praepositus, visitatores et definitores aliique exequutores existant.

§ 14. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae moderno ac pro tempore existenti praeposito generali ac visitatoribus, definitoribus, prioribus et monachis universis et singulis eiusdem Congregationis, quatenus omnia et singula in praesentibus nostris ac in aliis apostolicis litteris et constitutionibus contenta, quae per praesentes revocata non sint, observent, et ab aliis, ad quos spectat, observari curent, eaque inter eiusdem Congregationis regulas et constitutiones regulares describi et adnotari ac exemplari, regulasque et constitutiones ipsas regulares ad praesentis nostrae aliarumque apostolicarum constitutionum praescriptum aptari faciant.

Contraria submoventur.

§ 15. Non obstantibus quibusvis apostolicis ac in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; ac eiusdem Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis ipsae Congregationi eiusque superioribus et quibusvis aliis personis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus et consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac de verbo ad verbum inserta, mentio seu alia expressio habenda esset, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse ac latissime derogamus et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV aprilis MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 14 aprilis 1593, pontif. an. II.

Sequitur reformatio circa totius Ordinis bonum regimen.

Sanctissimus Dominus noster Dominus Clemens Papa VIII, *etc.*

De chori servitio.

Nullus omnino, pretextu cuiuscumque privilegii et superioritatis, etiam gene-

ralatus, a servitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum lectoribus autem et praedicatoribus superiores, iis tantum diebus quibus eos legere aut praedicare contigerit, dispensare possint. Idem quoque praestare valeant cum aegrotis et studiorum causa legitime impeditis: in eos qui negligentes aut inobedientes fuerint, salutari poenitentia superiores animadvertant ad praescriptum constitutionum, etiam alimenti, si opus fuerit, subtractione.

Sacrae Scripturae lectione.

§ 1. Lectio sacrae Scripturae vel casuum conscientiae bis in hebdomada praescriptis diebus in singulis monasteriis habeatur, ad quam monachi omnes conveniant, eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam sese utiliter exerceant.

Paupertatis voto.

§ 2. Quo Tridentini Concilii decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observent, praecipit ut nullus ex monachis, etsi superior sit, bona immobilia vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus sive ex lectionibus, aut pro missis tam in propria ecclesia quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore et causa et quocumque denique nomine quaesita, etsi subsidia consanguineorum aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine monasterii possidere possint; sed ea omnia statim superiori tradantur, et monasterio incorporentur, atque cum caeteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit. Neque superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem regularibus aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem vel commendam, etiam depositi aut custodiae nomine, concedere; eorum vero, quae ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat ut proprium, neque ut proprio utatur. Nulla quorumcumque superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia vel mobilia, monachos excusare possint, quominus culpae et poenae ab eiusdem Concilii decretis impositae, et ipso facto incurrendae, obnoxii sint, etiamsi superiores asseverent huiusmodi dispensationes aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.

Vestitu et supellectili.

§ 3. Monachorum vestitus et supellex cellarum ex communi pecunia comparetur, et omnino uniformis sit omnium monachorum et quorumcumque superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniat, ita ut nihil superflui admittatur, nihil etiam, quod sit necessarium, alicui denegetur. Quaecumque monachorum vestes sive laneae omnisque alia supellex, tam pro vestitu quam pro accubitu necessaria, in aliquem commodum monasterii locum deferantur, ibique ab uno vel duobus monachis huic muneri deputatis diligenter custodiantur, ut inde superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportune possint.

Cibis et potu.

§ 4. Omnes etiam superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino eodemque obsonio, sive eadem, ut aiunt, pitantia in communi mensa prima vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur; neque singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utatur, ullo modo afferri possit. Si quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem et aquam.

Peculiaribus praestationibus ratione officiorum.

§ 5. Superiores omnes, etiam generalis, qui redditus aut praestationes peculiares ratione officiorum habent, earum accepta et expressa in libro distincto fideliter ac diligenter adnotari curent, neque in alios

usus quam ratione officii necessarios, quicquam expendant; quando vero contigerit ipsos in aliquo monasterio immorari, eam quantitatem pecuniae in commune conferant, ex qua sibi et iis, qui secum erunt, victus ad praescriptum Regulae suppeditetur.

Regularium numero in quolibet monasterio.

Administratione bonorum cuiuscumque monasterii.

§ 6. Nullus ex superioribus locorum administrationem bonorum et aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum et reddituum sui monasterii, etiam nomine monasterii, per se ipsum habere sive exercere possit, sed universum id onus tribus religiosis eiusdem monasterii a generali ita demandetur, ut unus rerum et bonorum reddituumque colligendorum et exigendorum curam habeat, alter tamquam depositarius pecunias ac caetera ab illo collecta et exacta fideliter asservet; alius de pecuniis et rebus a depositario acceptis, priori et monachis ac monasterio universo de necessariis, mandante tamen ipso priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator, provideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta. Caeterum hi tres, tam impensi quam accepti, singulis mensibus, sub priori, adhibitis etiam duobus vel tribus monachis eiusdem probationis, rerumque usu peritis, deinde ipsimet rursus praesentibus priori et peritis praedictis generali vel visitatoribus, cum advenerint, denique ipse generalis ac visitatores in quolibet proximo Capitulo generali saltem coram tribus iudicibus ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium et etiam universae administrationis suae, tam publicae quam privatae, rationem reddere teneantur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc ut ad omne mandatum nostrum vel Sedis Apostolicae Romam transmitti possit.

§ 7. Ut monasterii bona et proventus expensis respondeant, in unuquoque monasterio is tantum deinceps constituatur et in posterum retineatur regularium numerus, qui ex redditibus illius propriis vel ex communibus consuetis vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscumque obventionibus, in commune, ut praefertur, conferendis, commode possit substentari.

Reddituum asservatione.

§ 8. Redditus vero et supradicta omnia, communi in loco ac tuto diligenter asserventur.

Prohibitione secus declarandi.

§ 9. Superioribus autem, ne Concilii Tridentini aut haec nostra decreta declarare, interpretari aut relaxare ullo modo possint, omnino interdicimus et prohibemus, decernentes irritum, *etc.* Si quis autem contra praesumpserit attentare, is eo ipso, omni gradu officioque privatus, ad ea inhabilis perpetuo existat.

Lectorum et praedicatorum privilegiis.

§ 10. Nullus, nisi actu, vel legat vel praedicet, aliquo sui gradus privilegio gaudeat.

Socii concedendi qualitate.

§ 11. Si alicui ex necessaria causa, generalis iudicio probanda, socius ex eodem Ordine, qui illi ministret, concedendus erit, is nisi vigesimum quintum agat annum; et qui communi servitio sit deputatus, non concedatur, et si commode fieri potest, sit laicus conversus.

Clausurae observantia.

§ 12. Ut omnis scandalorum et vagationum occasio tollatur, monasterii clausura perpetuo ac diligenter servetur, ac propterea a superiore ianitor constituatur, qui diligentia ac morum integritate maxime commendetur. Is ianuae custodiendae semper assistat, eamque nemini monachorum aperiat, nisi socium et exeundi licentiam obtinuerit. Nullus a monasterio egredi audeat, nisi ex causa et cum socio, impetrataque licentia singulis vicibus, ac benedictione a superiore accepta; qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo,

neque eumdem saepius. Licentiae vero generales exeundi nulli omnino concedantur. Contravenientes autem poena gravi, etiam carceris, ad superioris arbitrium plectantur. Eamdem etiam ianitor subeat, si sciens, exeundi facultatem fecerit. Cum autem quis in monasterium revertetur, superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui a socio itineris rationem et quid rei actum sit diligenter perquirat.

Accessus ad Urbem prohibitione.

§ 13. Nullos monachos Romam venire superiores permittant, nisi prius a generale vel protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetraverint. Siquis autem sine huiusmodi facultate Romam venire praesumpserit, voce activa et passiva biennio privatus existat, subiturus etiam alias arbitratu superiorum infligendas poenas, quae item omnia adversus eos, qui supradictos admiserint et receperint, sine ulla exceptione, locum habeant.

Cellularum et dormitorii qualitate.

§ 14. Habeat superior clavem, ita fabre factam, ut cum sibi videbitur, cellas omnes reserare possit, et propterea nullus cellam, etiam noctu, ita claudat, quin semper a superiore possit aperiri. In medio dormitorio tota nocte lampas colluceat. Nullus, etiam superior, cellas, sive in claustro sive alibi, separatas a communi dormitorio habeat, sed unusquisque unica cella, eademque cum caeteris aliorum monachorum coniuncta, nudis omnino parietibus, ac lectulo et mensa humilibus, uniformique supellectili, ut praefertur, quemadmodum religiosos decet, contentus sit. Possit tamen generalis vel visitatores alicui ex superioribus monasteriorum, si eorum muneris et officii necessitatem id exigere cognoverint, alteram etiam cellam concedere. Cellae sive aediculae, quae extra dormitorium separatae sunt, ad officinas aut alias ad communem usum et commoditatem monasterii redigantur. Sigillatim suo quique lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt: in privatis cellis nulli camini permittantur, sed omnes obstruantur, statim cardinibus etiam e parietibus convulsis, ut res illa non ad tempus facta, sed perpetuo duratura videatur, cellis tamen generalis aut alterius superioris ac praedicatoris exceptis.

Monasteriorum fenestris.

§ 15. Monasterii foenestrae omnes, quae in vias publicas aut in vicinas laicorum aedes prospiciunt, muro ita obserantur, ut omnino prospectus impediatur.

Infirmaria infirmorumque cura

§ 16. Valetudinarium praeterea in singulis monasteriis, certo ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ et monachorum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo monachi omnes, cum aegrotabunt, curentur, neque inde, nisi recuperata sanitate, abire permittantur. Qui vero infirmorum curae praepositi erunt omni sedulitate ac charitate operam suam praestabunt, ac curabunt ne quid aegrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam omnino pertineat.

Licentiarum extra claustra degendi prohibitione.

§ 17. Ineatur ratio, qua, sublatis licentiis et facultatibus hactenus quibuscumque concessis degendi extra monasterii claustra, ad ea quam primum revocentur; nec in posterum, nisi ex gravissima causa a Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint.

Monasteriis deputandis ad novitios recipiendum.

§ 18. Nulli de caetero ad habitum aut professionem admittantur, nisi in monasteriis in qualibet provincia per Sedem Apostolicam deputandis.

Largitionis munerum prohibitione servanda.

§ 19. Curent superiores, ut constitutio interdicens largitiones munerum, et praescribens hospitalitatis formam, ab omnibus in quolibet monasterio inviolabiliter observetur.

Ambitus prohibitione.

§ 20. Ut omnis officiorum ambitus occasio praecidatur, caveant omnes a directa vel indirecta vocum seu suffragio-

rum procuratione, tam pro se ipsis quam pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in caeteris, praesertim generalibus, Capitulis aut congregationibus et alibi. Quicumque secus fecerint, praeter alias poenas et censuras, hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in poenam privationis officiorum, quae obtinent, eo ipso incidant, et ad futura quaecumque pariter inhabiles habeantur; super quo cum eis dispensari a nemine possit, nisi a nobis vel successoribus nostris, et pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porro supradictas omnes poenas etiam ad complices ac simpliciter scientes et non revelantes extendimus.

Electionis officialium forma [1].

§ 21. In superiorum et officialium omnium electionibus forma praescripta a sacro Concilio Tridentino et constitutionibus Ordinis inviolabiliter servetur; iurentque electores secundum veritatem cuiusque conscientiae, probiores ac magis idoneos se electuros; ac propterea priusquam ad electionem deveniatur, in primis et ante omnia perlegantur constitutiones de qualitate et requisitis eligendorum.

Eligendorum qualitatibus.

§ 22. Ad officia, gradus et praelaturas illi eligantur qui possint et consueverint regulas Ordinis et constitutiones observare, praesertim quae pertinent ad servitium chori ac vestitum et victum communem.

Monachorum peritorum deputatione, ad examinandos lectores, praedicatores et ad ordines promovendos.

§ 23. Eligantur in Capitulo generali seu provinciali aliquot graves et periti ex monachis cuiuslibet provinciae, saltem tres, qui admittendos ad praedicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones, etiam ipsorum monachorum, ac lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, et ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curae sit examinare et probare, tam quoad doctrinam quam quoad mores, promovendos ad quoscumque ordines, in quo servetur decretum Congregationis interpretum sacri Concilii Tridentini ea de causa nuper editum et promulgatum.

Adhortatio ad superiores regulas adamussim observandas.

§ 24. Illud porro superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio invigilent ut quae in eorum Ordinis constitutionibus, de oratione mentali, silentio, ieiuniis, capitulo culparum aliisque spiritualibus exercitiis, prudenter ac pie sancita sunt, ea omnia et singula ad unguem observentur, intelligantque super his veluti fundamentis omnium congregationum aedificia construenda et amplianda esse, quae ut faciliorem exitum sortiantur, et uberiores fructus in animis monachorum producant, valde opportunum erit si in quolibet monasterio singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina et regulari observantia.

Tabellae formatione, super his quae monachi singulis diebus praestare debent.

§ 25. Ut autem omnia ordinate peragantur, appendatur in loco conspicuo uniuscuiusque monasterii tabella, in qua distincte adnotetur quid singulis cuiusque diei horis singuli monachi praestare debebunt, ut certo etiam signo praemoniti, maiore animi praeparatione opportune suis muneribus satisfacere queant.

Decretis Ordinis hisce non contrariis custodiendis.

§ 26. Quae Ordinis constitutiones his decretis non adversantur inviolate custodiendae erunt.

Contravenientium poenis.

§ 27. Quibus horum decretorum capitibus certa poena praescripta non est, arbitrio generalis vel alterius immediate superioris infligatur. Ut autem decreta haec donec alia, quae ad pleniorem supradicti Ordinis reformationem facient, edantur, ab omnibus observari possint, districte praecipimus et mandamus generali ac omnibus aliis quibuscumque superioribus ad quos hoc spectat, ut curent

[1] Concilium Trident., sess. XXV, cap. VI.

ac efficiant in generali Capitulo, primo quoque tempore celebrando, ea omnia publicari et recipi, ac inter alias Ordinis constitutiones perpetuo valituras redigi, interdicta eorum omnino singulis facultate illas declarandi, aut adversus eas unquam dispensandi. Alioquin sciant se in poenam generalatus et officiorum privationis et inhabilitatis perpetuae ad alia, ipso facto et sine ulla exceptione, respective incidisse.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die vigesima quarta mensis aprilis, millesimo quingentesimo nonagesimo tertio.

Dat. die 24 aprilis 1593, pontif. an. II.

LX.

Confirmatio gratiarum a Pontificibus praedecessoribus concessarum Congregationi Clericorum Regularium S. Maioli, alias de Somascha, cum aliorum privilegiorum concessione.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet ex benignitatis Sedis Apostolicae studio provenire, ut ea, quae pro divini cultus augumento, religionis propagatione et animarum salute, provida ratione concessa sunt, suae protectionis munimine confoveat. Unde nos ad eiusdem apicem, divina disponente clementia, assumpti, his quae propterea facta comperimus, nostrae approbationis robur, cum a nobis petitur, libenter adiicimus, ut eo firmius subsistant, quo Sedis eiusdem protectione saepius fuerint circumfulta.

Congregatio petit confirmationem suarum constitutionum.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum praepositi et presbyterorum congregationis Clericorum Regularium de Somascha, alias S. Maioli, Papiensis, nuncupatorum, exhibita nobis nuper petitio continebat quod, cum iam ab anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo, ad gloriam omnipotentis Dei, *etc.* Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, ipsi praepositus et presbyteri cupiant praemissa omnia per nos confirmari et approbari, nobis humiliter supplicari fecerunt quatenus eorum desiderio annuere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Hic modo Pontifex eas et omnia Congregationis privilegia confirmat.

§ 2. Nos, attendentes ad diligentem et fructuosam culturam ipsius vineae Domini, quam praefati presbyteri et clerici regulares studio indefesso, multis piis ac laudabilibus exercitiis in dies faciunt, ac volentes propterea illos et dictam Congregationem amplioribus favoribus et gratiis prosequi, praepositum et singulares personas Congregationis huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula praefata et quaecumque alia privilegia, exemptiones, immunitates, concessiones, facultates, praerogativas, indulta, favores et gratias, praefatae Congregationi, singulisque illius domibus, conventibus, collegiis, ecclesiis, capellis, oratoriis, hospitalibus et locis, nec non praeposito generali aliisque superioribus et personis, tam professis quam non professis, ac familiaribus, domesticis eisque alias quomodolibet inservientibus, tam per supradictos quam alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem Apostolicam eiusque auctoritate quomodolibet concessa, ac desuper confectas litteras omniaque in eis contenta, nec non etiam omnia et singula statuta, ordina-

tiones, regulas et constitutiones in universa Congregatione praefata, hucusque editas, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et Concilio Tridentino minime contraria, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis, apostolicae firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes et singulos ac quoscumque et qualescumque iuris et facti ac etiam solemnitatum et alios quantumvis substantiales, etiam de necessitate exprimendos, defectus, siqui in eis aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint.

Praeposito dictae Congregationis dat auctoritatem, cum suis religiosis dispensandi, *etc.*

§ 3. Ac insuper eidem Congregationi eiusque praeposito generali, quod ipse praepositus, cum voto eius consiliariorum a Capitulo generali deputatorum, cum quibusvis eiusdem Congregationis professis, defectum natalium patientibus, etiam ad omnes sacros et presbyteratus ordines suscipiendum, ac in eisdem in altaris ministerio etiam ministrandum, necnon ad quamcumque ipsius Congregationis administrationem, officium et dignitatem recipiendum ac retinendum et exercendum dispensare.

Et loca omnia visitandi et reformandi.

§ 4. Idemque praepositus generalis et visitatores eiusdem Congregationis, toties quoties opus esse iudicaverint, orphanotrophia et loca, tam puerorum quam puellarum, sub cura, regimine et administratione ac disciplina dictae Congregationis existentia, absque eo quod desuper a gubernatoribus sive occonomis et administratoribus rerum temporalium ipsorum impediantur, sub poena excommunicationis maioris latae sententiae, statim per impedientes ipso facto incurrendae, si post monitionem ab episcopo faciendam ab huiusmodi impedimentis non destiterint, a qua non nisi a Sede praedicta, praeterquam in mortis articulo, absolvi queant (sine praeiudicio iurium episcopi) visitare; et quae reformanda habuerint circa disciplinam eorumdem puerorum et puellarum ac regimen spirituale, reformare libere et licite valeant, auctoritate et tenore praedictis, licentiam et facultatem concedimus et impartimur.

Exemptionem etiam elargitur eidem Congregationi a confessione ordinaria monialium non orphanarum et aliis muniis Congregationis opera impedientibus.

§ 5. Ut autem Congregatio ipsa ac sub eius instituto militantes personae orphanis et seminariis puerorum liberius et melius inservire, et quae sui instituti sunt adimplere possit, ipsaque disciplina regularis in domibus, collegiis et locis illius magis vigeat, eamdem Congregationem singulaque illius collegia et loca ac eorum superiores et alios, ab omni onere audiendi confessiones ordinarias quarumcumque monialium, praeterquam orphanarum, iuxta antiquum ipsius Congregationis institutum, nec non ab omnibus aliis oneribus et curis, quae servituti et commoditati orphanotrophiorum, seminariorum et disciplinae regularis huiusmodi impedimento et damno esse quoquo modo possunt, omnino et in perpetuum absolvimus et penitus liberamus; et etiam ut de cetero nullus, etsi sit praepositus generalis, aliqua huiusmodi onera vel curam, nisi de consensu duarum ex tribus partibus Capituli generalis, suscipere audeat neque possit.

Professiones omnes in manibus cuiuscumque praesbyteri dictae Congregationis emissas validas esse declarat.

§ 6. Postremo omnes professiones emissas usque in praesentem diem a quibusvis clericis et laicis dictae Congregationis, etiamsi non in manibus praepositi generalis, aut eius vicarii, sed aliorum praesbyterorum inibi professorum factae sint, neque constet illos eo tempore auctoritatem tales professiones accipiendi habuisse, validas firmasque et ratas esse et fore, perinde ac si a praeposito generali vel eius vicario praedicto receptae essent, dummodo tamen alias canonice factae fuissent, et tales professi professioni huiusmodi hodie acquiescant.

Praepositi facultas inferioribus committen-

§ 7. Licereque in posterum praeposito generali praedicto huiusmodi facultatem

di receptionem professionis servata in reliquis bulla Sixti V.

admittendi ad professionem, cuilibet praeposito vel rectori inferiori eiusdem Congregationis demandare, servata in reliquis forma constitutionis eiusdem Sixti praedecessoris desuper editae.

Clausulas bullae praeservativas apponit.

§ 8. Praesentes quoque litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel quocumque alio defectu notari, impugnari seu quomodolibet infringi, vel in ius aut controversiam vocari, aut etiam adversus eas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari, seu etiam motu proprio concedi posse. Neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore emanatis compraehendi; sed semper et omni tempore ac omnino ab illis excipi, et quoties emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum suum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per generalem et alios praepositos praefatos pro tempore eligenda, concessas, illasque perpetuo validas et efficaces esse et censeri, plenamque roboris firmitatem obtinere. Neque Congregationem ac praepositum generalem et alios superiores ac personas illius super eisdem praemissis illorumque possessione, usu et commodo pacificis per locorum Ordinarios aut quoscumque alios quomodolibet molestari, perturbari seu inquietari vel impediri posse.

Clausula sublata, *etc.*

§ 9. Sicque et non aliter per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, ac etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice-legatos et alios ecclesiasticos ac saeculares, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; necnon quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulas derogatorias atque sanctionem poenalem adiicit.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac dicti praedecessoris super admittendis religiosis edita; et quibusvis aliis apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus; ac etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, legibus, reformationibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili et alias in contrarium quomodolibet, etiam pluries et iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, sexto kalendas maii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 26 aprilis 1593, pontif. an. II.

LXI.

Confirmatio concordiae initae inter ecclesiasticos provinciae Cathaloniae et Philippum II Hispaniae regem super solutione primae decimae a Romanis Pontificibus eidem regi concessae.

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Pro nostro munere in his partes nostras libenter interponimus, quae ad concordiam et pacem inter catholicos reges et ecclesiasticas personas super exactionibus apostolica auctoritate faciendis, pertinere dignoscuntur.

Capitula ecclesiarum Cathaloniae primas decimas non sine gravi incommodo exequi posse eo modo exponunt, quo fuerunt concessae. § 1. Nuper siquidem charissimus in Christo filius noster Philippus, Hispaniarum rex catholicus, ac dilecti filii singula Tarraconensis, Gerundensis, Barchinonensis, Urgellensis, Illerdensis, Elnensis, Vicensis, Dertusensis ecclesiarum Capitula nobis exponi fecerunt quod praedicta Capitula, quae cum nominatis in infrascripta concordia universum clerum principatus Cathaloniae repraesentant, animadvertentes gratiam primae decimae cuiusque parochialis ecclesiae in omnibus Hispaniarum regnis et insulis illis adiacentibus dudum per felicis recordationis Pium Papam V, praedecessorem nostrum, ad quinquennium, et postea pluries a felicis recordationis Gregorio XIII, ac deinde Sixto V, et novissime a similis memoriae Gregorio XIV, praedecessore nostro, per suas in forma brevis litteras, sub datum videlicet XXIII ianuarii MDXCI, rationabilibus de causis, ad aliud quinquennium prorogatam, prout in singulis praedecessorum eorumdem desuper in forma brevis expeditis litteris continetur; si eisdem modo et forma, quibus concessa est, exequutioni demandaretur, id non sine eiusdem cleri incommodo exequi posset; cupientesque praemissis ea, qua potest, ratione occurri, quo facilius ad illa, quae tenentur, ab ipsis adimpleri valeant, ipsaeque personae ecclesiasticae onus, illis eam ob causam incumbens, supportare possint, ad infrascriptam concordiam, quae in instrumento desuper confecto, cuius tenorem praesentibus inseri et inferius adscribi et annotari fecimus, latius continetur, insimul devenerunt, nobisque humiliter supplicari fecerunt ut concordiam huiusmodi approbare et confirmare, auctoritatisque nostrae robore communire de benignitate apostolica dignaremur.

Quare initam inter se concordiam confirmari petunt.

Eam ratam habet Clemens; § 2. Nos, qui honestis fidelium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, eumdem Philippum regem et singulares personas huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes; necnon concordiae et instrumenti praefatorum veriores tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam huiusmodi et desuper confectum instrumentum, et prout illa concernunt, omnia et singula quae in dicto instrumento, inferius adscripto, continentur, et inde sequuta quaecumque, etiamsi ad exactionem pecuniarum in eadem concordia contentarum, etiam ante huiusmodi nostram confirmationem, in totum vel in partem sit processum, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

si qui forsan intervenerint in eisdem; eaque ac tam quoad personas, quae in dicta concordia intervenerunt et illi consenserunt, quam quoad alias personas, quae nullo modo praedictis concordiae et distributioni interfuerunt nec illis consenserunt, etiamsi sanctae Romanae Ecclesiae cardinales fuerint, ecclesias et alia beneficia possidentes, valida efficacia esse, et per omnes inviolabiliter observari debere; ipsosque ad illarum omnium observationem et solutionem, omnibus viis ac iuris et facti remediis cogi et compelli posse et debere, absolventes etiam, si opus sit, tam ipsum Philippum regem quam quoscumque eius ministros, necnon quascumque ecclesiasticas, tam saeculares quam regulares, personas a quibusvis censuris et poenis, si quas propter praemissa quomodolibet incurrerint, etiamsi in irregularitatem aliquam inciderint, ac missas et alia divina officia interim, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, dispensamus; nec propterea fructus ecclesiarum et beneficiorum obtentorum suos non fecisse dici aut censeri posse declaramus, ac ab eis omnem inhabilitatis maculam sive notam, si quam propter praemissa quomodolibet incurrerint, abolemus, ac eos in pristinum eumque, in quo ante praemissa quomodolibet erant, statum restituimus, reponimus et plenarie reintegratos per praesentes nuntiamus.

Et ab iis etiam qui consensum suum non praestiterunt, servari mandat.

Omnesque et singulos defectus supplet.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Sicque a quolibet tribunali iudicari decernit.

§ 4. Et nihilominus dilectis filiis nostro et Apostolicae Sedis apud dictum Philippum regem nunc et pro tempore existenti nuncio, ac Francisco de Avila, archidiacono Toletano, et consiliario Sanctissimae Inquisitionis regnorum Hispaniarum, dictae primae decimae exequutoribus etiam iam deputatis, committimus et mandamus quatenus ipsi vel eorum alter, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Philippi regis et singularum praefatarum personarum fuerint requisiti, ad exequutionem eorum omnium, quae in dicta concordia continentur, procedant, et per eos, ad quos spectat, eadem observari curent et faciant; necnon eisdem nuncio et Francisco iniungimus quod, ubi et quoties super repartitione ac aliis in dicta concordia contentis aliquas differentias exortas fuisse compererint, illas, absque retardatione solutionis, iuxta repartitionem iam factam et faciendam, iudicio eorum aequabili componant compositione et terminent, iustitiam partibus ministrando. Nos enim eisdem, tam praemissa peragendi, quam quidquid super praemissis statuerint, omni et quacumque appellatione remota, exequutioni debitae demandandi, necnon contradictores quoslibet et rebelles per opportuna iuris et facti remedia, ac demum per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendi, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, plenam et liberam facultatem concedimus.

Exequutores deputat, et modum exequutionis designat.

§ 5. Non obstantibus Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et Concilii generalis de duabus diaetis; et aliis constitutionibus et ordinationibus

Obstantia tollit.

apostolicis; necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; necnon legibus, etiam municipalibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac aliis efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine et alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis ac totis eorum tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat; specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque; necnon omnibus illis, quae in dicta concessione primae decimae ac concordia huiusmodi expressum est non obstare.

Etiam quodcumque indultum.

§ 6. Seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Cardinales eximit a solutione primae decimae.

§ 7. Caeterum eos S. R. E. cardinales tantum, quibus pensiones annuae super fructibus ecclesiarum cathedralium et metropolitanarnm et aliorum ecclesiasticorum beneficiorum reservatae, seu ipsi fructus vel eorum pars loco pensionum reservati reperiuntur, a praemissa contributione, quoad ipsas pensiones et reservationes fructuum, volumus esse exemptos.

§ 8. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides, in iudicio et extra, adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptis fidem addit.

Tenor vero instrumenti huiusmodi sequitur, et est talis, videlicet.

In Dei Nomine. Amen.

Tenor concordiae.

Noverint universi quod nos Ioannes Teres, miseratione divina, sanctae Tarraconensis ecclesiae archiepiscopus; Petrus Iaime, Dei et Apostolicae Sedis gratia episcopus Vicentinus; frater Andreas Capilla, eiusdem Sedis gratia Urgellensis episcopus; Gaspar Punter, eadem gratia, Dertuzensis episcopus; Don Michael Aymerich, abbas monasterii B. Mariae de Lavaix; frater Petrus Fontanella, abbas monasterii B. Mariae Pulchri Podii Avellanarum, Ordinis Praemostratensis; frater Don Petrus Aquilo, prior monasterii Scalae Dei, Ordinis Carthusiensis; Michael Torell, rector ecclesiae parochialis S. Baudilii de Lupruato, dioecesis Barchinonensis, vicarius generalis et procurator admodum illustris et Rev.^{mi} D. Don Dimeloris, Dei et Apostolicae Sedis gratia Barchinonensis episcopi; Antonius Teres, vicarius generalis et procurator admodum illustri et Rev.^{mi} domini Iacobi Cassador, eadem gratia, episcopi Gerundensis; Paulus Costa, prior S. Ioannis de Fontibus, dioecesis Gerundensis; Bartholomaeus Rocha, U. I. D., canonicus et syndicus reverendi Capituli ecclesiae metropolitanae Tarraconensis; Raphael de Rovirola, canonicus et syndicus reverendi Capituli ecclesiae cathedralis Barchinonensis; Franciscus Rocha, canonicus et syndicus reverendi Capituli ecclesiae cathedralis Urgellensis; Ioannes Margales, canonicus et syndicus

ecclesiae cathedralis Illerdensis; Ioannes Luscha, U. I. D., canonicus et syndicus ecclesiae cathedralis Elnensis; Monferratus Guillo, canonicus et syndicus ecclesiae cathedralis Gerundensis; Iacobus Bergada, canonicus et capellanus maior et syndicus reverendi Capituli ecclesiae cathedralis Vicentinae; Petrus Sisterer, canonicus hospitalarius et syndicus ecclesiae cathedralis Dertuzensis; Don Michael de Paguera, monachus, procurator et aeconomus monasterii et conventus S. Cucuphatis Vallensis, Ordinis S. Benedicti, dioecesis Barchinonensis, abbatia vacante; Raphael Haspa, monachus cellerarius, procurator et aeconomus monasterii Sancti Petri Rodensis, Ordinis S. Benedicti, Gerundensis dioecesis, abbatia vacante; Antonius Molner, prior claustralis, sacrista maior, vicarius generalis, procurator et aeconomus monasterii S. Michaelis de Cuxano, Ordinis S. Benedicti, dioecesis Elnensis, abbatia vacante; Franciscus Poluies, canonicus praecentor vicarius generalis, et officialis conventualis ecclesiae monasterii B. Mariae de Celsona, Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium, Urgellensis dioecesis, abbatia vacante; Laurentius Izalguer senescalcus, canonicus, vicarius generalis, aeconomus et procurator monasterii S. Ioannis de Abbatissis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, Vicentinae dioecesis, abbatia vacante; frater Blasius Torrens, monachus, aeconomus et procurator admodum reverendi fratris Hieronymi de Contisoch, abbatis monasterii Sanctarum Crucum, Ordinis Cisterciensis, Tarraconensis seu Barchinonensis dioecesis, capellani maioris S. C. et R. Maiestatis Aragonum regis; Bartholomaeus Corvella, monachus, procurator et actor monasterii S. Saturnini de Tavernoles, Ordinis S. Benedicti, Urgellensis dioecesis, abbatia vacante; Augustinus Grau, U. I. D., canonicus, syndicus et procurator Capituli canonicorum monasterii S. Petri Agerensis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, nullius dioecesis, abbatia vacante; Franciscus Caralps, eleemosynarius, monachus, procurator et aeconomus monasterii B. Mariae de Riccopallo, Ordinis S. Benedicti, Vicentinae dioecesis, abbatia vacante; frater Petrus Barbara, S. I. professor, prior et procurator reverendi fratris Don Michaelis Ioannis Gispert, abbatis monasterii et conventus B. Mariae de Benifacar, Ordinis Cisterciensis, dioecesis Dertusensis, convocati, et legitime pro infrascriptis et aliis negotiis congregati in quadam aula palatii archiepiscopalis Tarraconae, vocata *Lapabordia,* sacrum provinciale Concilium Tarraconense facientes et celebrantes, ac universum clerum et statum totius provinciae Tarraconensis, et episcopatus Elnensis, quem nuper praedictae Tarraconensi ecclesiae et illius archiepiscopo pro tempore existenti metropolitico iure felicis recordationis Gregorius Papa XIII, per suas apostolicas litteras, in omnibus et per omnia subiecit; ac omnes et singulos praelatos, clericos et personas ecclesiasticas eiusdem Tarraconensis provinciae repraesentantes, attendentes et considerantes, per mox dictum archiepiscopum Concilium provinciale huiusmodi, legitima praeeunte citatione, ut moris est, inter alia fuisse convocatum et congregatum pro deliberatione et conclusione facienda super concessione primae decimae seu domus decimariae, *Excusado* vulgo nuncupatae, in universis parochiis in regnis et dominiis Hispaniarum et insulis eisdem regnis adiacentibus consistentibus, alias per felicis recordationis Pium Papam V serenissimo et invictissimo Philippo Hispaniarum regi catholico ad quinquennium facta, et postea a Gregorio Papa XIII ad aliud quinquennium, a fine primi dicti

Concordiam ineuntium nomina.

In Concilio Tarraconensi adunati, et universum clerum eiusdem provinciae repraesentantes.

quinquennii confirmata seu prorogata, et deinde ab eodem Gregorio Papa ad aliud quinquennium, a fine secundi dicti quinquennii inchoandum, et postea ad aliud etiam quinquennium, a fine dicti tertii quinquennii similiter inchoandum, per similis recordationis Sixtum Papam V, etiam per suas litteras apostolicas prorogata, et nunc ad aliud etiam quinquennium, a fine dicti quarti quinquennii incipiendum, per SS. D. N. Gregorium Papam XIV, per suas apostolicas litteras prorogata, ac super portione et parte ad nos et universum clerum et statum ecclesiasticum huius provinciae Tarraconensis, episcopatus praefati Elnensis, ac abbatiatus Agerensis pertinente et contingente ex fructibus dictae primae decimae cuiuscumque parochialis ecclesiae huius provinciae Tarraconensis, et episcopatus Elnensis, ac abbatiatus Agerensis dictae S. C. et R. Maiestatis pro dicto quinquennio, vigore dictarum litterarum apostolicarum nobis et dictae provinciae praesentatarum, debita et persolvenda; considerantes insuper in dictis primo, secundo, tertio et quarto quinquenniis concessionis primae decimae huiusmodi, ne in provincialibus conciliis tunc convocatis et congregatis plene discussa et mature perpensa, dictum provinciale concilium cum dicta S. C. et R. Maiestatis convenisse et concordasse, ut ratione praedictorum fructuum, nos seu provinciam et episcopatum Elnensem, ac abbatiatum Agerensem praefatos contingentium, dictae suae maiestati et aerario regio suo, nostra ex parte et nomine nostro, et totius cleri universalis huius provinciae Tarraconensis, et episcopatus Elnensis, ac abbatiatus Agerensis, annis singulis, durante tempore gratiae et concessionis apostolicae praefatae, septem mille librae monetae Barchinonensis, ad rationem viginti solidorum Barchinonensium pro unaquaque libra, sub certis modo et forma, et cum pactis et conditionibus tunc expressis, persolverentur. Attendentes praeterea et considerantes praefatam catholicam Maiestatem id ipsum nunc velle, et hoc per suas patentes regias litteras excell.^mo^ domino Don Petro Ludovico Gaglierando de Borsa, marchioni de Navarres, et magistro Ordinis et militiae B. Mariae de Montesa, et duci Georgii eiusque locumtenenti, et capitaneo generali in praesenti Cathaloniae principatu significasse, et praefatum concilium provinciale cum dicto excell.^mo^ domino locumtenente generali concordiam et conventionem, prout alias in aliis quinquenniis tractasse et fecisse; idcirco nos omnes supradicti, sicut praedicitur, provincialiter congregati pro nobis et nomine nostro, et omnium ecclesiarum totius provinciae Tarraconensis, et episcopatus Elnensis ac abbatiatus Agerensis universalem clerum et statum ecclesiasticum eiusdem repraesentantes, cupientesque gratiam apostolicam huiusmodi, in quantum in nobis est, debitae exequutioni demandare, et S. Maiestati ex animo servire exoptantes, cum pactis tamen et conditionibus infrascriptis, et non sine eis, ac salvo praelibati SS. D. N. Papae et Sanctae Sedis Apostolicae beneplacito, et non aliter nec alio modo, et de nostra certa scientia, gratisque ac omnibus iis melioribus via, modo et forma, quibus melius scimus, et de iure possumus et debemus, et per firmam et solemnem stipulationem, convenimus et bona fide promittimus praefatae S. C. et R. Maiestati domini Philippi Hispaniarum regis pontentissimi, licet absenti, et notario infrascripto, tamquam publicae et authenticae personae pro dicta S. Maiestate et pro aliis etiam personis, quibus intersit et quibus S. Maiestas voluerit, seu ad huiusmodi exactionem faciendam destinaverit, quod

Variae prorogationes dictae concessionis per Pontifices factae.

Stipulatio inter partes contrahentes.

dabimus et solvemus annis singulis, durante dicto quinto quinquennio prorogato in civitate Barchinone suae R. Maiestati seu personae vel personis ab ea deputandis, pro portione et parte nos et universalem clerum et statum ecclesiasticum huius provinciae Tarraconiae suae R. Maiestati, et episcopatus Elnensis, et abbatiatus Agerensis contingente, ex fructibus dictae primae decimae seu domus decimariae, *Escusado* nuncupatae, in dicta gratia apostolica comprehensa seu concessa, dictas septem mille libras, ad rationem, ut praedicitur, viginti solidorum pro qualibet libra, modo et forma, ac cum pactis et conditionibus in capitulis infra insertis contentis et expressis, ita ut prima solutio, ratione dicti excusati seu primae decimae in dicto quinto quinquennio facienda, fiat in fine mensis septembris anni MDXCIII, et ultima solutio fiat in fine mensis martii MDXCVIII, ut in dictis infra insertis capitulis continetur, ad quae relatio habeatur. Quas quidem septem mille libras promittimus solvere et deferre seu transportare annis singulis, nostris expensis et periculo, in dicta civitate Barchinone, praedictis terminis dictarum solutionum, durante dicto quinto quinquennio fiendarum, sine aliqua videlicet dilatione, excusatione, exceptione, retentione, et absque omni damno, gravamine, missione et interesse dictae S. C. et R. Maiestatis et alterius cuiuscumque personae per dictam S. Maiestatem ad dictam exactionem seu exequutionem faciendam nominandae seu deputandae.

Solutionum quantitas atque tempus praefinitur.

Pacta vero seu conditiones, quibus dictas septem mille libras, anno quolibet, dicto quinto quinquennio durante, suae maiestati solvere promittimus, continentur in capitulis tenoris huiusmodi:

Primo, quod ad solutionem praefatarum septem mille librarum, durante dicto quinquennio, singulis annis, modo praedicto solvendarum, teneantur contribuere omnes ecclesiae et ecclesiasticae personae fructus decimales habentes et percipientes in provincia Tarraconensi, et episcopatu Elnensi ac abbatiatu Agerensi, et quod hoc intelligatur tam de ecclesiis et personis ecclesiasticis fructus decimales habentibus et percipientibus in praesenti principatu Cathaloniae et comitatibus Rossilionis et Ceritaniae, Aragonum et Valentiae regnis, et insula Evicae, archiepiscopatus videlicet Tarraconensi, et episcopatuum Illerdensis, Dertuzensis, et Urgellensis, quamvis partes decimales, quas percipiunt, nuncupentur vulgari idiomate *Quartes, Quintes, Sisenes, Setenes, Ochaves, Novenes, Decimas,* aut alias qualitercumque nuncupentur. Et quia ex episcopatu Illerdensi, auctoritate apostolica, fuit separata et segregata abbatia S. Victoriani, Ordinis S. Benedicti, una cum quibusdam parochialibus episcopatus eiusdem, et omnes parochiales ecclesiae huiusmodi eadem apostolica auctoritate fuere unitae et applicatae episcopatui Balbastiensi, sive de Balbastre, noviter in regno Aragonum, sub provincia Caesaraugustanensi erecto; in quarum quidem parochialium compensationem, conceditur et applicatur dicto episcopatui Illerdensi certus numerus aliarum parochialium multo minor, ideo quod, praedicto quinto quinquennio durante, tam praedicta abbatia quam aliae ecclesiae eiusdem Ordinis in retroactis subsidiis solitae contribuere, in praesenti provincia Tarraconensi, una cum praedictis parochialibus a praedicto Illerdensi episcopatu segregatis, contribuant in solutione quantitatis in praesenti instrumento solvi promissae, huiusmodi quinto quinquennio, ut praefertur, durante; et quod ecclesiae, quae noviter eidem episcopatui Illerdensi unitae et applicatae fue-

Pacta et conditiones ad solutionem supradictarum septem mille librarum.

runt, contribuant, durante dicto quinquennio, in solutione ad regum Aragonum seu provinciam Caesaraugustanam pertinentes et spectantes, prout antea consueverunt. Insuper etiam in episcopatu Dertuzensi in ea parte quae est de regno Valentiae, reperitur certus ecclesiarum parochialium numerus, quarum decimas percipiunt personae ecclesiasticae, et partim mensa magistralis de Montesa; ideoque huiusmodi parochiae et mensa magistralis praedicta teneantur contribuere et realiter contribuant in praedictis solutionibus pro decimali incluso et existenti in praedicto episcopatu Dertuzensi, praesentis provinciae Tarraconensis.

Parochiae ex episcopatu Dertuzensi nonnullae et mensa de Montesa aliqid solvere tenentur.

Item, es asentado, capitulado, y concordado que la paga de las siete mila libras, que asi ha de pagar la dicha provincia en cadauno de los dichos años ha de comenzar à correr y contarse en esta manera: las siete mila libras del primero año de los dichos cinco en fin de setiembre de mil y quinientos y noventa y tres, y en el fin de marzo de mil quinientos noventa y quatro; y las pagas de las siete mila libras del segundo año, en fin de setiembre de mil quinientos y noventa y quatro, y en fin de marzo siguiente de mil quinientos noventa y cinco, y las pagas del tercero año en fin de setiembre del dicho de mil quinientos noventa y cinco, y en fin de marzo de mil y quinientos noventa y seis, y asi sucesivamente en los dos años siguientes, de manera que la ultima y postrera paga ha de ser en fin de marzo de mil quinientos y noventa y ocho.

Rursus, quod vacante aliqua sede ex ecclesiis huius provinciae, durante tempore ipsius vacationis, illud totum et quidquid per eam ipsam ecclesiam vacantem solvendum erit, cedat in exonerationem consimilis quantitatis in favorem huius provinciae, ita et taliter quod sua maiestas catholica in computum accipiat et habeat pro soluta. Et insuper quod in huiusmodi solutionibus, ratione dictae domus decimariae S. Maiestati per dictam provinciam modo praedicto solvi promissis, contribuant et contribuere teneantur omnes habentes vel percipientes pensiones, auctoritate apostolica reservatas, quamvis cardinales vel alia quacumque praefulgeant dignitate, pro rata illis contingente, et quod pro his S. C. et R. Maiestas litteras obtineat apostolicas; et interim hoc ipsum cedat in exonerationem consimilis quantitatis in favorem istius provinciae, et eam sua maiestas habeat pro soluta. Et denique, ut facilius omnia et singula supradicta operis per effectum valeant adimpleri, et haec provincia Tarraconensis, et episcopatus Elnensis ac abbatiatus Agerensis in solutionibus praemissis faciendis debitum suae R. Maiestati obsequium et servitium impendat, sua C. et R. Maiestas praesentis conventionis et concordiae ac omnium et singulorum in ea contentorum apostolicam confirmationem obtineat, idque eius oneri cedat; et quod in ipsis litteris apostolicis confirmationis huiusmodi concordiae, concedatur facultas consilio provinciali huius provinciae, seu illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo, et seu reverendo Capitulo Tarraconensi, sede vacante, nominandi et deputandi quoscumque iudices et exequutores huius primae decimae seu domus decimariae, cum eadem facultate, potestate et modo providendi, quam habent commissarii nominati a reverendissimis DD. commissariis generalibus huius primae decimae a S. Sede Apostolica specialiter deputatis, nominatis et subdelegatis, absque eo quod nullus alius se possit de his modo aliquo intromittere; et sic cum protestatione, pactis et conditio-

Qui debeant contribuere, et qua rata.

nibus praedictis, nos praedicti archiepiscopus ceterique alii omnes nominati, sacrum provinciale Concilium Tarraconense, ut praefertur, facientes et celebrantes, ac universum huius provinciae Tarraconensis episcopatus Elnensis et abbatiatus Agerensis clerum et statum ecclesiasticum repraesentantes, pro nobis et nomine omnium et singularum ecclesiarum, dioecesis, monasteriorum, beneficiorum et omnium et singularum personarum ecclesiasticarum decimas et fructus decimales in eisdem provincia et episcopatu ac abbatiatu percipientium, ad solutionemque huiusmodi contribuere debentium, obligamus bona, iura, redditus et proventus nostrarum ecclesiarum monasteriorum, beneficiorum, ac totius provinciae Tarraconensis, et episcopatus Elnensis et abbatiatus Agerensis et personarum ecclesiasticarum praedictarum, tam spiritualia quam temporalia, praesentia et futura, dantes et concedentes plenam potestatem quibuscumque dominis commissariis, iudicibus generalibus huiusmodi concessionis, et suis subdelegatis, et eorum cuilibet et aliis quibuscumque iudicibus et iustitiis, ut nos compellant et cogant ad observationem et complementum omnium et singulorum praemissorum. Renuntiantes, prout serie cum praesenti renunciamus, omnibus et quibuscumque legibus, foris et iuribus, generalibus et specialibus, quae in nostri favorem sint et esse possint, et concedimus hanc concordiam, conventionem, pactum de solvendo, modo et forma praemissis. Volumusque quod in modo huiusmodi nominandi, nullum dictis cathedralibus ecclesiis et personis praeiudicium generetur. Et ut praedicta omnia et singula maiori gaudeant firmitate, eadem omnia facimus, paciscimur, convenimus et bona fide promittimus nos omnes superius nominati dictae S. C. et R. Maiestati, licet absenti, et notario publico infrascripto tamquam publicae et authenticae personae pro ipsa catholica maiestate, et omnibus et singulis, quorum intererit et interest, recipiendi, paciscendi ac etiam legitime stipulandi. Ad haec nos Don Petrus Ludovicus Galierandus de Borsa, marchio de Navarres, magister Ordinis et militiae B. Mariae de Montesa, et Divi Georgii, locumtenens, et capitaneus generalis in principatu Cathaloniae et comitatibus Rossilionis et Ceritaniae, pro sua catholica et R. Maiestate D. N. Philippi regis Hispaniarum, habentes commissionem et speciale mandatum a dicta S. C. et R. Maiestate, cum suis litteris manu sua subscriptis, et per Petrum Franqueza secretarium expeditis, datum in S. Laurentio el Real, die IX mensis octobris proxime praeteriti, qui praedictam obligationem cum pactis et conditionibus supradictis, nomine et auctoritate S. R. Maiestatis, acceptamus, ac omnia et singula in ea contenta laudamus et approbamus.

Bonorum obligatio pro maiori securitate pensionum solvendarum.

Actum est hoc Tarraconae die VI mensis novembris, anno a Nativitate Domini MDXCI, nomine Ioannis Teres, archiepiscopi tarraconnesis, Petri Iaime, episcopi Vincentini, fratris Andreae Capilla, episcopi Urgellensis, Gasparis Punter, episcopi Dertuzensis, Don Michaelis Aymerich, abbatis Beatae Mariae de Lavaix, fratris Petri Fontanella abbatis Pulchri Podii Avellanarum, fratris Don Petri Aquilo prioris Scalae Dei, Michaelis Torell, Antonii Tenes, Bartholomaei Rocha, Raphaelis de Rovirola, Francisci Rocha, Ioannis Margaleff, Ioannis Bascha, Monferrati Guillo, Iacobi Bergada, Petri Cisterer, Don Michaelis de Paguera, Raphaelis Aspa, Antonii Molner, Francisci Polujes, Laurentii Izalquel, fratris Blasii Torrents, Bartholomaei Coruella, Augustini Grau, Francisci Caralps, et

Partium contrahentium nomina.

fratris Petri Barbara praedictorum. Qui haec, nominibus, quibus supra, respective laudamus, concedimus et firmamus in dicto concilio provinciali, ut supra convocato, praesentibus venerabili Honuphrio Soler, presbytero, et Montferrato Bonanat, diacono in Sede Tarraconae beneficiatis pro testibus ad praemissa vocatis specialiter et assumptis. Signum nostrum Don Petri Ludovici Galierandi de Bersa praedicti, qui haec, praeviis nominibus, laudamus, concedimus et firmamus extra concilium, dictis die et anno, praesentibus supradictis testibus ad ista vocatis et assumptis. Et ego Sebastianus Lagostera auctoritatibus apostolica atque regia, ac illustrissimi et reverendissimi archiepiscopi Tarraconensis notarius publicus, et concilii provincialis Tarraconensis congregati ex scribis et secretariis alter, qui praedictis omnibus et singulis, una cum discreto Alexandro Cendia connotario meo, et altero dicti concilii scriba et testibus praedictis, praesens interfui. Ideo in nota sumpsi, et in processu dicti concilii provincialis et decreto ipsius concilii descripsi, a quo hoc praesens publicum instrumentum, manu aliena fideliter scriptum extraxi, signoque et nomine meis, quo in similibus utor, signavi, subscripsi et clausi, rogatus. In fidem praemissorum, *etc.*

Notarii publici attestatio.

Thomas Gratianus Dantiscus, apostolicus regiusque notarius.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die v maii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 5 maii 1593, pontif. an. II.

LXII.

Ea, quae a Pio IV et Sixto V gesta sunt pro confectione indicis librorum prohibitorum, confirmat [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Gregem Dominicum pro pastorali munere fidei nostrae creditum, saluberrimis catholicae doctrinae pabulis pascere, atque a noxiis illaesum custodire cupientes, quae, hac de causa, ex sacri Concilii Tridentini decretis et Sedis Apostolicae auctoritate salubriter statuta fuerunt, ea libenter, apostolica sanctione saepius interposita, communimus ac, ne umquam fraude aliqua aut perversorum hominum machinatione vel temporum iniuria labefactentur, opportuna quaecumque remedia possumus, adhibemus, prout in Domino conspicimus ad animarum salutem expedire.

Pius IV indicem conficit librorum prohibitorum.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, indicem et regulas a deputatis per sacram Tridentinam Synodum utiliter ac prudenter compositas, ac suo iussu a praelatis nonnullis ac aliis viris doctissimis examinatas, necnon constitutionem edidit, ex quibus christifideles facile internoscerent improbatos auctores et libros, a quibus, tamquam noxiis ac lethalibus, cavere atque abstinere deberent.

Sixtus Papa V nonnulla huic indici addit.

§ 2. Verum, quia post id tempus alii libri perniciosi, aliaque opera, partim impie, partim temere aut minus accurate conscripta ac divulgata emanarunt, ex quorum impura lectione non modo simpliciores homines, sed interdum docti quoque et eruditi in errores induci possent, non immerito qui, post ipsum Pium, Ecclesiae Dei praefuerunt nostri praedecessores, ac praesertim sanctae memo-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

riae Sixtus Papa V, qui pio fidei zelo accensus, plurimum in hoc studii ac diligentiae posuit, quaedam priori indici ac regulis addenda ac inserenda censuerunt.

Haec omnia confirmat Clemens.

§ 3. Quae, cum hactenus diu accurate elaborata atque a venerabili fratri nostro Marco Antonio episcopo Praenestino de Columna, necnon dilectis filiis nostris Augustino S. Marci de Verona, ac Hieronymo S. Mariae supra Minervam Asculano, necnon Gulielmo Alano S. Martini in Montibus titulorum presbyteris, et Ascanio S. Mariae in Cosmedin Columna, necnon Federico S. Agathae Borromaeo nuncupatis diaconis cardinalibus ad id per nos deputatis, ac aliis piis et eruditis viris diligenter recognita et examinata, ac nunc demum Deo iuvante, absoluta fuerint; nos tam eamdem Pii praedecessoris constitutionem, indicem et regulas, quarum tenores haberi volumus pro expressis, sub eisdem poenis in ipsa constitutione propositis, quam haec ipsa illis addita, prout inferius descripta sunt, cuncta et singula, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et praesentis scripti patrocinio communimus, atque ab omnibus, tam universitatibus quam saecularibus personis, ubique locorum observari praecipimus et mandamus.

Praesentium transumptis fidem addit.

§ 4. Decernentes earumdem praesentium exemplis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis et sigillo praelati alicuius ecclesiastici obsignatis eamdem fidem haberi, quae haberetur ipsis praesentibus exhibitis vel ostensis.

Dubia, quae inde exorientur, ad Congregationem Indicis referri iubet.

§ 5. Caeterum, si quae imposterum dubitationes aut controversiae circa ipsum indicem et regulas aliaque super illis addita emerserint, volumus ut ad Congregationem cardinalium praedictorum seu aliorum, qui super huiusmodi indice pro tempore deputati erunt, referantur, et ex sententia eorumdem cardinalium nobis aut successoribus nostris, si rei gravitas id postulaverit, consultis declarentur et decidantur.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 17 maii 1593, pontif. an. II.

LXIII.

Quod fratres Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo favores extra religionem non procurent pro impetrandis dignitatibus vel officiis ipsius Ordinis.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Regulares potius promereri quam dignitates appetere debent.

Quoniam nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus a Deo tamquam Aaron, et a regularis vitae instituto valde alienum est, ut religiosi viri, quos honorum et dignitatum gradus sanctitate vitae ac aliis religiosis virtutibus promereri potius quam appetere, eosque gradus, cum ad eos assumentur, obedienter suscipere, susceptosque humiliter administrare decet, mendicatis saecularium praesertim personarum studiis, ad eos sibi aditum patefacere contendant, unde magna in Ecclesia Dei pernicies adferri solet; nos qui, pro muneris nostri debito, in hoc potissimum laborare non desistimus, ut ecclesiastica regularisque disciplina pristino candori restituatur, huic malo opportunum remedium adhibendum censuimus.

Quidam tamen Carmelitani aliter faciebant.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, quidam in Ordine Carmelitarum, professionis et regulae, quam professi sunt, penitus immemores, nimiaque dignitatum et officiorum ecclesiasticorum in dicto Ordine consequendorum ambitione ducti,

pro iis consequendis ecclesiasticorum et saecularium principum studia requirant, et a S. R. E. cardinalibus aliisque praelatis commendatitias litteras aliosque favores et gratias propterea expetant, quibus adiuti, quos ipsi ex se promeruisse minime confidunt, gradus et dignitates in eodem Ordine consequi valeant, sicque eiusdem Ordinis quietem, non sine animarum suarum periculo, perturbent.

Hic ideo Pontifex id fieri prohibet;

§ 2. Nos malum hoc ad eodem Ordine, cuius prosperum regimen et incrementum ad Ecclesiae sanctae utilitatem sinceris exoptamus affectibus, pro nostra pastorali sollicitudine propellere summopere cupientes, motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos fratres dicti Ordinis, cuiuscumque status, gradus, conditionis, praeeminentiae, quatitatis et dignitatis existentes, qui de caetero ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, et alia officia dicti Ordinis assequenda intenti, ad principum, praelatorum atque aliarum quarumcumque personarum, tam saecularium quam ecclesiasticarum, de gremio dicti Ordinis non existentium, etiam cardinalatus honore, ac quacumque saeculari dignitate et excellentia, etiam imperiali, regali et ducali fulgentium, favores recurrerint, vel etiam pactis, pollicitationibus aliisque viis, directe vel indirecte, palam vel occulte, ad praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et alia officia praedicta obtinenda aspiraverint, vel aliis minime legitimis et honestis rationibus ea obtinere quaesiverint, et minime conquisitis usi fuerint, illorumque complices et fautores, ad quascumque praelaturas, dignitates et officia, gradusque, honores, administrationes et munera in ipso Ordine obtinenda perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis per eos praelaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, administrationibus, functionibus et officiis huiusmodi eo ipso privamus, ac privatos voce tam activa quam passiva, carere decernimus et declaramus.

Superioribusque Ordinis tales favores attendere prohibet.

§ 3. Atque in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae poena omnibus dicti Ordinis fratribus, superioribus et praelatis quocumque titulo nuncupatis, etiam generali, praesentibus et futuris, praecipimus districteque mandamus ne quempiam ullo tempore, precibus, litteris vel favoribus adducti, vel alias ad instantiam seu requisitionem vel contemplationem principum vel praelatorum aut aliorum quorumcumque, tam saecularium, quam ecclesiasticorum extra dictum gremium, existentium, etiam cardinalium, imperatoris, regum et ducum, ad cuiusvis generis praelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones et officia praedicti Ordinis promovere, vel poenas aliquas remittere audeant seu praesumant.

Electiones taliter factas invalidat, atque contra facientes, absque processu, eo ipso, poenas incurrere declarat.

§ 4. Decernentes, electiones et promotiones ad monasteria seu prioratus vel officia dicti Ordinis contra praesentium dispositionem, quod absit, quandocumque faciendas et pro tempore obtentas, nullas prorsus invalidasque fore et esse, nullisque viribus substitutas, omnesque et singulos in praemissis deliquentes, nulla alia monitione praecedente, et absque processu desuper habendo, sententias et poenas praemissas irremissibiliter eo ipso incurrere, et ad illos sententias et poenas praemissas damnabiliter incurrisse legitime probandum et omnino convincendum solas praemissarum personarum instantias, preces, favores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam et sufficientem, in iudicio et extra, fidem facere, nec ad id

probationis alterius adminiculum requiri.

Et ita et non alias mandat iudicari.

§ 5. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; ac irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac Ordinis huiusmodi, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; contrariis quibuscumque. Aut si praedictis fratribus vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Hanc constitutionem publicari et eius transumptis credi iubet.

§ 7. Ut autem harum litterarum notitia ad omnes dicti Ordinis fratres facilius deveniat, volumus illas in generali capitulo seu diaeta dicti Ordinis publice legi, illasque in dicto capitulo vel diaeta lectas sic arctare, ac si legitime unicuique intimatae fuissent, illarumque exemplis vel impressis, manu scribae dicti capituli vel notarii publici subscriptis, et sigillo rectoris generalis dicti Ordinis vel alterius in dignitate ecclesiastica constituti obsignatis, eamdem prorsus fidem haberi, quae praesentibus haberetur, si eaedem exhiberentur.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris die XXI maii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 21 maii 1593, pontif. an. II.

LXIV.

Prohibitio amovendi libros et alia monumenta ex bibliothecis Ordinis fratrum B. Mariae de Monte Carmelo.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quae ad tuenda et conservanda bona et iura spectantia ad personas et loca ecclesiastica conferunt, in iis auctoritatem nostram libenter interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Prohibitio amovendi libros et monumenta quaecumque ex biblioth. Ordinis FF. Carmelitarum.

§ 1. Volentes itaque conservationi bibliothecarum in quibusvis domibus, conventibus Ordinis fratrum Carmelitarum, pro communi eorum usu institutarum et instituendarum, opportune prospicere, motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, universis et singulis personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, ac etiam laicis, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existentibus, auctoritate apostolica, per praesentes interdicimus ac districte prohibemus ne deinceps, perpetuis futuris temporibus, ex bibliothecis praedictis aut earum aliqua libros et monumenta, sive impressa sive manuscripta, ibi existentia, amovere vel subtrahere quoquo modo praesumant. Nos enim quoscumque amoventes et subtrahentes, excommunicationis sententiae ipso facto incurrendae, a qua ab alio

quam a Romano Pontifice, nisi dumtaxat in mortis articulo, absolvi non possint, subiacere volumus atque decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasteriorum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides huius bullae transumptorum.

§ 3. Verum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, ubi expediens foret, deferri, volumus et firmiter dicta auctoritate decernimus quod illarum exemplis, etiam impressis, in dictis bibliothecis et loco conspicuo, ubi commode legi possint, affixis, ac manu notarii publici subscriptis, et sigillo eiusdem Ordinis generalis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIX maii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 29 maii 1593, pontif. an. II.

LXV.

Facultas cardinali Gioiosae, administratori ecclesiae Tolosanae, supprimendi decem capellanias, duas diaconias et duas subdiaconias et octo clericatus cathedralis ecclesiae Mirapicensis, et eorum fructus applicandi aliis beneficiatis dictae ecclesiae [1].

Dilecto filio nostro Francisco, tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio, presbytero cardinali Gioiosae, ecclesiae metropolitanae Tholosanensis perpetuo administratori

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex venerabilis fratris Petri episcopi Mirapicensis relatione accipimus quod in ecclesia Mirapicensi provinciae Tolosanae, quae a felicis recordationis Ioanne Papa XXII, praedecessore nostro, in cathedralem erecta fuit, ultra duodecim canonicos, inter quos tres dignitates et unum officium existunt, quatuor capellani hebdomadarii, et viginti octo alii capellani, duo diaconi, duo subdiaconi, octo clerici in minoribus ordinibus constituti et octo pueri, ad arbitrium Capituli amovibiles, pro servitiis eiusdem ecclesiae ab eodem Ioanne praedecessore instituti fuerunt, qui quidem viginti octo capellani, diaconi, subdiaconi et clerici adeo tenues redditus percipiunt, ut ex his commode sustentari nequeant; unde parochialibus ecclesiis convicinis inservire coacti, ecclesiam ipsam Mirapicensem etiam in solemnioribus festivitatibus deserunt; nec spes aliqua augendi redditus huiusmodi, etiam pacata Gallia, superesse videtur: potior autem ratio subveniendi beneficiatis ipsis et ecclesiae servitio prospiciendi haec esse poterit, ut praedicti viginti octo capellani ad decem et octo tantum reducantur, diaconi, subdiaconi, et octo clerici praedicti penitus supprimantur, onera tamen diaconis et subdiaconis incumbentia per dictos decem et octo capellanos supportentur, octo clericorum munera praedictis octo pueris imponantur, sicque suppressorum capellanorum, diaconorum, subdiaconorum et clericorum redditus aliis remanentibus pro rata accrescant.

Causae suppressionis seu reductionis faciendae.

Episcopi Mirapicensis preces.

§ 2. Propterea idem episcopus Mirapicensis nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio, de qua in rubrica.

§ 3. Nos igitur, commoditati ecclesiarum, praesertim cathedralium, ac personarum illis in divinis deservientium, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes, ac litterarum erectionis seu institutionis canonicatuum et

[1] Ex Regest. in Secret. Brevium.

beneficiorum praedictorum ipsius Ioannis praedecessoris litteris [1] praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae per praesentes committimus et mandamus ut, si per diligentem indagationem super praemissis habendam, fructus et redditus praedictorum beneficiatorum et clericorum ita tenues esse ut ex his minime sustentari valeant, nec spem aliquam eosdem, etiam pacato regno Franciae, augendi adfuturam compereris, idque dictae ecclesiae et divino in ea cultui expedire iudicaveris, tunc ex dictis viginti octo capellanis, decem; dictas duas diaconias et duas subdiaconias, nec non octo clericatus auctoritate apostolica ex tunc, prout ex ea die, quamprimum per cessum, vel decessum, seu quamcumque dimissionem vel amissionem tam capellaniae quam diaconiae et subdiaconiae ac clericatus huiusmodi vacare contigerit, perpetuo supprimas et extinguas, ac eo ipso, quo eorum vacatio quomodocumqne evenerit, suppressas et extinctas esse decernas; itaut primo vacaturae cappellaniae, quousque ad decem et octo redactae sint, diaconiaeque et subdiaconiae ac clericatus huiusmodi suppressae et extinctae sint eo ipso: fructus vero suppressarum capellaniarum, diaconiarum, subdiaconiarum et clericatuum huiusmodi aliis eisdem ecclesiae beneficiatis pro rata, tuo et eiusdem episcopi Mirapicensis iudicio designanda, eo ipso quo suppressionis effectus consequutus fuerit, accrescere declares; onera autem praedictis diaconis et subdiaconis incumbentia, ad decem et octo beneficiatos remanentes transferas, ita ut per illos omnino supportari debeant; sed munera octo clericorum pariter supprimendorum, per octo pueros praedictos, ad nutum Capituli amovibiles, quibus etiam redditus augere poteris, adimplenda ascribas, super quibus omnibus plenam tibi per praesentes facultatem impartimur.

Modus exequendi supradictas officiorum suppressiones.

§ 4. Non obstantibus, si opus sit, Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, ac nostris de unionibus committendis ad partes, exprimendoque vero valore etiam alterius beneficii, cui aliud uniri peteretur, et aliis apostolicis, necnon in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, dictaequae ecclesiae Mirapicensis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ac praedictis Ioannis praedecessores litteris; quibus omnibus ad hunc effectum specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die IV iunii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 iunii 1593, pontif. an. II.

Sequitur mandatum eidem cardinali Gioiosae, ut statuta a Ioanne PP. XXII edita, circa collationem dignitatum et canonicatuum ecclesiae Mirapicensis, curet observari.

Dilecto filio nostro Francisco, tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio, presbytero cardinali de Gioiosa, ecclesiae metropolitanae Tholosanensis perpetuo administratori

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili noster,

salutem et apostolicam benedictionem.

Lex a Ioanne XXII lata pro collationibus dignitatum, canonicatuum, *etc.*,

Venerabilis frater Petrus episcopus Mirapicensis, qui ad Sedem Apostolicam nuper accessit, nobis exposuit quod felicis

1 Legi forte debet: *tenores* (B. T.).

summarie hic a Clemente refertur.

recordationis Ioannes Papa XXII, noster praedecessor, postquam ecclesiam, tunc parochialem, Mirapicensem in cathedralem in illa provincia Tholosana erexerat, et de congruenti dignitatum, canonicorum et beneficiatorum aliorumque ecclesiae ministrorum numero providerat, inter alias, ne super huiusmodi personarum et ministrorum deputatione, electione seu institutione aliqua dubietas oriretur, voluit et apostolica auctoritate ordinavit ut praepositus in eadem ecclesia per Capitulum eligeretur, servata forma concilii generalis, in qua electione episcopus vocem ut canonicus haberet; et nihilominus electio huiusmodi celebrata ipsi episcopo praesentaretur confirmanda vel infirmanda, prout iustitia suaderet; arcidiaconatus vero, sacristia et praecentoria dictae ecclesiae Mirapicensis cum vacarent, per solum episcopum, irrequisito Capitulo et canonicis ipsius ecclesiae; canonicatus autem et praebendae canonicorum per episcopum et Capitulum separatim et alternatim conferri deberent, ita ut solus episcopus primo loco, Capitulum per se secundo, episcopus tertio et Capitulum quarto, et sic deinceps suis locis et vicibus canonicatus et praebendas huiusmodi, cum vacarent, conferrent. Hebdomadariae et capellaniae et alia officia praedictae ecclesiae per illius Capitulum communiter conferrentur, prout in eiusdem Ioannis praedecessoris litteris octavo kalendas martii, pontificatus sui anno secundo, expeditis latius continetur.

§ 2. Sed, his non obstantibus, de anno Domini MDLV, tunc existens Petrus Vincentius de Cavalleriis, assertus administrator dictae ecclesiae Mirapicensis, et Capitulum eiusdem ecclesiae contraria statuta sub Sedis Apostolicae beneplacito condiderunt et iureiurando firmarunt, quorum summa est, ut sex canonicatus et praebendae canonicorum a parte dextera sedis episcopalis in choro sedentium, dum pro tempore vacarent, ad episcopi; et reliqui sex canonicatus et praebendae canonicorum a sinistra eiusdem sedis episcopalis sedentium pro tempore vacantes, ad canonici hebdomadarii per turnum liberam collationem pertinerent; caeterorumque quoque beneficiorum et officiorum ipsius ecclesiae pro tempore vacantium collatio et dispositio pariter ad canonicos hebdomadarios libere spectaret, ac alias, prout in eisdem statutis latius similiter contineri dicitur.

Postmodum Capitulum contraria praedictae legi statuta edidit.

§ 3. Quia vero, sicut eadem expositio subiungebat, huiusmodi nova collationum forma, voluntati praedicti Ioannis praedecessoris contraria, quae ab eo tempore, quo huiusmodi statuta condita fuerunt, licet ea per Sedem Apostolicam minime confirmata extiterint, observata fuit, ut experientia docuit, statum eiusdem ecclesiae deteriorem reddiderit, nedum ex vacationum in aequalitate, verum magis quia solus canonicus, ad quem pro tempore collatio obvenit, eam in conferendo circumspectionem et diligentiam adhibere non solet quam Capitulum coniunctim adhibet; idem Petrus episcopus nobis humiliter supplicavit ut statuta huiusmodi infringere et annullare, litterasque praedicti Ioannis praedecessoris innovare de benignitate apostolica dignaremur.

Episcopus Mirapicen. legem a Ioanne XXII latam restitui petit;

§ 4. Nos igitur, ad ea, quae ecclesiarum cathedralium praesertim prosperum statum et decorem respiciunt, intendentes, litterarum Ioannis praedecessoris ac statutorum huiusmodi tenores praesentibus, ac si ad verbum insererentur, pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae per praesentes committimus et mandamus ut praemissorum diligentem informationem capias, et si ea vera esse com-

Quod cardinali Gioiosae committitur.

pereris, et praefati Capitulum et canonici statuta supradicta beneplacito et confirmatione apostolica vallata fuisse minime docuerint, necnon tu aliud canonicum impedimentum non obstare cognoveris, statuta praedicta, quoad ea omnia quae litteris et voluntati praedicti Ioannis praedecessoris contraria sunt, auctoritate nostra apostolica abroges et annulles, episcopumque et Capitulum praedictos ab eorum observatione perpetuo liberes, eosdemque ad cautelam iurisiurandi ab eis de observandis statutis huiusmodi forsan praestiti vinculum relaxes; litteras vero praedicti Ioannis praedecessoris supradictas et in eis contenta quaecumque eadem auctoritate perpetuo innoves et confirmes, earumque formam in collatione dignitatum, canonicatuum et prebendarum aliorumque beneficiorum et officiorum praedictae ecclesiae posthac perpetuo per episcopum et Capitulum praedictos observari mandes, cures et facias, contradictores quoslibet per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione posposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis apostolicis, ac in provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; ac praedictis aliisque eiusdem ecclesiae, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die IV iunii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 4 iunii 1593, pontif. an. II.

LXVI.

Diversa privilegia, immunitates et indulta hospitali Sancti Spiritus Massiliensis conceduntur.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex pia loca, hospitalia praesertim insignia, in quibus charitatis opera assidue exercentur, specialibus privilegiis et gratiis libenter exornat, dum praesertim pia populorum vota id exposcunt, ac alias salubriter in Domino conspicit expedire.

Administratores huius hospitalis aliqua privilegia eis concedi petunt.

§ 1. Nuper sane dilecti filii Archangeli de Messina fratris Ordinis capuccinorum nuncupatorum S. Francisci relatione accepimus quod in hospitale Sancti Spiritus civitatis Massiliensis, quod valde insigne existit, plurima pietatis et charitatis opera ad infirmorum et aliorum pauperum subventionem assidue consueverunt exerceri, quodque dilecti filii consules et consilium civitatis Massiliensis, qui eiusdem hospitalis curam gerunt, ad eorumdem piorum operum conservationem et augmentum, cupiunt hospitale praedictum specialibus aliquibus privilegiis et gratiis per nos decorari, et ideo nobis, eorumdem consulum et consilii nomine, praedictus frater Archangelus humiliter supplicavit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Clemens illud a cuiuscumque vectigalis solutione eximit.

§ 2. Nos igitur piis eorumdem consulum et consilii votis benigniter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, hospitale praedictum Sancti Spiritus Massiliensis, quamdiu in illo hospitalitas servabitur, ab omnium gabellarum, datiorum, collectarum, impositionum, decimarum, subsidiorum et aliorum quorumcumque onerum realium et

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

personalium, praedialium et mixtorum, etiam apostolica auctoritate pro tempore impositorum, necnon novalium, pecudum et armentorum solutione et praestatione, auctoritate apostolica, tenore praesentium, eximimus et liberamus, liberaque exempta et immunia esse et fore, nec a quoquam ad solutionem seu praestationem huiusmodi faciendam ullo tempore, quavis auctoritate vel occasione aut pretextu, etiam ratione praediorum, sylvarum, camporum, vinearum aut aliorum similium bonorum, necnon pecudum, armentorum ac novalium cogi aut compelli;

Eiusque ministros et officiales a iurisdictione iudicum ordinariorum liberat.

§ 3. Ministros vero, officiales, superiores et alias quascumque personas a nullo iudice sive alio superiore visitari, aut etiam in iudicium etiam ratione aeris alieni aut in vim alicuius contractus quomodolibet directe vel indirecte vocari, excommunicari, suspendi, interdici aut alia quaecumque censura vel poena ecclesiastica innodari, tam per locorum Ordinarios, quam etiam per legatos, vice-legatos et nuncios, nisi cum speciali Romani Pontificis licentia de huiusmodi immunitatem specialem mentionem faciente; aut ad processiones vel synodos, nisi generales, convocari, seu ad iuramenta praestanda vel testimonium in quacumque causa perhibendum pariter cogi minime posse aut debere decernimus et declaramus.

Eos vero, qui fraudem in eius administratione commiserint;

§ 4. Quoscumque ipsius hospitalis commissarios, procuratores et nuncios, qui aliquo modo hospitale praedictum eiusve superiores pro tempore in eleemosynis aliisque subsidiis charitativis ipsi hospitali pro tempore a quocumque et quomodocumque oblatis et collectis fraudem committere quoquo modo praesumpserint; alios item quoscumque, etiam extraneos, qui eleemosynas, dona, subsidia charitativa ipsius hospitalis aut eorum partem aliquam quomodocumque occupare, retinere aut aliquo alio modo hospitale praedictum fraudare pariter praesumpserit eo ipso excommunicationis latae sententiae poena, a qua absolutionis beneficium nisi a Romano Pontifice, facta prius tamen aut in mortis articulo integra et reali restitutione praedicto hospitali, minime valeant obtinere, innodamus.

Vel eleemosynas retinuerint, excommunicationi subiicit, absolutione Rom. Pontifici reservata.

§ 5. In notarios quoque et tabelliones, qui testamentorum seu codicillorum aut aliarum etiam ultimarum voluntatum, in quibus aliquid in favorem et commodum praedicti hospitalis relictum aut dispositum fuerit, nisi id praedicti hospitalis administratoribus pro tempore revelaverint, aut alias sponte, etiam minime requisiti, non significaverint, eamdem excommunicationis sententiam ferimus. Eos quoque, qui dolose aut negligenter eleemosynas et nomina benefactorum et aliorum, qui legata ipsi hospitali reservaverint, innodari eo ipso volumus.

Cui excommunicationi notarios etiam subponit legata non revelantes,

§ 6. Insuper eidem superiori in spiritualibus, quando et quoties opus fuerit, eos omnes, qui aliquo modo celare aut alias indebite occupare, vel occupata detinere bona aliqua praedicti hospitalis eiusve membrorum, casalia, praedia, vineas, campos, sylvas, pascua, incidere arbores, mutare terminos, dolum aut fraudem circa census et redditus, devolutionem bonorum, instrumenta, contractus, testamenta, donationes, obligationes aliasque scripturas, publicas vel privatas, committere; aut calices, patenas, cruces, candelabra, paramenta, libros aut alia ecclesiae mobilia; pecudes, animalia, lanas, caseum, butyrum, frumentum, ordeum, blada, legumina, cubilia, capsas, vestes, vasa aut alia quaecumque mobilia seu immobilia et semoventia bona quoquo modo subripere vel alias detinere ausi fuerint, praevia

Et aliquod damnum hospitali in bonis irrogantes.

publica monitione, nisi infra tempus ab ipso superiore praescribendum, integre restituerint; scientes etiam et non revelantes, et quoscumque, qui in praemissis temere aut dolose auxilium, consilium vel favorem praestiterint, publice excommunicatos declarandi, cuius excommunicationis absolutionem nobis et Sedi Apostolicae specialiter etiam reservamus, facultatem concedimus.

Alienationes bonorum, Apostolica Sede inconsulta, fieri vetat.

§ 7. Ad haec quascumque locationes perpetuas vel ultra triennium faciendas, necnon venditiones et alienationes bonorum quorumcumque stabilium eiusdem hospitalis, eiusque membrorum, sine speciali Sedis Apostolicae licentia, fieri posse prohibemus, et factas pro tempore quomodocumque et qualitercumque nullas, irritas et invalidas nulliusque roboris et momenti fore declaramus.

Clausulae pro perpetua huius constitut. observantia.

§ 8. Decernentes praesentes nostras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari vel alias quoquo modo invalidari, infringi vel retractari minime posse, sed firmas, validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 9. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, tam episcopo Massiliensi quam cuivis alteri in contrarium quomodocumque concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et de verbo ad verbum expressa mentio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, ad effectum praesentium tantum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XVIII iunii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 18 iunii 1593, pontif. an. II.

LXVII.

Committitur episcopo Tullensi ut ecclesias omnes et monasteria omnia, etiam exempta, suae dioecesis, auctoritate apostolica visitet, et observantiam decretorum Sacri Concilii Tridentini inducat [1].

Venerabili fratri Christophoro episcopo Tullensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Pastoris muneri incumbit super commisso sibi grege ita vigilare, ut noxia repellat, utilia quaerat, oves salvas custodire studeat. Nos vero universi Dominici gregis curae, divina disponente clementia, praepositi, fratres nostros in huius nostrae sollicitudinis partes vocatos, ad hoc praecipue commonere tenemur.

§ 1. Proinde, cum nuper ad nos rela-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Abusus quamplurimi in Tullensis dioecesis ecclesias irrepserant.

tum sit, non sine gravi animi nostri perturbatione, in ecclesia tua Tullensi et aliis forsan ecclesiis civitatis et dioecesis Tullensis varios abusus contra sacri Concilii Tridentini decretorum dispositionem in hunc usque diem, non sine divini cultus detrimento et christifidelium scandalo, toleratos fuisse, nec aliquod a te tuisve antecessoribus episcopis Tullensibus in his tollendis remedium adhibitum fuisse aut adhiberi potuisse, ob nimiam, quam sibi, ut accepimus, dilecti filii decanus ac maior et alii archidiaconi, necnon Capitulum et canonici ecclesiae Tullensis assumpserunt auctoritatem et licentiam; ita ut, praeter alia multa, ipsius ecclesiae presbyteri, nullo praecedente, tuo vel episcopi pro tempore, examine nec approbatione, suas ad invicem aliorumque confessiones audiant, absolutionemque impendant, idemque in Sancti Gandulphi Tullensis, aliisque collegiatis ecclesiis ac monasteriis, nec non conventibus regularibus civitatis et dioecesis Tullensis passim fiat; concionatorem verbi Dei in cathedrali ecclesia, ac forsan aliis ecclesiis, te vel eodem episcopo inconsulto, ac de facto deputarint et deputent; tibi solemnem Ordinum collationem ad altare maius celebrare licere negent; conferenti vero Ordines ipsos, ac etiam festis solemnibus in pontificalibus celebranti assistere et ministrare, ac sacros et approbatos ritus et coeremonias in ministerio eiusmodi et praescripto libri pontificalis servare nolint; venientem ad ecclesiam indeque redeuntem non modo non associent, sed nec ad inchoandum officium expectent; feria v in Coena Domini ad Sacras Unctiones conficiendas assistere nolint; in aliisque multis ad munus et tuam iurisdictionem episcopalem pertinentibus te impediant, itaut neque ecclesias visitare, parochos examinare, dioecesanam synodum frequentem et integram habere et celebrare, parochiales ecclesias in civitate et dioecesi instituere, ac alia permulta, quae deberes facere, libere non possis.

Clemens episcopo visitationem totius dioecesis committit ad huiusmodi tollendos abusus et observantiam Concilii Tridentini inducendam.

§ 2. Nos, ea qua decet ratione, abusus huiusmodi tolli, et sacri Concilii Tridentini decreta universa in ecclesia, civitate, et dioecesi praedictis, ut par est, observari et custodiri volentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, plenam, liberam et omnimodam tibi ad hoc, apostolica etiam auctoritate, procedendi facultatem tribuentes, ut cathedralem et collegiatas ac parochiales et alias ecclesias, etiam unitas, necnon monasteria quaecumque, etiam commendata, ac prioratus etiam hospitalis S. Spiritus, quae ordinarium et regularem visitatorem ex dispositione dicti Concilii non habent, aliaque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, civitatis et dioecesis Tullensis, tam in capite quam in membris, iuxta facultates tibi tam ordinario iure quam ex Concilii Tridentini decretis concessas, visites, et ibidem, quae reformatione indigere cognoveris, ad dicti Concilii Tridentini praescriptum reformes, et eiusdem Concilii decreta in omnibus et per omnia servari cures et facias; abusus praefatos ac quascumque contrarias consuetudines et statuta abroges et annulles, et contra inobedientes ac delinquentes et criminosos quoscumque, quavis auctoritate et dignitate fungentes, et quocumque privilegio vel immunitate suffultos, excommunicationis ac privationis etiam dignitatum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum et officiorum, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis eo ipso, absque alia declaratione incurrendis, etiam per viam incarcerationis, et aliis tibi benevisis opportunis iuris et facti remediis, procedas.

§ 3. Non obstantibus cuiusvis litis pendentia inter te et dictum archidiaconum

Derogat contrariis.

maiorem super iurisdictione archidiaconali, etiam in sacro Rotae auditorio nostro; ac tibi exinde factis et faciendis quibusvis inhibitionibus; necnon statutis et consuetudinibus, etiam eisdem decano, archidiacono, Capitulo et canonicis, necnon monasteriis illorumque abbatibus, et conventibus et aliis personis quibuscumque, sub quibusvis tenoribus et formis, ac etiam irritantibus et aliis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores nostros, in contrarium praemissorum quomodocumque concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica ac de verbo ad verbum expressa mentio habenda esset, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die VIII iulii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 8 iulii 1593, pont. an. II.

Sequitur adhortatio ad Capitulum et canonicos Tullenses ut, iuxta Concilii Tridentini decreta, episcopo suo pareant.

Dilectis filiis decano ac maiori et aliis archidiaconis, necnon Capitulo et canonicis ecclesiae Tullensis

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series.

Cum nuper, non sine animi nostri molestia, diversos isthic a vobis abusus, quibus cum fidelis populi scandalo et animarum vestrarum pernicie, divinum obsequium diminuitur, et episcopalis iurisdictio et ordo ecclesiasticus irreverenter perturbatur et confunditur, contra decretorum sacri Tridentini Concilii dispositionem, perperam retineri intellexerimus; ad illos prorsus tollendos, pro nostri pastoralis officii debito, cogitationes nostras direximus. Vestrae siquidem dignitati et pietati convenire existimamus, ut antistiti vestro, cuius capitis membra in Christo estis, unanimiter adhaerentes, in divinis obsequiis praestandis, ac episcopalibus functionibus, iuxta ipsius Concilii decreta, reverenter, ut par est, assistatis eidem in prospero dictae ecclesiae statu dirigendo humiliter intendentes, ac obedientiam et reverentiam debitas exhibentes, eius salubria monita et mandata suscipiatis, humiliterque et efficaciter adimplere curetis. Proinde, cum eidem antistiti iniunxerimus ut decreta Concilii Tridentini praedicta in eadem ecclesia, et civitate, et dioecesi Tullensi in omnibus et per omnia servari curet et faciat, visitet, abususque, consuetudines ac statuta eisdem decretis contraria prorsus abroget et annullet, vobis quoque per praesentes in virtute sanctae obedientiae praecipimus ut iis, quae ab ipso Tridentino Concilio decreta sunt, omnino pareatis, ac salutaribus eius decretis prompte vos accommodetis. Quod vos pro vestra in nos et Apostolicam Sedem reverentia, ac ea qua vestrum pastorem prosequi tenemini observantia, facturos plane confidimus. Alioquin vos scire volumus eidem antistiti, ut contra inobedientes, sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis aliisque iuris remediis procedat, commissum et facultatem concessam a nobis fuisse.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die IX iulii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 9 iulii 1593, pontif. an. II.

LXVIII.

Confirmatis litteris Gregorii XIII, revocatoque quodam brevi Sixti PP. V, regi catholico facultas conceditur causas omnes inter episcopos et Capitula ac milites militiarum de Alcantara et de Calatrava vertentes componendi [1].

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Decet Romanum Pontificem super dominici gregis causas [2] constitutum omni studio curare, ut inter egregias praesertim ecclesiasticas et militares personas, a quarum quiete regnorum etiam tranquillitas oriri consuevit, controversiae et dissensiones omnes e medio quam brevissime tollantur, et quae amicabili compositione posse transigi videntur, nullatenus in contentionis iudiciariae angustias et dissidia, si fieri potest, pertrahantur.

Gregorius XIII causas omnes inter militias de Alcantara et de Calatrava, atque episcopos et Capitula Hispaniarum vertentes ad se avocavit; § 1. Itaque, cum, sicut accepimus, felicis recordationis Gregorius XIII, praedecessor noster, recolend. memor. Clementis VII, Pauli III et Pii IV, etiam praedecessorum, vestigiis inhaerendo (qui similes provisiones quoad priores et fratres ac alias personas militiae Sancti Iacobi de Spatha, Ordinis S. Augustini, antea fecerant) omnes lites ac quaestiones et differentias in Romana Curia et extra eam, coram diversis iudicibus ordinariis et delegatis, in quavis instantia pendentes, et quae etiam moveri possent in futurum inter Toletanum, Hispalensem, Granatensem, Compostellanum, Valentinum ac Burgensem archiepiscopos, necnon Cordubensem, Conchensem, Cauriensem, Abulensem, Pacensem, Gadicensem, Oxomensem, Carthaginensem, Giennensem, Malacitanum, Civitatensem, Salamantinum, Zamorensem, Seguntinum et Pampilonensem episcopos, eorumque Capitula, necnon praelatos ac quascumque alias personas ecclesiasticas, tam seculares quam regulares, in Hispaniarum regnis consistentes, ex una, ac priores, praeceptores, milites et alios fratres militiarum de Calatrava et Alcantara, Cisterciensis Ordinis, eorumque conventus et loca, partibus ex altera, tam super decimarum personalium, praedialium ac mixtarum, necnon novalium, pecudum et armentorum solutione, quam etiam super iurisdictione seu praesentandi personas idoneas dictae militiae ad vicarias, praeceptorias et alia beneficia ecclesiastica eiusdem militiae, illaque administrandi, regendi, gubernandi rebusque aliis in actis causarum huiusmodi latius deductis ad se avocaverit, illasque earumque decisionem et determinationem ad suum et Sedis Apostolicae beneplacitum (ita tamen quod interim partes ipsae in possessione, in qua existebant, manuteneri et defendi deberent, nihilque innovari posset) suspenderit, easque universas et singulas charissimo in Christo filio Philippo Hispaniarum regi catholico per ipsum concordandas et componendas commiserit, ita quod, dicto beneplacito durante, idem rex catholicus in illis pro concordia et amicabili compositione se interponere, agere et procedere libere et licite valeret, plenariam et liberam licentiam, facultatem et auctoritatem concesserit, decernendo partes ipsas ad observandum ea omnia, quae in praemissis per eumdem regem concordata, amicabiliter composita et terminata fuissent, omnino teneri et efficaciter obligatas existere, nec ab illis ullo unquam tempore resilire posse, prout in ipsius Gregorii litteris in forma brevis, sub datum die XX octobris MDLXXXIV expeditis, plenius continetur.

Ac Philippo regi componendas commisit.

§ 2. Et nihilominus episcopus et Capi-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Legimus *caulas* (R.T.).

Sixtus vero V ab hac lege eximit causas vertentes inter episcopum Cauriensem et dictas militias.

tulum Cauriense a piae memoriae Sixto V, etiam praedecessore nostro, per alias in eadem forma brevis litteras, sub datum XXX octobris MDLXXXVI expeditas, obtinuerunt avocationem, suspensionem omniaque in dictis litteris Gregorii contenta, cum omnibus inde sequtis, in quibus tamen liber partium consensus non intervenerat, quoad causas et lites Caurienses inter episcopum et Capitulum et eorum quemlibet ex una, et milites de Alcanthara, archipraesbyteros omnesque alios, coram quibuscumque auditoribus, ex altera partibus quomodolibet pendentes, relaxari, revocari et annullari; ac episcopum, et Capitulum praedictum et eorum singulas dictae Cauriensis dioecesis ecclesias in eum, in quo ante dictas litteras Gregorii erant statum, plenarie reintegrari, ita quod de caetero episcopus et Capitulum et quilibet eorum, ut prius, iura sua et ecclesiae iustitia mediante, contra dictas militias et earum personas ac quamlibet illarum prosequi, in iudicio et extra, libere et licite valerent in omnibus et per omnia, perinde ac si dictae litterae Gregorii, quoad ipsos, numquam emanassent; sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam dictae Rotae auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane decernens quidquid secus super his contigeret attentari, et alias, prout latius in praedictis litteris continetur.

Quod tamen cum perturbationum causa esse possit.

§ 3. Cum autem, sicut pro parte dicti regis catholici nobis expositum fuit, valde quieti, paci et tranquillitati dictarum militiarum et ecclesiarum ac totius etiam regni conveniat, ut controversiae, lites, quaestiones et differentiae huiusmodi inter dictum episcopum et Capitulum ac ecclesias dictae civitatis et dioecesis Cauriensis, et priores, praeceptores et milites dictarum militiarum, absque strepitu et figura iudicii, extraiudicialiter et amicabiliter potius quam cum maximis dispendiis, protelationibus et omnium incommodis cognoscantur, valdeque expediat ne praedicti milites, qui dicti regni personae egregiae ac principales existunt, et quos pro regis servitio expeditos esse convenit, immemorabilibus litibus et dissentionibus cum omnibus fere ecclesiasticis personis et praelatis dicti regni implicentur, quos etiam pro pacis conservatione et regni quiete a fori tumultu remotos esse par est, neque praeterea ferendum videatur, ut episcopus et Capitulum praedictum praebeant suo exemplo aliis omnibus archiepiscopis, episcopis et praelatis ac personis ecclesiasticis, in dictis litteris compraehensis, occasionem similes revocationes dictarum litterarum Gregorii impetrandi, in maximum scandalum populorum et militiarum detrimentum, cum praesertim facilius et brevius huiusmodi omnes controversiae, cum partium ipsarum commoditate a rege ipso, qui omnibus aequa lance iustitiam ministrare paratus est, seu ab eius deputatis, qui iam de huiusmodi praetensionibus pleniorem habent seu facile habere possunt cognitionem et informationem, concordari et sopiri possint.

Clemens renovat Gregorii XIII litteras, et Sixti decretum irritat.

§ 4. Nos, supplicationibus dicti catholici regis inclinati, litteras Gregorii praedictas, cum omnibus in eis contentis ac inde sequutis, adversus dictas Sixti litteras, quarum tenores hic pro sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis haberi volumus, confirmantes ac reintegrantes in omnibus et per omnia, perinde ac si per dictas Sixti litteras numquam relaxatae et annullatae fuissent, neque dictae Sixti litterae emanassent; ac insuper lites et causas Caurienses in Rota quomodolibet pendentes inter episcopum

et Capitulum et eorum quemlibet ex una, et milites de Alcantara, archipraesbyteros omnesque alios[1], coram quibuscumque iudicibus, etiam in Rota pendentes, harum serie ad nos avocantes, eidem regi catholico, ut dictas litteras Sixti et aliis iudiciariis actibus, in causis huiusmodi, minime obstantibus, causas et controversias huiusmodi per se vel alium seu alios ab eo deputatos, pro sua prudentia et circumspectione, concordare, componere ac amicabiliter terminare et finire possit et debeat, intra biennium tamen a data praesentium computandum, per praesentes plenam et liberam facultatem et auctoritatem ac iurisdictionem concedimus et impertimur.

Sed si lites intra biennium non componantur, Sixti V litteras servari iubet.

§ 5. Quod si intra biennium, ut praefertur, causae et controversiae praedictae concordatae non fuerint, dictae Sixti V litterae primas vires assumant et in robore suo remaneant.

Quidquid vero inter partes fuerit concordatum ratum habet;

§ 6. Decernentes quidquid per regem ipsum seu ab eo deputandos in praemissis inter omnes supradictas partes et personas amicabiliter concordatum, terminatum, stabilitum et pro sua prudentia compositum et ordinatum fuerit, validum ac efficax existere, ab ipsisque partibus efficaciter observari ac retineri debere, neque ab illis ullo unquam tempore sub quovis praetextu et causa resiliri posse, partibusque ipsis perpetuum silentium imponi debere, prout, tenore praesentium, imponimus. Si quas vero ex praedictis causis, post litteras Gregorii ac etiam Sixti praedictas, idem rex catholicus concordaverit et composuerit, ut supra, eam vim volumus eas concordias obtinere, quam obtinerent, si post datam praesentium per ipsum concordatae et compositae fuissent.

§ 7. Sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum dicti palatii auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in praemissis omnibus et singulis iudicari debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Et ita in quolibet tribunali iudicandum statuit.

Contraria tollit.

§ 8. Non obstantibus praemissis et constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon dictarum militiarum et ecclesiarum statutis et constitutionibus, confirmatione apostolica aut quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis et innovatis, ac omnibus illis, quae praedecessores praedicti voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die IX iulii MDXCIII, pontificatus nostro anno II.

Dat. die 9 iulii 1593, pontif. an. II.

1 Deest forte *ex altera partibus* (R.T.).

LXIX.

Oppidum Celsonae ab Urgellensi dioecesi seiungitur, et in civitatem erigitur, illiusque parochialis ecclesia cathedralis efficitur [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Super universas orbis ecclesias, Eo disponente, Qui cunctis imperat, et Cui omnia obediunt, quamquam sine nostris meritis, constituti, levamus in circuitu agri dominici oculos nostrae mentis more pervigilis pastoris inspecturi quid provinciarum et locorum quorumlibet statui congruat, ac desuper (hoc praesertim tempore, quo humani generis hostis omni conatu ad ipsarum animarum perniciem

1 Ex Regest. in Cancell. Apost.

et fidei catholicae eversionem incumbit) disponi debeat: unde, divino fulti praesidio, dignum, quin potius debitum, arbitramur in irriguo militantis Ecclesiae agro novas episcopales sedes et ecclesias plantare, praecipue dum catholicorum regum vota id esposcunt, ut per huiusmodi novas plantationes popularis augeatur devotio, divinus cultus floreat, et animarum salus subsequatur, loca insignia praesertim, quorum incolae benedicente Domino, multiplicati noscuntur, dignioribus titulis et condignis favoribus illustrentur, ipsique incolae, honoratorum praesulum assistentia, regimine et doctrina suffulti, in via Domini magis magisque perficiant.

Causae huiusmodi erectionis faciendae.

§ 1. Sane cum charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, qui pro sua singulari pietate maximoque catholicae fidei zelo nihil magis in suis regnis et dominiis quam ipsius fidei exaltationem et divini cultus augumentum exoptare videtur, ac ut pium et catholicum regem decet, non minus de salute animarum populorum sibi subiectorum, quam de praefatorum regnorum et dominiorum conservatione est sollicitus, idque facile consequi posse cogitans ex novarum ecclesiarum cathedralium erectione, praesertim ubi dioeceses ob nimiam earum latitudinem, nedum quotannis, sed ne toto quidem biennio a propriis episcopis visitari possunt, prout in dioecesi Urgellensi, quae est in principatu Cathaloniae, evenire iamdiu re ipsa compertum est, nobis significari fecisset, quod dioecesis Urgellensis, quae habet ad eius fines plura loca regni Galliae haeresi infecta, ob illius amplitudinem, locorumque et parochialium ecclesiarum frequentiam et periculum animabus imminens, propter haereticorum vicinitatem, non potest a proprio episcopo commode visitari, ipseque solus episcopus omnibus suorum dioecesanorum necessitatibus, prout convenit, supplere non valet, ex quo maximum eorum animae detrimentum patiuntur; si oppidum de Celsona (quod intra fines ipsius dioecesis Urgellensis, sub saluberrimo aere situm et altis muris cinctum existit, et a civitate Urgellensi milliaribus circa quinquaginta distat, ac domos circiter sexcentas, et praeter eius admodum insignem et elegantis structurae parochialem ecclesiam sub invocatione Beatae Mariae Virginis, cum commodo et amplo palatio illi contiguo, ac domum Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum nuncupatorum, et hospitale, confraternitatesque laicorum, necnon incolas nobiles terrarum duos equites, legum et artium ac medicinae doctores, cives, mercatores et artifices omnis generis, ac territorium admodum amplum, fertile et amoenum, omnibus ad illius incolarum vitae sustentationem necessariis fatis refertum) in civitatem, illiusque ecclesia praefata, cuius sacrarium paramentis et aliis ad cultum divinum necessariis decenter ornatum existit, in cathedralem ecclesiam erigerentur et instituerentur, inde profecto cleri et populi salus, cum ecclesiae et oppidi praefatorum decore, longe magis proveniret.

Divisio et erectio, de qua in rubrica.

§ 2. Nos, qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, praemissis ac aliis rationalibus causis, in congregatione cardinalium super rebus consistorialibus deputatorum, cui negocium huiusmodi examinandum commisimus, mature discussis, adducti, ac etiam ipsius Philippi regis precibus inclinati, habita super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus ma-

tura deliberatione, de illorum consilio et assensu, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ab ecclesia Urgellensi eiusque mensa episcopali dictum oppidum, cum suis villis, terris et terminis, totoque territorio, necnon ecclesiis, hospitalibus, confraternitatibus et piis locis caeterisque omnibus beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, ac etiam clero et populo universo, iuribus quoque et actionibus episcopo Urgellensis pro tempore existenti competentibus, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo dividimus et separamus, ac ab omni ipsius ecclesiae Urgellensi iurisdictione, potestate et subiectione etiam perpetuo eximimus et liberamus.

Ecclesia Celsonensis suffraganea archiepiscopo Tarraconensi cum iure ordinario, privilegiis, *etc.*, erigitur.

§ 3. Insuper oppidum in civitatem Celsonensem nuncupandum, et ecclesiam Beatae Mariae Virginis huiusmodi, in cathedralem ecclesiam sub invocatione eiusdem Gloriosissimae Virginis Mariae archiepiscopi Tarraconensis suffraganeam futuram; ac in ea dignitatem, sedem et mensam episcopalem, cum omnibus privilegiis, honoribus, iuribus et insignibus debitis et consuetis, pro uno episcopo Celsonensi nuncupando, qui eidem ecclesiae praesit, illamque ad ecclesiae cathedralis formam redigat, ac iurisdictionem episcopalem, necnon praefatorum sic divisorum beneficiorum omnium dispositionem ordinario iure, aliaque omnia, quae ad munus episcopale pertinent, habeat et exerceat, praefatoque archiepiscopo iure metropolitico subsit.

Efformatio Capituli cum quatuor dignitatibus.

§ 4. Ac in eadem ecclesia Celsonensi unum decanatum post pontificalem maiorem, et unum archidiaconatum et unam cantoriam et unam thesaurariam, inferiores dignitates, necnon duodecim canonicatus et duodecim praebendas pro uno decano, uno archidiacono ac uno cantore et uno thesaurario ac duodecim canonicis, qui insimul Capitulum faciant, etiam cum mensa capitulari, arca, sigillo et aliis capitularibus insigniis, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo erigimus et instituimus.

Dioecesis termini per commissarios constituendi.

§ 5. Ac ipsi ecclesiae sic in cathedralem erectae civitatem Celsonensem eiusque incolas et habitatores pro civitate, et civibus; necnon villas, terras et terminos, totumque territorium ipsum Celsonensem, ac praeterea plura alia oppida, terras, castra, loca et territoria ab eadem Urgellensi dioecesi, et nonnulla alia loca a dioecesi Vicentina, ipsi dioecesi Celsonensi commodiora, per commissarios ad id per nos deputandos dismembranda et assignanda, pro eius dioecesi; ac etiam clerum et populum, civitatis et dioecesis Celsonensis pro clero et populo.

Episcopi domus et mensa.

§ 6. Praeterea mensae episcopali praefatae palatium dictae ecclesiae, sic in cathedralem erectae, contiguum pro palatio episcopali ad usum et habitationem episcopi, auctoritate et tenore praefatis, pariter perpetuo concedimus et assignamus. Insuper mensae episcopali praefatae, pro eius dote, abbatiam eiusdem ecclesiae de Celsona, quae de iurepatronatus ipsius Philippi regis existit, quae quidem ecclesia nuper a statu regulari Ordinis S. Augustini canonicorum regularium ad saecularitatem redacta fuit, cuius abbatiae fructus ad trecentos florenos in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur; ac prioratum S. Laurentii de Muronis, Ordinis S. Benedicti, Urgellensis dioecesis, oppido Celsonensi, in civitatem, ut praefertur, erecto, ad quatuor circiter milliaria vicinum, et a monasterio ad Tavernoles, etiam Urgellensis dioecesis, quod de simili iurepatronatus ipsius Philippi regis existit, dependentem, cuius ducentorum triginta; et quatuor dignitatibus, pro earum dote, abbatiam San-

ctae Mariae de Villabeltrandi, Gerundensis dioecesis, praefati Ordinis S. Augustini canonicorum regularium, etiam nuper ad saecularitatem redactam, de simili iurepatronatus existentem, ac cuius fructus in eisdem libris ad florenos similes sexcentos taxati reperiuntur, quorum tertia pars decanatus, et reliquae duae tertiae partes aliis tribus dignitatibus aequis portionibus dividendos, auctoritate et tenore similibus etiam perpetuo assignamus et applicamus.

Mensa Capituli.

§ 7. Mensae vero capitulari, pro duodecim canonicatuum dote, omnia officia claustralia et portiones canonicales alias in dicta abbatia Celsonensi existentia, et nuper suppressa, quorum mille octuaginta; ac prioratum Sanctae Mariae de Roccarosa, Ordinis praefati canonicorum regularium Gerundensis dioecesis, cuius ducentorum octuaginta duorum; ac prioratum S. Petri de Clara, eiusdem Ordinis canonicorum regularium, Barchinonensis dioecesis, cuius sexaginta; ac prioratum S. Mariae de Gualterio, Ordinis S. Benedicti, Urgellensis dioecesis, cuius ducentorum triginta; ac prioratum sanctorum Celidonis et Ementoris de Celeriis, Ordinis S. Benedicti, etiam Urgellensis dioecesis, cuius viginti sex. Fabricae autem et sacristiae ipsius ecclesiae Celsonensis, pro earum dote et onerum supportatione, prioratum S. Mariae de Serrabona Ordinis canonicorum regularium Elnensis dioecesis, cuius centum viginti; ac prioratum de Castro Novo, dicti Ordinis canonicorum regularium, Elnensis dioecesis, cuius triginta ducatorum auri de Camera fructus, redditus et proventus secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, cum primum illa vel eorum aliquod per cessum vel decessum, aut aliam quamlibet amissionem vel dimissionem illa obtinentium, aut alias quomodolibet et ex quorumcumque personis vacare contigerit, cum illorum annexis ac iuribus et pertinentiis quibuscumque respective, iisdem auctoritate et tenore, pariter perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, eorumque omnium et singulorum fructus, redditus et proventus episcopali et capitulari mensis ac dignitatibus et canonicatibus, necnon fabricae et sacristiae praefatis, et cuilibet eorum respective, etiam perpetuo applicamus et appropriamus, ita quod liceat episcopo et dignitates obtinentibus, ac canonicis praefatis pro tempore existentibus, per se vel alium seu alios, fructus, redditus et proventus praefatorum propria auctoritate libere percipere, exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere.

Regis catholici ius presentandi ad episcopatum et dignitates.

§ 8. Et insuper eidem Philippo regi eiusque successoribus pro tempore existentibus Hispaniarum regibus iuspatronatus et praesentandi personas tam ad dictam ecclesiam cathedralem Celsonensem, quam ad praefatas quatuor dignitates, quoties illas et earum singulas perpetuis futuris temporibus, simul vel successive, quibusvis modis, etiam apud Sedem Apostolicam, aut ex quorumcumque personis vacare contigerit, etiamsi ex tali vacatione aliqua reservatio etiam apud Sedem eamdem resultaret, etiam hac prima vice nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici, itaut eodem iure ad eas et earum quamlibet praesentare possint, quo hactenus, ad monasteria S. Mariae de Celsona, et S. Mariae Villebeltrandi dictus Philippus rex et eius antecessores praesentare potuerunt, de simili consilio, auctoritate et tenore paribus similiter perpetuo reservamus, concedimus et assignamus; decernentes iuspatronatus huiusmodi Philippo et pro tempore existentibus regibus praefatis intactum et illaesum remanere, nec ei ullo umquam tempore, quacumque ratione, derogari

posse; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus voluntate nostra praefata, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis et quibusvis aliis constitutionibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis contra praemissa quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, *etc.*, generari; et quibusvis aliis, *etc.*, mentio specialis, *etc.*

Sanctio poenalis.

Nulli ergo, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae MDXCIII, XIV kalendas augusti, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 19 iulii 1593, pontif. an. II.

LXX.

Confirmatio privilegiorum collegii lectorum Universitatis Studii Generalis Perusini.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Confirmationis nostrae manum in his, quae per Romanos Pontifices praedecessores nostros bonarum artium professoribus, ut ad munera sua obeunda promptius excitentur, concessa fuerunt, libenter apponimus, ac ea quae a nobis ex causis tunc apparentibus emanarunt, ne aliquod desuper impedimentum praestent, ad pristinum statum reducimus, ac alias disponimus, prout a nobis subditorum vota exposcunt, et nos conspicimus in Domino salubriter expedire.

Prooemium.

Nonnulli Pontifices huic collegio privilegia concessere hic enunciata.

§ 1. Sane dilecti filii prior et collegii utriusque iuris doctores ac lectores Universitatis Studii Generalis civitatis nostrae Perusinae nobis nuper exponi fecerunt quod, cum alias felicis recordationis Leo X, Paulus III, Pius IV et Sixtus V, Romani Pontifices praedecessores nostri, eidem collegio ac lectoribus quamplura privilegia, facultates, concessiones, gratias et indulta, tam super facultate cognoscendi per ipsius collegii praesidentes causas appellationum a sententiis vice-legatorum, gubernatorum et aliorum quorumcumque eiusdem civitatis iudicum, summam centum ducatorum non excedentium, ac legitimandi spurios et bastardos, necnon creandi notarios seu tabelliones, ac assignatione stipendii sive salarii, ac illius aumenti lectoribus in dicta Universitate publice legentibus, illiusque solutione ac distributione inter lectores portionis per obitum cuiusque lectoris vacantis, concesserint, ac alias, prout in singulis dictorum praedecessorum litteris desuper confectis, plenius continetur.

Lectores ea sibi confirmari petunt.

§ 2. Cupiebant prior et doctores ac lectores praefati praemissa omnia ac singulas litteras praefatas per nos approbari et confirmari, ac alias desuper disponi. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt quatenus eorum desiderio huiusmodi annuere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 3. Nos, negocium huiusmodi dilectis filiis nostris Dominico Sancti Grisogoni Pinello, et Benedicto S. Marcelli Iustiniano, ac Hieronymo S. Pancratii Mattheio nuncupatis, titulorum presbyteris cardinalibus, nobis referendum demandavimus. Habita igitur super praemissis ab eisdem cardinalibus informatione sufficienti, singularum litterarum praefatarum tenores etiam veriores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; in primis omnia et singula statuta, privilegia, constitutiones et ordinationes collegii U. I. doctores praedicti, quorum omnium tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis haberi volumus, dummodo illa sint in usu et sacris canonibus non repugnent, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, ac alios quoscumque, si qui intervenerint in iisdem, supplemus, eaque perpetuo observari debere decernimus.

Clemens petita confirmat,

§ 4. Concessionem quoque Leonis praedecessoris praedicti super facultate cognoscendi causas appellationum praedictas, ac litteras desuper expeditas, quatenus sint in usu, confirmamus et approbamus, inhibentes legatis, vice-legatis et gubernatoribus praefatis, in virtute sanctae obedientiae, ne imposterum ipsi vel eorum aliquis causas huiusmodi, postquam coram dictis praesidentibus introductae fuerint, avocare, et aliis iudicibus committere, aut quoquo modo iurisdictionem ipsam impedire valeant seu praesumant; decernentes omnia et singula contra praemissa acta, processus et sententias nullius roboris vel momenti fore, minimeque exequi posse aut debere. Facultatem praeterea seu privilegium legitimandi spurios et bastardos, nec non creandi notarios seu tabelliones, ut supra per piae memoriae Paulum praedecessorem praedictum eidem collegio concessum, et litteras desuper confectas, auctoritate et tenore praemissis, iuxta formam litterarum eiusdem Pauli praedecessoris, dummodo sint in usu, approbamus et confirmamus.

Ratamque habet concessionem Leonis X causas appellationum cognoscendi,

Et alia privilegia.

§ 5. Et insuper, cum nos alias, seu nuper ad instantiam dilectorum filiorum sapientum dictae Universitatis per alias nostras litteras voluerimus quod salaria illorum, qui exemptionem ab onere legendi habent, obitu ipsorum seu cuiuslibet eorum adveniente, in fabricam per praefatum Dominicum cardinalem (tunc Sedis Apostolicae in dicta civitate de latere legatum) olim designatam, converterentur, ac etiam duo magistri grammatices, cum salario centum scutorum cuilibet ipsorum annuatim integre persolvendo ex augumento per dictum Sixtum praedecessorem eisdem lectoribus assignato, conducerentur, ac alias prout in dictis nostris litteris plenius continetur. Cumque dictum augumentum, quod erat circiter scutorum mille quingentorum, hodie, ut accepimus, magnam patiatur diminutionem, ex eo quod a contributione illius collegia et confraternitates civitatis praedictae omnimodam liberationem, monasteria vero pro dimidia parte ex quantitate ipsis imposita per dictum Sixtum praedecessorem, a nobis gratiam meruerunt, et ex aliis causis; nos, indemnitati Universitatis lectorum huiusmodi consulere volentes, auctoritate et tenore praedictis, volumus ac eisdem Universitati et lectoribus perpetuo concedimus quod salaria quaecumque doctorum seu lectorum exemptionem habentium vel aliorum quorumcumque pro tempore decedentium, non in dictam fabricam converti, sed, prout antequam dictae nostrae

De salarii augumento.

litterae emanarent, ac iuxta formam litterarum Pii praedecessoris huiusmodi convertebantur seu distribuebantur, et uti hactenus fieri consuevit, erogari omnino debeant. Quodque magistri grammatices praefati in quantitate praedicta ipsis assignata, in eo, quod dictae quantitatis augumento defuerit, patiantur et sentiant proportionabiliter eamdem diminutionem et eodem modo et forma, sicut patiuntur et sentiunt, et hactenus quacumque causa et occasione passi fuerunt et imposterum patientur alii eiusdem Universitatis lectores, et quoad hoc inter lectores Universitatis praedictae intelligantur et sint compraehensi, sicque et non aliter intelligantur, et locum habeant dictae nostrae litterae, et dismembratio seu applicatio per dictum Dominicum cardinalem, alias dictae civitatis legatum, ad favorem ipsorum magistrorum facta. Quodque universa portio dimidia, quae hodie a monasteriis et regularibus iam dictis remanet solvenda, in moneta argentea, nulla quatrenorum parte admixta, omnino persolvatur, prout etiam in simili moneta de paulis argenteis, et non aliter debitis temporibus persolvi volumus in manibus depositarii ab eisdem lectoribus deputandi, integrum salarium iisdem solvi solitum per nostrum et Sedis Apostolicae in dicta civitate thesaurarium, quodque per eumdem thesaurarium nunc et pro tempore existentem ex quibuscumque redditibus et proventibus Camerae nostrae Apostolicae, et non per illius seu eiusdem Camerae debitores, iuxta dictas litteras Pii praedecessoris solvatur. Et quia libra piscium minutorum, super quibus certa eiusdem aumenti rata, iuxta ipsius Sixti praedecessoris litteras, assignata fuit, tunc temporis pro quinque quatrenis vendebatur, licet post mutationem valoris monetae sex quatrenis vendatur, et conductores lacus Perusini ex eodem quatreno, ut praefertur, aucto tres tantum ex quatuor partibus vere habere debent, ad hoc ut habeant tres integros quatrenos eis vere, secundum antiquam monetam, debitos, nos reliquam quartam partem quatreni praedicti ad favorem et commodum Universitatis lectorum praedictorum cedere omnino volumus, prout illam ex nunc eisdem Universitati et lectoribus, auctoritate et tenore praedictis, similiter perpetuo applicamus et appropriamus, et quacumque exceptione seu excusatione cessantibus et omnino postpositis, realiter et cum effectu persolvi volumus et mandamus. Postremo, quoniam nobis maxime cordi est gymnasium Perusinum, mandamus legatis, vice-legatis et gubernatoribus civitatis praedictae pro tempore existentibus, ut causam Universitatis Studii ac lectorum praefatorum praecipue habeant commendatam, curentque quam diligentissime ut lectores praedicti debitis temporibus nullam in exactione suorum salariorum dilationem patiantur, et contra quoscumque solvere debentes ad effectualem solutionem ac satisfactionem ex puro et mero eorum officio, nullis feriis, aut alia exceptione et appellatione remota, procedant.

Sensus litterarum apostolicarum explicatur.

Cessio pretii piscium lacus Trasimeni favore lectorum.

§ 6. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae aut alio quocumque defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vel praetendentes ad hoc vocati non fuerint, vel praemissis non consenserint, aut alias notari, impugnari, invalidari aut ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari non posse; sicque et non aliter per ipsius civitatis legatum, vice-legatum, gubernatorem et alios quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, etiam S. R. E. cardinales et causarum palatii apostolici auditores, sublata eis

Clausulae pro perpetua harum litterarum firmitate et observantia.

et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; districtius inhibentes dictae civitatis etiam de latere legato, vice-legato, gubernatori et aliis quibuscumque iudicibus, nunc et pro tempore existentibus, ne collegium et lectores praefatos super praemissis omnibus et singulis vel eorum aliquo, quovis praetextu seu quaesito colore, molestare, perturbare vel inquietare audeant seu praesumant.

Exequutores designati.

§ 7. Et nihilominus venerabili fratri nostro episcopo Perusino, ac dilectis filiis curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, ac dictae civitatis gubernatori nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicent, ac publicari et ea omnia et singula perpetuo observari faciant atque procurent, nec non thesaurarium dictae civitatis et alios obligatos, seu quomodolibet solvere debentes, ad solutiones praefatas faciendas cogant et compellant, non permittentes collegium et lectores huiusmodi ac illorum singulares personas desuper a quoquam quomodolibet molestari, perturbari aut inquietari. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per sententias et censuras ecclesiasticas ac etiam pecuniarias poenas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus praedictis nostris litteris, ac eiusdem Pii praedecessoris de gratiis interesse Camerae quomodolibet concernentibus, in eadem Camera, infra certum inibi expressum tempus, praesentandis et registrandis, nec non piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur; et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac dictae civitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; ac omnibus illis, quae dicti praedecessores in singulis eorum litteris praefatis voluerunt non obstare. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XX iulii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 iulii 1593, pontif. an. II.

LXXI.

Confirmatio concordiae initae inter Alexandrum cardinalem Farnesium, et ecclesiasticos Avenionenses et comitatus Venaissini super exemptione cleri a lege spoliorum, et ratificatio litterarum Iulii III et Pii V [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Regimini universalis Ecclesiae, meritis licet imparibus, disponente Domino, prae-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

sidentes, inter fideles quoslibet, praesertim ecclesiasticos Dei ministros, aliasque personas ecclesiasticas, ad invicem pro tempore dissidentes, pacem conciliare, concordiamque vigere et augeri, sinceris desiderantes affectibus, illa quae propterea processisse dicuntur, ne in recidivae contentionis scrupulum relabantur, sed firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus, ipsosque Dei ministros ab indebitis molestiis, dum id aequitas suadere videtur, sublevamus.

Orta controversia inter ecclesiasticos Avenionensis et comitatus Venaissini ac legatos Sedis Ap. super spoliis;

§ 1. Sane nobis nuper pro parte dilectorum filiorum cleri singulariumque personarum ecclesiasticarum in nostris civitate Avenionensi et comitatu Venaissino degentium expositum fuit quod alias, cum his, et causa ac controversia primo inter bonae memoriae Franciscum de Claromonte, S. R. E. cardinalem, tunc in civitate et comitatu praedictis Apostolicae Sedis legatum de latere, et deinde, eo vita functo, inter similis memoriae Alexandrum cardinalem de Farnesio nuncupatum, praedicti Francisci cardinalis in eadem legatione successorem, ex una, et praedictos clerum et personas ecclesiasticas partibus ex altera, super exactione spoliorum, personarum ecclesiasticarum, saecularium et regularium huiusmodi tempore illorum obitus remanentium, quae legati ad se ratione legationis suae spectare et pertinere; clerus vero et personae ecclesiasticae praedictae se de illis tam inter vivos quam in ultima voluntate libere disponere, neque ipsum pro tempore existentem legatum in illis se quomodolibet intromittere posse vel debere, seque in huiusmodi practica et longissime continuata possessione, seu quasi esse asserebant, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, et illarum occasione in Romana Curia coram certo causarum palatii apostolici auditore seu locumtenente orta fuisset, ac diversi processus super his pro ipsius negotii et causae introductione per certos commissarios ad id specialiter per Sedem Apostolicam deputatos in eisdem partibus facti, et ad eamdem curiam transmissi, et in huiusmodi causa ad nonnullos actus, citra tamen illius conclusionem, deventum fuisset; tandem Alexander cardinalis et legatus ac clerus praedicti, ulteriores litium anfractus, labores et dispendia vitare volentes, ad certam concordiam seu transactionem, sub tamen eiusdem Sedis beneplacito, devenerunt, per quam inter alia dictus Alexander cardinalis liti et causae praedictis, tam in dicta curia quam forsan extra eam et alias quomodolibet pendentibus, in quocumque statu et instantia reperirentur, nec non iuri et facultati exigendi dicta spolia, tam vigore privilegiorum sibi in vim suae legationis concessorum, quam assertae diuturnae possessionis seu quasi, nec non quarumcumque litterarum apostolicarum a quibuscumque Romanis Pontificibus, etiam a felicis recordationis Paulo Papa III et Iulio etiam III praedecessoribus nostris, in eiusdem Alexandri cardinalis et legati favorem, et adversus ipsos clerum et personas ecclesiasticas spolia praedicta non solventes seu occultantes emanatarum, et alias quomodocumque competentibus et in futurum competituris: ita quod nullo umquam tempore sibi aut suis in eadem legatione successoribus ius in huiusmodi spoliis ac eorum collectione et recuperatione competeret, nec clerus et personae praedictae seu eorum haeredes et successores, ulla ratione, ad illorum exhibitionem et praestationem cogi et compelli possent, in favorem eorumdem cleri et personarum ecclesiasticarum cessit; clerus vero et aliae personae praedictae summam mille scutorum eidem Alexandro cardinali solvere et dare promiserunt, et

Cardin. Farnesius causae renuncians totale ius clero cessit.

Clerus autem promisit ei solvere mille scuta

alias, prout in praemissis, transegerunt, convenerunt et concordarunt. Ac demum dictus Iulius praedecessor, ad ipsorum Alexandri cardinalis et cleri preces, concordiam, transactionem seu conventionem praedictas, nec non, prout illas concernebant, omnia et singula alia in instrumentis seu aliis scripturis desuper confectis contenta et alia inde sequuta quaecumque, licita et honesta, ac sacris canonibus minime contraria, auctoritate apostolica, ex certa scientia sua, confirmavit et approbavit, ac illis perpetuae firmitatis robur adiecit, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem, supplevit; nec non partes praedictas ab eis quovis praetextu seu quacumque occasione vel causa resilire non posse, sed ad illorum totalem observationem teneri, et ad id sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac aliis pecuniariis, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, cogi et compelli, nec de caetero clerum et personas huiusmodi ullatenus per ipsum Alexandrum cardinalem et legatum suosve in dicta legatione successores aut eumdem Iulium praedecessorem vel quoscumque alios Romanos Pontifices successores suos pro tempore existentes, vel ad dictam Sedem ullo umquam tempore super exactione dictorum spoliorum, quovis quaesito colore, molestari aut perturbari posse; sicque per quoscumque iudices commissarios, etiam S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigeret, irritum et inane decrevit, prout in instrumento seu instrumentis et quibusdam litteris ipsius Iulii praedecessoris.

Quam concordiam Iulius III ratam habuit.

§ 2. Postmodum vero recolendae memoriae Pius Papa V, pariter praedecessor noster, accepto quod bonae etiam memoriae Carolo, tituli S. Grisogoni presbytero cardinali Borbonio nuncupato, in locum Alexandri cardinalis, quoad legationem huiusmodi suffecto, illius procurator fiscalis, simul atque quispiam ex dicto clero ab humanis decesserat, defuncti spolia statim apprehendere, fiscoque legati vindicare et appropriare, ac alias clerum super libera facultate de bonis suis in ultima voluntate disponendi perturbare conabatur, in magnum cleri praeiudicium et populi Avenionensis scandalum; eidemque Pio praedecessori pro parte cleri et personarum praedictarum supplicato ut in praemissis providere dignaretur, dictus Pius praedecessor concordiam, instrumentum ac decretum dicti Iulii III quoad spolia cleri non exigenda, litterasque et inde sequuta huiusmodi quaecumque apostolica auctoritate confirmavit et approbavit, ac ipsos clerum et personas ecclesiasticas per Carolum cardinalem et pro tempore existentes legatos super spoliis huiusmodi de caetero molestari non debere, decrevit, aliaque in his necessaria fecit et ordinavit, prout in suis desuper confectis litteris respective plenius continetur.

Pius V denuo confirmavit, prohibens quominus clerus a legatis pro spoliis molestaretur.

§ 3. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte eorumdem cleri et personarum ecclesiasticarum petitio continebat, ipsi cupiant concordiam, litteras et alia praemissa per Sedem Apostolicam confirmari et approbari, nobisque humiliter supplicari fecerint quatenus, pro firmiori illorum subsistentia, robur nostrae confirmationis similiter adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Clerus omnia ea rata haberi petit a Clemente

§ 4. Nos igitur clerum et singulares eius aliasque personas praedictas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis senten-

Clemens quoque confirmat.

tiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, ac instrumentorum, litterarum et aliorum praedictorum ac inde sequutorum quorumcumque tenores, nec non litis seu litium et causarum quarumcumque super praemissis aut eorum occasione ubilibet pendentium status et merita, aliorumque hic, *etc.*, forsan de necessitate exprimendorum tenores, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam, instrumentum, decretumque Iulii praedecessoris quoad spolia cleri non exigenda, in civitate Avenionensi et comitatu Venaissino nostris dumtaxat consistentia, ac in aliis locis legationi praedictae subiectis, ac singulas litteras praedictas, nec non omnia et singula in illis contenta et inde sequuta quaecumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum etiam substantialium defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Sicque in perpetuum observari iubet.

§ 5. Ac confirmationem, approbationem, adiectionem, suppletionem aliaque praemissa ac praesentes litteras nullo umquam tempore, etiam ad cuiuscumque legati instantiam, ex quacumque causa, revocari, alterari, limitari aut derogari, seu de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut alio quopiam defectu notari posse, sed illa valida et efficacia fore, suosque plenarios effectus sortiri et inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; ac quid quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

Exequutores deputat.

§ 6. Quocirca dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, abbati S. Andreae status Avenionensis et officiali Auraicensi per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte cleri et personarum, suorumve haeredum, successorum aut ab eis habentium praedictorum causam vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos eorumque singulos confirmatione, approbatione, adiectione, suppletione, inhibitione, decreto aliisque praemissis iuxta praesentium tenorem pacifice frui et gaudere; non permittentes eos vel eorum aliquem desuper per ipsos legatum, vice-legatum, procuratorem fiscalem seu alios quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles censuris et poenis aliisque opportunis iuris remediis, eadem auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, illos censuras et poenas huiusmodi incurrisse declarando, ipsasque censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantia tollit.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, vel Concilii generalis de duabus diaetis, dum-

modo quis auctoritate praesentium ultra tres diaetas ad iudicium non trahatur; aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis pro tempore existenti legato, vicelegato et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam iteratis vicibus, in genere vel in specie ac alias quomodolibet concessis, approbatis vel innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si legato et vice-legato praesentis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 24 iulii 1593, pontif. an. II.

LXXII.

Regularibus totius ducatus Ferrariae prohibetur accessus ad monasteria monialium, etiamsi subiecta sint, exceptis tantum confessario et visitatore, quibus accedere permittitur in casibus ad eorum munus spectantibus [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a clausura servanda per moniales petitur.

Sanctimoniales quae, mundi abiectis illecebris, Christo Iesu animarum earumdem sponso perpetuo voto se dicarunt, quo sanctiorem Altissimo valeant famulatum exhibere, debitum inviolatumque clausurae modum servare decet; nosque id ipsum, pro nostri muneris debito, sedulo curare tenemur.

Prohibitio, de qua in rubrica

§ 1. Motu igitur proprio et ex certa nostra scientia, felicis recordationis Sixti Papae V, praedecessoris nostri, vestigiis inhaerentes, hac nostra perpetuo valitura constitutione, statuimus et ordinamus ut posthac quicumque regulares quorumvis, etiam Mendicantium, Ordinum, ad monasteria monialium cuiuslibet Ordinis, civitatum, terrarum et locorum quorumcumque ditionis dilecti filii nobilis viri Alphonsi Ferrariae ducis, etiamsi illarum curam gerant, et eorum iurisdictioni sint subiectae, accedere minime possint, nisi tantummodo illarum confessarius et superior seu visitator Ordinis, cum uno socio provectae aetatis; hique clausuram monasteriorum, nisi quando fit eorumdem monasteriorum intra clausuram visitatio, ingredi pariter non valeant; ac praedicti confessarius, superior et visitator teneantur pro omni et quocumque excessu seu delicto, si quem vel quod dictus socius perpetraverit; quodque confessarii deputentur ii qui aetate ac mo-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Quoad confessarios dispositio.

ribus sint probati; ac ordinariorum, ab eorum superioribus, extraordinariorum vero confessariorum huiusmodi, a pro tempore existentibus episcopis civitatum temporalis ditionis huiusmodi seu eorum in spiritualibus vicariis generalibus approbatio fieri debeat; ac superior et confessarius praedicti non possint accedere ad aliud monasterium, praeterquam ad illud cuius curam habent, et ad ipsum etiam non accedant, nisi pro sui officii munere, et eius exequutione, et occurrentibus casibus et necessitatibus monialium et monasteriorum eorumdem; confessarius vero quotidie pro celebratione missarum et administratione ecclesiasticorum sacramentorum, nec secum adducat nisi unum socium. Moniales autem regularibus praedictis munera aliqua dare, nec ipsi regulares illa recipere nequeant. Liceat tamen ipsis monialibus coram episcopis seu vicariis praedictis querelas, si quas habent, contra dictos earum visitatorem et superiorem super concernentibus clausuram interiorem et exteriorem, sine aliquo censurarum incursu, proponere. Quocirca omnibus et singulis regularibus et monialibus praedictis, sub poenis arbitrio praedictorum episcoporum pro modo culpae imponendis, districtius inhibemus ne praemissis aliquo modo contravenire audeant vel praesumant.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac monasteriorum et Ordinum eorumdem, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis monasteriis et Ordinibus praedictis illorumque superioribus et personis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros ac nos et Sedem Apostolicam, etiam motu et scientia similibus, ac de apostolicae potestatis plenitudine, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie ac alias quomodolibet etiam pluries approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi in eis caveatur expresse quod illis nullatenus aut non nisi sub certis modo et forma in illis expressis derogari possit, ac pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, ac servata illorum forma, insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentes superioribus regularium significandae.

§ 3. Volumus autem quod praemissa omnia et singula dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus generalibus Ordinum vel aliis superioribus regularibus notificentur, a quibus etiam moniales huiusmodi de eisdem praemissis admoneantur.

Fides danda transumptis.

§ 4. Quodque earumdem praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra, adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXVI iulii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 26 iulii 1593, pontif. an. II.

LXXIII.

Declaratur confraternitatem S. Ioannis decollati Florentinensis non esse exemptam a iurisdictione Ordinarii [1].

Clemens Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Episcoporum iura per Romanum Pontificem tuenda.

Decet Romanum Pontificem ordinariam archiepiscoporum et episcoporum, qui in eius sollicitudinis partes sunt vocati, auctoritatem protegere, et ne a quoquam laedatur opportune providere, prout in Domino conspicit expedire.

Confratres huius confraternitatis se exemptos esse ab archiepiscopi iurisdictione asserebant.

§ 1. Proinde, cum sicut accepimus, dilecti filii confratres confraternitatis Sancti Ioannis Decollati Florentinensis, quae de Templo etiam dicitur, vigore indultorum ac privilegiorum apostolicorum sibi ab archiconfraternitate Misericordiae, alias Sancti Ioannis Decollati de Urbe, cui aggregata esse dicitur, communicatorum, sese ipsos ac eorum confraternitatem a venerabilis fratris archiepiscopi Florentini ordinaria iurisdictione exemptos esse, ac praesertim capitula seu statuta et ordinationes quaecumque, absque ipsius archiepiscopi consensu et approbatione, condere posse praetendant.

Eos Clemens eidem archiepiscopo subiectos declarat.

§ 2. Nos, ad omnem controversiae occasionem submovendam, opportunae declarationis nostrae remedium adhibere volentes, motu proprio et ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, vigore praesentium, decernimus et declaramus praedictae confraternitati communicata huiusmodi privilegia, quibusvis sint concepta verborum formis et tenoribus, quos praesentibus pro expressis haberi volumus, nullam ab ordinaria moderni ac pro tempore existentis archiepiscopi Florentini iurisdictione exemptionem vel immunitatem contribuere, neque illorum vigore ipsis capitula sive statuta vel ordinationes aliquas, sine ipsius archiepiscopi consensu et approbatione, condere licitum esse; et nihilominus exemptionem et immunitatem omnem, si quae ex privilegiis et indultis huiusmodi communicatis per dictam confraternitatem praetendi potest, prorsus abrogamus, annullamus et irritamus, viribusque et effectu vacuamus.

Clausulae pro huius constitutionis perpetua firmitate.

§ 3. Decernentes praesentes litteras perpetuo validas et efficaces existere, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari. Sicque per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; mandantes in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae poenis omnibus et singulis nunc et pro tempore existentibus dictae confraternitatis confratribus, ut iuxta praesentium nostrarum tenorem, eiusdem archiepiscopi iurisdictioni reverenter subsint.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis quoque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXVII iulii MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 27 iulii 1593, pontif. an. II.

---

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

LXXIV.

Suppressis nonnullis officiis in bibliotheca et typographia Vaticana, quinque officia correctorum librorum tum graecorum tum latinorum eriguntur in eadem bibliotheca [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter gravissimas quas, pro iniuncti nobis apostolici muneris debito, sustinere nos oportet curas, domesticarum ac peculiarium palatii et Camerae nostrae Apostolicae rerum rationem habere tenemur, et circa illarum status ea, quae alii Romani Pontifices nostri praedecessores ordinarunt, interdum mutare ac alias disponere nos decet, prout in Domino conspicimus expedire.

Sixtus V correctoribus typographiae Vaticanae nonnulla beneficia ecclesiastica addixerat.

§ 1. Alias siquidem felicis recordationis Sixtus Papa V, praedecessor noster, postquam in palatio apostolico apud Vaticanum typographiam Vaticanam nuncupatam summo sumptu exerexerat et instituerat, in eaque ministros necessarios, et inter alios nonnullos correctores, qui circa librorum ecclesiasticorum graecae latinaeque linguae in dicta typographia pro tempore imprimendorum editionem, ut quam emendatissime prodirent, diligenter assisterent, constituerat et deputaverat, ne pro eorum sustentatione Camera Apostolica, maximis adhuc tunc sumptibus onusta, admodum gravaretur, ipsi vero correctores commodius se sustentare et muneri illis incumbenti alacrius vacare possent, quemdam prioratum et seu alia ecclesiastica beneficia, tunc certo expresso modo vacantia, quorum fructus in eorumdem ministrorum et seu correctorum manutentionem converti et erogari deberent, thypographiae praedictae univit et incorporavit. Sed eodem Sixto praedecessore, forsan antequam unio praedicta suum sortiretur effectum, aut alias, sicut Domino placuit, rebus humanis erepto, piae memoriae Gregorius XIV, praedicti Sixti V successor, et praedecessor quoque noster, ex certis causis animum suum moventibus, de dicto prioratu, prout dicitur, unito et incorporato aliter disposuit, et ex tunc, cum Camera nostra Apostolica graves impensas pro dictorum ministrorum et seu correctorum sustentatione sufferre non posset, typographia praedicta aliquibus ex dictis ministris, et seu correctoribus propterea destituta, maxima detrimenta et incommoda pati coeperat.

Gregorius XIV de dictis beneficiis aliter disposuit, quod magno damno fuit typographiae.

Clemens vero restituere typographiae correctores voluit, et Vaticanae bibliothecae alios dare.

§ 2. Nos autem, pro nostri muneris debito, praemissis incommodis, quantum cum Domino possumus, occurrere satagentes, optimum fore rati sumus ut viri aliqui graecarum litterarum eruditione maxime praestantes, tam in eadem typographia quam etiam in biblioteca Vaticana, quae non longe ab eadem typographia distat, correctores, assignatis eisdem certis aliquibus emolumentis, quibus se congrue substentare possint, deputarentur. Cum itaque in ipsa bibliotheca Vaticana, praeter illius custodes, quidam scriptores et seu restauratores tam graecorum quam latinorum librorum iam ab antiquo tempore adesse consueverint, horumque nunc duo officia, unum videlicet scriptoris librorum graecorum, per quondam Petri de Varis, aliudque restauratoris librorum latinorum, per quondam Iosephi Capobianchi obitum, vacare dignoscantur, et nihilominus in ipsa bibliotheca Vaticana alii tres scriptores supersint, qui sufficere videntur, in eademque duo correctorum (alterum graecorum, alterum latinorum librorum) officia, quorum unum Lucas Valerius, alterum Hieronymus Molcus nunc exercent, re-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

periantur; officia ista quatuor perpetuo supprimenda, et eorum loco, quinque correctorum bibliothecae et typographiae huiusmodi officia erigenda duximus, ad quae viri eruditione, diligentia et experientia praestantes, quibus haud difficile sit in utraque (bibliotheca nimirum et typographia huiusmodi) versari pro tempore deligerentur.

Suppressis itaque nonnullis officiis, quinque correctores pro utraque creat.

§ 3. Motu itaque proprio, et ex certa scientia maturaque deliberatione nostris, duo illa scriptoris librorum graecorum, et restauratoris librorum latinorum in bibliotheca, ut praefertur, vacantia; et duo haec correctorum librorum graecorum et latinorum in typographia Vaticana existentia officia, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus, ac eorum loco, quinque correctorum tum graecorum tum latinorum librorum officia in praedictis utrisque bibliotheca et typographia perpetuo erigimus et instituimus.

Stipendium unicuique assignat.

§ 4. Ipsisque officiis omnia et singula emolumenta seu provisiones praedictis olim scriptori, restauratori et correctoribus a nobis suppressis, per Cameram nostram Apostolicam dari solita, quae ad summam quadraginta scutorum monetae singulis mensibus ascendere accepimus, et quatenus non ascendant ad eam summam, vigore praesentium augemus, perpetuo similiter unimus, annectimus et incorporamus, ita ut iis singulis, qui pro tempore ad eadem officia deputati fuerint, menstrua provisio octo scutorum monetae persolvatur. Praeterea eisdem singulis correctoribus portionem congruam pro ipsis et duobus famulis pro unoquoque ipsorum ex palatio apostolico constituimus et assignamus.

Nomina huiusmodi correctorum.

§ 5. Ad ipsa vero correctorum officia hac prima vice dilectos filios Adrianum Cyprarium, abbatem S. Michaelis de Salvenerio, Plovacensis dioecesis, Ordinis S. Benedicti, Religionis Vallis Umbrosae, ac Gerardum Vossium, Germanum, presbyterum et doctorem theologum; Franciscum Lamata, Hispanum, presbyterum et doctorem theologum, Ioannem Baptistam Bandinum, a Castello, Florentinum, presbyterum; ac Fridericum Metzium, Palatinum, pro lingua latina et graeca respective nominamus et deputamus, eisque singulis unum ex dictis officiis cum dicta provisione menstrua octo scutorum, ac portionibus et habitationibus supradictis ad cuiuslibet eorum vitam concedimus et assignamus. Praeter hos etiam quinque correctores, fratrem magistrum Angelum Roccham, Camertem, Augustinianum, sine assignatione provisionis praedictae, quia ei alias propediem providere intendimus, in officium correctoris hujusmodi itidem nominamus et deputamus, prout antea nominatus et deputatus iamdiu eidem typographiae operam dedit.

His additur Angelus Roccha

Praefectis bibliothecae et typographiae subiiciuntur.

§ 6. Volumus etiam ut praedicti deputati et pro tempore existentes correctores tam in bibliotheca quam typographia Vaticana fidelem ac diligentem operam in iis, quae ad eos pertinebunt, praestare; ac rationem bibliothecae venerabili fratri nostro Marco Antonio episcopo praenestino, cardinali Columnae, S. R. E. bibliotecario, rationem vero typographiae praedictarum venerabilibus item fratribus nostris cardinalibus congregationis typographiae reddere teneantur.

Exequutores praesentis constitutionis deputati.

§ 7. Quocirca dilectis filiis nostro et S. R. E. camerario ac thesaurario generali, necnon palatii domusque nostrae praefecto, praesentibus et futuris, ut praedictis deputatis et aliis pro tempore correctoribus dictarum bibliotecae et typographiae domicilia in eodem palatio apostolico, eisdem bibliothecae et typographiae proxima, ac portionem congruam assignari, ad de dicta provisione menstrua suis temporibus responderi curent

et faciant; ipsique camerarius et thesaurarius mandata cameralia singulis mensibus iuxta solitum expediant; cardinalibus vero bibliothecario ac congregationis dictae typographiae praefectis, ut per ipsos correctores eorum munus fideliter adimplere curent, illisque in omnibus, in quibus opus fuerit, faveant et assistant.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus dicti Sixti V ordinatione aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutisque et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XX augusti MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 augusti 1593, pontif. an. II.

LXXV.

Revocatio facultatum patribus Societatis Iesu concessarum absolvendi ab haeresi in regnis Hispaniarum, in quibus Officium S. Inquisitionis existit [1].

Dilecto filio Claudio Acquavivae,
Societatis Iesu praeposito generali,
Clemens Papa VIII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Nonnulli Pontifices Societati Iesu facultatem absolvendi ab haeresi et libros prohibitos legendi concesserunt.

Exponi nobis nuper fecisti quod quamvis felicis recordationis Iulius Papa III, praedecessor noster, ut animarum saluti, quibus iuvandis Societatis Iesu, cuius praepositus generalis existis, operarii vacant, amplius consuleretur, inter alia, facultatem absolvendi quoscumque ab haeresi et aliis contra fidem, necnon a consequentibus censuris quibuscumque, in foro conscientiae, per pro tempore existentem praepositum generalem Societatis Iesu et alios professos eiusdem Societatis idoneos ab ipso praeposito generali deputandos, per quasdam eius in forma brevis litteras die XXII octobris anno Domini MDLII, pontificatus eius tertio, datas; nec non et Paulus III ac nonnulli alii Romani Pontifices, etiam praedecessores nostri, facultatem eadem, sub nonnuliis tamen limitationibus, vivae vocis oraculo iis de Societate confessariis, quibus idem praepositus facultatem huiusmodi communicaret; cui similiter Gregorius XIII, ut libros haereticos et alios prohibitos legendi potestatem dictae Societatis religiosis impartiri posset ad errores impugnandos, dum tamen id considerate et cum delectu, ac re cum suis assistentibus consultata, faceret, ac quaedam alia circa librorum prohibitorum usum per suas item in forma brevis litteras sub die VIII ianuarii MDLXXV, pontificatus eius anno tertio, concesserint, prout in singulis litteris et concessionibus huiusmodi plenius continetur.

Praepositus eam quoad Hispaniam, indicatis hic rationibus, revocari petit.

§ 2. Nihilominus tamen (sicut tu similiter exponi nobis fecisti) tempus et experientia docuit, in regnis et dominiis tribunali S. Inquisitionis contra haereticam pravitatem regnorum Hispaniarum subiectis, non modo iis facultatibus, sine ullo divinae gloriae et proximorum utilitatis detrimento, Societatem ipsam carere posse, sed potius contra ex iis privilegiis, si retineantur, offensionem inquisitorum eiusdem tribunalis facile incurri, et alia incommoda exoriri posse: Societas autem ipsa solum Dei honorem atque animarum salutem ex facultatum ab hac Sancta Sede concessarum usu consequi intendit, unde tu patentibus litteris tuis illarum facultatum usum in illis provinciis ante annos aliquot omnino interdixisti. Verum ad maiorem rei firmitatem, atque ad omnes scrupulos offensionumque occasiones cae-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

teraque huiusmodi incommoda removenda, humiliter nobis supplicari fecisti quatenus facultates praedictas in regnis et dominiis supradictis, auctoritate apostolica, revocare, aliasque in praemissis providere de benignitate apostolica dignaremur.

Revocat Clemens.

§ 3. Nos litterarum et concessionum praedictarum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, facultates et concessiones praedictas, quoad regna et dominia supradicta, apostolica auctotate, tenore praesentium, revocamus, cassamus et annullamus, earumque usum in regnis et dominiis eisdem omnino interdicimus.

Obstantia tollit.

Non obstantibus praemissis, ac omnibus in contrarium facientibus.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXV septembris MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 25 septembr. 1593, pontif. an. II.

LXXVI.

Mandatur episcopo Pacensi ut exequatur decretum Sacrae Congregationis Concilii circa ordinationes novorum christianorum [1].

Venerabili fratri episcopo Pacensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Cum, ex iniuncto nobis apostolicae servitutis officio, christifidelibus omnibus aeque debitores simus, nullamque apud Deum adesse personarum acceptionem plane sentiamus, id circumspecta ratione providere tenemur, ut ius suum unicuique tribuatur.

A Congregatione Concilii decretum latum fuerat super eorum ordinatione, qui vel a Iudaeis vel ab haereticis originem ducunt.

§ 1. Nuper siquidem ad nos perlatum est quod, licet semel atque iterum fraternitati tuae congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum nomine per dilectum filium nostrum Hieronymum presbyterum cardinalem Matthaeium significatum fuisset in ea congregatione, post maturam praehabitam disputationem, resolutum fuisse, quod, licet ex sacri Tridentini Concilii praecepto, cap. VII, sess. XXIII, teneatur episcopus ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem investigare et examinare diligenter, eos tamen, qui originem a Iudaeis ducunt, quique ab haereticis descendunt (per paternam lineam nimirum ultra secundum, et per maternam ultra primum gradum) ab ordinatione excludere minime deberet; quin neque etiam eos, qui filii vel nepotes eorum essent, quos, licet haeretici fuerint, constat tamen emendatos esse, et unitati corporique Ecclesiae restitutos, quod nimirum susceperint pro admissa culpa ad mandatum Ecclesiae poenitentiam, quam aut perfecerunt aut ei perficiendae insistunt, vel certe quod eam perficere sunt parati iuxta constitutionem felicis recordationis Bonifacii PP. VIII, praedecessoris nostri, quae incipit: *Statutum*. Id tamen intelligendum esset, ubi apostolico aliquo privilegio aut confirmatione contrarium cautum non sit, et nisi aliud canonicum obsistat impedimentum; et in hanc sententiam eidem fraternitati tuae iniunctum extitisset, ut secundum illam cum huiusmodi generis personis ageres, nec permitteres ut qui haereticae pravitatis inquisitoris officium exercueras, infensiore adversus illos animo, quam ius et aequitas postulat, esse videreris.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

§ 2. Tu nihilominus litteris et ordinationi Congregationis huiusmodi, quod quidem moleste tulimus, adhuc minime paruisti.

Huic decreto Pacensis episcopus non parebat.

§ 3. Proinde nos, qui ea, quae per apostolicas sanctiones provide cauta sunt, sarta tecta conservare tenemur, scandalis, quae inde provenire possent, obviam ire satagentes, fraternitati tuae per praesentes, in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrii nostri poenis, districte praecipimus et mandamus ut, iuxta dictae congregationis sententiam, ac dicti Bonifacii praedecessoris constitutionem, supradictas personas quascumque ab haereticis per paternam lineam ultra secundum, et per maternam ultra primum gradum, vel a Iudaeis originem trahentes, ac etiam filios et nepotes haereticorum, quos emendatos et unitati Ecclesiae restitutos esse constat, alioquin tamen idoneas, nec ubi aliud canonicum obsistat impedimentum, a sacris ordinibus imposterum minime excludas, sed illos, sine aliqua personarum acceptione, libenter ad huiusmodi ordines promoveas et promoveri cures.

Clemens eum admonet ut pareat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis; ac caeteris in contrarium facientibus quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die VI octobris MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 6 octobr. 1593, pontif. an. II.

LXXVII.

Protomedici et Collegii physicorum de Urbe iurisdictio et facultates [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quo viri, qui tum salubribus artis medicinae praeceptis, et singulari methodo, tum diuturna experientia, quae ubique plurimum valet, sapienter instructi medendis humanis corporibus occupantur, et ab eis in hac alma Urbe, et omnibus Status nostris Ecclesiastici civitatibus infirmitates omnes depellere continuo procurant, sanitati et incolumitati hominum consulentes, quibuscumque difficultatibus superatis, id ipsum facilius et promptius exequi et operari valeant, privilegia per Romanos Pontifices praedecessores nostros illis concessa conservanda, ac per eos desuper statuta et ordinata, ut inviolabiliter observentur, confirmanda esse iudicamus, prout melius totius reipublicae valetudini novimus expedire.

Sixtus IV confirmavit statuta huius Collegii.

§ 1. Sane dilecti filii Sigismundus Brumanus, Cremonensis, artium et medicinae doctor, ac Romani Collegii pariter artium et medicinae doctorum prior, ac dictae Urbis et totius Status Ecclesiastici protomedicus generalis, necnon Antonius Portus, Firmanus, et Odoardus Lopius, Romanus, pariter artium et medicinae doctores consiliarii, tam suo, quam ipsius Collegii nominibus, nobis nuper exponi fecerunt, quod alias, postquam felicis recordationis Sixtus Papa IV praedecessor noster, nonnulla per tunc existentes protomedicum et piorem, ac Collegium huiusmodi, ad obviandum erroribus, qui in arte medicinae a plerisque, qui sibi nomen medici usurpabant,

1 De his habes etiam in constit. XXXI Iulii III: *Meritis*, et Gregorii XIII constit. LIX: *In Apostolicae*. — Ex *Appendice* romanae editionis sub numero CCCLXVIII huc transtulimus hanc Clementinam constitutionem, temporum servata serie (R.T.).

committebantur, ac periculis mortis, quae saepissime infirmis inde sequebantur, statuta et ordinata perpetuo approbaverat et confirmaverat.

Clemens VII ea confirmavit, atque privilegia multa protomedico et Collegio tribuit super approbatione physicorum, chirurgorum et aromatariorum.

§ 2. Et deinde, tam piae memoriae Clemens Papa VII, etiam praedecessor noster, qui praefata, ac alia etiam per tunc existentes protomedicum, et Collegium huiusmodi de novo statuta et ordinata, quae suis sum plumbo confectis litteris de verbo ad verbum inseri voluit, quam recolendae memoriae Iulius III, Pius IV, Pius V et Gregorius XIII, Romani Pontifices etiam praedecessores nostri, ea omnia etiam perpetuo confirmaverant et approbaverant, ac per omnes et singulos artis medicinae huiusmodi professores et aromatarios in Urbe, ac totu Statu huiusmodi commorantes, ac alios quos illa concernebant, inviolabiliter observari mandaverant, ac quamplura gratias, facultates, concessiones, privilegia et indulta protomedico, priori et Collegio praedictis, tam super approbatione physicorum et chirurgorum ac aromatariorum in Urbe, et aliis civitatibus, terris et locis sanctae romanae Ecclesiae subiectis; ac examine simpliciorum, vel compositorum medicinalium humanis corporibus exhibendorum, ac aromatariae medicinalis exercitio, quam super facultate et potestate promovendi ad magisterii, vel doctoratus gradum, illorumque insignia dandi, necnon iurisdictioni protomedici et Collegii praedictorum, cognoscendi quascumque causas civiles et criminales eorum, ac aromatariorum, aliorumque mederi, seu medicinalia cuiuscumque generis fuerint, tradere, et exhibere volentium exercitium concernentia, privative etiam quoad alia tribunalia quaecumque, ac procedendi contra quoscumque inobedientes, etiam ad pecuniarias aliasque poenas, necnon visitandi et corrigendi quoscumque aromatarios, eorumque aromatarias in Urbe et toto Statu ecclesiastico huiusmodi, ut praefertur existentes; ac ad id commissarios aliosque deputatos destinandi et deputandi, ac denique omnia et singula in praemissis necessaria statuendi, faciendi, ordinandi et exequendi similiter perpetuo concesserant.

Protomedicus et Collegium incolumitati incolarum Ecclesiastici Status intendentes, statuta reformarunt et alia pro feliciori Collegii regimine statuerunt.

§ 3. Protomedicus et prior, ac consiliarii, et Collegium huiusmodi decori et utilitati ipsius Collegii ac incolarum Urbis, et Status huiusmodi incolumitati, quantum in eis est, studentes, antiqua statuta praedicta, prout temporum ratio expostulat, in melius reformarunt, aliaque de novo super praemissis, ac alias debitum exercitium artis huiusmodi, necnon felix ipsius Collegii regimen concernentia et disponentia, ac alias salubria et honesta ediderunt, prout in singulis ipsorum praedecessorum litteris desuper confectis ac statutis plenius continetur.

Et pro confirmatione praedictorum omnium Papae supplicarunt.

§ 4. Cum autem protomedicus et Collegium praedictum cupiant litteras praedictas ac singula statuta huiusmodi pro illorum subsistentia firmiori per nos perpetuo approbari et confirmari, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eorum desiderio huiusmodi annuere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Qui praedictas gratias et statuta confirmat.

§ 5. Nos igitur, qui fidelium quorumlibet vota, praesertim saluti et incolumitati nobis subditorum consulentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, ac attendentes, statuta de novo edita praedicta nonnisi pro bono regimine, et salubri directione dicti Collegii, horum temporum ita suadente ratione, facta fuisse, ipsumque Collegium, ac illius singulares personas, quae pro universali hominum salute continuo laborant, specialibus quoque favoribus et gratiis prosequi volentes, ac singularum litterarum et statutorum huiusmodi tenores etiam

veriores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, singulas litteras praedictas, ac statuta per protomedicum et Collegium huiusmodi condita atque edita, ac omnia et singula in eis contenta, ac inde sequuta et sequenda quaecumque, apostolica auctoritate tenore praesentium, quatenus licita et honesta, et sacris canonibus et decretis Concilii Tridentini contraria non sint, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti aliosque defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus, eaque omnia et singula ab omnibus, quos illa concernunt et concernere poterunt quomodolibet in futurum, similiter perpetuo et inviolabiliter observari, ac ad illorum omnium observationem omnibus iuris et facti remediis cogi et compelli posse.

Clausulas apponit.

§ 6. Decernentes sic et non aliter per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et causarum Palatii apostolici auditores, ac singularum provinciarum, civitatum, terrarum et locorum dicti Status ecclesiastici, vice-legatos, gubernatores, potestates et alios iudices, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores huius constitutionis deputat.

§ 7. Et nihilominus dilecto filio moderno et pro tempore existenti curiae causarum Camerae apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus per se vel alium, seu alios, protomedico et Collegio praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra praesentes ac singulas litteras et statuta huiusmodi perpetuo et inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per sententias et censuras ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria omnia tollit.

§ 8. Non obstantibus similis memoriae Bonifacii Papae VIII similiter praedecessoris nostri de una, et Concilii generalis de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis quae dicti praedecessores in singulis eorum litteris voluerunt non obstare, contrariis quibuscumque; aut si aromatariis et aliis praedictis, vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die x novembris MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10 novembr. 1593, pontif. an. II.

LXXVIII.

Extinctio litium super exemptionibus monasterii Sancti Laurenti el Real *Ordinis S. Hieronymi* [1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Gregorius XIV hoc monasterium ab omni

Cum nuper felicis recordationis Gregorius Papa XIV, praedecessor noster, cha-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

decimarum et aliorum onere solutione exemptum declaravit

rissimi in Christo filii nostri, tunc sui, Philippi Hispaniarum regis catholici supplicationibus inclinatus, omnia et singula possessiones, praedia, animalia, res et bona, mobilia et immobilia ac semoventia, nec non annuos redditus monasterii S. Laurentii *el Real* nuncupati prope oppidum *del Escurial*, Ordinis S. Hieronymi, sub Regula S. Augustini nullius dioecesis, regni Toletani, ab ipso Philippo rege fundati et dotati, tunc praesentia et futura, sive illa propriis manibus aut sumptibus sive per alios quomodolibet excolerentur, sive ab ipsius monasterii priore et conventu pro eorum usu ab aliis arrendarentur, nec non silvas, arbores, saltus, praedia, etiam ab aliis conducta, eorumque colonos, pastores singularesque illius personas a solutione quarumcumque decimarum, tam realium quam personalium, quartae dimidiae et cuiusvis alterius fructus partis perpetuo exemerit et liberaverit, ac libera, immunia et exempta fore et esse, nec a quoquam, quovis praetextu seu causa, desuper molestari, perturbari seu inquietari, aut ad decimarum et onerum huiusmodi, tam realium quam personalium, solutionem cogi seu compelli, aut aliquibus censuris ecclesiasticis propterea innodari, nullo unquam tempore posse voluerit.

Innocentius IX huiusmodi confirmavit exemptionem, iis etiam compraehensis bonis, super quibus lis aliqua penderet.

§ 2. Ac deinde piae memoriae Innocentio IX pro eiusdem regis parte exposito, ab aliquibus de validitate exemptionis huiusmodi dubitari posse, eo quod in eisdem litteris nulla de litibus inter ipsos priorem, monasterium et conventum ex una, et quoscumque alios super diversis aliis eorum exemptionibus pendentibus mentio facta fuisset. Quare idem Innocentius, eiusdem regis supplicationibus inclinatus, ac litterarum praedictarum tenorem pro expresso habens, litteras praedictas, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis, perinde valere voluit, firmamque roboris firmitatem obtinere in omnibus et per omnia, ac si de omnibus et quibuscumque litibus coram quibuscumque iudicibus, tam in Romana Curia et Sacro Rotae nostrae Auditorio quam extra eam pendentibus specialis, specifica, expressa ac individua mentio facta fuisset, quarum litium status et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium, eorumque iura et titulos pro expressis habere voluit, omniaque et singula in eisdem litteris contenta eisdem priori et conventui de novo concessit et indulsit, eosdemque ac eorum res et bona, nec non personas in eisdem litteris contentas et comprehensas ab omnibus et singulis decimis aliisque oneribus in eisdem litteris expressis, apostolica auctoritate, perpetuo liberavit, ac liberos et libera, ac penitus exemptos fore et esse pronunciavit; nec non tunc et pro tempore existentes dicti monasterii priorem et conventum aliasque personas praedictas per locorum Ordinarios seu quoscumque alios quovis praetextu seu causa desuper molestari, perturbari seu inquietari, aut ad decimarum et onerum huiusmodi solutionem cogi seu compelli, aut aliquibus censuris ecclesiasticis propterea innodari nullo unquam tempore posse voluit; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigeret attentari, irritum et inane decrevit, etiamsi super illis lites inter aliquos penderent indecisae, quarum statum et merita, ac nomina et cognomina iudicum et colligantium haberi voluit pro expressis.

Opportunas addens declarationes;

Et solitas clausulas quas latissime exponit.

Non obstantibus Generalis Concilii, *etc.*, et Capitulo nuper de decimis, nec non quibusvis aliis conciliis generalibus, Cancellariae Apostolicae regulis, etiam de iure quaesito non tollendo, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris sui, de una, et Concilii Generalis de duabus diaetis, necnon quibusvis aliis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis quibusvis, in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis tam per ipsum Innocentium quam quosvis praedecessores suos, ac etiam dictae Sedis legatos, etiam ad quorumvis imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantiam, aut etiam motu proprio ac ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut etiam consistorialiter, etiam per viam generalis legis et statuti perpetui quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi, pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habens, illis alias in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat, specialiter et expresse derogavit, caeterisque contrariis quibuscumque, prout in eorumdem praedecessorum desuper in forma brevis, die trigesima aprilis et quarta novembris MDXCI, expeditis litteris plenius continetur.

Capitulum Placentinum exequi recusat, sub praetextu litis pendentis in S. Rota.

§ 3. Cum autem, sicut nobis nuper charissimus in Christo filius noster idem Philippus rex exponi fecit, dum in partibus Hispaniarum noster et Apostolicae Sedis nuntius ad exequutionem earumdem litterarum procederet, decanus et Capitulum ecclesiae Placentinae, sub praetextu quod olim in sacro Rotae auditorio lis et causa super decimis praedii *del Spadanal*, Placentinae dioecesis, provinciae Compostellanae, inter dictos decanum et Capitulum ex una, ac priorem, monasterium et fratres monasterii praedicti ex altera partibus pendidisset, fingentes a praetensa sententia dicti nuncii exequutoris appellasse, appellationis causam in Rotae auditorio per signaturam iustitiae magistro Laurentio Blanchetto, eiusdem Rotae auditori committi, et eidem nuntio per dictum auditorem, iuxta dictae commissionis formam, et quibuscumque aliis inhiberi obtinuerunt, ac sub verborum involucro, causam etiam super dictarum exemptionum validitate vel invaliditate introducere conati fuerunt; quare idem Philippus rex nobis humiliter supplicari fecit quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Clemens huiusmodi litem ad se avocat, et, designatis executoribus, executionem litterarum demandat Gregorii et Innocentii.

§ 4. Nos igitur, earumdem litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, attendentes exemptiones eiusmodi per praedecessores nostros ad ipsius regis contemplationem emanasse, et propterea quascumque causas contra dictas exemptiones per signaturam iustitiae commissas, ad nos harum serie avocantes et penitus extinguentes, eidem nuntio caeterisque earumdem exemptionum iudicibus deputatis mandamus quatenus ad earum exequutionem procedant procedique mandent et faciant in omnibus et per omnia, perinde ac si dicta commissio ab ipsa signatura iustitiae illiusque vigore emanata, inhibitio et citatio ab eodem Laurentio auditore non emanassent.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae iidem praedecessores in eorum litteris praedictis voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII novembris MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 23 novembr. 1593, pontif. an. II.

LXXIX.

Declaratio super causis praecedentiarum inter Capitulum et magistratum Veronenses, cum avocatione aliarum causarum inter episcopum et Capitulum eiusdem ecclesiae vertentium [1].

Clemens Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ex debito pastoralis officii studemus, quantum in nobis est, litium et controversiarum occasiones, praesertim inter praelatos sublimi dignitate fulgentes et inferiorum ordinum ecclesiasticas personas, de medio tollere, ut coniunctae mutua pace et charitate, tamquam membra unius corporis, gratum simul Altissimo exhibeant famulatum.

In causa vertente inter Capitulum et magistratus Veronenses episcopus decretum tulit super modo se comitandi, et Capitulum atque magistratum thurificandi.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Augustinus tituli S. Marci, presbyter cardinalis de Verona nuncupatus, Veronensis ecclesiae ex dispensatione apostolica praesul, ad tollendas dissensiones inter dilectos filios Capitulum Veronense et magistratus curiae saecularis, qui vicarius domus mercatorum ac provisor civitatis Veronae nuncupatur, iampridem super praecedentia et modo exhibendi thuris sive incensi ortas, et ad occurrendum scandalis quae inde oriri poterant, pro bono pacis, decreto edito, certum praescripsisset modum et ordinem quem ipsi canonici et Capitulum nec non singulae magistratuum huiusmodi personae, in incessu et comitatu episcopi Veronensis pro tempore existentis, dum diebus solemnibus ex suis aedibus episcopalibus ad ecclesiam maiorem progreditur, ac in eundo et redeundo a suis locis a praedicatione servare deberent, simulque statuisset ac praecepisset ut inter missarum et divinorum officiorum solemnia, quae persona singulis canonicis thus sive incensum exhiberet, eadem etiam erga praefatos magistratus huiusmodi officio fungeretur, et alias, prout in eodem decreto latius continetur. Iidem canonici et Capitulum decreto et ordinationi praedictis minime acquiescentes, ad nos et Sedem Apostolicam appellarunt, eiusve, ut praetendunt, nullitatem allegarunt.

A quo decreto Capitulum appellavit.

§ 2. Nos autem dilectis filiis nostris Scipioni tituli Sancti Salvatoris in Lauro Lancellotto, nec non Flaminio tituli Sancti Clementis, presbyteris cardinalibus, Platto nuncupatis, dedimus in mandatis ut de praedicta controversia se summarie et extraiudicialiter informarent, eamque ad nos referrent. Quare postmodum, eorum relatione audita, et litium anfractus praecidere, et eamdem ecclesiam Veronensem, quae hac de causa per complures menses, ut audivimus, solito nobiliorum concursu et frequentia destituta est, in pristinum decorem restituere, simulque cleri dignitatem conservare cupientes; motu proprio, non ad alicuius super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera nostra deliberatione et certa scientia, decretum praedictum, cuius tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, auctoritate apostolica, tenore praesentium, ita moderamur et ad terminos earumdem praesentium reducimus, ut, exemplo complurium insignium Italiae ecclesiarum, praesertim sub temporali ditione dilectorum filiorum nobilium vi-

Formam comitandi episcopum praescribit Clemens.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

rorum ducis et dominii Venetorum consistentium, ipsi Capitulum et canonici praedictae ecclesiae Veronensis eumdem Augustinum cardinalem, quamdiu ecclesiae Veronensi praeerit, eoque absente, venerabilem fratrem Albertum episcopum Famagustanum ipsi Augustino cardinali in regimine et administratione praedictae ecclesiae Veronensis coadiutorem auctoritate apostolica deputatum, et quemcumque eorum successorem episcopum Veronensem pro tempore existentem, ex suis aedibus ad ecclesiam maiorem diebus solemnibus (ut moris est) procedentem comitando, eumdem episcopum immediate praecedere teneantur; magistratus vero saeculares episcopum sequantur. Quo vero ad magistratus etiam saeculares, qui vicarius domus mercatorum ac deputati civitatis dicuntur, thure sive incenso inter missarum et aliorum divinorum solemnia honorandos, motu simili statuimus id munus non ab ipsis canonicis erga praefatos magistratus peragi debere, sed aliis inferioris ordinis clericis beneficiatis, qui mansionarii dicuntur, sive cappellanis demandandum.

De magistratibus incensandis.

§ 3. Decernentes sic in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, in quavis causa et instantia, iudicari et diffiniri debere, nec non irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae pro perpetua firmitate huius constitutionis.

§ 4. Quocirca dilecto filio moderno et pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae apud dictos ducem et dominium Venetorum nuntio per apostolica scripta mandamus ut per se vel alium seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte eorum, quorum interierit, fuerit requisitus, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicans, faciat illa per eos, quos concernunt, firmiter et inviolabiliter observari; nec permittat quemquam contra illarum tenorem quomodolibet molestari, perturbari aut inquietari; contradictores et inobedientes per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Nuncio apostolico demandata exequutio.

§ 5. Per haec tamen praefatis canonicis et Capitulo, quoad alias praeeminentias tam respectu praefatorum quam aliorum quorumcumque magistratuum saecularium (ita ut in omnibus et singulis actibus iidem canonici et Capitulum, prout hactenus consueverunt, locum semper digniorem habeant), nec non quoad immunitatem et exemptionem a iurisdictione episcopi Veronensis, qua se gaudere asserunt, nullum volumus praeiudicium generari, nihil contra novi iuris acquiri.

Reservatio iurium Capituli quoad reliqua.

§ 6. Caeterum, ne occasione immunitatis, exemptionis et privilegiorum huiusmodi, quae ab eis praetenduntur, novae in dies dissidiorum turbae excitentur; cum, sicut accepimus, canonici in omnibus tam spiritualibus quam temporalibus se esse penitus exemptos a iurisdictione episcopi praetendant, atque auctoritate ordinaria dicant ad se pertinere in causis criminalibus nec non matrimonialibus sententias ferre, licentiasque quoque omittendi in celebrandis matrimoniis denunciationes impartiri; ac prohibere episcopum ne tamquam Sedis Apostolicae delegatus ecclesias eis subiectas visitet, se ipsos privative quoad episcopum visitare ac corrigere; quoscumque christifideles, qui confiteri semel in anno iuxta praeceptum ecclesiae omiserint, punire, indignosque ecclesiastica sepultura declarare, ac si quae alia sint similia, quae ad mu-

Alias causas ad se avocat Clemens, et auditoribus causarum palatii apostolici committit.

Clementis super praemissa sententia.

nus episcopale pertineant. Nos huiusmodi assertorum privilegiorum, et quarumcumque litterarum tam a praedecessoribus nostris quam a pro tempore existenti patriarcha Aquileiensi, ut asseritur, editarum tenores, ac si ad verbum inserti forent, etiamsi longissimi temporis usu et quasi pacificae possessionis observantia roborata dicantur, praesentibus pro expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, nec non lites quascumque et controversias, si quae super praemissis vel illorum occasione coram quibuscumque iudicibus ordinariis vel delegatis in Romana Curia vel extra eam, et forsan de mandato nostro in quacumque instantia introductae sunt, vel posthac introduci contigerit, quarum status et merita, nominaque et cognomina iudicum ipsorum pariter pro expressis haberi volumus, in quibuscumque statu et terminis reperiantur, ad nos avocantes, illas nec non causam et causas nullitatis, invaliditatis, revocationis, moderationis et reductionis huiusmodi assertorum privilegiorum, immunitatis et exemptionum, nec non quam et quas idem Augustinus cardinalis seu dicti canonici et Capitulum invicem habent et movent habereque et movere volunt et intendunt, cum omnibus et singulis eorum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, prout iuris fuerit, audiendi, cognoscendi et fine debito terminandi dilectis filiis causarum palatii apostolici auditoribus, tenore praesentium, committimus et mandamus, dantes et concedentes eisdem plenam et liberam facultatem praedictos et alios quoscumque, ubi opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, etiam censuris et poenis ecclesiasticis aliisque pecuniariis et arbitrio moderandis et applicandis, citandi et monendi; eisque ac quibusvis iudicibus et personis, quavis auctoritate et dignitate fungentibus, etiam sub censuris et poenis similibus inhibendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, aliaque omnia et singula in praemissis necessaria et quomodolibet opportuna, prout iuris fuerit, decernendi, mandandi et exequendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogat obstantibus.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; dictaeque ecclesiae, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; concordiis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem Capitulo et canonicis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores pro expressis habentes, ad effectum praesentium dumtaxat derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem praesentes nostras litteras non prius exequutioni demandari, quam acceptatae fuerint a consilio eiusdem civitatis Veronensis.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV decembris MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 15 decembr. 1593, pontif. an. II.

LXXX.

Separatio Congregationis fratrum Discalceatorum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, a fratribus Mitigatis dicti Ordinis, et declaratio muneris praelatorum dictae Congregationis, cum gratiarum communicatione.

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii nobis divinitus iniuncti assidua sollicitudo nos admonet ut

omni cura et vigilantia ad ea semper intendamus, per quae regularium personarum, quae, relicto saeculo, Dei obsequio se dedicarunt, quieti consulitur, et quae religiosum earum propositum impedire possunt, removeantur, ut nulla re, quae eas a divino cultu avocet, praepediti, secundum Ordinum suorum regularia instituta, tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum.

Discalceatos Hispaniae a fratribus profitentibus regulam mitigatam Gregorius XIII seiunxit.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XIII institutum, quod religiosi Discalceati nuncupati Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, in regnis Hispaniarum existentes, iuxta primitivam Regulam profitebantur, laudans et approbans, eosdem fratres et moniales, eorumque domus, conventus, monasteria et loca tunc et pro tempore existentia, a provinciis fratrum et monialium eiusdem Ordinis per piae memoriae Eugenium Papam IV, praedecessorem nostrum, iam ante Mitigatorum, in perpetuum seiunxit, separavit et dismembravit; ac eorumdem fratrum et monialium Discalceatorum domus, monasteria et loca in unam provinciam de per se Discalceatorum nuncupandam, per unum priorem provincialem in Capitulo eorum provinciali, ex eisdem Discalceatis eligendum, regendam et gubernandam, in perpetuum erexit et instituit; ac dictam provinciam fratrum et monialium Discalceatorum, sub obedientia et superioritate prioris generalis totius Ordinis, sicuti aliae provinciae eiusdem Ordinis suberant, perpetuo subesse voluit, qui prior generalis per se ipsum solum vel per alium virum idoneum ex ipsis Discalceatis, et iuxta eorum primitivam Regulam, eos visitare, corrigere et punire posset.

Sixtus V autem Discalceatos per plures priores et unum vicarium generalem rexit.

§ 2. Et deinde recolendae memoriae Sixtus Papa V, praedecessor noster, audiens numerum fratrum et monialium Discalceatorum huiusmodi non mediocriter auctum fuisse, et in dies maiora suscipere incrementa, et non solum per universam fere Hispaniam, sed etiam in Indiis complura monasteria et domos aliaque regularia loca Discalceatorum instituta et erecta fuisse, et per unum priorem provincialem non ita commode regi et gubernari posse, ordinavit ut ex omnibus conventibus provinciae prius erectae, ut praefertur, fierent plures provinciae; universas vero provincias dicti Ordinis Discalceatorum in unam Congregationem omnium huiusmodi provinciarum Discalceatorum nuncupandam, perpetuo erexit et instituit; statuitque et ordinavit ut singulis huiusmodi provinciis singuli priores provinciales praeessent; et vicarius generalis in Capitulo eiusdem Congregationis electus, ipsis prioribus provincialibus et toti Congregationi praeesset et in illos eamdem auctoritatem haberet, quam habebat prior generalis totius Ordinis praedicti, et alias, prout in diversis dictorum praedecessorum desuper confectis litteris plenius continetur, ad quas relatio in necessariis habeatur.

ralem regi decrevit.

Sed Discalceati et Mitigati concorditer postea se disiunxerunt.

§ 3. Cum autem, sicuti nuper accepimus, in Capitulo generalis Ordinis praedicti in civitate Cremonensi hoc praesenti anno celebrato, in quo fratres eiusdem Ordinis tam Discalceati quam Mitigati nuncupati intervenerunt, propter bonum pacis, tranquillitatis et augumenti tam totius Ordinis quam Congregationis Discalceatorum huiusmodi, ac ob alias iustas et rationabiles causas, unanimi consensu determinatum fuerit ut separatio Congregationis dictorum Discalceatorum omnino ab Ordine fratrum Mitigatorum, et renunciatio iurisdictioni praelatorum utriusque partis fieret, ita ut dicta Congregatio Discalceatorum nec votum nec vocem activam et passivam in Capitulo generali totius Ordinis Carmelitani amplius haberet, nec quomodolibet in suis

Capitulis se intromitteret, nec prior generalis dicti Ordinis Mitigatorum ullam haberet auctoritatem, iurisdictionem et superioritatem in Congregationem Discalceatorum praedictam ac in eius personas quascumque, sive superiores sive inferiores; et dilectus filius frater Ioannes Stephanus Chizzola, prior generalis Ordinis Carmelitarum, et reliqui capitulares in suo Capitulo generali renunciaverint, per suffragia secreta, nomine totius Capituli, per se et universum Ordinem, totam illam iurisdictionem, facultatem et auctoritatem, quae sibi et Capitulo generali per praedictas et alias litteras apostolicas concessa fuerat, ita tamen ut dicta Congregatio Discalceatorum vel eius superiores omnino in perpetuum non praesumerent accipere loca vel conventus huius Religionis Mitigatorum, etiam sponte a civitatibus vel principibus, vel quibuscumque aliis eis exhibenda vel offerenda; quod si contrarium aliquando ipsos fecisse compertum foret, nulla esset et irrita ista concessio, et nullum ius omnino acquisitum eis intelligeretur.

Separationem modo Pontifex approbat.

§ 4. Nos aequum et rationi congruum ducentes ut qui arctioris Regulae observantiam sectantur, superioribus eorum qui in latiori degunt, non subiaceant, sed superiores habeant eiusdem professionis, et ab illis iuxta eorum instituta regularia prospere et feliciter gubernentur; ac dictarum litterarum et decreti dicti Capituli generalis et omnium in eo contentorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserrentur, praesentibus pro expressis habentes; necnon de praemissis a dilecto filio nostro Dominico tituli S. Chrysogoni presbytero cardinali Pinello nuncupato, dicti Ordinis necnon praefatae Congregationis Discalceatorum protectore, plene informati, motu proprio, non ad dictorum fratrum aut aliorum pro eis nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, praedictae separationis decretum in Capitulo generali huiusmodi factum et ordinatum, ac omnia et singula in eo contenta, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac idem de novo decernimus et determinamus.

Discalceatos a superioribus Mitigatorum eximit.

§ 5. Necnon praedictum vicarium generalem ac omnes et singulas personas praefatae Congregationis Discalceatorum, illiusque conventus, domos, collegia et provincias tam virorum quam mulierum, ab omni superioritate, iurisdictione, gubernio, regimine et administratione, subiectione, obedientia, visitatione, correctione et emendatione tam generalis Ordinis Carmelitarum quam aliorum praelatorum et superiorum quacumque auctoritate fungentium et functurorum, et quantumvis amplissimis privilegiis et facultatibus utensium et usurorum, perpetuo eximimus et liberamus, ita ut dictus prior grneralis aut alii superiores dicti universi Ordinis Carmelitarum, nunc et pro tempore existentes, nullam omnino iurisdictionem, facultatem et auctoritatem in dictam Congregationem Discalceatorum, illiusque vicarium generalem, ac conventus, domos, collegia et provincias tam virorum quam mulierum, habere, exercere aut praetendere aliquo tempore possint, minusque in rebus et negotiis eiusdem Congregationis aliquo pacto se ingerere aut immiscere valeant.

Sub protectione Sedis Apostolicae recipit.

§ 6. Ipsamque Congregationem Discalceatorum eiusque vicarium generalem, necnon conventus, domos, collegia et provincias, sub immediata nostra et Sedis apostolicae protectione, subiectione, gubernatione et obedientia recipimus et subiicimus.

Eorum superiorem praepositum generalem vocari decrevit.

§ 7. Sed quia, sicut accepimus, antea subordinationem habebat praedictus Congregationis Discalceatorum vicarius totius Ordinis Carmelitarum priori generali, ac propterea vicarii nomen obtinebat, et cessante illa subordinatione, illius cuius vices gerebat, sit necesse nomen quoque mutare: ideo harum serie statuimus et ordinamus eumdem ipsum, qui antea vicarii nomine vocabatur, de caetero praepositum generalem nominandum Ordinis Discalceatorum sive primitivorum, videlicet primitivam Regulam Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo observantium.

Qui sex consiliarios habeat, totumque Ordinem Discalceatorum regat.

§ 8. Qui eamdem facultatem habeat quam vicario generali praedicto dictus Sixtus praedecessor noster concesserat, cum sex consiliariis sive assistentibus votum decisivum habentibus, ab eodem Sixto praedecessore et a piae memoriae Gregorio Papa XIV, etiam praedecessore nostro, assignatis, quos consiliarios sive assistentes huic de novo instituto praedicto praeposito generali adiungimus et assignamus cum voto decisivo, ut alias iuxta formam praescriptam in dictis litteris praedecessorum nostrorum habetur. Quibus associatus poterit totum praedictum Ordinem Discalceatorum regere et gubernare, iuxta praescriptum constitutionum supradicti Ordinis, quae dudum sunt a nobis confirmatae, vel earum quae ab eisdem fratribus Discalceatis in posterum fient et condentur.

Definitores Capituli sint etiam ex eis eligendi.

§ 9. Quia vero consiliarii sive assistentes praedicti debent esse quoque Capituli generalis praedicti definitores in eorum Capitulo generali eligendi, ordinamus ut ex unaquaque provincia unus eligatur definitor, non excedendo senarium numerum, qui sit ex conventualibus illius provinciae, vel qui habeat officium pro ea aut pro universo Ordine; qui, durante Capitulo, definitoris, extra vero, consiliarii sive assistentis nomine vocabuntur. Pro provincia autem S. Alberti, quae in Indiis Hispaniarum existit, vel pro alia aut aliis, si quae, iuvante Deo, addentur, possint propter longinquitatem locorum ex aliis provinciis deputari, nisi aliqui ex dictis provinciis Indiarum idonei propinquiores extiterint, ut in definitores praedictarum provinciarum eligi possint; si vero sub protectione unius definitoris consiliarii contingeret plures esse provincias, alternatim eligatur ex eis praedictus definitor, qui in omnes in eodem conventu et domo, ut in constitutionibus statutum est, simul cum praeposito generali degentes, expeditioni negotiorum Ordinisque regimini intendant. Quae consessio praepositi generalis et assistentium nomine congregationis sive consultae insignietur.

Praeposito generali infirmo aut absente vel discedente, eligatur vicarius de consiliariis.

§ 10. Si autem contingat praepositum generalem absentari a consulta sive congregatione praedicta vel mori, vel ante suum discessum aut eius obitum, adhuc eo vivente, si graviter infirmabitur, nec in praesentia ipsius electio vicarii generalis per praepositum generalem et assistentes, qui eisdemmet consiliariis sive assistentibus dictae congregationis praesideat, et cum reliquis assistentibus, ut praefertur, expeditioni negotiorum intendat. Quod similiter fiet si hunc contingat infirmari aut mori, quod servabitur in similibus eventibus, quia vicarius huiusmodi alias non poterit absentari in absentia praepositi generalis, et vocabitur noviter electus etiam vicarius generalis, cuius officium et nomen solum durabit dum absens erit praepositus generalis, vel si mortuus fuerit, usque ad Capitulum generale, intra sex menses inclusive congregandum, in quo praesidebit usque ad novi praepositi generalis electionem; quo absente, prorogabitur Capitulum praedictum usque ad adventum praepositi generalis; interim tamen

ordinaria terminabuntur a definitorio, electo prius vicario generali, ut praefertur.

Praepositi praedicti officium ad sex annos duret.

§ 11. Praedictus autem praepositus generalis statim electus, sit ipso facto confirmatus, teneatur tamen certiorem facere cardinalem dicti Ordinis Discalceatorum protectorem de huiusmodi electione. Qui per sexennium et non ultra durabit, nec poterit reelegi, nisi alio sexennio transacto; caeteri vero praelati et superiores, sicuti per Sixtum V et Gregorium XIV, praedecessores praedictos, et Ordinis constitutiones est dispositum, a quibus tempora celebrandi Capitula generalia et provincialia et ea quae ibi debent fieri, sunt definita, quae omnia observanda praecipimus.

Et nunc eius locum tenet vicarius usque ad Capitulum.

§ 12. Quia vero Capitulum generale proxime futurum indictum est pro festo Pentecostes anni sequentis, videlicet millesimi quingentesimi nonagesimi quarti, et antea non possent, sine magno conventuum dispendio et fratrum incommodo, capitulares accedere ad illud; idcirco ex nunc eum qui iam est vicarius generalis, constituimus et nominamus praepositum generalem cum plenitudine auctoritatis et potestatis generalis, sicuti supra dispositum est, ut videlicet simul cum assistentibus regimini Ordinis intendat, sicuti si esset per suffragia secreta electus. Accedente autem tempore Capituli, ipse praesideat Capitulo usque ad electionem novi praepositi generalis, servatis in reliquis Ordinis constitutionibus et sanctionibus apostolicis.

Qui opportunas ordinationes una cum definitoribus faciat, *etc.*

§ 13. Necnon praeposito generali et assistentibus seu definitoribus praedictis, in Capitulo quaecumque statuta et ordinationes bonum regimen dicti Ordinis Discalceatorum ad Dei servitium concernentia, dummodo sacris canonibus et decretis Concilii Tridentini ac constitutionibus apostolicis et eorum primitivae Regulae et instituto non adversentur, concedendi, mutandi, alterandi et in totum, si videbitur, abrogandi et de novo edendi, sicuti per Gregorium XIII ac Sixtum V et Gregorium XIV, praedecessores praefatos, ac per nos et constitutiones dicti Ordinis est dispositum, licentiam et facultatem concedimus. Poterit quoque praedictus praepositus generalis plures provincias instituere, domos et conventus fratrum ubique terrarum denuo erigere.

Ordinis privilegia, primitivae regulae non contraria confirmat.

§ 14. Necnon praedicto praeposito generali ac Ordini Discalceatorum huiusmodi respective, quaecumque privilegia, indulta et facultates provinciae ac priori provinciali a Gregorio XIII, antea Discalceatorum, et vicario generali, et congregationi etiam Discalceatorum postmodum a Sixto V erectae, et a Gregorio XIV praedecessoribus praedictis, et a nobis vel aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa fuerunt, competere statuimus et declaramus. Omnia praeterea et singula privilegia, facultates, gratias, praerogativas, indulta, favores, concessiones, tam priori generali totius Ordinis Carmelitarum, quam praedicto Ordini singularibusque illius personis, tam a Romanis Pontificibus, quam dictae Sedis de latere legatis, necnon quibuscumque regibus, imperatoribus et principibus saecularibus concessa vel concedenda in futurum, aeque ac aliis dicti Ordinis Carmelitarum fratribus et religiosis, sine aliqua prorsus differentia, concessa sunt, praedicto Ordini Discalceatorum praeposito generali suisque fratribus, dummodo primitivae Regulae et Ordinis constitutionibus, regularique observantiae non repugnent, eisdem auctoritate et tenore concedimus et indulgemus, illisque, si opus sit, ea omnia communicamus et extendimus.

§ 15. Decernentes praesentes litteras

Clausulas apponit praeservativas.

nullo umquam tempore sub ullis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, alterationibus, limitationibus, abrogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, a nobis et quibuscumque aliis Romanis Pontificibus vel dicta Sede nunc et pro tempore emanatis, comprehendi, sed semper ab illis exemptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo ante praemissa erant, statum restitutas, et de novo etiam sub posteriori data, per pro tempore existentem praepositum generalem Congregationis huiusmodi eligenda, concessas esse et fore. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quacumque auctoritate fungentes, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, dictaeque Sedis etiam de latere legatos et nuncios, ac causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique, et in quavis instantia interpretari, iudicari ac definiri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 16. Quocirca venerabilibus fratribus universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus generalibus, et causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, necnon abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis ac canoninicis, Capitulis et aliis ad quos spectat et pertinet, vel quomodolibet spectabit et pertinebit, per praesentes motu simili mandamus quatenus ipsi, vel duo aut tres eorum, per se vel alium seu alios faciant, auctoritate nostra, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ab omnibus ad quos spectat et pertinere putatur, inviolabiliter observari, dictosque fratres Discalceatos illis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet et rebelles et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantia omnia tollit.

§ 17. Non obstantibus praemissis et piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, ac de non recipiendis novis domibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis approbatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; necnon omnibus illis, quae dicti praedecessores in suis litteris praedictis voluerunt non obstare, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi iubet.

§ 18. Volumus autem, quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, sigillo dicti Ordinis Discalceatorum seu alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, in iudicio et extra, adhibeatur, quae ipsis originali-

bus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die xx decembris MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 20 decembr. 1593, pontif. an. II.

LXXXI.

Sex decimas super omnibus beneficiis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, in tota Italia, aliasque decimas sex super fructibus quarumcumque pensionum imponit pro bello contra Turcas, exceptis S. R. E. cardinalibus, et duodecim congregationibus Ordinum non mendicantium, quae concordiam cum Camera Apostolica inierunt super solutione subsidii ordinarii temporibus Pii PP. V [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Conatus Turcarum bellique apparatus contra Christianos recenset.

Quanto numerosi exercitus apparatu, quanto belli impetu et horribili furore, immanissimus ac perpetuus nominis christiani hostis Turcarum tyrannus funestam (quam Deus avertat) christianae reipublicae calamitatem et perniciem hoc potissimum tempore moliatur et minitetur; quam item gravia pericula immineant cervicibus populi christiani, nisi totis viribus quam celerrime, divina iuvante gratia, depellantur, horret animus, non modo verbis exprimere, sed vel ipsa tacita mentis cogitatione contemplari. Etenim ex diuturnis et intestinis christianae reipublicae malis, quibus illa nimis iam misere conflictatur, in spem maximam erectus, insita quoque audacia et superbia elatus, hanc rei ex sententia gerendae, tamquam oblatam occasionem, quam pridem (quod dolenter referimus) arripuit, nunc maxime urgendam putat. Videt enim magna cum voluptate firmissima quondam Ecclesiae Catholicae propugnacula, regna videlicet amplissima et florentissima haeresum incendiis, bellorum cruenta strage, discordiarum fluctibus et tempestatibus, non solum debilitata, sed eversa et prostrata miserandum in modum iacere. Quare ad illa ipsa regna, et caetera occupanda (tamquam divulsis unius robusti corporis membris) magnum et facilem aditum sibi patere existimat. Nam et eadem olim arte per similem temporis opportunitatem, Orientale occupavit Imperium, dum Graeci, eodem, quo nunc Occidens morbo, haeresibus, discordiis, ac civilibus bellis laborabant. Nec tamen benedictus Deus *pater misericordiarum, et totius consolationis,* in summo rerum discrimine ac perturbatione, servos suos sperantes in Eo deserit, sed illos misericorditer consolari non cessat. Siquidem dum ferus hostis orientalibus spoliis ditatus, victoriis ac triumphis ferocior factus, magnos sibi spiritus sumpserat, ingentibus minis barbara atque immani ferocia vagabatur elatus, neque tantum extremos limites remotaque ac longinqua, ut olim solebat, christiani imperii claustra tentabat; sed intra nostros fines longius progressus irruperat, iamque interiora Germaniae viscera penetrare conabatur; repente Dominus Deus exercituum optatam magis, quam speratam (si humanas tantum vires spectaremus) victoriam charissimi in Christo filii nostri Rodulphi Romanorum regis illustris, in imperatorem electi copiis, licet militum numero, opibus et bellico apparatu longe inferioribus, divinitus concessit, tribus felicissimis praeliis, Turcarum exercitu ad

Fractam tamen eorumdem superbiam triplici Rodulphi imperatoris victoria.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium. Hanc constitutionem edidit quoque Margarinus. *Bullar. Cassinens.*, par. II, pag. 513.

internecionem caeso, fugato, deleto; plurimis Pannoniae castellis, oppidis, arcibus expugnatis, imperii finibus propagatis. Quo quidem facto, quamvis non obscura Divini numinis causam protegentis ope, urgens tunc ac iam iam imminens periculum videatur ad tempus propulsatum, bello tamen, quod cunctorum christifidelium cervicibus impendet, periculosissimo, initium potius, quam finis fuit impositus. Cum enim ad inveteratam illam, pene a natura insitam, christiani sanguinis sitim, ac rabiem inexplebilem, qua teterrimus hostis perpetuo flagrat, accesserit novo furore ardens, ob recentes clades, ultionis ac vindictae cupiditas, opumque et copiarum potentia, ac magnitudo fere immensa, his mediocribus damnis illatis, quasi quibusdam irritamentis, lacessita sit potius, quam labefactata: non immerito timendum est, ne (quod certis affertur nunciis) longe maiori conatu, ac totis viribus non modo ipsam Romani Imperii sedem, atque arcem adoriatur, sed mox Italiae quoque, sibi potissimum invisae, a cuius faucibus non longe abest, vastitatem, incendia, excidia, extrema omnia inferre conetur.

Sed indeandacior Turca factus, Germaniae Italiaeque extrema quaeque minatur.

§ 1. Quapropter nos in tanta rerum trepidatione, pro ea, quam de ipsius Rodulphi regis in imperatorem electi, ac totius gregis Dominici nobis divinitus creditti, tam graviter periclitantis salute, praecipuam generimus sollicitudinem, non solum catholicos principes admonere, nostrisque paternis cohortationibus excitare non cessamus, ut ad opem eidem electo imperatori, in tanto omnium periculo, ferendam, et ad hostis potentissimi, non appropinquantem modo, sed fere praesentem atque urgentem irruptionem propulsandam occurrant, sed et nos quoque, quantum possumus, pro nostra rerum temporalium tenuitate in multis Apostolicae Sedis angustiis, conamur re ipsa, communem causam adiuvare.

Quare Clemens christianos principes, ut Rodulpho auxilia ferant admonet; semet non exiguam opem eidem allaturum spondet.

§ 2. Verum, dum nuper, et praedecessores nostri, et nosmetipsi, his difficillimis temporibus compluribus principibus christianis pro sua et catholicae fidei defensione opem nostram poscentibus, saepius auxilia suppeditare, simulque ditionem temporalem S. R. E. multis incommodis vexatam sublevare (ut par erat) coacti fuimus, adeo ingentes sumptus alii super aliis increverunt, et in dies maiores excrescunt, ut Camerae Apostolicae redditus ordinarii, ad sustinenda tam gravia expensarum onera, et praeterea, novam hanc molem longe graviorem, comparandi contra tam formidabilem hostem ea praesidia, quae, et in Germaniam citius transferantur, et usui facilius esse possint, nequaquam sufficiant. Quare licet ab initio statuissemus omnia prius experiri, quam ullis clerum novis exactionibus gravare, tamen his oneribus pressi, et demum repentino hoc malo circumventi, cogimur vel inviti a nostro proposito paulisper deflectere, et ad Ecclesiae peculium, Christique Domini patrimonium, cuius causa nunc maxime agitur, nos convertere, sperantes aequissimum quemque urgentis huius extremae necessitatis aestimatorem, quas pecunias ad arcendum a sacris templis, ab augustali sede, ab ipsa Italia nefarium christianae religionis hostem impia arma inferentem, necessario erogandas videt, eas in tam sanctum, pium, ac vere necessarium usum pro christiana pietate, satis libenter contributurum: cum praesertim rationi maxime consentaneum sit, ut filii omnium primi matri egenti subveniant, ac membra capiti obsequantur, et illorum maxime qui in sortem Domini vocati sunt, intersit Religionem universam contra Infideles sartam tectam perpetuo conservare.

Sed cum Camera Apostolica aliis etiam impendiis exhausta impar ad hoc sit,

Clerum Status Ecclesiastici in partem tantae rei vocare se coactum fatetur.

Sex decimas super omnia beneficia saecularia et regularia imponit.

§ 3. Habita igitur super his omnibus cum vener. fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio et assensu indicimus et imponimus sex integras decimas omnium, et quorumcumque fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, distributionum quotidianarum, et emolumentorum ordinariorum et extraordinariorum omnium et quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum et parochialium, necnon monasteriorum et conventuum, ac mensarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium, et conventualium, prioratuum quoque, praeposituarum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, et officiorum, caeterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura saecularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, S. Basilii, Silvestrinorum, et qui proprietates redditusque certos ex privilegio, vel alias possident, Mendicantium, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus, necnon Congregationum Regularium, exceptis praedictis S. R. E. cardinalibus, ob assiduos magnosque labores, quos ipsi ecclesiae universali impendunt, et gravissima quae tuendae dignitatis causa sustinent onera, ac exceptis etiam duodecim illis Congregationibus, quae cum Camera Apostolica, tempore felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris nostri, de subsidio ordinario concordarunt; et praeterea hospitalium etiam pauperum hospitalitatem non exercentium, seu bona et redditus ultra infirmorum necessitates, et alia pro quibus instituta pia officia exercenda possidentium; necnon Beatae Mariae Theutonicorum, Sancti Lazari de Alto Passu, Templi Dominici, et aliarum militiarum (hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, quae pro sui tutela contra dictos Turcas et alios Infideles alienis auxiliis quotidie indiget dumtaxat excepta) in Italia universa consistentium, secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum, et aliorum praedictorum, nisi aliter cum Sede et Camera Apostolica fuerit concordatum.

Exceptis Cardinalibus atque duodecim Regularibus Congregationibus, quae temporibus Pii PP. V pro subsidio ordinario cum Camera Ap. inierunt compositionem.

Alias etiam sex decimas imponit super fructibus quarumcumque pensionum, eisdem exceptis.

§ 4. Ac etiam indicimus et imponimus sex alias decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus, emolumentis et distributionibus supradictis in favorem quorumcumque (non tamen cardinalium, et duodecim Congregationum huiusmodi) assignatarum et assignandarum percipiendas, exigendas et levandas, ab omnibus et quibuscumque episcopis, archiepiscopis et primatibus, patriarchis et aliis Ecclesiarum praelatis, ac caeteris cuiuscumque dignitatis, gradus, status et conditionis personis praedicta quocumque iure et titulo obtinentibus et obtenturis, necnon oeconomis et administratoribus perpetuis et temporalibus usufructuariis, ac fructus, pensiones, res, et alia huiusmodi iura ex quacumque causa sibi apostolica auctoritate in toto vel in parte reservata habentibus et habituris, saecularibus et regularibus, Ordinum, Congregationum, militiarum et hospitalium (non tamen Sancti Ioannis), praedictorum, necnon ab ipsis ecclesiis, capellaniis, conventibus, ordinibus, congregationibus, collegiis, hospitalibus, militiis, mensis, massis et locis, quocumque privilegio et exemptione reali, personali et mixta, antiqua et immemorabili, pacifica, et continua suffultis.

Terminos solutionibus faciendis praefinit.

§ 5. Quos omnes ad hos obligatos pro una intra proximum diem festum Sancti Michaelis Archangeli, qui mense septem-

bri incidit, et pro alia partibus aequalibus, intra illum ipsum diem festum consequentis proximi anni, Camerae praedictae et illius depositario generali ad id constituendo, omnino volumus persolvisse.

Depositarium instituit ad eas custodiendas.

§ 6. Eiusdem vero depositarii munus erit, sedulo curare, ut quidquid pecuniarum ex decimis colligetur, id diligenter ac fideliter asservetur de mandato nostro speciali, in praedicti belli contra Turcas gerendi usus dumtaxat, ac alias erogandum.

Non solventes et fraudes committentes poenis coercet hic indicatis.

§ 7. Quicumque vero decimas huiusmodi nullo modo, vel non integre scienter, aut non secundum verum annuum valorem fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, distributionum et emolumentorum, vel concordiam cum Sede et Camera praedicta, ut praefertur ineundam, sive non in terminis constituendis exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint, sive fraudem, ecclesiarum antistites suspendimus a divinis, Capitula vero, conventus et collegia quaecumque ecclesiastico interdicto supponimns, ac singulares personas antistite inferiores excommunicationis sententia innodamus.

Decimas pensionum a beneficia possidentibus pensionariorum nomine solvendas esse declarat.

§ 8. Caeterum ad praedictas decimas consequendas praecipimus etiam omnibus conductoribus, censuariis et locatoribus proprietatum, fructuum, rerum, et iurium praedictorum, etiam huiusmodi pensionibus oneratorum, et utrasque decimas nomine dominorum ac pensionariorum ad computum suae quisque locationis: omnibus vero possessoribus, usufructuariis, et aliis pensiones solvere debentibus, ut ipsi etiam decimas pensionum huiusmodi nomine pensionariorum, Camerae et procuratoribus praedictis, integre persolvant.

Modum eas exigendi praescribit.

§ 9. Decernentes decimas fructuum, proventuum et aliorum iurium praedictorum, secundum verum valorem annuum, vel saltem iuxta taxam, de qua, cum Sanctae Romanae Ecclesiae camerario nostroque, et Camerae praedictae thesaurario generali, ut praefertur, concordaverint, alias vero pensionum decimas, ad rationem decem pro centenario praestari deberi, et secundum ea, praedictos omnes in solidum cogendos esse; ipsarumque decimarum procuratores, a quibus libuerit integre exigendi optionem facultatemque habere, neque alias immunitates et exemptiones etiam ex causa resignationis, cessionis, iuris, concordiae, conventionis, aut quacumque alia gravi et onerosa occasione quocumque modo concessas et iterum concedendas, integram solutionem huiusmodi minuere vel impedire, neque possessores usufructuarios, aut alios pensiones huiusmodi solvere debentes, etiamsi ipsi iuri et actioni petendae, vel detrahendae, vel retinendae portionis, et ratae partis pensionarios contigentis iureiurando renunciaverint, atque ex forma dictae Camerae amplissima caverint modo aliquo obligari, nec ad id pro dicto tempore constringi posse. Omnes vero confessiones et quietantias receptionis decimarum a procuratoribus et ministris Camerae praedictae tam conductoribus, censuariis, locatoribus, nomine suorum principalium, quam etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis et aliis pensiones solvere debentibus, nomine pensionariorum faciendas perinde valere, atque in iudicio et extra illud, ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus et pensionariis praesentibus et solventibus factae et exhibitae fuissent. Conductores autem, qui pretium locationis dominis legitime anticipaverint, locationem suam huiusmodi, quam ad hoc prorogamus usque ad integram satisfactionem, ut prius, etiam adveniente successore, continuare debere.

De quietantiis decimarum.

Clausulae pro praedictorum omnium firmitate.

§ 10. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane, quicquid secus per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Camerarium huiusmodi decimarum collectorem constituit, cum amplis facultatibus.

§ 11. Ut autem omnia supradicta, sicut causa urgens postulat, diligenter et fideliter exequutioni demandentur, dilectum filium nostrum Henricum Sanctae Pudentianae presbyterum cardinalem Caietanum nuncupatum S. R. E. cardinalem camerarium, cuius integritas et experientia iam pridem nobis perspecta est, generalem omnium decimarum praedictarum collectorem in universa Italia, cum omnibus et quibuscumque privilegiis, iurisdictionibus ac iuribus, quae omnes alii antehac huiusmodi collectores habuerunt, auctoritate praedicta, tenore praesentium constituimus et deputamus, eique plenam, liberam et absolutam potestatem, facultatem et auctoritatem tribuimus, omnes ipsas decimas, Camerae praedictae nomine, ubique procurandi, praedictos omnes tam coniunctim, quam divisim ad integram illarum solutionem (uti praedictum est) faciendam, etiam per edictum locis publicis affigendum, monendi et requirendi, non parentes, fraudantes, et caeteros contumaces in censuras et poenas praedictas incidisse declarandi, proprietates, res, fructus, et alia bona ipsorum etiam manu regia apprehendendi, et usque ad condignam satisfactionem retinendi; contradictores et perturbatores, molestatores et rebelles quoscumque, eisque auxilium, consilium, vel favorem, publice vel occulte, quovis quaesito colore praestantes cuiuscumque dignitatis, gradus et ordinis fuerint, praedictis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, caeterisque iuris et facti remediis compellendi, illasque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis et officiis omnibus privandi et amovendi, et ad futura inhabiles faciendi, interdictum ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii saecularis, quandocumque opus fuerit, invocandi. Ad sanitatem vero reversos, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris et poenis supradictis in forma Ecclesiae consueta absolvendi, super irregularitate forsan incursa dispensandi, et ad pristinum statum omnino restituendi. Praeterea collectores et subcollectores, fide et facultatibus idoneos, in omnibus civitatibus, terris et provinciis Italiae praedictae, quotquot viderit expedire, cum simili, aut limitata (non tamen absolvendi) potestate constituendi, eumque, vel eos arbitrio suo revocandi, negligentes et morosos removendi, ac alium seu alios surrogandi quotiescumque ei videbitur, in delinquentes et suspectos per se vel alium, seu alios, etiam simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, inquirendi, et meritis poenis puniendi, modos et formas in praedictis servandos praescribendi, dubia quaecumque in praemissis forte oritura declarandi, et prorsus omnia et quaecumque circa ea necessaria et opportuna faciendi, statuendi et exequendi, etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam presentibus est expressum.

Obstantibus quibuscumque derogat.

§ 12. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, ac aliis apostolicis constitutionibus necnon ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, congregationum, hospitalium, militiarum et locorum praedictorum, iuramento, confirmatione

apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis. Quodque praelatis et personis praedictis, eorumque ecclesiis et locis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a praedicta Sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto, necnon personis, earumque nominibus et cognominibus, ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis huiusmodi, mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus in genere et in specie quomodocumque concessis, confirmatis et innovatis, etiam solutionem decimarum, aliter quam secundum antiquam taxam, nisi in universali decimarum per orbem impositione, fieri prohibentibus, necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, iuramentis, renunciationibus, vinculis et cautelis in assignatione praedictarum pensionum factis, quibus per impositionem decimarum huiusmodi neminem teneri, neque eas quoad praemissa contra quemquam locum habere declaramus, aliisque indultis et litteris apostolicis generalibus et specialibus cuiuscumque tenoris existant, per quae praesentibus non expressa, aut omnino non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Quae omnia contra praemissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari necnon aliis huiusmodi impositionibus et concessionibus ad tempus non elapsum per nos factis, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 13. Caeterum in percipiendis decimis praedictis, constitutionem recolendae memoriae Clementis Papae V, similiter praedecessoris nostri in Concilio Viennensi editam, quod decimae ad monetam currentem communiter levari, nec calices, libri, caeteraque ecclesiarium ornamenta divino cultui dicata, ex causa pignoris capi, percipi vel distrahi, aut alias quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari.

Sacras suppellectiles loco monetae percipi prohibet.

§ 14. Quin etiam praecipimus, ne quisquam, etiam plura quanticumque valoris beneficia ecclesiastica, seu plures pensiones, aut fructus, seu talia mixtum obtinens pro littera et sigillo, quietantiae universalis, si illam habere voluerit, ultra unum carlenum, conficientem quatrenos triginta septem huius monetae solvere teneatur, nec ad aliud onus, etiam praetextu cambii, quispiam compellatur.

Pro quietantiis taxam praefinit.

§ 15. Quia vero difficile nimis esset praesentes litteras quocumque illis opus erit perferri, volumus quoque, ut illarum exemplis etiam impressis, et notarii publici manu, ac Henrici cardinalis et camerarii praedicti, aut alterius collectoris, seu praelati ecclesiastici, eiusve curiae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum adhibeatur, quae illis ipsis adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Huius constitutionis exemplis credi iubet.

§ 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum inditionum, impositionum, statuti, suspensionis, suppositionis, innodationis, decreti, prorogationis, constitutionis, deputationis, tributionis, voluntatis, et praeceptorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis, *etc.*

Clausulae poenales.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDXCIII, XVI kalendas martii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 14 februarii 1594, pont. an. III.

LXXXII.

Concessio privilegiorum mercatoribus ad portum civitatis Anconae merces advehentibus vel ibi mercaturae causa domicilium constituentibus, et iurisdictio consulum illorum causas cognoscendi [1].

Clemens Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius constitutionis.

Ex apostolicae servitutis officio eam suscipimus sollicitudinem, in locis potissimum ditioni nostrae, etiam in temporalibus subiectis, ut cunctis mortalibus, maxime vero exteris nationibus eo confluentibus, iustitia aequa lance ministretur, neque eorum cuiquam iniuria aut gravamen aliquod inferatur; sed ut christianam potius, ac praesertim apostolicam pietatem ac benignitatem, vel in ipsa regiminis forma agnoscant et admirentur, tum vero ut civitatum ac populorum Status Ecclesiastici publica et privata commoda communemque utilitatem, pro ea qua tenemur paterna ac pastorali vigilantia, modis omnibus procuremus. Quare cum inter alia, quae huc pertinent, illud certe non mediocris momenti sit, ut commercium maritimum inter subditos nostros et mercatores diversarum, praesertim orientalium, regionum, qui Anconitano ac reliquis ditionis nostrae praedictae portibus cum navibus onustis mercibus ad victum et communem usum utilibus ac necessariis appellunt, non modo conservetur, sed maiori in dies, Deo iuvante, navium multitudine et frequentia, mercatorum concursu et celebritate, mercium copia et ubertate, augeatur; operae pretium duximus, et illa de medio tollere gravamina aut impedimenta, quae ipsos fortasse abducere, aut retrahere possent, et eos contra gratiarum, immunitatum et privilegiorum benigna ac liberali concessione, et promissa sub fide publica securitate invitare, ac subditos demum nostros qui ad alia externa emporia confluunt, ab alienis ad propria etiam, si opus erit, proposito alicuius damni periculo, revocare.

Exemptio a gabellis pro mercatoribus exteris ex orientalibus partibus merces Anconam adducentibus, vel ibi domicilium mercaturae causa constituentibus.

§ 1. Si qui igitur mercatores, etiam exteri, ex quacumque gente et natione oriundi, naves comparare et instruere, et in eis ultro citroque commeando merces ex orientalibus partibus Anconam adducere, vel in ipsa civitate Anconitana, ut venturarum mercium pericula, sub certis sponsionibus suscipiant, sive ut alias quoquo modo mercaturae negotiis operam navent, domicilium sibi parare et constituere voluerint, eos omnes et singulos ab omnibus impositionibus, datiis, oneribus, gabellis, collectis, subsidiis, contributionibus, ad quae cives et incolae Anconitani, alias quam ratione mercium ipsarum venalium, quomodolibet tenentur, hactenus indictis (illis exceptis quae Camerae Apostolicae debentur), necnon etiam posthac forsan indicendis quibuscumque, etiam si illorum exactionem, per eamdem Cameram eiusve officiales et ministros fieri contingat, auctoritate apostolica tenore praesentium, perpetuo eximimus et liberamus, exemptosque et immunes, ac ad illorum solutionem nequaquam teneri, neque ad id a quoquam cogi, vel compelli posse decernimus et declaramus, perpetuamque immunitatem et exemptionem superius expressam, eorum singulis gratiose et liberaliter concedimus et elargimur.

§ 2. Quoad eos vero mercatores illarum gentium, et nationum quibus per

1 Quoad Hebraeos Anconae degentes, vide huiusce Pontificis constitut. LV: *Coeca*, in hoc ipso tomo, pag. 22.

Salviconductus a Camerario mercatoribus dari soliti, confirmantur.

edicta publica, seu litteras patentes dilecti filii nostri moderni, et pro tempore existentis Sanctae Romanae Ecclesiae camerarii, salviconductus, ut aiunt, concedi solent, eis nos quoque ad Anconitanum portum et civitatem tutum, securum et liberum commeatum, remeatum, accessum et recessum, commercium, ac veniendi et redeundi, et occasione mercium, quamdiu opus fuerit, Anconae commorandi, et cum ipsis subditis nostris liberam occasione mercium ipsarum contrahendi licentiam, ac plenissimum super praemissis omnibus, ut dicunt, salvumconductum perpetuo concedimus et impartimur.

Eos perturbati cavetur.

§ 3. Inhibentes, ne quis eos, tamquam sub fide publica praesentium auctoritate assecuratos, quoquo modo molestare praesumat. Quinimmo vehementer etiam atque etiam hortamur in Domino, et per apostolica scripta monemus universos et singulos, nunc et pro tempore existentes praefectos et milites classium ac triremium, tam carissimi in Christo filii nostri Hispaniarum regis catholici, et cuiuscumque regni, provinciae et insulae ei subiectae, quam etiam dilectorum filiorum nobilium virorum ducis et dominii Venetorum, necnon magni Etruriae sibi subiectae ducis, et Sancti Ioannis Hierosolymitani, ac Sancti Stephani, et quarumcumque aliarum militiarum, necnon Dalmatarum Uscocchi nuncupatorum, et caeterarum omnium rerumpublicarum et principum, ne illis unquam navigiis onerariis, quae merces ad civitatem Anconitanam, ac alia ditionis nostrae loca comportant, ipsisve mercatoribus, aut nautis, ut praefertur, assecuritatis damni, detrimenti, aut impedimenti aliquid in rem vel in personas inferant. Quinimmo habentes eos pro nostra et Sedis Apostolicae reverentia propensius commendatos, in exercenda huiusmodi mercatura omnem illis opem, operam, favorem, auxilium, enixe ac benigne impendant, scituri se in hoc obsequium nobis et eidem Sedi gratissimum praestituros, et si contrafecerint, censuras et poenas ecclesiasticas et temporales contra piratas et praedones nostra maria infestantes inflictas incursuros.

Confirmatio Statutorum a Paulo III concessorum Hebraeis orientalibus Anconae commorantibus.

§ 4. Verum his, qui Anconae nunc et pro tempore commorantur Hebraeis orientalibus, eorumque universitati, per easdem praesentes concedimus et indulgemus, ut statutis et capitulis, eis alias per felicis recordationis Paulum PP. III, praedecessorem nostrum, concessis sive permissis, cum ea tamen moderatione quoad primum, et cum eis limitationibus et restrictivis, quoad reliqua, quae nuper a dilecto filio nostro S. R. E. camerario adiectae et editae fuerunt, et non alias, uti libere et licite valeant, illaque omnia et singula, quorum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, cum moderatione tamen et limitationibus et restrictivis huiusmodi, auctoritate apostolica tenore praesentium, approbamus et confirmamus, eisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

Constitutionis declaratio contra Hebraeos Anconae degentes.

§ 5. Declarantes insuper, litteras nostras de eisdem Iudaeis ex toto Statu praedicto, praeterquam Roma, Avinione et Ancona, expellendis nuper editas, ipsis Hebraeis orientalibus, vel aliis Anconae domicilium habentibus non obesse, quominus ad quaecumque Status Ecclesiastici loca pro exigendis creditis occasione mercium praedictarum contractis accedere, et per ea discurrere libere et licite valeant, nec propterea a quoquam molestari queant, dummodo super hoc litteras testimoniales de eorum origine, et iusta huiusmodi itineris causa fidem facientes a venerabili fratre nostro episcopo Anconitano, seu pro tempore existente

gubernatore eiusdem civitatis, subscriptas secum deferant.

Prohibitio emendi merces ex orientalibus partibus, per mare Adriaticum, ad alios portus eiusdem maris, extra Statum Ecclesiasticum delatas, et postea in dicto Statu comportatas, sub poena hic expressa.

§ 6. Caeterum, quia saepe contingit, merces ex Oriente per mare Adriaticum advectas, prius ad alios portus mari Adriatici extra dictionem ecclesiasticam sitos appellere et exonerari, deinde vero ad Statum nostrum terra marive comportari, districte interdicimus et prohibemus, ne quis omnino ex subditis nostris praedictis posthac umquam, perpetuis futuris temporibus, merces cuiusque generis, qualitatis et quantitatis, ex partibus Orientis per mare Adriaticum, ad alios extra ditionem praedictam eiusdem maris Adriatici portus prius delatas et exoneratas, ac postmodum terra marive ad loca Status ecclesiastici comportatas, emere quoquo modo audeat. Cuius quidem prohibitionis si quis transgressor et violator extiterit, ita ut merces quascumque prius quidem ad portus Adriatici maris extra dictionem nostram constitutos allatas et exoneratas, deinceps Anconam, vel ad alia Status nostri loca, terra aut mari comportare praesumat, volumus, ut quasi cuiusdam mulctae nomine, ultra solita et vetera vectigalia, novum etiam solvere teneatur, duodecim nimirum pro centenario eius pretii, quo res ipsae aestimatae erunt. Huiusque vectigalis novi, quod harum serie imponimus atque indicimus, exigendi facultatem caeterorum vectigalium conductoribus et exactoribus, de quo tamen nobis et Camerae Apostolicae sigillatim rationem reddere debeant, per praesentes tribuimus.

Triticum ad portum Anconae advectum libere cuique vendi possit.

§ 7. Quod si quando triticum, seu frumentum ad portum Anconitanum advehi contigerit, prohibemus dilectis filiis communitati, et hominibus eiusdem civitatis nostrae Anconitanae, ne in posterum cuiusvis privilegii aut consuetudinis, etiam antiquae et immemorabilis praetextu, etiam pro eorum usu necessario, frumento huiusmodi navibus advecto pretium aliquod certum ullo modo praescribere, et eo oblato vel soluto, triticum sibi vindicare audeant; sed si frumento indiguerint, ad illud coemendum, sicuti alii advenae emptores, nullo prorsus discrimine concurrant.

Mercatores non solvunt gabellam, antequam merces vendant, vel alio asportent.

§ 8. Insuper universis et singulis mercatoribus, ad eumdem portum Anconitanum merces undequaque convehentibus indulgemus, ut non prius ad solutionem vectigalium pro ipsis mercibus iniunctorum teneantur, nec cogi aut compelli possint, quam easdem merces vendiderint, aut alio asportaverint, ac pro ea tantum rata, qua res ipsas vendi aut exportari contigerit.

Consules civitatis, nihil circa personas atque merces navium exterarum agere possint, absque interventu Anconae gubernatoris.

§ 9. Postremo cupientes opportune providere, ne a magistratibus ad purgandum merces, ex locis pestiferae contagionis suspectis pro tempore advectas, in eadem Anconitana civitate deputatis, consulibus sanitatis vulgo nuncupatis, sub pretextu cavendi ab huiusmodi morbi periculo, gravamen aliquod ipsis mercatoribus inferatur, sed et salubritati, ut par est, consulatur, et tamen debita inter mercatores aequalitas servetur, ac omnes cessent querelae, statuimus et ordinamus, ut deinceps per dictos consules in adventu navium exterarum, nihil circa personas et merces in dictis navibus existentes sine gubernatoris pro tempore existentis, cum eis coniunctim procedentis consensu, praesentia et interventu, prohiberi, permitti, statui, decerni, iudicari aut definiri valeat.

Causae mercatorum ibi cognoscantur.

§ 10. Denique, ne mercatores ac personae quaecumque ad portum ipsum confluentes, vel inibi commorantes, litium dispendiis, atque incommodis ab huiusmodi commercio distrahantur, omnia privilegia de causis inter mercatores, sive alios quoscumque incolas, sive ex-

teros, occasione mercaturae et negotiorum huiusmodi pro tempore motis, tam in prima, quam in secunda instantia, intra civitatem ipsam Anconitanam, nec alibi, cognoscendis et terminandis, per quoscumque praedecessores nostros quomodolibet concessa, auctoritate et tenore praemissis, perpetuo approbamus et confirmamus, et illa, quatenus opus sit, de novo concedimus, itaut nec pretextu privilegiorum Rotae Maceratensis, quibus in hac parte et in quantum indultis civitatis Anconae quomodolibet praeiudicent, harum serie ex certa nostra scientia, derogamus, nec alio quovis colore alibi, extra dictam civitatem Anconitanam, in quacumque instantia trahi seu conveniri possint.

Forma eligendi iudices ad eas cognoscendum cum facultate summarie, *etc.*, procedendi.

§ 11. Quinimmo, ut controversiae, et lites huiusmodi, quamcitissime et minimo dispendio terminentur, statuimus ut quotannis, ex numero mercatorum inibi commorantium tres consules eligantur, alter nimirum ex Florentina, alter vero per ultramarinos, ac tertius ex alia quavis natione, arbitrio universitatis mercatorum in praedicta civitate degentium eligendus, quorum, vel duorum ex iis coniunctim procedentium iudicio, causae omnes inter mercatores invicem, seu inter illos et alias personas, aut etiam inter alios quoscumque occasione mercaturae quomodolibet motae et movendae, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, cognoscantur, audiantur et decidantur. Consules vero praedicti assessorem aliquem iuris peritum suo arbitrio assumant, cuius voto in eiusmodi causis definiendis uti possint. Quod si res, de quibus agetur, valorem quadraginta scutorum non excedunt, a sententiis vel decretis vim definitive habentibus, eorumdem consulum non liceat provocare. Si autem praedictam summam excesserint, non ad alium iudicem fas sit appellare, quam ad septem vel octo mercatores sorte extrahendos, qui huiusmodi causas appellationum etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, terminent, nec ulterius, quam semel tantum, ut praefertur, ulla omnino appellatio detur. Atque in eligendis consulibus modus et forma serventur, quae in statutis per praedictum Sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, ac dilectum filium nostrum et Camerae Apostolicae thesaurarium generalem edendis praescribitur, eorumque munus et iurisdictio expiret, prout eisdem statutis factis, camerario et thesaurario declarabitur.

Ipsi indices et gubernator, nihil recipiant de mercibus navium, neque emant.

§ 12. Caveant autem iidem consules et gubernator, ne ex navibus et mercibus huiusmodi quicquam, sive parvum sive magnum, etiam emptionis, sive alio quovis contractus aut donationis titulo, etiam sponte oblatum, accipere quoque modo praesumant, alioquin noverint, se graves arbitrio nostro poenas incursuros.

Decretum irritans et clausula sublata.

§ 13. Decernentes, sic in praemissis universis et singulis per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam eiusdem civitatis gubernatorem, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio et facultates.

§ 14. Quocirca tam praedictis camerario et thesaurario generali, quam dilectis filiis Camerae Apostolicae praesidentibus, clericis et eorum cuilibet, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum praesentes litteras, ubi et quando opus erit, et quatenus pro parte eorum, quorum interierit, requisiti fuerint, solemniter pu-

blicantes, eorumque singulis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant per se, vel alium seu alios, auctoritate nostra, illas et in eis contenta quaecumque firmiter observari, contradictores quoslibet, et rebelles, et praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 15. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 16. Volumus autem quod praesentium transumptis notarii publici manu subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Forma publicationis et sanctio poenalis.

§ 17. Quodque eaedem praesentes in valvis basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et in acie campi Florae, ut moris est, publicentur, ac deinde quo ad supradictam prohibitionem emendi merces extra Statum Ecclesiasticum, elapsis quatuor mensibus, quoad reliqua vero statim ab ipsa die publicationis huiusmodi, cunctos quos concernunt non minus afficiant, quam si eorum cuique personaliter intimatae fuissent.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo, *etc.* Si quis *etc.*

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDXCIII, VIII idus martii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 8 martii 1594, pont. an. III.

LXXXIII.

Facultas Congregationi Clericorum Ministrantium Infirmis recipiendi novitios ad habitum, non expectato Capitulo generali nec provinciali, conceditur[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Assidua pietatis et charitatis opera, quae dilecti filii praepositus et clerici, aliique religiosi Congregationis ministrantium infirmis circa infirmorum tum corporalem, tum spiritualem curam, ut accepimus, continuo exercent, merito nos inducunt, ut eorum religionis conservationi et augmento libenter prospiciamus.

Facultas de qua in rubrica.

§ 1. Proinde supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, ac de venerabilium fratrum nostrorum cardinalium Congregationi super consultationibus episcoporum et regularium deputatae praepositorum sententia, dictis praeposito et religiosis perpetuo concedimus et indulgemus, ut in qualibet eorum domo, ubicumque locorum existente, tres ex antiquioribus patribus a Capitulo conventuali deputari possint, qui eamdem habeant facultatem et potestatem in admittendis novitiis, quae commissa fuit Capitulis generalibus et provincialibus aliisque deputandis, iuxta constitutionem super novitiorum receptione a felicis recordationis Sixto Papa V, praedecessore nostro editam, sub dat. VI kal. decembris, anno III, et alteram eius declarationem sub dat. XII kal. novembris, anno IV eius Pontificatus, dummodo in reliquis earumdem constitutionum formam servent; ad hocque plenam et amplam dictis deputatis facultatem et auctoritatem impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus praedicti Sixti V et aliis constitutionibus et ordinationibus

1 Istam Congregationem primo approbavit Sixtus V in sua constitut. XXXV : *Ex omnibus.* — Bulla vero Clementis in editione Mainardi habetur in *Appendice* n. CCCLXIX. (R. T.)

apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXXI martii MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 31 martii 1594, pontif. an. III.

LXXXIV.

Facultas duodecim Congregationibus regularibus, quae a solutione decimarum impositarum pro bello contra Turcas fuerant exemptae, augendi Montem novennalem pro summa sexaginta millium scutorum in eamdem rem impendendorum[1].

Clemens Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Proemium. In maximis reddituum angustiis, sicut divinae placitum est voluntati, constituti, et a gravissimis expensarum difficultatibus undique circumventi, opportuna quaeque remedia excogitare, et congrua, undecumque possumus, subsidia expetere compellimur.

Sex decimas super beneficiis ecclesiasticis se imposuisse narrat pro bello contra Turcas. § 1. Sane nuper, ut opem aliquam charissimo in Christo filio nostro Rodulpho Romanorum regi illustri in imperatorem electo, adversus Turcarum, ex Hungariae finibus erumpentium, impetus afferre valeremus, quod certe aliter facere non poteramus, sex decimas a personis ecclesiasticis, beneficia ecclesiastica, aut super eorum redditibus pensiones annuas obtinentibus et percipientibus, intra biennium persolvendas, ac alias sub certis modo et forma, tunc expressis, imposuimus, prout in nostris desuper confectis litteris continetur. Ab eisdem vero decimis persolvendis, infrascriptas duodecim regulares Congregationes exemptione et libertate, sibi alias a felicis recordationis Pio Papa V praedecessore nostro concessa, frui et gaudere debere voluimus et declaravimus, easque ab ipsarum decimarum solutione, nominatim, eximimus et liberavimus.

Sed ab eis liberasse duodecim Congregationes regulares quae sub Pio V ordinarium subsidium subministraverant.

Easdem vero Congregationes subsidium sexaginta millium scutorum obtulisse. § 2. Ipsae tamen Congregationes urgentes necessitates nostras considerantes, ac opportunum aliquod subsidium nobis praestare volentes, summam sexaginta millium scutorum monetae sé nobis, hoc anno, praestaturas esse obtulerunt, quam nos oblationem gratam habuimus; ac vicissim, ne ipsae Congregationes nimium inde dispendium et damnum patiantur, providendum censuimus.

Quare Clemens ad ea paranda, iis facultatem concedit montem novennalem augendi. § 3. Idcirco, cum a ministris nostris cameralibus, qui negotium cum earumdem Congregationum procuratoribus diligenter consultarunt, relatum nobis fuerit, Congregationes ipsas, quae summam praedictam in promptu non haberent, absque alienatione aliquorum bonorum, nulla alia minus damnosa et dispendiosa ratione, summam praedictam congerere posse, quam si nos eis augendi montem novennalem, assignata ipsi monti a dictis Congregationibus certa reddituum summa, quae etiam tempore felicis recordationis Pii Papae V, ab ipsis fere persolvebatur, licentiam atque facultatem tribueremus; motu proprio et ex certa scientia nostra, Congregationibus praedictis, Cassinensi nimirum et Montis Oliveti, Ordinis S. Benedicti, Lateranensis Canonicorum regularium, sub regula Sancti Augustini, Carthusianorum, Camaldulensi, Coelestinorum, S. Salvatoris Bononiensis, etiam Canonicorum regularium, Vallis Umbrosae, Cruciferorum et Sancti Georgii in Alga, pariter Canonicorum regularium, Cisterciensium quoque Lombardiae, ac S. Hieronymi, eorum generalibus procuratoribus, quamvis ad hoc speciale mandatum non habeant, ut dilecti

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Cassinensium Procurator generalis et Prior S. Petri ad Vincula reliquos repraesentent.

filii procurator generalis Congregationis Cassinensis et prior S. Petri ad Vincula, Ordinis S. Salvatoris, nomine omnium aliorûm procuratorum generalium praedictorum, cum interventu dilecti filii nostri et Camerae Apostolicae thesaurarii generalis, taxam aliquam inter se, pro cuiusque ipsarum facultate, reddituum annuorum constituere, aut alias ratam partem reddituum, prout cuilibet ex Congregationibus praedictis minus incommodum et damnosum esse, ac prout magis expedire iudicaverint, assignare; seu pro illis, qui ad rationem septem pro centenario nunc etiam dicto Monti solvunt, ad sex, sicut alii, reducere, illamque summam de novo dicto Monti applicare, quae sufficiens sit pro summa sexaginta millium scutorum, quam ab eis, hoc anno, recipi volumus, congerenda factaque taxa huiusmodi, eamdem Monti praedicto novennali ultra alias taxas, seu ratam reddituum dicti Montis, quas unaquaeque dictarum Congregationum post reductionem ab eis, vigore litterarum in forma brevis felicis recordationis Gregorii Papae XIII, sub die XXV ianuarii anni MDLXXXI, pontificatus sui anno IX, concessarum, factam, solvere tenentur, assignare, applicare et incorporare; ac super taxa, seu rata sic facienda, assignanda et incorporanda, postquam, ut praefertur, assignata et incorporata fuerit, totidem loca, quorum fructus ad rationem sex, prout antiquorum eiusdem Montis locorum fructus solvuntur, persolvantur, praedicto Monti addere, quot pro summa praedicta sexaginta millium scutorum congerenda necessaria erunt; nec non eisdem omnibus procuratoribus generalibus, postquam per dictos duos taxa et assignatio praedictae factae fuerint, tam super taxa inter ipsas Congregationes, pro rata, quamlibet suarum Congregationum respective tangente nominatim dictas Congregationes unusquisque procurator generalis, videlicet suam, etiamsi ab ea speciale mandatum in Capitulo generali, aut alias, iuxta constitutiones ipsarum Congregationum, factum non habeant, suaque bona et reditus, ac proventus universa etiam in ampliori forma Camerae Apostolicae obligare et hypothecare nominatim possint, debeant ac teneantur, quam super assignatione et incorporatione illius, dicto Monti facienda, ipsiusque Montis aumento, nec non super summa praedicta sexaginta millium scutorum inde redigenda, nobis in subventionem praedictam tradenda et assignanda, unum vel plura instrumenta, cum conditionibus, renunciationibus, promissionibus, obligationibus et in dicta ampliori forma Camerae Apostolicae pactis, decretis, cautelis et clausulis quomodolibet necessariis et opportunis celebrare, et alia quaecumque super his, etiam pro maiori Montis praedicti illiusque Collegii Montistarum ac aliorum, qui pecunias suas in eodem Monte collocaverint, securitate necessaria et opportuna facere et exequi.

Ii partem unicuique monasterio pro fructuum solutione assignant.

§ 4. Ac ulterius ipsis modernis et pro tempore futuris Congregationum praedictarum procuratoribus generalibus, ut in earum quisque Congregationibus taxam, ut praefertur, statuendam, pro rata eas respective tangente, inter monasteria et conventus earum dividere, et ab illis exigere et depositario dicti Montis quotannis, prout de antiqua taxa seu rata fieri consuevit, consignare cum facultatibus et auctoritatibus solitis, libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, plenam, amplam, liberam et universam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur.

Instrumentaque super hac re cum thesaurario generali Camerae Apostolicae facienda rata habet, et confirmat.

§ 5. Et nihilominus omnia et singula praemissa, ac alia, eorum vigore, per dictas Congregationes, seu earum procuratores praedictos, cum interventu dicti

thesaurarii generalis facienda et instrumenta desuper celebranda, cum omnibus in illis contentis, ex nunc, prout ex tunc, postquam facta et celebrata fuerint, auctoritate et tenore praemissis, confirmamus et approbamus, ac praesentium nostrarum litterarum munimine roboramus; omnesque et singulos, tam iuris, quam facti, ac etiam solemnitatum forsan substantialium quomodolibet omissarum, si qui intervenerint in eisdem, praecipue vero defectus mandatorum specialium, ad praemissa facienda requisitorum, motu et scientia similibus, pari auctoritate et tenore supplemus, eaque omnia et singula valida, firma et efficacia fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac per omnes et singulas Congregationes praedictas, perinde ac si ipsi procuratores illas, cum speciali earum mandato, obligassent, ac alios omnes, ad quos spectabit, firmiter observanda esse.

Sicque in singulis tribunalibus iudicandum esse iubet.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ipsius Camerae Apostolicae praesides, clericos, ac S. R. E. camerarium thesaurariumque praedictum et alios ipsius Camerae ministros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Loca noviter erigenda et iam erecta unum montem constituere declarat.

§ 7. Praeterea, pro maiori Montis praedicti, illiusque collegii montistarum, nec non eorum qui pecunias suas in dicto Monte collocabunt, cautela et securitate, ex nunc pariter, prout ex tunc, postquam dictus Mons, vigore praesentium, ad quamlibet locorum quantitatem auctus fuerit, quod tam antiqua, quam nova loca augenda huiusmodi, unum idemque Montis corpus, ac ultimorum locorum emptores cum antiquis montistis unum et idem collegium, absque aliqua prorsus ratione prioritatis seu posterioritatis differentia constituant, ac posteriora loca, illorumque emptores omnibus et singulis gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, facultatibus et privilegiis, quibus antiquiora loca, illorumque possessores, iuxta dicti Montis erectionis formam, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere possint, valeant et debeant in omnibus et per omnia, absque aliqua similiter differentia, statuimus et ordinamus.

Depositarium eligit, itaut pecuniae in subsidium pro bello contra Turcas dumtaxat impendantur.

§ 8. Volumusque etiam, eisdemque procuratoribus generalibus, seu duobus ab ipsis procuratoribus deputatis dictarum Congregationum, concedimus, ut loca praedicta Montis, vigore praesentium, augenda, cum interventu dicti thesaurarii generalis, cuicumque mercatori, seu aliis personis meliorem conditionem offerentibus, pretio inter eos conveniendo, vendere et alienare, pretiumque inde redigendum penes dilectum filium Ioannem Baptistam Ubertinum, depositarium nostrum generalem, seorsum ab aliis nostris pecuniis, deponere, itaut inde, nisi pro praestanda dicto Rodulpho Imperatori electo destinata ope, vel casu, quo bellum, antequam dictae pecuniae in usum praefatum convertantur, cessaret, ad effectum restituendi ipsis Congregationibus pro redemptione dicti Montis, percipi minime valeant, nec in alios quoscumque, quam in praedictos, usus converti, ullatenus possint, libere similiter ac licite possint, etiam opportunam ad hoc quoque illis facultatem impartimur.

Clausulae.

§ 9. Decernentes praesentes litteras ullo unquam tempore, etiam ex eo quod praedictae Congregationes praemissis expres-

se ac nominatim non consenserint, aut alias quomodolibet de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut sub ullis revocationibus, suspensionibus, reductionibus, limitationibus, aut modificationibus comprehendi minime posse, nisi de earumdem praesentium toto tenore specialis et ad verbum expressa mentio facta fuerit; sicque per quoscumque pariter supradictos, aut alios iudices ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. cardinales, sublata iis similiter et cuilibet eorum quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores designat.

§ 10. Quocirca dilectis filiis nostris et S. R. E. camerario ac thesaurario generali praedictis, nec non causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se vel alios, ubi, quando, ac quoties opus fuerit, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, solemniter publicantes, ac in praemissis omnibus et singulis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, omnia et singula in praesentibus expressa, ac illarum vigore, facienda quaecumque ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum spectare poterit, inviolabiliter observari. Contradictores quoslibet per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 11. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim felicis recordationis Symmachi, Pauli II, Pauli IV, Pii V, ac aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, ac Gregorii XIII super reductione dicti Montis novennalis, ac quibuslibet obligationibus de redimendo infra certum tempus praedictum Montem ab ipsis Congregationibus, aut quacumque ipsarum factis, earumdem quoque Congregationum et cuiuslibet earum, monasteriorumque singularium statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis ipsis Congregationibus et monasteriis in contrarium praemissorum quomodolibet, ac sub quibusvis verborum formis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque insolitis clausulis ac irritantibus et aliis decretis concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, ad effectum praemissorum, specialiter, expresse ac latissime derogamus, ac derogatum esse volumus; ac omnibus illis, quae in erectione dicti Montis novennalis concessum est, non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v aprilis MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 aprilis 1594, pontif. an. III.

Sequitur confirmatio instrumenti ab iisdem Congregationibus initi cum Rev.

Camera Apostolica pro augmento Montis novennalis.

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Ea recenset, quae in super relata constitutione continentur.

§ 1. Cum nuper Congregationibus regularibus infrascriptis, videlicet Cassinensis et Montis Oliveti, Ordinis S. Benedicti, Lateranensis, Canonicorum Regularium sub regula S. Augustini, Carthusianorum, Camaldulensium, Coelestinorum, Sancti Salvatoris Bononiensis, etiam Canonicorum Regularium, Vallis Umbrosae, Cruciferorum et S. Georgii in Alga, pariter Canonicorum Regularium, et Cisterciensium Lombardiae, ac S. Hieronymi et pro eis procuratori generali dictae Congregationis Cassinensis et priori S. Petri ad Vincula Urbis, nomine omnium praefatarum Congregationum, ut summam scutorum sexaginta millium, quam ipsae Congregationes nobis ad belli sumptus, et opem charissimo in Christo filio nostro Rodulpho Romanorum regi illustri in imperatorem electo adversus Turcarum impetus in Pannoniae fines irrumpentium ferendam, tradere et contribuere velle obtulerunt, facilius colligere et comparare valeant, Montem novennalem nuncupatum augendi, eidemque taxam aliquam inter se ex annuis cuiusque redditibus, cum interventu tamen dilecti filii thesaurarii nostri generalis, constituendi et assignandi, ac fructus Montis praefati ad sex tantum pro quolibet loco reducendi, et super huiusmodi taxa tot loca eiusdem Montis ad rationem scutorum sex annuorum pro quolibet loco exigendi et addendi, quot pro summa praefata congerenda opus esse compererint, dictaque loca sic addita cuicumque mercatori, seu aliis personis, meliorem conditionem offerentibus, pretio inter eos, cum interventu eiusdem nostri thesaurarii conveniendo et concordando, vendendi et alienandi, dictumque pretium exinde percipiendi, penes dilectum filium Ioannem Baptistam Ubertinum nostrarum et Camerae Apostolicae pecuniarum depositarium generalem, ad effectum praefatum deponendi, plenam, liberam et amplam facultatem dederimus et concesserimus, prout in nostris sub annulo Piscatoris die v aprilis proxime praeteriti, expeditis litteris latius continetur, quarum tenor est qui sequitur, videlicet: Clemens Papa VIII, ad futuram rei memoriam. In maximis reddituum angustiis, sicut divinae placitum est voluntati, constituti et gravissimis, *etc.* (*prout supra*).

Aucto itaque novennali Monte, venditisque partibus superadditis duodecim, Congregationes regulares sequens instrumentum confecere.

§ 2. Quarum litterarum vigore, sicut accepimus, dilecti filii Basilius de Istria, procurator substitutus praefatae Congregationis Cassinensis, loco procuratoris generalis absentis, ac Ambrosius Morandus, Bononiensis, prior S. Petri ad Vincula Urbis, etiam a praefatis omnibus Congregationibus ad id deputati et constituti, cum interventu etiam nostri thesaurarii generalis super redditibus et bonis cuiusque dictarum Congregationum quamdam taxam scutorum trium millium centum quinquaginta novem et bol. LX monetae constituerunt, et inter se pro rata distribuerunt, illamque Monti praefato applicarunt et assignarunt, fructusque dicti Montis ad annua scuta sex tantum pro quolibet loco reduxerunt et limitarunt, ac super taxa et summa praedicta, loca quingenta viginti sex, cum tribus quintis partibus alterius loci dicto Monti addiderunt et univerunt, eidemque Monti sic addito et unito, seu illius depositario dictam summam pro rata unamquamque dictarum Congregationum tangente, de bimestri in bimestre anticipate, ultra summas quas prius solvebant, a die prima dicti mensis maii incipiendo, et sic deinceps in futurum continuando, hic Romae in moneta argentea, libere solvere pro-

miserunt, dictaque loca quingenta viginti sex, cum tribus quintis partibus alterius loci, dilectis filiis Laurentio Gavotto et Sebastiano Marretto, civibus Savonensibus, vendiderunt, pretio scutorum centum quatuordecim monetae pro quolibet loco, et sic in totum scutorum sexaginta millium viginti quatuor monetae per eos quibusdam modis et temporibus solvendorum in manibus praefati Ioannis Baptistae Ubertini, nostri depositarii generalis, et cum pactis, conditionibus et capitulis in instrumento die v praesentis mensis maii, in actis dilecti filii Lutii Calderini, Camerae Apostolicae notarii, celebrato latius contentis, cuius instrumenti tenor talis est, videlicet:

In nomine Domini, Amen.

Tenor instrumenti supra memorati.

Cum semper Sanctissimus D. N. Clemens Papa VIII, Congregationibus regularibus infrascriptis, videlicet Cassinensis et Montis Oliveti, Ordinis S. Benedicti, Lateranensium Canonicorum Regularium sub Regula S. Augustini, Carthusianorum, Camaldulensium, Coelestinorum, S. Salvatoris Bononiensis, etiam Canonicorum regularium, Vallis Umbrosae, Cruciferorum et S. Georgii in Alga, pariter Canonicorum Regularium, et Cisterciensium Lombardiae ac S. Hieronymi, et pro eis procuratori generali dictae Congregationis Cassinensis, et priori S. Petri ad Vincula Urbis, nomine omnium praefatarum Congregationum, ut summam scutorum sexaginta millium, quam ipsae Congregationes eidem Sanctissimo D. N. ad belli sumptus, et opem Romanorum imperatori adversus Turcarum impetus in Pannoniae fines irrumpentium ferendam, tradere et contribuere velle obtulerunt, facilius et commodius comparare valeant, Montem novennalem nuncupatum (quod quidem nulla alia minus dispendiosa ac magis expedita ratio se se offert) augere, eidemque taxam aliquam inter se, pro cuiusquam ipsarum facultate reddituum annuorum, cum interventu tamen reverendissimi domini thesaurarii generalis constituere et assignare, seu fructus Montis praefati ad sex tantum pro quolibet loco reducere, et super taxa, seu rata sic constituenda et assiguanda, tot loca eiusdem Montis ad rationem scutorum sex annuorum pro quolibet, erigere et addere, quot pro summa praefata congerenda sufficiant; dictaque loca sic addita cuicumque mercatori, seu illis personis meliorem conditionem offerentibus, pretio inter eos (cum interventu eiusdem reverendissimi domini thesaurarii) conveniendo et concordando, vendere et alienare, dictumque pretium exinde percipiendum penes magnificum D. Ioannem Baptistam Ubertinum, Sanctissimi D. N. Papae, et Camerae Apostolicae pecuniarum depositarium generalem, ad effectum praedictum, et in computum seorsim ab aliis rationibus Camerae deponere libere et licite valeant, plenam, liberam et amplam facultatem concessit, et alias, prout in eiusdem in forma brevis sub annulo piscatoris, die v aprilis MDCXCIV, anno tertio, expeditis litteris latius continetur, tenoris infrascripti, videlicet [1]:

Reductio fructus Montis ad sex scuta pro quolibet loco.

Volentes modo rever. P. Basilius de Istria, procurator substitutus loco reverendissimi D. Iulii de Cremona procuratoris generalis supradictae Congregationis Cassinensis assentis (de qua substitutione constare asseruit sub rogitu D. Torquati de Floravantibus, cuius fidem, seu instrumentum exhibere promisit in actis mei: *etc.*, infra triduum), et reverendissimus D. Ambrosius Morandus, D. Bononiensis, prior S. Petri ad Vincula

1 Hic refertur de verbo ad verbum praelaudata Clementis constitutio.

Urbis, Congregationis Sancti Salvatoris Bononiensis, tam vigore facultatis eis a Sanctissimo D. N. per dictas litteras attributae, quam mandati procurae per Congregationes praedictas, seu illarum procuratores generales facti, per D. Ioannem Gugnettum, illustrissimi almae Urbis vicarii notarium, sub die xv mensis aprilis proximi praeteriti rogati, quod exbibuerunt, tenoris, *etc.* Ideo anno a nativitate D. N. Iesu Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, indictione septima, die vero quinta mensis maii, pontificatus eiusdem Sanctissimi D. N. Clementis, divina providentia Papae VIII, anno III, coram illustrissimo et reverendissimo D. Bartholomaeo Cesio, Suae Sanctitatis et Camerae Apostolicae thesaurario generali, et in mei Camerae Apostolicae notarii testiumque infrascriptorum, ad haec specialiter vocatorum et rogatorum praesentia personaliter constituti, praefati Reverendissimi PP. D. Iulius de Cremona, et D. Ambrosius Morandus, procuratores, ac vice et nomine dictarum Congregationum declarantes, in primis et ante omnia, se habere certam et indubitatam scientiam et notitiam de licentia et facultate sibi in praeinsertis litteris concessa, deque omnibus et singulis in eis contentis, dictamque licentiam et facultatem acceptantes, illaque utentes et uti volentes, ac taxa, contributione et portione, quam unaquaeque dictarum Congregationum dicto Monti solvebat, prout asseruerunt, visis et consideratis, reducto et aestimato valore scutorum auri in auro a iuliis undecim cum dimidio, prout aliquae ex eis prius solvebant, ad iulios duodecim; et addito illo pluri infrascriptae taxae, et factis computis, adhibitis etiam peritis calculatoribus et ratiocinatoribus, omnibusque mature discussis, vigore dictarum facultatum, ac alias omni meliori modo, *etc.*,

Duodecim procuratores Congregationum supradictarum.

et super omnibus, et singulis cuiuscumque dictarum Congregationum bonis, iuribus et redditibus, summam seu taxam infrascriptam inter eas, ut infra distribuendam et assignandam, constituerunt ac imposuerunt; videlicet Cassinensium scutorum nongentorum sexaginta quinque monetae de iuliis decem pro quolibet scuto; Carthusiensium scutorum sexcentorum sexaginta octo, bol. 48; Lateranensium scutorum quadringentorum octuaginta duorum, bol. 90; Montis Oliveti scutorum quingentorum duodecim, bol. 5; S. Salvatoris scutorum centum quadraginta trium, bol. 57; Vallisumbrosae scutorum octuaginta octo, et bol. 4; Cisterciensis Lombardiae scutorum viginti septem; S. Hieronymi scutorum viginti septem; S. Georgii in Alga scutorum undecim; Cruciferorum scutorum quinque, bol. 10 similium, ultra summas quas prius dicto Monti solvebant, quibus quidem, additis scutis quadraginta tribus, bol. 35 pro reductione infrascripta priorum locorum a scutis 6 et bol. 3, pro quolibet loco ad scuta sex tantum, et scutis undecim (quae superant ex fructibus dictorum priorum locorum) constituunt summam scutorum trium millium centum quinquaginta novem, bol. 60 monetae: quam quidem Monti novennali praefato applicarunt, appropriarunt et assignarunt, dictique Montis, ac illius priorum et antiquiorum locorum fructus a dictis scutis sex, et bol. 3, seu quacumque alia summa, ad annua scuta sex tantum reduxerunt, et super dicta bona et summa, ut praemittitur, dicto Monti constituta, aucta et assignata, alia loca quingenta viginti sex, cum tribus quintis partibus alterius loci fecerunt, crearunt et erexerunt, illaque Monti novennali praedicto addiderunt, univerunt et incorporarunt, ipsumque Montem novennalem ad dicta loca, seu portiones

Taxa super unaquaque Congregatione constituta et assignata.

quingentas viginti sex cum tribus quintis partibus alterius loci extenderunt et auxerunt, ita ut tam antiqua et priora, quam nova ut addita loca unum idemque Montis corpus et collegium, absque aliqua prorsus etiam ratione prioritatis seu posterioritatis differentia, constituant et efficiant; dictorumque additorum locorum emptores omnibus et singulis gratiis, exemptionibus, immunitatibus, iuribus et privilegiis, quibus antiquiora loca, illorumque emptores et possessores, iuxta dicti Montis erectionis formam, utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, pariformiter et aeque principaliter uti, potiri et gaudere possint, valeant et debeant in omnibus et per omnia; perinde ac si loca omnia praefata insimul ab initio et primaeva dicti Montis erectione creata et instituta fuissent, dictoque Monti sic addito, extenso et aucto, ac illius depositario, procuratores praefati, quibus supra nominibus, summas praedictas pro rata et portione unamquamque dictarum Congregationum respective tangente ultra, summas quas prius unaquaeque solvebat, solvere promiserunt de bimestri in bimestre, anticipate, a die prima praesentis mensis maii incipiendo, et sic deinceps in futurum continuando hic Romae libere, *etc.*, in moneta argentea; ita ut a die prima maii in futurum, quaelibet ex dictis Congregationibus pro fructibus dicti Montis solvat infrascriptas summas, videlicet:

Antiqua loca Montis et nova unum corpus constituunt.

Cassinen.	sc.	4768	40
Carthusien.	sc.	3299	30
Lateranen.	sc.	2384	66
Montis Oliveti	sc.	515	84
Camaldulen.	sc.	161	5
S. Salvatoris	sc.	143	57
Vallis Umbrosae	sc.	88	»
	sc.		
Cistercien. Lombardiae	sc.	27	»
S. Hieronymi	sc.	27	»
S. Georgii in Alga	sc.	181	72
Coelestin.	sc.	158	87
Cruciferorum	sc.	72	95
	sc.	11826	»

Ad quas quidem summas, ut praemittitur, de bimestri in bimestre anticipate et respective solvendas, omnes dictas Congregationes omniaque illarum bona, iura, redditus et introitus ad favorem dicti Montis et illius creditorum, licet absentium, me notario pro illis ac omnibus, quorum interest, *etc.*, acceptante et stipulante, obligarunt et hypothecarunt, dictumque Montem, ac illius collegium et creditores in omne ius, locum et privilegium quoad summas praedictas respective posuerunt et subrogarunt, omniaque alia in dictis litteris contenta, quae hic pro sigillatim repetitis habeantur et sint, eisque incumbentia et per eos adimplenda perpetuo inviolabiliter adimplere et observare promiserunt. Et ulterius pro huiusmodi negotii expeditione et exequutione, asserentes dicti RR. Patres se omnem diligentiam adhibuisse de et super venditione et alienatione dicti Montis faciendis ad effectum quamprimum illius pretium consequendi, et intentioni Suae Sanctitatis satisfaciendi, et neminem adhuc reperisse, qui meliorem conditionem faciat, quam illustres DD. Laurentius Gavottus, et Sebastianus Marrettus, nobiles Savonenses, mercatores Romae negotiantes, qui totum dictum Montem additum empturos, et pretium infrascriptum se soluturos obtulerunt. Re igitur cum illustrissimo et reverendissimo domino thesaurario generali praelicto communicata, et ab eo approbata, eisdem dominis Laurentio et Sebastiano

omnia dicta loca, ut praefertur, addita, vendere et concedere delibcrarunt.

Venditio quingentorum viginti sex locorum dicti Montis.

Propterea coram eodem illustrissimo et reverendissimo domino thesaurario, meque, *etc.*, iidem procuratores, nominibus praedictis, et vigore dictarum facultatum, ac alias omni meliori modo, *etc.* sponte, *etc.*, dicta loca quingenta viginti sex cum tribus quintis partibus alterius loci Montis novennalis praefati, ut praemittitur, addita et unita cum annuis fructibus et redditibus scutorum sex pro quolibet loco, a dicta die prima mensis maii incipiendo, cum omnibus iuribus et privilegiis, immunitatibus, exemptionibus et gratiis, necnon assignationibus supradictis, quae hic pro repetitis haberi voluerunt, vendiderunt, dederunt et cesserunt, ac libere et omnino transtulerunt eisdem illustribus DD. Laurentio Gavotto et Sebastiano Marretto, praesentibus pro se ipsis, eorumque haeredibus et successoribus ac omnibus et singulis, quibus ipsi vendiderunt, una mecum notario, *etc.*, pro omnibus, quorum interest, *etc.*, respective cum conditionibus infrascriptis stipulandis et acceptandis, et ex causa huiusmodi venditionis, cesserunt omnia iura, *etc.*, dictis Congregationibus, et earum cuilibet respective de et super dictis fructibus et redditibus predictis, respective summis quomodolibet competentibus, *etc.*; nullo iure, *etc.*, ad habendum, *etc.*, ponentes, *etc.*, dantes, *etc.*, et donec, *etc.*, constituerunt, *etc.*

Et hanc venditionem, *etc.*, fecerunt et facere declararunt pretio et nomine veri et iusti pretii scutorum centum et quatordecim pro quolibet loco, et sic in totum scutorum sexaginta millium, triginta duo et bol. 40 monetae.

Quae quidem scuta sexaginta millia, triginta duo et bol. 40, emptores praefati solvere promiserunt dictis RR. DD. venditoribus, et pro eis illustri D. Ioanni Baptistae Ubertino, SS. D. N. et Camerae pecuniarum depositario generali, et pro dicta summa recipienda depositario ab eodem SS. D. N. specialiter deputato, hoc modo, videlicet: scuta triginta millia, quae per totum diem septimum praesentis mensis maii ponere promiserunt, in banco dicti domini depositarii, ad creditum tamen ipsorum DD. emptorum, ut supra, persolvenda, statim sequuta confirmatione Sanctissimi Domini Nostri Papae praesentis instrumenti, per breve Suae Sanctitatis, dictoque brevi expedito, et eisdem DD. emptoribus consignato; residuum vero per totum mensem iunii proxime venturi, prout dicti DD. Gavottus et Marrettus solvere promiserunt, et quilibet eorum in solidum promisit.

Modus depositum pecuniarum solvendarum faciendi.

His tamen pactis et conditionibus adiectis, videlicet quod emptores praedicti, vel eorum haeredes et successores ad probandum quod pecuniae per eos, occasione dicti pretii solvendae seu deponendae, in usum et effectum praefatum, seu alias in earumdem Congregationum utilitatem conversae fuerint, minime teneantur, nec ad id in iudicio vel extra compelli possint, nec probatio contraria eis ullo umquam tempore obstare valeat; ita, quod depositaria dicti Montis sic additi et uniti, una cum depositaria dictorum priorum eiusdem Montis locorum unita, aucta et incorporata, una et eadem sit et esse intelligatur, et ad dictos DD. emptores ex causa et titulo huius venditionis spectet et pertineat, idemque secretarius et computista litteras patentes ac notulam, seu listam omnium creditorum et montistarum, tam priorum quam novorum, indifferenter cum solitis emolumentis expediant et respective faciant, prout hactenus facere et expedire consueverunt. Item, quod Congregationes praedictae nullo unquam tempore pos-

sint huiusmodi solutiones recusare, seu quovis modo et ex quavis causa differre, etiam sub praetextu quod in computis distributionis dictae taxae, seu alias quomodolibet gravatae reperirentur, sed omnino et praecise ad dictas solutiones, modis ac temporibus supradictis, dicto Monti ac illius depositario faciendas, teneantur et obligatae sint.

Casus redemptionis Montis.

Item in eventum, in quem Congregationes praedictae dictum Montem sic additum redimere vellent, sponte vel alias quovis modo, et etiam ex ordine et mandato principis, aut aliorum superiorum, teneantur solvere et restituere dictum pretium ad eamdem restitutionem scutorum centum quatuordecim pro quolibet loco, quo ipsi ita vendiderunt, sive dicta loca, tempore redemptionis, plus seu minus valeant, seu venderentur.

Confirmatio praemissarum a SS. D. N. facienda.

Itemque dicti RR. PP. procuratores nominibus praefatis teneantur huiusmodi venditionem, ac Montis additionem et taxae praedictae distributionem et assignationem, omniaque alia in praesenti instrumento contenta, ad maiorem dicti Montis et emptorum praefatorum cautelam et securitatem, confirmari et approbari facere per breve SS. D. N. cum omnibus clausulis et cautelis necessariis et opportunis, dictumque breve expediri facere dictarum Congregationum sumptibus, illudque sic expeditum, una cum instrumento publico praesentibus additionis et venditionis, earum similiter expensis, dictis DD. emptoribus tradere et consignare, ipsique DD. emptores ante dicti brevis expeditionem et consignationem ad aliquid ex causa dicti pretii solvendum minime teneantur, nec cogi possint.

Promittentes dicti RR. Patres, quibus supra nominibus, huiusmodi venditionem esse et semper fore bonam, ac bene et valide factam, illamque et omnia et singula in praesenti instrumento contenta habere rata, *etc.*, et contra non facere, *etc.*, alias, *etc.*, de quibus, *etc.*, absque, *etc.*, pro quibus, *etc.*, dicti RR. PP. dictas Congregationes et earum singulas, earumque et cuiuscumque ipsarum bona, *etc.*, introitus, *etc.*, dicti vero DD. emptores sese ipsos, *etc.*, eorumque haeredes, *etc.*, et bona, *etc.*, in ampliori forma Camerae Apostolicae, cum solitis clausulis, *etc.*, citra, *etc.*, obligarunt, *etc.*, renunciarunt cuicumque appellationi, et tactis pectoribus, *etc.*, et scripturis, *etc.*, respective iurarunt, super quibus, *etc.* Actum Romae in aedibus solitis dicti rev. D. thesaurarii, praesentibus ibidem DD. Hermete Caballetto Camerae Apostolicae et dicti Montis ratiocinatore, et Fantino Rentio etiam eiusdem Camerae Apostolicae ratiocinatore, testibus, *etc.*

Huiusmodi instrumentum confirmat Clemens.

§ 3. Nos itaque volentes praedicta omnia, quae de mandato, scientia et ordine nostris processerunt et gesta sunt, perpetuo inviolabiliter servari, et ut firma et immutabilia permaneant, tam pro dictarum Congregationum, quam Montis praefati et illius emptorum et creditorum securitate statuere et providere, motu simili, et ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertum instrumentum omniaque et singula in eo contenta, iuxta illius formam et tenorem, in omnibus et per omnia approbamus et confirmamus, illisque apostolicae firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes et singulos tam iuris, quam facti et solemnitatum quarumlibet necessariarum, etiam ex forma et tenore quarumcumque litterarum apostolicarum vel aliarum et similia instrumenta annullantium, ac etiam mandati, seu facultatis dictorum procuratorum, ac consensus omnium illorum, qui in praemissis forsan consentire debuissent defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, ita ut a nullo unquam impugnari valeant, etiam sub

praetextu, quod dicti procuratores non haberent huiusmodi facultatem, seu formam praeinsertarum litterarum nostrarum in aliquo variaverint, seu forma in eis tradita minime servata fuerit; vel ex eo, quod priores montistae, seu alii, quorum interest, vocati non fuerint, sed ea omnia inconcussa firmitate subsistere et inviolabiliter, ac praecise servari debere; et nihilominus ad maiorem cautelam taxam praedictam scutorum trium millium centum quinquaginta novem bol. 60 super bonis et redditibus cuiusque dictarum Congregationum, prout in praeinserto instrumento continetur, imponimus et constituimus, et ab aliis dictarum Congregationum bonis et redditibus seiungimus et separamus, dictoque Monti applicamus et assignamus, illique per dictas Congregationes, modo, loco et terminis praemissis, omnino et cum effectu persolvi mandamus; ac illius fructus ad annua scuta sex tantum pro quolibet loco reducimus, et super eadem taxa dicta loca quingenta viginti sex cum tribus quintis partibus alterius loci ad dictam rationem scutorum sex annuorum pro quolibet loco erigimus et instituimus, et cum aliis dicti Montis prioribus locis unimus, addimus, confundimus et incorporamus, ita ut inter eos omnis differentia, omneque discrimen penitus et omnino tollatur, praeterquam in casu infrascriptae redemptionis; dictaque loca quingenta viginti sex cum tribus quintis partibus alterius loci eisdem Laurentio Gavotto et Sebastiano Marretto vendimus et transferimus pretio dictorum scutorum centum quatuordecim monetae pro quolibet loco, per eos modis et temporibus in eodem instrumento contentis solvendo, ita ut ex nunc dicti emptores eadem loca Montis cuicumque alteri personae in una, seu pluribus vicibus vendere et resignare, deque illis ad eorum libitum disponere, libere et licite valeant. Statuentes dictos emptores, omnesque alios ius et causam ab eis habentes et habituros ad probandum, seu verificandum, in quam causam pretium dicti Montis ab eis solutum conversum fuerit, nullo unquam tempore teneri, aut obligatos esse; ac depositariam dicti Montis cum additione praefata unam eamdemque remanere, et ad eosdem emptores, ex causa dictae venditionis, spectare et pertinere; eosdemque secretarium et computistam dicti Montis litteras patentes et listam creditorum et montistarum cum solitis emolumentis conficere et expedire debere. Et in omnem casum et eventum redemptionis et extinctionis dicti Montis sic, ut praemittitur, additi, tam si sponte fiat a dictis Congregationibus, quam etiam ex ordine et mandato nostris vel successorum nostrorum, pretium illius ad eamdem rationem scutorum centum quatuordecim pro quolibet loco solvi et restitui debere, et propterea in quibuscumque litteris patentibus dictorum additorum expediendis mentionem fieri volumus et mandamus, quod sunt de locis nunc additis, ad effectum, ut dicta redemptione vel extinctione occurrente, restituatur pretium dictorum locorum ad eamdem rationem scutorum centum quatuordecim pro quolibet loco, et quoad reliqua cesset omnis differentia, ac in omnibus et per omnia prioribus locis, ut praemittitur, aequiparentur, dictasque Congregationes nullo umquam tempore solutiones praedictas per eas debitas recusare, seu quovis modo retardare aut differre posse, etiam sub praetextu, quod in computis dictae taxae ac illius distributionis, seu alias quomodolibet gravatae fuerint, sed omnino et praecise ad dictas solutiones, modis et temporibus supradictis, depositario Montis faciendas teneri et obligatas esse.

Pontifex cautelas nonnullas addit pro praemissorum securitate maiori.

Casus venditionis contemplatus, ut supra.

§ 4. Praesentesque nostras de subre-

Clausulae ad perpetuam huiusce confirmationis firmitatem.

ptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari, argui vel impugnari, aut revocari, restringi vel limitari nullatenus posse, et si secus fiat, quoties id fiet, toties illas in pristinum restitutas et plenarie reintegratas, validasque et efficaces; perinde ac si consistorialiter et de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu emanassent, perpetuo fore et esse ac censeri, vimque validi contractus inter nos et Sedem praefatam et dictos Montis emptores et alios ab eis causam habentes et habituros initi habere, easque ad omnia et singula praemissa plene probanda omnino sufficere, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri; dictumque Montem et collegium ac illius depositarium in pacifica et quieta dictarum pecuniarum et summarum per unamquamque dictarum Congregationum, ut praemittitur, debitarum et assignatarum, modis ac temporibus, percipiendi, exigendi et consequendi, ac iurium et privilegiorum praefatorum possessione, dicto Monte durante, manutenendos et conservandos esse, ac desuper numquam molestari debere; sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus omnibus, quae in singulis praedecessorum nostrorum super erectione ac reductione dicti Montis novennalis, ac praeinsertis nostris litteris, voluerunt ac nos respective volumus non obstare, quae hic sigillatim pro repetitis habeantur; quibus omnibus specialiter et expresse derogamus, nec non aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis et Cancellariae nostrae regulis, etiam de non tollendo iure quaesito, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die XXII maii MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 22 maii 1594, pont. an. III.

LXXXV.

Vicarius Turritani archiepiscopi deputatur commissarius apostolicus ad recipiendas rationes ab oeconomis ecclesiarum Sardiniae super spoliis archiepiscoporum et episcoporum, fructuumque ecclesiarum vacantium [1].

Dilecto filio vicario venerabilis fratris archiepiscopi Turritani, in spiritualibus generali

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem quandocumque ea, quae per praedecessores suos piis usibus applicata fuere, secus atque destinata sunt, conversa fuisse comperit, de opportunae provisionis remedio providere, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Pius V spolia archiepiscoporum et episcoporum Sardiniae, fructusque ecclesiarum vacantium applicavit reparationi ipsarum ecclesiarum, atque suppellectilium sacrarum comparationi.

§ 1. Alias siquidem felicis recordationis Pio Papae V praedecessori nostro exposito pro parte charissimi in Christi filii nostri, tunc sui, Philippi Hispaniarum regis catholici, quod cum Sedes Apostolica numquam percepisset, nec percipere consuevisset spolia archiepiscoporum et episcoporum in insula Sardiniae metropolitanas et cathedrales ecclesias obtinentium, nec minus fructus, redditus et proventus ecclesiarum huiusmodi, illarum

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

vacatione durante, decurrentes, sed spolia et fructus huiusmodi ipsorum archiepiscoporum et episcoporum in dictis ecclesiis successores ex privilegiis et indultis apostolicis, semper percepissent et levassent, ac percipere et levare pacifice et quiete consuevissent, et cum ecclesiae huiusmodi pro earum fabricis ac ornamentis et paramentis pro divino culto necessariis, nullos haberent redditus, verisimiliter, ac pro certo credendum erat, privilegia et indulta praedicta ea ratione per Romanos Pontifices concessa fuisse, ut ipsi archiepiscopi et episcopi ecclesias praedictas ex pecuniis provenientibus ex spoliis et fructibus praedictis reparare, instaurare et manutenere et conservare, nec non ornamenta et paramenta huiusmodi in eisdem ecclesiis habere deberent et tenerentur. Nihilominus a multo et fere immemorabili tempore citra, ipsi archiepiscopi et episcopi, quamvis spolia et fructus huiusmodi exegissent et percepissent, illa in eorum commodum et utilitatem et proprios usus converterant, negligendo et omittendo ecclesias praedictas et earum aedificia ac structuras instaurare, reficere et reparare, ornamentaque et paramenta huiusmodi habere, ex qua avaritia et negligentia ecclesias praedictas ruinas in eorum aedificiis fere in totum minari, ornamentisque et aedificiis huiusmodi carere contigerat; idem Pius praedecessor, supplicationibus eiusdem Philippi, qui etiam Sardiniae rex existit, ea in parte sibi humiliter porrectis, inclinatus, spolia archiepiscoporum et episcoporum praedictorum in dicta insula et extra eam, non tamen in Italia decedentium, fructusque, redditus et proventus ecclesiarum praedictarum, illarum vacatione durante, ab episcopis et archiepiscopis, quos in ecclesiis huiusmodi, ut praefertur, vacantibus pro tempore succedere contigisset, auctoritate apostolica perpetuo abdicavit et separavit, illasque dictis ecclesiis, pro illarum fabrica, structura, reparatione et conservatione, ac etiam ornamentorum et paramentorum emptione et manutentione, etiam perpetuo applicavit et appropriavit: et insuper, ut praemissa suum debitum consequi possent effectum, dilectis filiis singulis Capitulis singularum ecclesiarum praedictarum, illarumque personis per dictum Philippum regem, eiusque successores eligendos, ut spolia et fructus huiusmodi percipere, exigere et recuperare possent et valerent, illaque in restaurationem, recuperationem et manutentionem, emptionem et conservationem praedictas, convertere, ipsasque ecclesias instaurare, reparare et conservare, ornamentaque et paramenta praedicta emere et manutenere deberent et tenerentur, perpetuo concessit et indulsit, ac commisit et mandavit; ipsisque archiepiscopis et episcopis ne spoliis ac fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi se in aliquo intromitterent, aut intromittere auderent, quinimmo illa per Capitula et personas huiusmodi percipi, exigi et recuperari, et ut praefertur, converti promitterent, sub censuris et poenis ecclesiasticis eo ipso incurrendis, inhibuit ac praecepit et mandavit, prout in ipsius Pii praedecessoris litteris in forma brevis, sub datum die VIII februarii MDLXIX, pontificatus sui anno II expeditis, latius continetur.

Ex episcoporum negligentia ecclesiae fabricis, paramentis omnique decore imminutae.

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper innotuit, Capitula ecclesiarum tam metropolitanarum, quam cathedralium, seu oeconomi, aut aliae personae ad perceptionem spoliorum archiepiscoporum et episcoporum pro tempore defunctorum, ac fructuum, reddituum et proventuum ecclesiarum huiusmodi pro tempore vacantium, vigore dictarum Pii praedecessoris litterarum deputati, spolia quidem ac fructus, redditus et proventus huiusmodi

Sed cum ecclesiarum oeconomi ea sibi propria fecerint

perceperint et exegerint, eos tamen, non in reparationem ecclesiarum, ac ornamentorum et paramentorum emptionem, ut Pii praedecessoris mens fuit, sed in proprios eorum usus converterint: nos piam tam Philippi regis, quam Pii praedecessoris intentionem sic fraudari aegre ferentes, ac in praemissis opportune providere volentes, motu proprio et ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, te, de cuius prudentia, fide et integritate plurimum in Domino confidimus, ad infrascripta commissarium et delegatum nostrum specialem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, constituimus et deputamus, tibique per praesentes committimus et mandamus plenam, liberam et amplam ad hoc facultatem tribuentes, ut ab omnibus et singulis Capitulis tam metropolitanarum, quam cathedralium ecclesiarum insulae Sardiniae, ac oeconomis quibuscumque, tam ab eis, quam etiam a praedicto Philippo rege, aut aliis quibuscumque, quavis auctoritate ad receptionem spoliorum archiepiscoporum et episcoporum pro tempore defunctorum, ac fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi ecclesiarum vacantium pro tempore, deputatis, fidelem ac diligentem rationem tam spoliorum, quam fructuum, reddituum et proventuum per eos et quemlibet ipsorum, usque in diem, quo rationem exigere incoeperis, exactorum et perceptorum, auctoritate nostra exigas, eosdemque ad huiusmodi rationem tibi reddendam per censuras et poenas ecclesiasticas, atque privationis suorum beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum quorumcumque, inhabilitatisque ad illa et alia imposterum obtinenda, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, cogas et compellas; et si, visis rationibus computisque, huiusmodi spolia et fructus, redditus et proventus per eos exactos et perceptos, in restaurationem ecclesiarum, ac ornamentorum et paramentorum emptionem, ut a praefato Pio praedecessore designatum fuit, minime expensos, sed in alios quosvis usus, in dictis litteris minime expressos, et contra dictarum litterarum seriem, conversos fuisse compereris, Capitula, oeconomos et alios exactores huiusmodi, sive haeredes, per supradictas et alias etiam graviores poenas, arbitrio tuo, infligendas aggravandasque et reaggravandas, ad integram restitutionem spoliorum ac fructuum, reddituum et proventuum huiusmodi faciendam, pariter cogas, compellas, ac penes personam fide et facultatibus idoneam deponi mandes et facias, unde nisi de mandato nostro, a quoquam, quavis auctoritate, recipi, aut in alios, quam eos, quos nos statuemus, usus, converti minime permittas; tibique facultatem, quoscumque opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito, etiam summarie de non tuto ad illos accessu, citandi ac inhibendi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, aliaque in praemissis et circa ea necessaria et opportuna faciendi, tribuimus.

Clemens vicario Turritani archiepiscopi committit, ut eos cogat ad rationem perceptorum reddendam, poenasque inobedientibus infligat.

Oeconomos et eorum haeredes compellendi ad integram male expensorum restitutionem.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quarumvis ecclesiarum et Capitulorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis et confirmatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores, praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice, dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Obstantia tollit.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIII aprilis MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 13 aprilis 1594, pont. an. III.

LXXXVI.

Canonizatio S. Hyacinthi, Ordinis fratrum Praedicatorum, et festivitatis institutio pro die XVI *mensis augusti.*

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sancti qui in coelo regnant, in terra etiam Romani Pontificis decreto venerandi sunt.

Benedictus Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui dilectam Filii sui sponsam, catholicam et apostolicam ecclesiam perpetua regit providentia, atque his luctuosis temporibus, multis aerumnis et calamitatibus afflictam, multiplici etiam gaudio et Sanctorum suorum gloria consolatur. Vere enim magna existit spiritualis laetitiae materia, cum Deus illustria servorum suorum merita ideo mundo manifestat, ut dum illis ubique terrarum veneratio tribuitur, Deus ipse in Sanctis suis mirabilis praedicetur. Nam cum aliqui servi Dei, excellenti vitae sanctitate et miraculis insignes, iam cum Christo in coelo regnantes, in terra quoque summa Romani Pontificis auctoritate, Sancti esse declarantur, rex ipse sempiternae maiestatis et gloriae, in Sanctorum concilio glorificatur, divini cultus observantia augetur, fidelium pietas et devotio excitatur, detestandae haereses magis magisque convincuntur, plures populo Dei ad virtutis exemplum et suffragii patrocinium proponuntur, ut quod fideliter petimus, id efficacius, multiplicatis intercessoribus, consequamur.

Sixtus V canonizavit S. Didacum [1].

§ 1. Quare, magna Dei benignitate, ante paucos annos factum est, ut a felicis recordationis Sixto Papa V, praedecessore nostro, ex seraphici patris Francisci religione, beatus Didacus Hispanus, in Sanctorum numerum referretur, et nunc vicissim ex beatissimi patriarchae Dominici disciplina, beatus Hyacinthus, Polonus, Sanctis pariter Christi confessoribus adscribatur, nimirum ut duo clarissimi Ordines unde tot pii ac sancti viri catholicae ecclesiae lumina prodierunt, nostra quoque aetate, duplicato populi christiani gaudio, honore consimili augeantur, ut duae istae lucernae, fide et signis mirabilibus luminosae, et charitate ardentes, supra excelsum candelabrum collocatae, in domo Dei colluceant.

Et mox proponitur canonizatio beati Hyacinthi.

§ 2. Et nos quidem cum multis aliis in rebus, tum in hoc etiam divinae gratiae abundantiam agnoscimus, primum quod nos ipsos Deus, veluti oculatos testes, in hac religiosa causa esse voluerit. Nam cum adhuc ex numero essemus venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et Apostolicae Sedis de latere legatione in Polonia fungeremur, vidimus Cracoviae insigni loco sepulchrum B. Hyacinthi, in quo venerandum illius corpus in somno pacis requiescit, et regni illius erga hunc beatum virum singularem devotionem perspeximus; deinde etiam in eo divitias bonitatis Dei praedicamus, quod ita disposuerit, ut hoc pium et salutare canonizationis beati Hyacinthi negocium, ante annos quinque et septuaginta, religiosis Poloniae regibus, regnique Ordinibus supplicantibus, inchoatum et a pluribus Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, variis progressionibus promotum, tandem per nostrae humilitatis ministerium, qui Poloniae regnum peculiari paternae dilectionis affectu complectimur, omni ex parte absolveretur.

Leo X, Poloniae rege instante, processum illius commisit.

§ 3. Anno siquidem humanae salutis MDXVIII felicis recordationis Leo Papa X, praedecessor noster, supplicationibus recolendae memoriae Sigismundi I Poloniae regis tunc in humanis agentis, de beato Hyacintho, Polono, Ordinis fratrum Praedicatorum, fidei integritate et morum sanctimonia et miraculorum fama, in universo Poloniae regno percelebri, in San-

1 Constitut. CXXVIII: *Rex*, tom. IX, pag. 8.

ctorum numerum referendo, inclinatus, bonae memoriae Ioanni, episcopo Laudicensi, et Iacobo, canonico Cracoviensi, ut in eius vitam et miracula diligenter inquirerent, suis quibusdam litteris mandavit. Qui pro suo Apostolicae Sedi obtemperandi studio, universae illius vitae et miraculorum rationes in acta retulerunt, eaque anno etiam Domini MDXXVI Leone, praedecessore praedicto, vita functo, ad piae memoriae Clementem Papam VII, etiam praedecessorem nostrum, transmiserunt.

Leone vita functo Clemens VII fratribus Ordinis S. Dominici licentiam dedit in regno Poloniae, illius officia celebrandi.

§ 4. Quibus quidem actis diligenter perspectis, ac etiam ipsius Sigismundi regis supplicationibus idem Clemens praedecessor adductus, dum de tota re mature decerneret, fratribus Ordinis Praedicatorum dicti regni, ut postridie festivitatis Assumptionis Beatissimae Dei Genitricis Virginis Mariae, solemnitatem atque officium, ac sacrosanctum missae sacrificium in eiusdem B. Hyacinthi honorem celebrare, atque etiam imagines et altaria illi in omnibus ecclesiis domorum suarum praefati Ordinis statuere possent concessit. Et deinde, praedicto Sigismundo rege id etiam postulante, eamdem concessionem ad omnes dicti regni cathedrales ecclesias, quoad usque ad canonizationem dicti B. Hyacinthi deventum esset, extendit.

Paulus III iterum negocium dictae canonizationis tribus cardin. examinandum commisit.

§ 5. Caeterum, consilio de canonizatione huiusmodi, ob quasdam tunc obortas difficultates, per id tempus intermisso, anno similiter Domini MDXXXIX tunc existentes praesules eiusdem regni, in synodo Petricoviensi per eos celebrata congregati, unanimi consensu, dicto Clemente praedecessore defuncto, per litteras sanctae memoriae Paulo Papae III, similiter praedecessori nostro, supplicarunt, ut ad huiusmodi canonizationem perficiendam, suam et dictae Sedis auctoritatem impertiretur. Quorum supplicationibus idem Paulus praedecessor annuens, tribus venerabilibus fratribus suis Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ordinum prioribus, negocium canonizationis huiusmodi rursus examinandum commisit; qui et ipsi, pro assiduis eiusdem Sigismundi regis, necnon prioris provincialis dicti Ordinis in praedicto regno tunc deputati supplicationibus, quibus nempe id petebant, ut in ipsius Hyacinthi fidei sinceritatem, vitae sanctitatem et miraculorum, quorum in dies in dicto regno fama augebatur, excellentiam diligenter iterum inquireretur, ad quosdam ipsius regni probatos viros hoc negocium detulerunt, qui concessionibus apostolicis super ea re factis, aliisque omnibus, quae ad canonizationem praedictam pertinebant, attente consideratis, singula mature examinata in publica documenta redegerunt, denique summa fide collecta ad dictam Sedem transmiserunt. Postmodum idem Paulus praedecessor fratribus dicti Ordinis eiusdem regni etiam concessit, ut ipsi officium de dicto beato Hyacintho singulis quintis feriis, in quas nullum festum proprium incideret, perinde ac si esset in Sanctorum numerum relatus, quemadmodum de sancto Dominico singulis feriis tertiis fieri solebat, recitare, ac illius ossa et corpus exhumare, ipsumque in sublimiorem ecclesiae locum transferre possent.

Gregorius XIII et Sixtus V de absolutione canonizationis requisiti fuerunt.

§ 6. Postea labente an. Dom. MDLXXXIII clarae memoriae Stephani Poloniae regis, de eadem canonizatione apud felicis recordationis Gregorium Papa XIII, pariter praedecessorem nostrum, dum in humanis ageret, supplicatione intercedente, ac interea illo vita functo, carissimi in Christo filii nostri Sigismundi III Poloniae regis, ac carissimae etiam in Christo filiae nostrae Annae, Poloniae reginae, necnon dilectorum filiorum nostrorum tunc suorum, Gregorii, tit. Sancti Sixti de Radzi-

vil et Andreae de Somlio tit. Sancti Angeli in Piscina, Battorii nuncupatorum cardinalium, et venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum, caeterorumque totius regni praedicti Ordinum status, tam ecclesiastici, quam saecularis, votis ac precibus, a felicis recordationis Sixto Papa V, etiam nostro praedecessore, per dilectos filios Stanislaum Rescium, eiusdem Sigismundi regis apud eumdem Sixtum internuncium, necnon fratrem Hippolytum Mariam Beccaria de Monte Regali, magistrum generalem totius Ordinis Praedicatorum, ac eius nomine fratrem Bartholomaeum de Miranda, tunc procuratorem generalem eiusdem Ordinis, ac demum fratrem Severinum, Cracoviensem, eiusdem causae, nomine provinciae et regni Poloniae, ad id constitutum procuratorem, supplicatum fuit, ut ipse eumdem beatum Hyacinthum pro sanctitatis suae fama, quam miraculorum accessio in dies magis magisque confirmabat, in Sanctorum numerum veteri Romanae Ecclesiae ritu et praescripta solemnitate cooptaret.

Sixtus V processum iam perfectum cardinalibus deputatis super sacris ritibus et tribus Rotae auditoribus examinandum commisit.

§ 7. Idem vero Sixtus praedictum processum super huiusmodi re confectum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, S. R. E. cardinalium, super sacris ritibus deputatorum, examinandum commisit. Coram quibus idem Sigismundus rex et universi regni praedicti status ecclesiastici, nec non ipsius Ordinis Praedicatorum religionis professores, nonnulla scripturarum, ac iurium volumina, duoque processus super ea re formati exempla protulerunt, unum videlicet ex felicis recordationis Pauli PP. IV, etiam praedecessoris nostri, qui unus ex tribus cardinalibus in ordine prioribus a praedicto Paulo praedecessore ad id deputatus fuerat, scripturarum monumentis depromptum; alterum vero ex ipso regno simul cum libro, tum vetustatis auctoritate, tum vitae ac miraculorum eiusdem B. Hyacinthi diligenti expositione probato allatum, eo quidem illud ad fidem propositis de rebus faciendam firmius, quod esset praestantium virorum litteris obsignatum et longo annorum spatio in archivio Cracoviensis conventus eiusdem Ordinis Praedicatorum, tantae cum fidei laude asservatum, ut illo tamquam certi testis opera summae auctoritatis homines semper dubiis in rebus uterentur. Cuius rei fidem vel hoc ipsum augebat, quod alterum alteri, tum rebus tum sententiis omnibus tam apte respondebat, ut nihil vel similius vel congruentius excogitari posse videretur. Quae quidem universa, citato fisci procuratore, recognita fuerunt. Idem porro Sixtus praedecessor, tribus causarum palatii auditoribus doctrina et rerum usu praestantibus, ad hoc nominatim deputatis mandavit, ut de iisdem illis iuribus, ac processus exemplis diligenter cognoscerent, et conclusiones inde pro more colligerent.

Qui Gregorio XIV retulerunt.

§ 8. Qua in re, cum diu multumque illi operam suam exercuissent, eodem Sixto, sicut Domino placuit, viam universae carnis ingresso, felicis recordationis Gregorio PP. XIV, praedecessori etiam nostro, retulerunt, producta iura plenissimae esse fidei atque auctoritatis, processumque omnem ad canonum praescripta fuisse confectum, atque ex eo beati Hyacinthi fidei integritatem, vitae sanctitatem et miraculorum, ex quibus octo potissimum consideranda proposuerant, claritatem manifeste elucere. Qua quidem re ad venerabilium etiam fratrum suorum S. R. E. cardinalium super sacris ritibus tunc deputatorum Congregationem, ut et ipsi, quid ea de re sentirent, in medium afferrent, eiusdem Gregorii iussu remissa, iidem cardinales attente examinatis aliarum a praedictis causarum auditoribus conclusionum argumentis, ac fisci

procuratore semper citato atque audito, servatisque etiam servandis, unanimi consensu eorumdem auditorum, super scripturis, iuribus et processus exemplis exhibitis relationem approbarunt, et rationes, quibus de illius fide, vita et miraculis constaret, longe firmissimas esse iudicarunt.

Rex Poloniae pro dicta canonizationis absolutione apud Clementem VIII vehementius institit.

§ 9. Accessit denique recens et aequitatis ac pietatis plena postulatio eiusdem Sigismundi III regis, qui etiam Svetiae rex existit, quique legatione nobis ac Sedi Apostolicae, obedientiae praestandae causa, dilecto filio insigni viro Stanislao Mynski, palatino Lencintiensi, apud nos et dictam Sedem oratori suo nuper delata, nihil eum a nobis vehementius hoc tempore flagitare iussit, quam ut negocium istud ad optatum tandem et suis, atque christifidelium eiusdem regni Poloniae supplicationibus consentientem exitum perducamus.

Clemens illius vitam recenset.

§ 10. Cuius quidem B. Hyacinthi vitae omnis, ac rerum, quas Deus eiusdem tum viventis tum defuncti intercessione ac meritis gessit, narrationem hoc loco pro nostro munere toti ecclesiae proponendam duximus, ut inde non solum ad divinas laudes praedicandas, atque ad christianam religionem firmiore pietatis zelo conservandam christifidelium animi excitentur, verum etiam eo nomine ingentes gratiae ab omnibus christifidelibus Deo agantur, quod B. Hyacinthi praedicti sanctitatem, quamquam gravibus de causis antea probatam et multis miraculis illustrem, publica tamen ipsius Apostolicae Sedis, quam Spiritus Sanctus regit et gubernat, ac nostra sententia omnino confirmari hoc tempore voluerit.

S. Hyacinthus in Villa Camiensi ortus, canonicus Cracoviensis fuit.

§ 11. Natus igitur est B. Hyacinthus in Polonia, in Villa quae Camiensis appellatur Vuratislaviensis dioecesis, ante annum Domini millesimum ducentesimum, ex nobilibus et christianis parentibus, sed quibus vitae, virtutum ac miraculorum splendore longe ipse praeluxit. Ineuntis aetatis tempus iis primum litteris, quibus aetas illa informari solet, impertivit, in quibus cum tantum profecisset, quantum ad altiorem disciplinam capessendam satis sibi esse videbatur, animum statim ad theologiae et iuris canonici studia adiunxit, magno sane et admirabili cum fructu, ut qui non multo post Cracoviensis Ecclesiae canonicus factus, ita inter ordinis sui viros excelluerit, ut propter eximiam eruditionem cum praeclara et insigni pietate coniunctam, tamquam ardens lucerna caeteros clarissimo virtutum suarum lumine collustraret.

Habitum a S. Dominico Romae suscepit.

§ 12. Ab Ivone deinde Cracoviensi episcopo patruo suo Romam perductus est, ubi una cum Ceslao, ipsius consanguineo, et Hermanno Theutonico, familiari suo, a Sancto Dominico Romae tunc degente, eiusdem Ivonis rogatu, qui de Hyacintho, ac duobus aliis regularis vitae suae instituto imbuendis cum ipso egerat, perexiguo tempore omni illius disciplina egregie instructus, in eiusdem S. Dominici Ordinem nomen dedit, habituque de illius manibus suscepto, et expresse illius regulam professus, in Poloniam tandem cum sociis rediit.

Monasteria plurima construxit, et S. Dominici vestigia et virtutes, verbo et opere, imitatus est.

§ 13. Quo in itinere cum usque ad civitatem Frizacensem processisset, verbo simul et exemplo tantum illic profuit, ut ipsis sex mensibus monasterium dicti Ordinis, multis ibidem fratribus, et Hermano illis praeposito, relictis, construxerit; inde Cracoviam reversus, alio ibi eiusdem Ordinis monasterio erecto, Dominicanae Religionis crescentem paulatim familiam propagavit. Mox ad aliarum eiusdem Poloniae regni provinciarum salutem cogitatione conversa, quatuorque aliis professionis suae monasteriis variis in locis aedificatis, omnes, tum verbi Dei praedicatione, tum vitae suae

Eius virtutes per summa capita enumerat Pontifex.

innocentia in sui admirationem excitavit. Summa denique haec est, quam a Sancto Dominico eiusdem religiosi instituti auctore, tamquam e purissimo fonte hauserat, vivendi rationem, eamdem ipsum ad extremum usque vitae diem sancte et religiose servasse. Nam sive christianae humilitatis species ante oculos proponatur, eo nihil erat demissius, nihil modestius; sive castitatis, ac virginei pudoris imago pulcherrima desideretur, illo nihil purius, nihil candidius fuit; si denique verae in Deum et proximos charitatis forma exquiratur, illius charitate nihil potuit absolutius, nihil perfectius exoptari. Quanto porro in corpore castigando atque in servitutem redigendo illius fuerit severitas singulae noctes indicio fuerunt, quibus sese usque ad sanguinis profusionem affligebat. Qua vero continentia et moderatione in victu omni fuerit, praeter sextas ferias, Beatissimae etiam Dei Matris Mariae Virginis et Ss. Apostolorum vigiliae ad unam omnes declarant, quibus, excepto pane et aqua, nihil omnino gustabat. Divini autem numinis propitiandi tanta cura, tantaque sollicitudine tenebatur, ut totas noctes in templo fundendis ad Deum precibus insomnis persaepe consumeret, et si quando inedia ac sopore fessis et cadentibus membris, somnum capere cogebatur, aut stans, lapidi tantum altaris innixus, aut iacens humi, scilicet prostratus, quiescebat. Et quoniam nihil magis quam otium homini, praesertim religioso, vitandum esse sentiebat, idcirco quicquid temporis vacuum ab oratione supererat, id omne partim colendis sacris studiis, partim habendis concionibus, partim confessionibus audiendis, partim etiam aegrotis invisendis, partim denique Deo et proximo serviendo impendebat.

§ 14. Cuius quidem singularem susceptae vitae rationem, qua coelestis potius quam humanus vir merito reputabatur, frequens multorum, qui se eius precibus et orationi commendabant, ad eum concursu, atque adeo nova in dies rerum ab eo gestarum praestantia, pleraque miracula minime obscura declarant. In quibus ut caetera, quae innumera prope sunt, omittamus, cuiusdam Petri ex villa Prosovii oriundi resuscitatio proponenda primum occurrit, quem rapidi fluminis impetu ex equo deiectum, et in aquis omnino submersum, cum eius corpus altero die iam latens, inexpectato ex ipso flumine prodiisset, Deus, ob merita et preces eiusdem B. Hyacinthi, statim ad vitam revocavit. Eiusdem quoque sanctimoniam mulier quaedam, Iudith nomine egregie ostendit, quam cum paralysis morbi vis elinguem prorsus ac mutam reddidisset, nullaque ratione vocem mittere ullam posset, tandem beati viri intercessione assequuta est, ut lingua et sermone libere uteretur. Praedicandi autem Evangelii causa cum ad varia passim loca se conferret, ac propterea ad Vandalum flumen Vissogradum Massoviae urbem redundantibus aquis praeterfluens aliquando pervenisset, nullo nauclero, nulloque navigio, quo trans amnem veheretur, ad illius ripas conspecto, divina ope implorata, et crucis signo communitus, comites ad iter per medios fluctus alacriter prosequendum hortari hunc in modum coepit: Eia, inquit, filii, sequimini vestigia mea in nomine Christi. Quo dicto, statim in flumen siccis vestigiis se immisit. Verum sociis praeeuntem illum sequi metuentibus, extenso pallio aquam tegens: Agite, inquit, filii carissimi, sit isti nobis pons Iesu Christi, per quem in nomine Eius transeamus. Itaque flumen illud altissimum simul ac rapidissimum una cum sociis incolumis traiecit. Quodam tempore etiam, cum per agros villae cuiusdam dioecesis Cracoviensis ino-

Miracula vivens multa fecit, quorum aliqua hic referuntur.

pum ac pauperrimorum hominum segetes iniuria grandinis laesas passim, ac disiectas videret, non prius sibi ab oratione temperavit, quam easdem incolis intactas atque integras reddidisset.

Diem sui obitus praedixit, et die xv augusti in Domino obdormivit.

§ 15. Longum esset caeteras res ab eo, dum vixit, gestas percensere, ut cui toto vitae cursu nullus umquam dies effluxerit, quo non praeclara aliqua ediderit fidei, pietatis, innocentiae, caeterarumque omnium sacrarum virtutum documenta. Quo quidem vitae genere ad quadraginta propemodum annos perducto, cum tandem cuperet dissolvi et esse cum Christo, in vigilia festivitatis Assumptionis Beatissimae Dei Genitricis ac Virginis Mariae, fratribus monasterii Sanctissimae Trinitatis Cracoviensis accersitis, moriturum sese definito die praedixit, eosque appropinquantis sui discessus nuncio perculsos amantissime consolatus, valere in Christo, Deumque in vita perpetuo timere iussit. Postridie igitur piis, ac canonicis precibus recitatis et sacrosanctis Ecclesiae sacramentis summa cum veneratione perceptis, cum versum illum extremo iam vitae spiritu protulisset: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, in Domino obdormivit, eiusdem Domini anno MCCLVII, die xv augusti.

Miraculis etiam postea claruit, quorum aliqua hic recensentur.

§ 16. Audita eius morte, cum magna hominum multitudo, sive prosequendi funeris, sive contingendi corporis, sive per eum divini auxilii expetendi causa, sive alio christianae pietatis officio ad Sanctissimae Trinitatis monasterium eiusdem Ordinis Praedicatorum, sepulchro ipsius religiosum ac celebre, confluxisset, Deus, in cuius conspectu gloriosa est mors Sanctorum Eius, Zegotam, quemdam nobilem Polonum, qui ex equo, quem forte agitabat, miserrime excussus, effractis et contusis totius corporis membris, statim obierat, ad B. Hyacinthi sepulchrum, eo ipso, quo mortuus est die, a parentibus allatum, ob eiusdem B. Hyacinthi merita et preces, non solum in vitam denuo excitavit, verum etiam pristinae et valetudini et integrati ita restituit, ut in eo ne minimae quidem laesionis reliquum ullum vestigium appareret. Cuius miraculi famam alterius etiam exitus postea auxit. Infantulus enim, quem mater mortuum ediderat, a patre ad Beati viri tumulum translatus, cum primum is pro filiolo voto se Deo pie obstrinxit, magna cum omnium admiratione, vivere statim coepit. Accessit aliud quoque admirabile ipsius in Ursulam quamdam factum, quae cum maximis deplorati morbi doloribus toto biennio iactata, eo tandem devenisset, ut omni melioris valetudinis spe abiecta, ipsos iam menses duos nullo amplius cibo, sed aqua dumtaxat vitam tueretur; Agnete tandem filia B. Hyacinthi opem suppliciter implorante, optatam salutem recuperavit. Postremo cuiusdam Barbarae, Cracoviensis foeminae, quae ex partu in hydropisim inciderat, ita ut iam de illius salute ab omnibus esset desperatum, valetudo, nulla prorsus humana medicina, sed unius B. Hyacinthi, cui sese commendaverat pietate ac meritis redintegrata, eximiam servi Dei sanctitatem clare confirmavit.

Ex supradictis censuit Pontifex negotium canonizationis absolvere.

§ 17. Quibus sane signis, multisque aliis ad eamdem B. Hyacinthi sanctitatem comprobandam pertinentibus rebus adductis, ac praetera constanti omnium Ordinum dicti regni, et eiusdem Sigismundi tertii regis, ac Dominicanae Religionis petitioni satisfacere cupientes, cum id maxime idem Sigismundus rex per praedictum Stanislaum Mynski, suum apud nos oratorem, ipse vero Dominicanus Ordo per dilectum filium fratrem Ioannem Vincentium Aristoricensem, eiusdem Ordinis Praedicatorum generalem, a nobis postulaverit, ut quoniam quaecum-

que ad acta et processum B. Hyacinthi spectabant, ex huius Sanctae Sedis praescripto expedita ac perfecta erant, nos, quibus ea de re statuendi potestas a Deo est tributa, ad huiusmodi negocium definiendum omnes auctoritatis Sanctae Sedis Apostolicae et nostrae partes conferremus, de eo ipso non prius tamen, quam rebus omnibus diligenter, ut par est, circumspectis, hoc tempore nobis decernendum esse existimavimus.

Habitis pluribus consultationibus per cardinales sacris ritibus deputatos, et processu examinato, in consistorio secreto fuit decretum B. Hyacinthum canonizandum esse.

§. 18. Crebris igitur ac diuturnis supradictorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Congregationis Sacrorum Rituum consultationibus, hac ipsa de re etiam nostro tempore habitis, et processu omni ex sacrorum canonum praescripto ab eisdem viso et examinato, quin etiam viris in sacra theologia ac pontificio iure versatis in consilium adhibitis, cum nihil iam desiderari videretur, secretum consistorium indiximus, in quo venerabilis frater noster Alphonsus episcopus Ostiensis cardinalis Gesualdus, cum suo, tum caeterorum cardinalium Congregationis Sacrorum Rituum nomine, omnia ad eam rem spectantia exacte ac prudenter explicasset, id demum in summa retulit. De B. Hyacinthi fide, vita ac miraculis se et cardinales collegas suos sentire, omnia probata esse, quae ad canonizationem, ex divini iuris praescripto, pertinerent, eamque ob causam, posse Beatum illum (si idem nobis videretur) in Sanctorum numerum cooptari.

In dicto consistorio publico, papa ad Deum orationes fieri iussit pro inspiratione eius quod agendum esset.

§ 19. Qua quidem re intellecta, vehementer in Domino laetati sumus, quod ad augendam servi sui dignitatem facultas nobis hoc tempore se offerret. Nulla igitur officii partem ad peragendum tanti momenti negocium praetermittendam esse censentes, veteri Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo adducti, mandavimus ut de re ad exitum perducenda, pro ipsius gravitate, diutius deliberaretur. Itaque, aliquot dierum spatio interiecto, publicum consistorium hanc ob rem indiximus, non modo venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consessu, sed etiam patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et praelatorum, caeterorumque familiarium nostrorum conventu frequens, in quo quidem dilectus filius Cinus, Campanus, consistorialis aulae nostrae advocatus, res gestas et beati Hyacinthi virtutes, fidei ipsius sinceritatem, vitae sanctitatem ac miracula oratione de more est complexus; ac deinde eiusdem Sigismundi III regis, totiusque Poloniae regni, ac Religionis Dominicanae nomine, ut ipsum in Sanctorum numerum referremus, suppliciter a nobis postulavit. Quod cum praesentes ipsi audivissemus, inusitata laetitia viscera nostra perfundi sensimus. Divina enim voluntate evenisse intelligebamus, dictum Sigismundum regem (cui nunc maxima duorum praestantium regnorum moles incumbit) ideo de beato Hyacintho inter Sanctos aggregando incredibiliter laborare, ut nimirum nova sibi suisque regnis firmae apud Deum intercessionis patrocinia compararet. Itaque respondimus, in tam sollicita tamque constanti optimi ac piissimi regis postulatione inesse eximiae illius religionis significationem, haud hac animi sui virtute alienam, neque indignam praestanti eius divini cultus amplificandi desiderio. Diximus etiam permagnae nobis esse voluptati, eoque animum nostrum ad gratias Deo agendas vehementer excitari, quod quibus servis sempiternae beatitudinis praemia iamdiu in coelis sunt tributa, eosdem etiam in terris ab hominibus coli velit Deus, ut christifideles vel illorum intercessione coelestia auxilia facilius promereantur, vel eorumdem imitatione ex-

Cinus Campanus causae canonizationis postulator.

peditius ad coelestem, qua ipsi iam perfruuntur, gloriam perducantur. Summa denique responsionis nostra haec fuit: nobis quidem esse constitutum gravissimae illius petitioni non deesse, causae tamen magnitudinem obstare quominus (in summa ipsius totiusque sui Poloniae regni voluntate) res ipsa a nobis adhuc praestari possit, ut quibus eadem de re cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus et caeteris episcopis diligenter tractandum esset. Quocirca eosdem cardinales et episcopos, etiam atque etiam, monuimus, ut non solum quaecumque hac ipsa in causa versarentur, omni studio adhibito, examinarent; verum etiam, coniunctis precibus, Deum deprecarentur ut mentibus nostris lucem praeferret ad ea demum agenda, quibus divinae illius gloriae amplitudo, et totius Ecclesiae utilitas augeretur.

Indixit postea aliud secretum consistorium, in quo omnium voto conclusum fuit canonizationem faciendam, et ideo praefinivit diem futurae dominicae in Albis pro ea absolvenda.

§ 20. Hisce deinde perfectis rebus, consistorium secretum rursus indiximus, in quo etiam patriarchae, archiepiscopi, episcopi, qui tunc in Urbe erant, ac nostri et Sedis Apostolicae notarii et sacri palatii auditores mandato nostro vocati adfuerunt. Tunc igitur nos pro nostra et Sanctae huius Sedis, in qua a Deo collocati sumus, auctoritate et potestate, et pro singulari Spiritus Sancti in eamdem Sedem (quae ipsius infallibili sapientia gubernatur) praesidio, ea diximus, quae ad rem propositam, atque ad illius temporis rationem in primis accommodata esse videbantur. Postremo cum eisdem cardinalibus caeterisque episcopis egimus, ut praecise responderent, utrum ex processu, et ex rebus in eo comprehensis ac probatis, beatus Hyacinthus canonizandus videretur. Ac primum quidem iidem cardinales, deinde etiam patriarchae, ac deinceps archiepiscopi et episcopi, suo quisque ordine, concordibus sententiis, censuerunt B. Hyacinthum ex rebus, quibus omnis illius vitae processus constat, a nobis optimo iure Sanctorum numero esse adscribendum. Itaque quod unum iam restabat de talibus tamque inter se consentientibus suffragiis, Deo bonorum omnium auctori gratias agentes, ac laeti rerum tot ab hinc annis caeptarum felici successu, diem canonizationis praefiximus ad xv kalendas maias, dominicam scilicet in Albis, cum nimirum paschalis solemnitas festivitate concluditur, neophytorum habitus immutatur, paschales denique, idest indulgentiae ac remissionis, dies celebrantur, ut tot tantisque coelestibus praesidiis adiuti, melius ac facilius nostro munere fungeremur.

In quo omnibus hic enumeratis, rite et recte completis, ipse Pont. Hyacinthum Sanctorum Confessorum catalogo adscripsit, eiusque festivitatem die xvi augusti celebrari iussit.

§ 21. Ubi igitur ipsa dominica in Albis, hodierna scilicet dies illuxit, nos et iidem cardinales, necnon patriarchae, archiepiscopi et episcopi, qui in capellam nostram pontificiam nobiscumque ad id convenerant, sacris vestibus induti, hymno *Ave Maris Stella*, ad honorem beatissimae Virginis Mariae, cuius opem tunc maxime invocandam duximus, inchoato, eodemque illo ab eiusdem capellae nostrae cantoribus ad finem usque deinceps decantato, aliisque etiam Romanae Curiae praelatis et officialibus, familiaribusque nostris una cum caeteris totius ecclesiastici saecularis et regularis ordinis viris, longo pioque ordine praeeuntibus, omnes cum ardentibus cereis ad Illius gloriam, qui sua luce et splendore coelos complet, ex palatio nostro apostolico summa cum celebritate processimus ad basilicam Principis Apostolorum, tunc magno undique ornamentorum apparatu instructam, adeo ut singularis laetitiae specimen omni ex parte praeseferret. Suggestus enim loci amplitudine insignis, eiusdem regis et Dominicani Ordinis impensis extructus, ibi primum eminebat, in quo altare ad sacrosanctum missae sacrificium solemni

Apparatus basilicae Vaticanae die canonizationis describitur.

ritu a nobis celebrandum, e regione erectum cernebatur. Templi deinde parietes insignibus aulaeis auro et bombyce intertextis obtecti erant. Omnis praeterea interioris basilicae ambitus, accensis undique cereorum flammis, collucebat; denique suspensa de tholo ac trabibus vexilla, B. Hyacinthi sanctissimam Dei Genitricem Mariam Virginem flexis genibus venerantis effigiem spectandam proponebant. Nos igitur in eam basilicam, magna omnium ordinum frequentia, ingressi, atque in ea supernae et beatae urbis Hierusalem quasi sub aspectu positam pulchritudinem intuentes, in suggestum primum, ac deinde orandi causa ad altare, ac postremo ad throni ibidem, ut moris est, ad dextrum latus erecti sedem pervenimus, ubi eosdem cardinales, patriarchas, archiepiscopos et episcopos cum sacris vestibus obedientiam nobis praestantes excepimus. Tum idem Stanislaus praefati Sigismundi regis orator, semel, iterum ac tertio postulavit, ut beatum Hyacinthum in Sanctorum numerum referremus; nosque ad singulas ipsius petitiones, litaniis ac sacris hymnis per tria distincta intervalla recitatis, preces adiunximus. Denique omnibus rite ac pie peractis, quae hac in re alii Romani Pontifices praedecessores nostri servanda esse statuerunt, Sanctoque Spiritu) cuius divino numine Ecclesia afflata numquam fallitur) multis cum precibus invocato; ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, ac christianae religionis augmentum, auctoritate eiusdem Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, beatorum apostolorum, Petri et Pauli, et nostra, de fratrum nostrorum consilio, decrevimus et definivimus, bonae memoriae Hyacinthum, Polonum, Ordinis Fratrum Praedicatorum, Sanctum esse, ac Sanctorum catalogo adscribendum, sicut per praesentes definimus, decernimus et adscribimus. Statuentes ut ab universali Ecclesia anno quolibet, in die XVI augusti, festum ipsius et officium, sicut pro uno Sancto Confessore non Pontifice, ad formam in rubricis Romani Breviarii praescriptam, devote et solemniter celebretur.

Indulgentias visitantibus eius sepulchrum vel sacella elargitus est.

§ 22. Insuper eadem auctoritate omnibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis eodem die festo ad sepulturam, in qua eius corpus requiescit, devote accesserint, necnon ecclesias et altaria in ipsius honorem constructa devote visitaverint, easdem indulgentias et peccatorum remissiones concessimus et elargiti sumus, quemadmodum concedimus et elargimur, quae caeteris dicti Ordinis monasteriis et ecclesiis in diebus festis eiusdem Ordinis Sanctorum iam concessae sunt.

Missam de octava Resurrectionis celebravit cum commemoratione dicti Sancti et praesentibus indulgentiam plenariam concessit.

§ 23. Quibus rebus, ad S. Hyacinthi canonizationem necessariis, absolutis, et hymno ad laudem Dei et gratiarum actionem decantato, ac divina ope per eiusdem Sancti viri intercessionem devota ac pia precatione, quam ipsi recitavimus, implorata, tandem eodem in suggestu et altari missam solemniter, de octava dominicae Resurrectionis, cum eiusdem S. Hyacinthi commemoratione, celebravimus, et omnibus christifidelibus, qui huic canonizationi et missae interfuerant, ad laudem Dei et Sancti sui gloriam, plenariam peccatorum suorum indulgentiam concessimus.

Hortatur omnes ad Deum collaudandum.

§ 24. Quocirca omnes Iesum Christum Dominum nostrum collaudemus, agnoscamusque summa Eius bonitate evenisse ut, in hoc perturbato rerum statu, novi apud Deum intercessoris meritis ac precibus adiuvari valeamus. Magno quidem illud esse debet ad bene sperandum omnibus argumento, quod rem a tot Poloniae regibus, ipsisque regni ordinibus iamdiu expetitam, communibus piorum

ac religiosorum hominum votis ubique optatam, a plerisque etiam Romanis Pontificibus praedecessoris nostris susceptam, hoc tempore perficiendi facultatem nobis tribuerit. Itaque Deum in Sanctis suis mirabilem deprecemur, ut Sancto Hyacintho suffragante, ecclesiae suae pacem et tranquillitatem, regibus et principibus christianis unionem, obcaecatis haereticis catholicae veritatis viam ostendat, miseris infidelibus, christiani nominis hostibus, orthodoxae fidei lucem largiatur.

Exemplorum bullae fides.

§ 25. Caeterum quia nimis difficile foret, *etc.*

Nulli ergo, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDXCIV, XV kalendas maii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 17 aprilis 1594, pont. an. III.

Papae subscriptio.

✠ **Ego Clemens catholicae Ecclesiae episcopus.**

Protector noster aspice Deus.

Cardinalium subscriptiones.

† Ego Alphonsus episcopus Hostiensis, card. Gesualdus.

† Ego Innicus episcopus Portuensis, cardinalis de Aragona.

† Ego M. Antonius episcopus Praenestinus, card. Columna.

† Ego Ptolomaeus episcopus Tusculanus, card. Comensis.

† Ego Gabriel episcopus Sabinensis, cardinalis Palaeottus.

† Ego Fr. Michael episcopus Albanensis, card. Alexandrinus.

† Ego Iulius Antonius, tit. S. Bartholomaei in insula, presbyter card. S. Severinae, maior poenitentiarius.

† Ego Hieronymus, tit. S. Susannae, presbyter card. Rusticucius.

† Ego Petrus, tit. S. Hieronymi Illriycorum, presbyter card. Deza.

† Ego Alexander, tit. S. Praxedis, presb. card. Florentinus.

† Ego Augustinus, tit. S. Marci, presb. card. Veronensis.

† Ego Simeon, tit. S. Anastasiae, presb. card. de Terranova.

† Ego Scipio, tit. S. Salvatoris in Lauro, presb. card. Lancellottus.

† Ego Henricus, tit. S. Pudentianae, presb. card. Caietanus, Sanctae Romanae Ecclesiae camerarius.

† Ego Ioannes Baptista, tit. Ss. Ioannis et Pauli, presb. card. Castruccius.

† Ego Dominicus, tit. S. Chrysogoni, presb. card. Pinellus.

† Ego Antonius Maria, tit. S. Agnetis in Agone, presb. card. Gallus.

† Ego Fr. Constantius, tit. S. Petri in Monte Aureo, presb. card. Sarnanus.

† Ego Antonius, tit. S. Stephani, presb. card. Saulius.

† Ego Evangelista, tit. S. Matthaei in Merulana, presb. card. Cusentinus.

† Ego Ioannes Franciscus, tit. S. Mariae in Via, presb. card. Maurocenus.

† Ego Marianus, tit. Sanctorum Petri et Marcellini, presb. card. de Camerino.

† Ego Fr. Gregorius, tit. S. Augustini, presb. card. de Montespero.

† Ego Paulus, tit. S. Caeciliae, presb. card. Sfondratus.

† Ego Benedictus, tit. S. Marcelli, presb. card. Iustinianus.

† Ego Augustinus, tit. S. Laurentii in Pane et Perna, presb. card. Cusanus.

† Ego Franciscus Maria, tit. S. Mariae in Ara Coeli, presb. card. a Monte.

† Ego Octavius, tit. S. Alexii, presb. cardinalis Paravicinus.

† Ego Philippus, tit. S. Onuphrii, presb. card. Placentinus.

† Ego Hieronymus, tit. S. Pancratii, presb. card. Matthaeius.

† Ego Flaminius, tit. S. Clementis, presb. card. Platus.

† Ego Federicus, tit. S. Mariae Angelorum, presb. card. Borromaeus.

† Ego Lucius, tit. Ss. Quirici et Iulitae, presb. card. Saxus.
† Ego Franciscus, tit. S. Mariae Transpontinae, presb. card. Toletus.
† Ego Alexander, S. Laurentii in Damaso diaconus card. Montaltus, S. R. E. vice-cancellarius.
† Ego Ascanius, S. Mariae in Cosmedin, diac. card. Columna.
† Ego Guido, S. Eustachii, diaconus cardinalis Pepulus.
† Ego Odoardus, S. Adriani, diaconus card. Farnesius.
† Ego Antonius, diac. card. Ss. Quatuor Coronatorum.
† Ego Petrus, S. Nicolai in Carcere, diaconus card. Aldobrandinus.
† Ego Cynthius, diaconus card. Sancti Georgii.

LXXXVII.

Confirmatio transactionis inter thesaurarium et notarios reverendae Camerae Apostolicae initae super pretio scripturarum, quae a decedentibus notariis relinquuntur[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Cum, sicut accepimus, licet ex antiqua consuetudine scripturae notariorum causarum curiae Camerae Apostolicae decedentium ad illorum haeredes pervenire et pertinere consueverint, prout in constitutione felicis recordationis Leonis X, praedecessoris nostri, quae incipit: *Inter veros, etc.*, continetur. Quia tamen successivis temporibus, notarii in defunctorum locum subrogati ipsas scripturas et causas aliquando diminutas et devastatas etiam cum solutione pretii ipsarum, non sine magna difficultate in ipsorum et Camerae praeiudicium, a dictis haeredibus recuperare poterant; ad praemissis obviandum, collegium et notarii praedicti statuerint et ordinaverint ut, occurrente vacatione per obitum alicuius ex officiis notariorum curiae praedictae, haeredes notarii defuncti scripturas et causas in officio vacante remanentes collegio ipsorum notariorum, pretio sexcentorum ducatorum auri de Camera, vendere; et notarius subrogatus in mortui locum, antequam ad exercitium admitteretur, easdem scripturas et causas ab ipso collegio pro eodem pretio emere teneretur, prout in libro statutorum dicti collegii, quod statutum idem felicis recordationis Leo X, praedecessor noster, motu proprio anno MDXIX confirmavit, contineri dicitur.

Defunctorum notariorum scripturas ab eorum haeredibus collegio notariorum vendendas esse statutum fuit sub Leone X

§ 2. A pontificatu autem eiusdem Leonis X, usque ad pontificatum felicis recordationis Iulii III, similiter praedecessoris nostri, ipsorum notariorum industria, aucto valore officiorum, idem Iulius ad dicti collegii preces statutum et ordinationem praedictam a dictis ducatis sexcentis ad ducatos in totum mille extenderit et ampliaverit, et ultimo felicis recordationis Pius PP. IV, etiam praedecessor noster, considerans, a pontificatu Iulii III usque ad sua tempora, officia praedicta, tum in suis annuis emolumentis et pretio et valore, tum etiam in ipsorum notariorum laboribus et expensis non parum suscepisse incrementi, ac illorum fructus et emolumenta non nisi ex assiduo exercitio provenire, et in continuis laboribus et curis ipsorum notariorum consistere, collegio et notariis praedictis, ob dicta eorum assidua servitia et onera, et quia iidem pro subventione necessitatum Sedis et Camerae Apostolicae, summam scutorum quatuormillium septingentorum quinquaginta auri in auro persolverunt, motu proprio concesserit, ultra dictam summam ducatorum mille,

Pretii summam Iulius III et Pius IV auxerunt.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

alios bis mille ducatos super dictis scripturis praesentibus et futuris, ita ut in totum summa ducatorum trium millium super singulorum officiorum scripturis, collegio et notariis praedictis, eorumque haeredibus, perpetuo appropriata et applicata foret, et scripturae huiusmodi pro dicta summa nullo unquam tempore vacare, vel ad Sedem et Cameram devolvi, aut pertinere possent; quinimmo illae veluti ipsorum collegii et notariorum propria peculia existerent, et in eorum patrimonio, peculio et bonis, ac perpetuo dominio, vel quasi censerentur et essent, et ipsis notariis liceret de illis tanquam de bonis patrimonialibus disponere; statutumque et ordinationem dictorum notariorum olim, ut praefertur, pro ducatis sexcentis factum, et postea ad ducatos mille ampliatum, ad dictos ducatos ter mille extenderit et ampliaverit. Decernentes, ut occurrente vacatione per obitum dictorum officiorum, haeredes notariorum pro tempore decedentium, tenerentur scripturas praedictas collegio et notariis pretio trium millium ducatorum vendere, et collegium illas emere, et notario in mortui locum subrogato illas caedere deberet, et alias prout in eorumdem praedecessorum litteris etiam latius continetur.

Clemens vero scripturas ipsas non ad haeredes sed ad Cameram Apost. spectare decrevit.

§ 3. Nos vero nuper, ex causis et rationibus latius expressis in litteris erectionis infra dicendi Montis, motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, quascumque praedecessorum nostrorum litteras, constitutiones et ordinationes, quibus dictorum notariorum scripturas pro supradictis, seu aliis respective summis non vacare, sed ad haeredes vel successores notariorum defunctorum vel ad eorum collegia spectare et pertinere disponitur, perpetuo revocaverimus et annullaverimus; dictorumque notariorum scripturas et earumdem proprietatem et dominium, ad nos, Sedem et Cameram praedictas, in totum spectare, et per nos et eamdem Cameram ex nunc dictis collegio et singulis notariis pro rata ad vitam, una cum titulo officii, concessa et consolidata esse declaraverimus, illasque eidem collegio et singulis officiis praedictis pro rata perpetuo concesserimus, ita ut de caetero, occurrente quomodolibet dictorum officiorum vacatione, scripturae huiusmodi, una cum titulo officii, vacent, ac simul cum eodem titulo personis a nobis, vel ipsa Camera approbandis, ad vitam, seu pro tempore, quo officium obtinuerint, concedi omnino debeant.

Montique erecto a collegio notariorum quolibet anno scuta duo millia centum viginti quinque solvi statuit

§ 4. Pro huiusmodi vero concessione, et loco pretii scripturarum perpetuo infra dicendam praestationem annuam imposuerimus super massis communibus officiorum notariorum praedictorum, ita ut teneantur collegium et notarii praedicti depositario Montis infrascripti solvere annuatim scuta duo millia centum viginti quinque cum dimidio auri in auro, et illorum ratam quolibet bimestre. Quam quidem summam nunquam augeri vel diminui posse statuerimus, et quod pro ea, ut supra, persolvenda, et de bene, fideliter et diligenter dictas scripturas custodiendo et conservando, etiam sub poena a nobis vel a Camera imponenda, antequam ad dictum officium ac illius exercitium ipsi notarii admittantur, sese obligare debeant, ita ut ante eiusmodi obligationem nullatenus admitti possint.

Pro securitate vero omnia bona notariorum, et pensiones eis debitas hypothecavit; atque hunc Montem Monti pacis a Sixto V erecto univit.

§ 5. Ac insuper pro maiori dicti Montis et illius creditorum cautela statuerimus, ut dictorum notariorum collegium, omniaque eorum bona, fructus et emolumenta pro dictae summae sic solvendae ad favorem dicti Montis obligata et hypothecata sint, dictique notarii se se collegialiter obligent: caeterum pro promissorum exequutione et effectuatione, ut modernis decretis dictarum scri-

pturarum congrue satisfiat et pecuniae ad id necessariae, absque alicuius incommodo, comparentur, super emolumentis ac responsionibus dictarum scripturarum simul cum pensionibus massae officiorum cursoratuum et aliorum officiorum certam quantitatem locorum, seu portionum Montium non vacabilium ad rationem scutorum centum monetae pro quolibet loco seu portione erexerimus, illasque sic erectas Monti Pacis nuncupato, alias per felicis recordationis Sixtum Papa V, praedecessorem nostrum, super proventibus dohanarum Urbis ad rationem scutorum quinque cum quarta parte alterius similis scuti monetae pro loco quolibet erecto addiderimus et univerimus, dictoque Monti Pacis, pro tali rata aucto et ampliato, ac locis et portionibus sic additis pro congrua dote et annuis fructibus, ad eamdem rationem quinque cum quarta parte alterius scuti pro quolibet loco et anno, bimestruatim pro rata in fine solvenda dictam annuam summam scutorum duorum millium centum viginti quinque cum dimidio auri in auro per collegium et notarios praedictos, ut praefertur annuatim solvendam (inter caetera assignamenta) perpetuo concesserimus, cum facultatibus, indultis, declarationibus, gratiis, privilegiis et cautelis, ut in cedula motus proprii, manu nostra signata, et in Camera Apostolica registrata, plenius continetur.

Praetendentibus vero notariis scripturas ad se, non ad Cameram, spectare;

§ 6. Et licet super praemissis collegium et notarii praedicti, pro eorum interesse coram thesaurario nostro saepius vocati, semper contradixerint, et ad nos etiam propterea recursum pluries habuerint, ex quo praetendant super dominio et proprietate dictarum scripturarum nullum ius umquam Camerae nostrae competiisse nec competere posse; sed dominium et proprietatem huiusmodi, etiam ab ipsarum scripturarum origine, spectasse ad haeredes notariorum pro tempore respective in singulis officiis defunctorum, et hodie ad collegium et notarios viventes pro se se et eorum in dictis officiis pro tempore successoribus proprietatem praedictam, et ius quandocumque redimendi dictas scripturas libere, veluti propria peculia et patrimonia, pertinere; et licet etiam dicti notarii assererent, se se in promptu velle dictas scripturas pro collegio sibi ipsis et successoribus, iuxta eorum facultates et iura, redimere et ad hunc finem facultatem erigendi similiter Montem pro valore dictarum scripturarum, et pro facienda ad eorum commodum illarum redemptionem a nobis impetrare tentaverint, et reperta in hoc difficultate se se, ut accepimus, converterint ad perquirendas pecunias pro dicta redemptione necessarias ad censum ad leviorem rationem, quae fieri potuisset; et denique, licet etiam super his et aliis, praemissorum omnium et singulorum causa, sequutis per nostrum thesaurarium et seu Camerae nostrae commissarium diversimode exceptum et oppositum, et ad nonnullos actus pro exequutione erectionis dicti Montis per nos, ut praefertur, facto processum fuerit, contra dictos collegium et notarios, et pro eorumdem parte pluribus, tam in facto quam etiam in iure, deductis.

Cum thesaurario tandem transegerunt, et Clemens transactionem confirmat.

§ 7. Nihilominus quia demum collegium et notarii praedicti negotium huiusmodi cum eodem thesaurario nostro rationabiliter (verbali licet sed tamen finali tractatu) transegerunt et concordarunt, condignum duximus ea, quae dicto transactionis et finalis concordiae tractatu oretenus stabilita fuerunt, pro communi cautela praesenti nostro motu proprio in perpetuum confirmare, et praesertim collegium et notarios praedictos in recompensam eorum quae idcirco ad commodum nostrum et Camerae nostrae, prout

infra, dimittunt vel amittunt, ut nunquam futuris temporibus super redditu dictarum scripturarum pro dicta annua summa in totum scutorum duorum millium centum viginti quinque cum dimidio auri in auro in erectione dicti Montis, ut praefertur firmata, minusque quatenus ad abundantiorem collegii et notariorum praedictorum cautelam opus sit, super valore et pretio dictarum scripturarum praesentium et futurorum officiorum praedictorum olim per praedecessores nostros et ultimo, ut praefertur, per felicis recordationis Pium IV, ad commodum eorumdem collegii et notariorum, etiam causa et titulo onerosis firmato, augmentum aliquod fieri vel augmenti dubium oriri possit, securum reddere ac alias specialibus favoribus et gratiis prosequi deliberavimus.

Praemissa omnia approbat Clemens:

§ 8. His igitur et aliis iustis rationibus adducti quascumque praedecessorum nostrorum et nostras respective litteras superius relatas, nec non acta quaecumque in praemissis et illorum occasione inter thesaurarium nostrum et commissarium et collegium et notarios praedictos quomodolibet facta, et alia omnia hic necessario exprimenda, perinde ac si illorum tenores ad verbum inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes; atque collegium praedictum, eiusque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, motu proprio, non ad dicti collegii, aut alicuius pro illo nobis porrectae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, maturaque deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, quascumque lites super praemissis inter dictum collegium et Cameram nostram Apostolicam forsan motas ad nos, harum serie, avocantes, illasque penitus extinguentes, ac acta quaecumque desuper facta cassantes et annullantes, eisdem collegio et notariis in recompensam iacturae, quae ad commodum nostrum et Camerae nostrae circa Montem, ut praefertur erectum, scilicet dimissionis, seu perpetuae amissionis iuris redimendi dictas scripturas, quam sponte facere dignoscitur, ac alterius cuiuscumque iacturae praemissorum occasione per praedictos collegium et notarios faciendae, ex nunc prout ex tunc, et e contra, postquam ipsi erectioni praedicti Montis, ac praestationi annuae summae scutorum duorum millium centum viginti quinque cum dimidio auri in auro consenserint et pro eis sese, quamdiu illi officia retinuerint, collegialiter obligaverint, iuxta dictae erectionis formam, prout iidem intuitu infrascriptorum convenire, et sese ut supra obligare obtulerunt, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus, ut annua summa dictorum scutorum duorum millium centum viginti quinque cum dimidio auri in auro per eosdem collegium et notarios annuatim, ut supra, pro redditu seu pensione dictarum scripturarum persolvenda in erectione dicti Montis per nos, ut praefertur, perpetuo firmata, neque valor, seu pretium dictarum scripturarum praesentium et futurarum iam, ut praefertur, titulo oneroso ad commodum dictorum collegii et notariorum pro se et illorum successoribus in perpetuum firmatum, nunquam etiam augmenti quantitatis scripturarum aut alio quocumque praetextu augeri, nec aliquid super aliqua etiam minima auctione in praeiudicium collegii et notariorum praedictorum, et contra formam praesentis nostri motus proprii,

Atque omnes lites inter notariorum collegium et C. A. ortas ad se avocans, definit.

et etiam (respectu valoris dictarum scripturarum) contra formam praenarratarum constitutionum praedecessorum nostrorum, et signanter Pii PP. IV, quas ad effectum huiusmodi harum serie perpetuo confirmamus et quatenus opus sit innovamus, per nos, successores nostros, aut Cameram predictam, aut quosvis alios pro eis ex quavis causa, quantumvis rationabili et urgentissima, quomodolibet retractari vel innovari, nec ipsos collegium et notarios praemissorum causa, in iudicio vel extra, quomodolibet inquietari aut molestari posse. Quinimmo limitationem antedictae summae nunquam augibilis, et valutationem scripturarum praesentium et futurarum, ut praefertur, firmatam, collegio et notariis praedictis, praemissorum causa, titulo evidenter oneroso, libere concessam in perpetuum et absolute spectare, et ita semper inviolabiliter observari debere, etiam causa validi et efficacis contractus perpetuae transactionis et concordiae inter nos et cameram et thesaurarium nostrum ex una, et dictos collegium et notarios ex altera parte initae et celebratae, cuius vim et robur praesentes nostras litteras habere et obtinere volumus, perpetuo concedimus et indulgemus. Et si contingat, quod collegium praedictum pro augenda dicta summa per nos aut successores nostros Romanos Pontifices, ac Cameram Apostolicam molestetur, aut alias ipsa summa quovis praetextu etiam augmenti valoris, aut quantitatis scripturarum, aut alias quomodolibet ab eadem Camera ad maiorem quantitatem taxetur, tunc et eo casu, eisdem collegio, notariis et eorum singulis, ut dictas scripturas etiam a dicta Camera Apostolica pro eodem pretio ducatorum trium millium redimere, et collegio vel singulis notariis applicare et appropriare libere possint et valeant, plenam et liberam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur: ita, et taliter, ut statim facto actuali deposito dicti pretii per collegium, seu singulos notarios praedictos, penes nostrum et Camerae nostrae pro tempore depositarium generalem, retrovenditio dictarum scripturarum eidem collegio seu singulis notariis, qui depositum fecerint, pro legitime facta habeatur, et illarum redditus una cum omnimoda proprietate eisdem collegio seu notariis a die facti depositi libere et in perpetuum appropriati censeantur et sint, et omnes illorum obligationes, ut praefertur, faciendae extinctae penitus remaneant, et nullum amplius operentur effectum, perinde ac si nunquam factae fuissent, prout nos ex nunc, prout ex tunc, et in casum praedictum harum serie retrovendimus, appropriamus et respective extinguimus et annullamus, et ad praemissa omnia et singula nos et dictam Cameram specialiter obligamus.

Constitutiones Pii PP. IV confirmat atque ad rem innovat.

§ 8. Decernentes easdem praesentes litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari aut quocumque modo invalidari, infringi, retractari, suspendi, limitari aut in ius vel controversiam revocari, sed perpetuo validas et efficaces existere, neque sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut contrariis dispositionibus ullatenus comprehendi; sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum, etiam sub posteriori data, per dictos collegium et notarios eligenda, restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse et censeri; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, ac dictum thesaurarium, Cameraeque praedictae praesidentes clericos, sublata eis et

Clausulae.

eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Promissio per notarios facienda de scripturis huiusmodi conservandis, *etc.*

§ 9. Caeterum obligationem, quam in praenarrato nostro motu proprio erectionis dicti Montis ordinavimus fieri debere per notarios, antequam ad officia praedicta admittantur, scilicet de solvendis ratis antedicti redditus, seu pensionis dictarum scripturarum, ut supra (ad quorum solutionem per thesaurarium nostrum dicti Montis protectorem, collegium et notarios praedictos, quoties occurrerit, cogi et compelli posse decernimus) ac de bene, fideliter et diligenter dictas scripturas custodiendo, etiam sub poena a nobis vel Camera imponenda, tenore praesentium, recipi volumus et decernimus more hactenus solito per decanum nunc et pro tempore existentem dicti collegii. Poenam vero praedictam sub qua notarii, ut supra, obligandi adstringi debent, arbitrio moderni et pro tempore existentis auditoris Camerae declarandam, ex nunc perpetuo relinquimus, ad hoc ut omnia praedicta facilius et securius, quoties occurrerit, expediantur.

Exequutores designati.

§ 10. Quocirca eisdem camerario et causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, apostolica auctoritate tenore praesentium, committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti collegii notariorum aut alicuius eorum fuerint requisiti, per se vel alios, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, eosdem collegium ac notarios universos et singulos eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos aut quemquam ipsorum desuper quoquo modo indebite molestari; contradictores per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 11. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon eiusdem Camerae, atque praedicti collegii notariorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione, de illis ac eorum totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si ad verbum insererentur, presentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Seu si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die XIV maii MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 14 maii 1594, pontif. an. III.

LXXXVIII.

Confirmatio erectionis collegii Anglicani Hispalensis, cui quamplurima conceduntur privilegia [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Inter multiplices animi nostri curas, quas pro apostolico nobis iniuncto munere, quod gerimus, sustinemus; ea praecipuum locum obtinet, qua de catholica fide, sublatis haeresibus, instituenda et propaganda assidue solliciti sumus. Proinde pia collegia ad iuventutem, earum praesertim regionum, quae haeresum et schismatum labe pestifera sunt infectae, in orthodoxa sacraque doctrina instituendam erecta, merito favoribus et gratiis opportunis prosequimur, prout eorumdem collegiorum incremento et profectui, ac alias in Domino salubriter conspicimus expedire.

Collegium Anglorum Hispalense erectum confirmat, § 1. Cum itaque, sicut accepimus, in civitate Hispalensi collegium Anglicanum regali charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici pietate institutum existat, ad quod adolescentes, qui voluntarium a regno Angliae haeresis labe infecto exilium pro fide catholica elegerunt, confluere possint; nos collegii incrementum ad catholicae fidei propagationem summopere cupientes, ipsumque collegium, ac eius alumnos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, erectionem et institutionem dicti collegii, ac omnia et singula inde sequuta, apostolica auctoritate, et ex certa nostra scientia, approbamus et confirmamus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

§ 2. Nec non collegium ipsum, pro illius salubri directione et felici incremento rectorem, scholasticos et ministros dicti collegii, ac omnia et singula illius bona, mobilia et immobilia, cuiuscumque qualitatis et quantitatis fuerint, sub nostra ac B. Petri, ac huius S. Sedis Apostolicae protectione immediate suscipimus, ac nobis et eidem prorsus subiicimus. Et sub Apostolicae Sedis protectione et iurisdictione suscipit,

§ 3. Nec non regimen et gubernium immediatum dicti collegii generali et provinciali Societatis Iesu in provincia Betica, et rectori ipsius collegii ab ipsis designato supponimus: ita tamen, quod in causis gravibus, quae per ipsos expediri non poterunt, ad personam nominandam per dilectum filium nostrum Gulielmum Alanum, tituli Sancti Martini in Montibus, presbyterum cardinalem Angliae nuncupatum, qui omnimodas vices suas alteri demandare, quoties ei visum fuerit, et demandatas quandocumque revocare possit, recurratur. Directionique PP. Societatis Iesu committit ita tamen ut in rebus gravioribus ad cardinalem protectorem recursus habeatur.

§ 4. Quodque oeconomus et alii ministri et servientes in dicto collegio ipsi rectori et ministro seu vicerectori subsint, et ad eius praescriptum et mandatum omnino obsequantur: ipseque oeconomus dicto rectori volenti et requirenti, bis in anno, vel quotiescumque ei visum fuerit, rationem de administratione reddere teneatur. Caeteros ministros rectori immediate subiicit.

§ 5. Praeterea collegio, rectori et scholasticis praedictis quod donec illud duraverit, omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, gratiis, favoribus, praeeminentiis, indulgentiis et indultis, quibus collegia Anglorum et Germanorum, ac alia collegia ac pia loca in Urbe, et collegium Anglorum Remense in Gallia et collegium Duacense in Flandria, atque in eis degentes personae quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt in futurum (quorum omnium tenores hic haberi volumus pro expressis, et tam eorum omnium, quam praesentium, Rectori et alumnis privilegia, quibus caetera Anglorum collegia fruuntur, concedit.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

etiam impressis transumptis manu alicuius notarii publici, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem fidem, quae ipsis originalibus adhiberetur, ubique in iudicio, et extra haberi debere decernimus), non solum ad instar, sed pariformiter et aeque principaliter uti, frui, potiri et gaudere possint, illudque inter illa annumeretur, ac capellam sive ecclesiam, in qua sanctissimum Eucharistiae Sacramentum recondatur, et campanas pro missis et sepulturis significandis, et alia huic novo collegio necessaria habere valeat.

Curam animarum alumno a rectore designando delegat.

§ 6. Quodque ipse rector unum ex alumnis dicti collegii pro tempore constituere possit, qui sit eius domus parochus, et illorum omnium inibi habitantium, prout alias factum fuit in collegio Anglicano in Urbe instituto; necnon in defectum huiusmodi alumni ipse rector, aut quivis alius dicti collegii presbyter, de ipsius rectoris licentia, possit supplere officium parochi praedictum in administrandis confessionis, Sanctissimae Eucharistiae, et extremae unctionis sacramentis, et sepeliendis mortuis dicti collegii indulgemus.

Alumni a provinciali provinciae Beticae seligendi.

§ 7. Praeterea volumus, quod admissio et exclusio alumnorum in dicto novo collegio pro tempore existentium, tam circa numerum quam qualitates personarum, sit de voto et sententia provincialis Societatis Iesu provinciae Beticae praedictae, aut illius, cui idem ipse provincialis committet, et dicti novi collegii rectoris cum approbatione personae, cui ipse Gulielmus cardinalis committet.

Qualitates et studia alumnorum.

§ 8. Quodque alumni huius novi collegii in pietate, devotione, cantu et caeremoniis ecclesiasticis et sacris officiis, prout melius ipsis superioribus visum fuerit, exerceantur, ac sint Angli nativi vel Anglorum filii, videlicet alicuius provinciae insulae Angliae dumtaxat, ac eorum approbationes et admissiones fiant iuxta testimonia, quae secum adferant ab eodem cardinali aut rectoribus collegiorum Anglorum de Urbe, vel Remensis, aut Duacensis, aut aliorum primariorum nationis Anglicanae, habitantium in regnis Hispaniarum, aut aliis in locis, qui pro catholicis habentur, et noti existunt, et notitiam admittendorum habere possunt; et haec omnia fiant iuxta peculiarem et privatam institutionem, quam idem Gulielmus cardinalis de hoc et aliis rebus in scriptis mittet ad ipsum rectorem, aut alium in dicta civitate Hispalensi pro tempore commorantem, cui idem Gulielmus cardinalis vices suas committet.

Facultas rectori concessa alumnos laurea decorandi qui caeterorum laureatorum privilegiis fruantur.

§ 9. Ad haec superioribus dicti novi collegii illos, quos in dicto novo collegio idoneos esse repererint, in facultatibus artium et theologiae ad baccalaureatus, licentiaturae et magisterii gradus, servata forma Concilii Viennensis, promovendi, et ipsorum graduum solita in eis regionibus insignia exhibendi: qui sic promoti omnibus gratiis, favoribus, indultis, privilegiis, praerogativis, antelationibus, quae promotis in Exoniensi et Coninbricensi in Anglia academiis de iure vel consuetudine, seu privilegio concessa sunt, pariformiter et aeque principaliter potiantur. Ac quaecumque statuta et ordinationes, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et Concilio Tridentino non contraria ad prosperum et salubrem dicti novi collegii statum et gubernium condendi, et condita pro temporum varietate mutandi ac illorum loco alia subrogandi et sufficiendi, licentiam et facultatem concedimus.

Privilegium alumnis concessum sacros ordines suscipiendi a quocumque, *etc.*, ad formam privilegii alumnis collegii Anglicani de Urbe concessi.

§ 10. Nec non iisdem alumnis ut, de rectoris ipsius novi collegii licentia, et examine praecedente, etiam extra tempora a iure statuta, et interstitiis temporum a Concilio Tridentino praescriptis non expectatis, et absque suorum Ordi-

nariorum litteris dimissorialibus, ac sine aliquo beneficii, vel patrimonii titulo, et non obstante quovis natalium defectu, ad omnes, etiam sacros et presbyteratus ordines, a quibusvis archiepiscopis et episcopis, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentibus promoveri, et promoti illis etiam in altaris ministerio ministrare, utque ipsi archiepiscopi et episcopi alumnis praedictis ordines huiusmodi conferre libere et licite valeant, quemadmodum collegio Anglorum in Urbe instituto huiusmodi a felicis recordationis Gregorio PP. XIII, praedecessore nostro, concessum est, de specialis dono gratiae dispensamus.

Iuramentum ab eis praestandum.

§ 11. Ac insuper iuramentum, quod solent praestare alumni collegii Angliae de Urbe post sex menses suarum approbationum pro arbitrio rectoris, videlicet, se paratos fore de mandato superiorum dicti collegii vitam ecclesiasticam et sacros ordines suscipere, et deinde in Angliam ad iuvandas animas proficisci, censemus in hoc novo collegio instituendum, ac electionem huius temporis et personarum mittendarum iudicio rectoris ipsius novi collegii remittimus, cum approbatione pro vinculis dictae Societatis.

Qui facultates admissiones necessarias a rectore et provinciali recipere debent.

§ 12. Qui rector cum ipso provinciali sacerdotibus mittendis in Angliam et Hiberniam facultatem administrandi omnia sacramenta ecclesiastica, exceptis Confirmationis sacramento et Ordinis, nec non quascumque personas in Anglia, Scotia vel Hibernia commorantes ad gremium S. Matris Ecclesiae recurrentes, aut iam sub ea viventes, confessionibus earum diligenter auditis, ab omnibus peccatis, excessibus, censuris et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam in litteris in die *Coenae Domini* legi solitis, contentis et Sedi Apostolicae reservatis (conspirationis in personam vel Statum Romani Pontificis, falsitatis litterarum et scripturarum apostolicarum, delationis armorum, vel aliorum prohibitorum ad partes infidelium, iniectionis manuum violentarum in praelatos dumtaxat exceptis) absolvendi, et omnes alias ad conversionem animarum et haeresum extirpationem spectantes, et necessarias facultates a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris aliis sacerdotibus ad hoc opus antea missis concessis, impertiantur.

Collegii cura praeposito generali Societatis Iesu committitur.

§ 13. Et ut praemissa omnia suum debitum consequantur effectum, regimen et gubernium ac statum huius novi collegii, nunc et pro tempore existenti generali Societatis Iesu, ut de rectore et aliis ministris sufficientibus et idoneis dicto novo collegio pro tempore providere curet, in Domino plurimum commendamus.

Et cardinali Alano commendatur.

§ 14. Hortantes quoque dictum Gulielmum cardinalem, quem ob eius doctrinam, integritatem, prudentiam, pietatem aliasque animi eximias dotes, nec non ob longam Anglicanarum rerum experientiam et usum in mittendis et providendis operariis ad illam necessariis, et ob singularem, quem erga suos cives amorem gerit, ad id munus aptissimum confidimus, ac Hispaniarum regem catholicum, nec non archiepiscopos, episcopos et alios praelatos, ac procuratores et primates dictorum regnorum Hispaniarum, et praesertim assistentem in dicta civitate Hispalensi et alios regios ministros, ut dicto novo collegio in omnibus opem ferant, ipsi Gulielmo cardinali mandantes, ut huius collegii curam in spiritualibus suscipiat, utque de alumnis idoneis provideat; praedictum vero regem et assistentem in dicta civitate Hispalensi, ut huius novi collegii et personarum in eo pro tempore degentium omnimodam curam, defensionem et protectionem in temporalibus suscipiant, ipsique pro nostra, et dictae Sedis Apostolicae reverentia,

propensius commendatum habentes in ampliandis et conservandis iuribus collegii et personarum in eo pro tempore existentium, si eos benigni favoris auxilio prosequantur, quod ipsi eorum fulti praesidio in praemissis, Deo propitio, prosperare possint, ac eidem Philippo regi a Deo perennis vitae praemium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum, ipseque Gulielmus cardinalis propterea divinam misericordiam ac nostram ac dictae Sedis gratiam valeat uberius promereri.

Facultas rectori conceditur iudicem pro causis collegii seligendi.

§ 15. Postremo concedimus facultatem rectori dicti novi collegii pro tempore existenti iudices nominandi et deputandi, archiepiscopum videlicet dictae civitatis vel quemcumque alium in dignitate ecclesiastica constitutum dictae civitatis Hispalensis, qui omnes et singulas causas civiles, criminales et mixtas dicti novi collegii, illiusque collegialium, et officialium et ministrorum, religiosis Societatis Iesu exceptis, nec non res, iura, actiones et bona privative quoad alios, etiam summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, manu regia, nullaque tela iudiciaria servata, sed sola facti veritate inspecta, et omni et quacumque appellatione remota, audiant, cognoscant ac fine debito terminent, cum facultate quoscumque citandi, ac quibus et quoties inhibendum fuerit, etiam sub poenis pecuniariis, et aliis eorum arbitrio imponendis, ac in subsidium iuris, censuris ecclesiasticis inhibendi, caeteraque omnia in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi et exequendi.

Omnes Hispaniarum praelati huiusce constitutionis exequutores designantur.

§ 16. Quocirca universis, et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, et archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis, abbatibus, prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis dictorum regnorum Hispaniarum, et dictae civitatis Hispalensis per praesentes motu simili mandamus, quatenus ipsi et eorum quilibet per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, aut quoties pro parte rectoris dicti novi collegii pro tempore existentis fuerint requisiti, solemniter publicantes, dictoque rectori et novo collegio in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos decreto, confirmatione, concessione, indulto, licentia, facultate ac aliis praemissis pacifice gaudere, ac easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque perpetuo inviolabiliter observari: non permittentes eos super iisdem praemissis, vel eorum aliquo per quoscumque iudices, vel personas cuiuscumque status, gradus aut conditionis existant, quacumque auctoritate fungantur, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quovis quaesito colore aut ingenio, impediri, molestari aut alias quomodolibet inquietari: contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 17. Non obstantibus nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae civitatis et illius tribunalium iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore

permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die XV maii MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 15 maii 1594, pont. an. III.

LXXXIX.

Dissolutio unionis Pientinensis et Ilcinensis ecclesiarum [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ad exequendum pastoralis officii debitum nobis, superna dispositione, commissum sollicitis studiis, *etc.*, incrementa.

Causae dissolutionis faciendae. §. 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii populus civitatis et dioecesis Ilcinensis propter continuam venerabilis fratris nostri episcopi Ilcinensis et Pientinensis a civitate praefata absentiam et residentiam, quam semper facere consuevit apud ecclesiam Pientinensem, quae et ecclesia Ilcinensis, perpetuo apostolica auctoritate invicem aut alias unitae, annexae et incorporatae sunt, magna in spiritualibus detrimenta patiatur, et utraque ecclesia praefata distinctum populum et dioecesim, competentesque et separatos redditus habeat, ad commodam duorum episcoporum sustentationem.

Disiunctio de qua in rubrica. § 2. Nos, habita super his cum fratribus nostris matura deliberatione, de eorumdem fratrum consilio, supplicationibus quoque dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Ætruriae sibi subiectae magni ducis nobis in hac parte porrectis inclinati, necnon unionis, annexionis et incorporationis huiusmodi tenores, ac fructuum, reddituum ac proventuum mensarum episcopalium Ilcinensis et Pientinensis quantitates praesentibus pro expressis habentes, unionem, annexionem et incorporationem earumdem ecclesiarum, ex nunc prout ex tunc, et e contra, cum primum illas per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, aut privationem, vel alias quovis modo, etiam apud Sedem Apostolicam vacare contigerit, apostolica auctoritate tenore praesentium, perpetuo dissolvimus, ecclesiasque praefatas separamus, easque in pristinum, et eum, in quo ante unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi erant statum, restituimus, reponimus et plenarie reintregramus.

Episcopus unicuique praeficiendus. § 3. Ita quod de caetero, occurrente vacatione earumdem ecclesiarum Ilcinensis de una, et Pientinensis ecclesiis praefatis de altera personis provideri, illisque in episcopum praefici debeat et pastorem.

Obstantium derogatio. § 4. Non obstantibus unione, annexione et incorporatione praefatis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum praedictarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales. § 5. Nulli, *etc.*, nostrae dissolutionis, separationis, restitutionis, repositionis ac reintegrationis infringere, vel, *etc.*, incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, decimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 23 maii 1594, pontif. an. III.

---

1 Ex Regest. in Canc. Apost.

XC.

Luceoriensi episcopo delegatur exequutio primariarum precum Poloniae regi concessarum, seu indulti conferendi tria beneficia primo vacatura ecclesiarum Guesnensis, Cracoviensis, Wladislaviensis, Posnaniensis, Plocensis, et Warmiensis [1].

Venerabili fratri
Bernardo episcopo Luceoriensi,
Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Concessio et commissio, de quibus in rubrica.

§ 1. Ut charissimus in Christo filius noster Sigismundus Poloniae et Svetiae rex illustris, personis in fide catholica et unione Sanctae Romanae Esclesiae persistentibus, aliasque sibi gratis et acceptis sese, nostra et huius Sanctae Sedis ope, benignum praestare possit, fraternitati tuae tria beneficia ecclesiastica in singulis Guesnensis, Wladislaviensis, Posnaniensis et Plocensis, et postquam tamen dilecti filii nostri Georgius presbyter Radzivilius, et Andraeas diaconus Battorius nuncupati S. R. E. cardinales Cracoviensi et Warmiensi ecclesiis praeesse desierint, etiam in ipsis Cracoviensi et Warmiensi ecclesiis, civitatibus vel dioecesibus consistentia, etiamsi canonicatus et praebendae, dignitates, personatus, administrationes et officia ac dignitates ipsae in praedictis post pontificales maiores, aut aliis ecclesiis praedictarum civitatum, vel dioecesum principales fuerint, et ad illas, necnon personatus, administrationes, vel officia huiusmodi consueverint per electionem assumi, eisque cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, illaque omnia dispositioni apostolicae specialiter, vel ex quavis causa (praeterquam ratione vacationis illorum apud Sedem praedictam, aut familiaritatis continuae commensalitatis nostrae, seu alicuius S. R. E. cardinalis viventis, cuius consensus requirendus foret) generaliter reservata, vel ex generali reservatione apostolica affecta, et cuiuscumque annui valoris illorum fructus, redditus et proventus extiterint, ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem seu quamvis aliam dispositionem venerabilium fratrum archiepiscopi Guesnensis, necnon Wladislaviensis et Warmiensis, Posnaniensis et Plocensis ac postdictos Georgium et Andream cardinales Cracoviensis et Warmiensis episcoporum, ac dilectorum filiorum Capitulorum ecclesiarum praedictarum communiter vel divisim pertinentium vacantia ad praesens, aut simul vel successive etiam in mensibus, in quibus vacantium beneficiorum ecclesiasticorum dispositio, per constitutiones apostolicas seu cancellariae apostolicae regulas, nobis generaliter reservata existit, vacatura, singula videlicet singulis personis ecclesiasticis, clericali saltem caractere insignitis, ac alias idoneis, ac in fide catholica omni tempore constantibus, quas dictus Sigismundus rex duxerit nominandas, si quisque nominandorum per se, vel procuratorem suum legitimum, infra unius mensis spatium, postquam vacatio huiusmodi innotuerit, beneficium vacans duxerit acceptandum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, auctoritate nostra apostolica, hac vice dumtaxat specialiter reservandi; necnon archiepiscopo et episcopis, ac Capitulo praedictis, ne de beneficiis huiusmodi, si vacant, aut cum vacaverint, ut praefertur, disponere quoquo modo praesumant, districtius inhibendi; necnon quidquid secus per praedictos aut alios quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernendi. Et nihilominus sin-

1 Ex Regest in Secret. Brevium.

gula beneficia praedicta si vacant, aut cum vacaverint, ut praefertur, singulis personis nominandis praedictis cum iuribus ac pertinentits praedictis, ac plenitudine iuris canonici conferendi, et de illis etiam providendi, eosque, seu eorum procuratores ipsorum nominibus in corporalem possessionem beneficiorum, iurium et pertinentiarum praedictorum inducendi, et inductos defendendi, ac easdem nominandas personas, vel pro eis procuratores praedictos approbandos huiusmodi in singulis ecclesiis praedictis in canonicum et fratrem recipi, stallo sibi in choro et loco in Capitulo singularum ecclesiarum praedictarum cum dicti iuris plenitudine assignatis, necnon ad singula alia beneficia huiusmodi, ut moris est, admittendi, sibique de illorum, et canonicatuum, et praebendarum praedictarum fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi faciendi, ac contradictores quoslibet, dicta auctoritate nostra appellatione postposita, compescendi, caeteraque in praemissis et circa ea necessaria et opportuna faciendi et exequendi, plenam et liberam, auctoritate praedicta, tribuimus facultatem.

Obstantium derogatio.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsarum ecclesiarum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si aliqui, apostolica praedicta vel alia quavis auctoritate, in dictis ecclesiis in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et praebendis, aut dignitatibus et officiis dictarum ecclesiarum speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis, vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum. Quibus omnibus, praedictas personas in assequutione canonicatuum et praebendarum, dignitatum, administrationum officiorum et beneficiorum aliorum praeiudicium generari; aut si archiepiscopo, et episcopis, ac Capitulis praedictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint. Quoque de canonicatibus et praebendis aut dignitatibus, personatibus, administrationibus, vel officiis huiusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectat, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua eiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; seu si personae praedictae praesentes non fuerint ad praestandum de observandis statutis et consuetudinibus dictarum ecclesiarum solitum iuramentum, dummodo in absentia sua, per procuratorem idoneum, et cum ad ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illud praestent.

Si beneficia XXIV ducatorum valorem excesserint, provisi infra sex menses litteras apostolicas tenentur expedire.

§ 3. Volumus autem ut si aliquod ex beneficiis per te, vigore praesentium, collatis, fructus, redditus et proventus XXIV ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum excesserit, illi, quibus per te pro-

visum de illis extiterit, infra sex menses a die eis factarum provisionum huiusmodi computandos, novam provisionem super illis a dicta Sede Apostolica impetrare, et litteras desuper in totum expedire, ac iura Camerae Apostolicae propterea debita persolvere omnino teneantur, alioquin, sex mensibus praedictis elapsis, beneficia ipsa vacare censeantur eo ipso.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXV maii MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 25 maii 1594, pontif. an. III.

XCI.

De largitione munerum utriusque sexus Regularibus interdicta.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Religiosae congregationes, ab insigni sanctitate viris Spiritus Sancti afflatu institutae, tantas ecclesiae Dei utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conservandas et instaurandas Romani Pontifices, praedecessores nostri, magnam iure optimo diligentiam semper adhibuerint. Nam cum ea sit rerum humanarum conditio et natura, ut etiam quae optime fundata et constituta sunt, partim hominum imbecillitate et ad malum proclivitate, partim daemonis astutia paulatim deficiant, ac nisi cura pervigili sustententur, in deterius prolabantur: idcirco Summorum Pontificum vigilantia magnopere laboravit, ut regularium Ordinum disciplina, aut labefactata in primum restitueretur, aut salutaribus constitutionibus communita, integra atque incolumis permaneret. Quorum nos vestigiis pro eodem officii munere insistere, et pastoralem illorum sollicitudinem (quantum possumus) divina adiutrice gratia, cupimus imitari.

Causae edendae constitutionis.

§ 1. Quare ne ex muneribus, quae a pluribus religiosae vitae professoribus, ex Christi patrimonio, quibusvis hominibus quavis ex causa saepe tribuuntur, gravia incommoda et mala, etiam boni specie existant, praecavere studentes, hac nostra perpetuo valitura constitutione, universis et singulis cuiuscumque Ordinis Mendicantium vel non Mendicantium bona immobilia et redditus certos ex indulto apostolico possidentium vel non possidentium, seu cuiusvis congregationis, societatis et instituti (non tamen militiae) Regularibus personis utriuslibet sexus, omnem et quamcumque largitionem et missionem munerum penitus interdicimus.

Qui regulares hac constitutione comprehendantur.

§ 2. Sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia et singula capitula, conventus et congregationes, tam singulorum conventualium, monasteriorum, prioratuum, praeposiurarum, praeceptoriarum, domorum et locorum, quam provincialia, aut generalia cuiuslibet provinciae, sive universi ordinis, societatis aut instituti, eorumque vel earum camerarios, commissarios, et quoscumque officiales et singulares personas: ipsos etiam ordinum, congregationum et societatum huiusmodi superiores quascumque dignitates obtinentes, etiam generales et provinciales, magistros, ministros et quocumque nomine praefectos, nec non conventuum, monasteriorum, prioratuum, praeposiurarum, praeceptoriarum, domorum et locorum tam provinciales, quam generales cuiuslibet provinciae, sive universis ordinis, societatis aut instituti, eorumque vel earum camerarios, commissarios, et quoscumque officiales et singulares personas: ipsos etiam ordinum, congregationum et societatum huiusmodi superiores quascum-

que dignitates obtinentes, etiam generales et provinciales, magistros, ministros et quocumque nomine praefectos; nec non conventuum, monasteriorum, prioratuum, praeposiurarum, praeceptoriarum, domorum et locorum quorumcumque abbates, priores, praepositos, praeceptores, etiam maiores, guardianos, ministros, rectores, atque abbatissas et priorissas, et alio quovis titulo praesidentes, tam ipsis Regularibus, quam locorum Ordinariis, seu quibusvis superioribus subiectos, utriuslibet sexus, ad vitam vel ad tempus deputatos, adeo ut nemo umquam eorum vel earum, directe vel indirecte, palam vel occulte, tam communi, quam particulari et proprio nomine, etiam sub quovis statuti vel consuetudinis, seu verius corruptelae, aut alio pretextu, vel quacumque causa, nisi in generali capitulo, aut alia generali congregatione, re mature discussa, unanimi consensu omnium, superiorumque permissu, causa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.

Et quid eis prohibitum sit.

§ 3. Id autem ita absolute et generatim vetitum intelligatur, ut neque omnino fas sit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, proventibus, collectis, vel contributionibus, aut oblationibus, sive eleemosynis, aut subsidiis certis vel incertis, ordinariis seu extraordinariis, mensae seu massae communis, vel cuiusvis fabricae et sacristiae, quorum bona communiter, ut praefertur, administrantur, seu quae rationibus reddendis sunt obnoxia, quam ex pecuniis etiam quae a singulis quovis modo acquisitae, in commune conferendae omnino sunt. Nec si per viam voluntariae contributionis in commune congerantur; nec si forsitan privatim et nominatim cuilibet religioso a suis superioribus, vel a propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis aut benevolis, vel a piis christifidelibus, etiam eelemosynae aut charitatis, et illius propriae personae ntuitu attributae, seu quoquo modo per quemlibet religiosum suo monasterio, domui aut loco acquisitae, eique ut ad obitum de eis disponat, per superiores concessae fuerint. Praeterquam leviora esculenta aut proculenta, seu ad devotionem vel religionem pertinentia munuscula, communi tantum, numquam vero particulari nomine (ubi superiori de consensu conventus videbitur) tradenda. Sed et huiusmodi missiones munerum ipsis religiosis utriuslibet sexus non solum per se, verum etiam per alios, tam directe quam indirecte, prohibitas declaramus.

Quibus donari non liceat.

§ 4. Neque vero quisquam ab hac generali prohibitione se excusare valeat, etiam si munera miserit cuivis personae laicae vel ecclesiasticae cuiuscumque status, gradus, dignitatis, ordinis vel conditionis, et quavis non solum mundana et ducali, regia, imperiali, verum etiam ecclesiastica et pontificali, aut alia maiori, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex causa et occasione benedictionis, vel susceptionis habitus regularis, tonsurae, aut professionis monialium, tam sibi subditarum quam non subditarum, aut ipsi etiam proprio Ordinis vel congregationis protectori, vice-protectori, generali vel provinciali, aut cuiusvis monasterii, prioratus, domus aut cuiuslibet alterius loci regulari superiori, aut alio quocumque officio, munere aut dignitate fungenti, vel cuicumque etiam simplici et particulari religioso. Ita ut inter ipsos quoque religiosos (ne prava ambitione impulsi pro consequendis in sua religione gradibus et dignitatibus alter alterius gratiam, aut benevolentiam aucupetur) quaecumque largitio aut donatio munerum (nisi rerum minimarum de licentia

expressa, et in scriptis superiorum) sit penitus interdicta.

Erogatio quaelibet religiosis prohibetur.

§ 5. Insuper prohibemus ne unquam eisdem regularibus liceat ullas pecunias quoquo modo erogare in alicuius etiam benefactoris aut protectoris, vel Ordinarii honorem, etiam occasione transitus vel primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam gratique animi testificationem, seu pro praedictis personis, quavis auctoritate vel dignitate fungentibus, honorifice, laute et opipare excipiendis, seu pro quibusvis conviviis eisdem aut cuiusvis alteri, quacumque occasione vel causa, exhibendis, vel pro comessationibus aut compotationibus quibusvis personis tam eiusdem ordinis, congregationis, monasterii, domus aut loci, quam extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam piis, intra ecclesias, monasteria et domos sacras seu pias, vel extra eas, in quibusvis publicis aut privatis, sacris aut profanis locis, etiam ubi Sanctorum et Sanctarum vita, aut res pie gestae, etiam in memoriam Passionis Dominicae populis spectandae proponuntur, aut alias in praedictis, sive in quibusvis rebus supervacaneis ad pompam et ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum et privata commoda quomodolibet pertinentibus, nisi re ipsa pro divino cultu et veris Christi pauperum indigentiis, servato in hoc charitatis ordine et habita necessitatis ratione, de consilio et consensu superiorum sublevandis, aut alias in rebus licitis, et per capitulum generale aut provinciale non prohibitis, vel taxam ibi forsan praescriptam non excedentibus, sumptus huiusmodi fiant.

Hospitalitatis et pietatis opera excipiuntur.

§ 6. Declarantes tamen per haec, laudabilem et, apostolica doctrina sacrisque canonibus, commendatam hospitalitatem, praesertim erga pauperes et peregrinos, nequaquam imminui aut prohiberi. Quinimmo si qui redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institutis, statutis, aut consuetudinibus aliquorum monasteriorum, ordinum, aut regularium huiusmodi locorum, aut ex testatorum, vel donantium voluntatibus, sive alias applicati, aut donati sunt, eos omnino, ut decet, integre in usus pios hospitalitatis huiusmodi erogandos esse, et praesertim in monasteriis seu locis desertis, et ab laicorum aedibus longius remotis, ubi tamen pauperum et vere egenorum ratio in primis habeatur. Si quos vero ditiores, occasione transitus sive alias ex devotionis aut necessitatis causa, eo divertere contigerit, eos sane deceret refectorio communi cum religiosis, mensaque et ferculis communibus, nequaquam a caeteris distinctis, contentos esse. Verum omnino ipsi regulares in hospitibus huiusmodi potentioribus excipiendis ita se gerant, ut in eis frugalitas et paupertas religiosa prorsus eluceat.

Munera recipientibus poenae infliguntur.

§ 7. Pari etiam ratione districte inhibemus ne quispiam ex praedictis laicus alias quam ut superius dictum est, vel clericus saecularis vel regularis quocumque honore, praeeminentia, nobilitate aut excellentia etiam Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalatus dignitate praeditus, etiam protector, vice-protector, loci ordinarius, praelatus generalis, provincialis, aut monasterii, domus, vel loci cuiuslibet superior, eorumve affines, propinqui, familiares, aut ministri utriuslibet sexus, quicquam contra hanc superius expressam prohitionem recipiant. Quod si, vel ab aliquo particulari religioso, vel a superiore quopiam generali, provinciali, aut alio quocumque officio fungente, aut a conventu, capitulo vel congregatione, sive ab universo ordine et religione quicquam receperint, id quod acceperint suum non faciant. Verum, ipso facto, absque aliqua monitione iudicis,

decreto, sententia aut declaratione, ad illius restitutionem omnino in utroque foro teneantur, adeo ut, restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiae absolvi possint. Hanc autem restitutionem fieri volumus non privatim ei religioso qui donavit, sed ei monasterio, domui vel alteri loco de cuius bonis facta est largitio, vel si non de eis bonis donatum est, in quo idem religiosus donans professionem emisit, vel si nomine totius capituli, conventus, aut congregationis, vel universi ordinis, seu religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensae aut massae, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur, ita ut nec qui donavit, nec conventus, capitulum, congregatio, ordo aut religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, et iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel ut in pauperes eroget, concedere quoquo modo possit.

Dantibus quoque poenae imponuntur.

§ 8. Quod si quis ex supradictis regularibus utriuslibet sexus, cuiuscumque gradus, ordinis, dignitatis, ac ubilibet locorum existentibus, coniunctim cum caeteris seu divisim, nostrarum huiusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, iussionum, decretorum et mandatorum transgressor fuerit, statuimus ut omnibus et singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus et officiis eo ipso privatus, ac ad illa et alia similia vel dissimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuo et incapax, ac perpetua infamia et ignominia notatus existat. Et praeterea privationem vocis activae et passivae, absque ullo superioris decreto aut ministerio, ipso facto incurrat; nec non ultra huiusmodi poenas, etiam tamquam contra furti et simoniae criminum reum, tam per viam denunciationis, accusationis aut querelae, quam etiam ex officio procedi et inquiri, condignisque suppliciis affici debeat, poenis aliis a iure statutis, ac per alias constitutiones apostolicas, aut propria cuiusvis ordinis, congregationis, monasterii, domus aut loci statuta vel consuetudines contra personas aliquid praemissorum committentes forsan decretis et inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

Executores huius bullae deputantur.

§ 9. Quocirca universis et singulis modernis et pro tempore existentibus locorum Ordinariis, eorumque vicariis et officialibus, necnon quorumcumque ordinum, prioratuum, monasteriorum et domorum superioribus, etiam generalibus seu provincialibus, caeterisque, ad quos spectat, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi et eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentia, auctoritate et vigilantia praesentem constitutionem firmiter et inviolate observari, et contra inobedientes vel transgressores condignis poenis animadverti. Eosdem inobedientes, necnon contradictores quoslibet et rebelles, per opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictorumque monasteriorum, prioratuum domorum, locorum, necnon ordinum, congregationum, collegiorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus praesentis nostrae constitutionis impediri quomodolibet valeat vel differri, et de quibus quorumque tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Quae omnia, quatenus praemissis in aliquo adversentur, prorsus tollimus et abrogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 11. Volumus autem ut praesentes litterae in valvis Sancti Ioannis Lateranensis et principis apostolorum de Urbe basilicarum, et in acie Campi Florae publicentur, affixis inibi earum exemplis et dimissis. Quodque earum exempla, seu illorum compendia in libris quorumcumque statutorum praedictorum monasteriorum, prioratuum, collegiorum, domorum, ordinum et congregationum (quoad moniales, in vernaculum et vulgarem cuiusque regionis sermonem versa) et a loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, subscripta inserantur, et saltem quotannis in capitulis, sive congregationibus cuiusque earum alta et intelligibili voce legantur. Et nihilominus post sexaginta dies a die publicationis, ut praefertur, in Romana Curia facienda unumquemque citra montes; ultra montes vero post quatuor menses, perinde arctent et afficiant, ac si cuique personaliter intimatae et per eos iuratae fuissent. Forma et effectus publicationis.

§ 12. Quodque earum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae. Fides transumptorum.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, statuti, mandati, sublationis, abrogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis, *etc.* Sanctio poenalis.

Datum Romae in Monte Quirinali, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, XIII kal. iulii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 19 iunii 1594, pontif. an. III.

XCII.

Facultas patriarchae Aquileiensis visitandi monasteria domosque regularium exemptorum, eosque ad suorum decretorum exequutionem compellendi [1].

Venerabili fratri Francisco patriarchae Aquileiensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis auctoritas in his est interponenda, quae ad ecclesiasticarum personarum, regularium praesertim, quae saecularibus exemplum praebere debent, reformationem pertinent. Exordium.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, fraternitas tua in visitatione locorum dioecesis Aquileiensis dominio temporali domus austriacae subiectorum novissime per te facta, monasteria, domus et conventus, aliaque loca regularium utriusque sexus exempta, et nobis ac Sedi Apostolicae immediate subiecta, ex facultate tibi per nos desuper nominatim attributa, visitaveris; ac in iis ad tollendos varios abusus, ac ad morum reformationem et catholicae fidei stabilimentum, diversa statuta, decreta et ordinationes edideris, quae nisi observentur, rursus in eosdem et deteriores abusus regulares praedicti prolaberentur: nos, volentes, ut par est, ut decreta, statuta et ordinationes huiusmodi debitae exequutioni demandentur et adimpleantur, ne illorum observantia, praetextu cessationis facultatum tuarum, remittatur aut retardetur, eidem fraternitati tuae, ut quando, quoties et ubicumque opus fuerit, omnes et singulos religiosos ac eorum superiores monasteriorum, conventuum et locorum praedictorum utriusque sexus ad observationem Facultas de qua in rubrica.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

decretorum, statutorum et ordinationum praedictorum per te in huiusmodi visitatione factorum censuris et poenis ecclesiasticis, ac privationis dignitatum et officiorum per eos obtentorum, vocisque activae et passivae, aliisque arbitrio tuo poenis, etiam saepius aggravandis, cogere et compellere, et ad hunc effectum eadem monasteria, conventus, domos et loca iterum visitare, et quocumque modo decreta, statuta et ordinationes praedictas in observantiam inducere, aliaque in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna facere, ordinare, mandare et exequi libere et licite, auctoritate nostra apostolica, possis et valeas, eadem auctoritate, plenam et liberam facultatem concedimus et impartimur.

Contrariorum derogatio.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictorum monasteriorum, conventuum et locorum, illorumque ordinum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodocumque et sub quibuscumque verborum formis et tenoribus concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat, et ad effectum praesentium, specialiter et expresse ac latissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXX iulii MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 30 iulii 1594, pontif. an. III.

XCIII.

Confirmatio erectionis collegii Societatis Iesu Comutaviensis, Pragensis dioecesis, in quo erigitur Universitas studii generalis, cum concessione privilegiorum [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab utilitate academiarum desumptum,

In sacra coelestis clavigeri sede, meritis licet imparibus, Eo disponente, qui virtutum et scientiarum Dominus est, constituti, et intra mentis nostrae arcana revolventes, quantum ex litterarum studiis militantis ecclesiae respublica, tenebrosa ignorantiae caligine ac haeresum peste expulsa, augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur, iustitia colatur, reliquae virtutes illustrentur, ac ad bene beateque vivendum via praeparetur; ad ea, perquae studia ipsa ubilibet excitentur, ac studiosae personae ad bravium et excelsum doctrinae fastigium aspirantes opportunae subventionis suscipiant auxilium, libenter intendimus, et in his nostrae sollicitudinis partes convertimus; et propterea, quae ad hunc effectum a piis personis, nobilitate generis fulgentibus provide, gesta fuisse dicuntur, nostrae confirmationis praesidio roboramus, aliaque et alias concedimus et disponimus, prout earumdem personarum vota exposcunt, necnon, locorum et temporum qualitate pensata, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Baronis de Lobroviz studium propagandae in suis ditionibus fidei catholicae.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Claudii Aquavivae, praepositi generalis Societatis Iesu, nec non rectoris et collegialium collegii eiusdem Societatis in oppido civitate nuncupato Comutaviensi, Pragensis seu alterius dioecesis, erecti et instituti,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

ac nobilis viri Georgii Popelii, baronis de Lobroviz ac domini in temporalibus dicti oppidi, nec non Liczlzau Mieliuk et Liboconitz, locorum eiusdem dioecesis, ac charissimi in Christo filii nostri Rodulphi, Romani ac Boemiae regis illustris, et in imperatorem electi, consiliarii camerarii et supremi Boemiae regni praefecti petitio continebat, quod alias dictus Georgius varios modos et rationes, quibus religionis catholicae, potissimum vero suarum ditionum incommodis, hac calamitosa tempestate salubre et consentaneum subsidium afferre posset; maxime cum aperte, non sine ingenti dolore, communem religionis orthodoxae statum infinitis haeresum opinionibus, tamquam furiis et procellis iactari, atque propemodum a fundamentis everti videret, inter malorum remedia, quae a Deo hominibus inspirantur ad tuendam propagandamque religionem, ea et summa et optima censuit, quae dum Dei optimi maximi honorem et gloriam mirifice amplificant et extollunt, tum homines ipsos Deo suo intime coniungunt, maxime necessarium est arbitratus ea praesidia conquirere, quae tantam perniciem avertere, et populum suae ditionis summo Regi conciliare et coniungere possent.

Patrum Societatis Iesu opera uti decernit.

§ 2. Cum autem in clericis Societatis praedictae singularia, eaque valida subsidia esse a Deo instituta, quibus tam inveteratis christianae reipublicae morbis subveniri posse animadverteret, utpote qui ubivis terrarum, sua et eruditione et pietate, populos quamplurimos per devias opinionum et vitiorum tenebras errantes ad veritatis lumen et virtutum splendorem, non minus laboriose quam salubriter, reducant, in eam spem venit per eorumdem sinceram in religionis romanae catholicae doctrinam, et vitae integritatem eos non solum qui sibi subiecti sunt, sed etiam alios plurimos in ditiones suas adventantes ad pristinum salutis portum revocandos; quandoquidem videret dictae Societatis non solum in Europa susceptos labores cum magno fructu evasisse, sed etiam in caeteris orbis partibus apud barbaras et immanes gentes, remotissimis et innumeris populis per eamdem Societatis divinae Crucis cum religionis christianae augmento illatum vexillum fuisse.

Collegium pro eis fundat in oppido Comutaviensi.

§ 3. Quapropter ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, ac honorem Deiparae Virginis Mariae omniumque civium coelestium et Ecclesiae Catholicae propagationem, nec non populi sibi a Deo commissi, suamque salutem iuventutis quoque domesticae et externae in doctrina et pietate institutionem, in oppido praedicto suae ditioni subiecto, unum collegium dictae Societatis Iesu cum ecclesia, scholis, domo pauperum et aliis suis membris ac officinis necessariis fundavit, in quibus dicta Societas, secundum suas constitutiones et pium institutum libere, sine ulla alia, praeter eiusdem instituti consuetudinem, obligatione et impedimento, posset in eadem ecclesia, et in gymnasii scholis, etiam alibi, in dicti Georgii ditionibus, si eis videretur, ad populum conciones habere, et iuventutem bonis moribus et litteris ad gloriam Dei et animarum salutem informare; quod, ut pro instituto eiusdem Societatis commode fieret, eidem Societati locum in dicto oppido idoneum delegit et assignavit, deputans eis pro fabrica et aedificio nonnullas tunc expressas domus.

Fundosque e recto collegio assignat.

§ 4. Denique ultra eas omnia ea spatia, quae inter domos praedictas et moenia ipsius oppidi constituta sunt, cum ipsis membris ac fossis, quin et vallo sive aggere usque ad rivum sive torrentem extenso, sic, ut tuta pars maeniorum cum fossa dicti oppidi et vallo sive aggere, ac turri media (vigilum nuncupata), quae sub

mola sita est ab angulo occidentali turris carceris usque ad propugnaculum angulare ipsius oppidi inclusive, quod ponti lapideo ac praedio Lzucdlovn nuncupato oppositum est, in praedictae Societatis ius, dominium et possessionem perpetuo cederet; quin etiam in perpetuum cautum voluit ne rivus, qui intra moenia huiusmodi ad molas deductus per dictum collegium decurrit, posset unquam alio derivari aut deduci ad ipsius collegii damnum et manifestum incommodum, quem rivum liberum esse debere praedicti collegii rectori et collegialibus pro tempore existentibus pronunciavit ab omni pensione sive exactione civitati vel cuipiam alteri solvenda, etiam quando ripae reparandae vel reficiendae iudicarentur, quod etiam de acquaeductu ad domum dilecti filii Ioannis Coltper pergente intellectum esse voluit, ne idem aquaeductus unquam, sine rectoris et collegialium praedictorum assensu, alio abduci et deviari posset.

Nonnulla concedit privilegia.

§ 5. Atque domus praedictae aquas, ut praefertur, praedicto collegio assignavit, secundum dicti oppidi leges et consuetudinem coquendi cervitiam, potestatem habuerint, idem ius plane penes collegium praedictum remanere, itaut dicti rector et collegiales ad suum commodum eademmet libertate et potestate sive iure cervitiam coquendi fruerentur, et ea in re huiusmodi extensum esse cum libertate, ac sine ulla nova pensione, voluit; insuper concessit atque permisit dictae Societati, ut non solum in veteribus sed etiam novis moeniis aedificia ad usus collegii necessaria, vel etiam finestras captandi luminis causa construere et aedificare, sine ullius impedimento posset et valeret; atque in eo spatio, quod domus illae supranominatae, moeniaque duplicia a turri carceris huiusmodi usque ad propugnaculum et locum inter domos et moenia complectuntur, decem scholas una cum auditorio, sive gymnasii aula, et cubicula aliaque domicilia convenientia cum domo pauperum, ad rationem perfecti magnique collegii commodi erexit; spatium vero, quod inter moenia extima dicti oppidi, ac novae ad rivam, atque per latitudinem a dicta turri carceris usque ad propugnaculum inclusive per longitudinem est ad hortum domesticum ordinandum, aedificiumque praedictae domus pauperum cum sua area usque ad turrim vigilum construendum, secundum dictae Societatis voluntatem, libere destinavit, cui quidem domui pauperum pro alendis circiter centum studiosis pauperibus ordinarii annui census mille sexagenas misunenses illarum partium, peculiaribus super hoc litteris factis, attribuit atque perpetuo donavit, sicut eam summam rector ipsius collegii in eum numerum sive auctum sive restrictum, pro ratione annonae utiliter impenderet; quamquam et alium hortum extra civitatem sive suburbanam ad consuetas et honestas dictorum rectoris et collegialium a studiis et piis exercitationibus relaxationes pro diem providere paratus erat, quem prope dato eidem collegio esse voluit.

Parochialis ecclesiae iura sibi competentia eidem collegio donat.

§ 5. Usum vero parochialis ecclesiae eiusdem oppidi, quae de iure patronatus dicti Georgii existit, ipsiusque quoque iuspatronatus et praesentandi personam idoneam ad eamdem ecclesiam, dum pro tempore vacat, omnemque curam ad ipsum Georgium circa eam ecclesiam pertinentem dictis rectori et collegialibus attribuit et adscripsit, ita quod licite pro tempore existens illius rector ultimo dictae ecclesiae fructibus, redditibus et proventibus libere deberet frui et potiri; tamen in reliquis omnibus ab eisdem collegii rectore et collegialibus dependeret, neque circa cultum divinum, seu caeremonias ecclesiae, quidquam induceret,

quod non prius ab eisdem approbatum esset; qui quidem ultimo dictae ecclesiae rector, ut prius, animarum curam exerceret, sacramenta Baptismi, Confessionis, Eucharistiae, Matrimonii et Extremae Unctionis ex officio administraret, sepulturas in coemeterio extra oppidum ita curaret, ut nullum in ultimo dicta ecclesia praeter illius parochianos, sine rectoris dicti collegii, vel eius vicesgerentis consensu et facultate, sepellire posset. Praeterea cantum et musicam, campanarumque pulsum ita ordinaret et disponeret, ut ordinem sacrorum aliaque exercitia, quae presbyteri et clerici dictae Societatis in ultimo dictae ecclesiae pro suo instituto habere solent, interturbare non posset; ipsi rector et collegiales proinde in sacris dicere, et reliquo cultu divino libere ultimo dicta ecclesia fruerentur, atque in ea conciones ad populum, doctrinamque christianam pro suo more habere, confessiones audire, atque sacramentum Eucharistiae ex instituto suo religiose administrare valerent. Eidem quoque parochiali ecclesiae ipse Georgius arcis suae sacellum etiam applicavit, atque eisdem rectori et collegialibus cum pleno iure illud in perpetuum donavit; ipsius tamen parochialis ecclesiae sarta tecta, atque lumina tam cerae quam olei, pro divino cultu, consuetis expensis senatus dicti oppidi, prout antea facere consueverat, fieri et conservari voluit.

Nonnullis additis statutis.

§ 6. Ut vero conservationi pacis ac religionis catholicae in omnibus dictae suae ditionis locis melius provisum esset, non solum praedictae parochialis sacellique arcis huiusmodi, sed omnium aliarum ecclesiarum sive illae parochiales, sive filiales essent in omnibus ditionum suarum praedictarum locis, sive extra ea, quarum iuspatronatus et praesentandi ad ipsum Georgium spectabat, et pro tempore spectaret, curam omnem ac iuspatronatus huiusmodi in eamdem Societatem legitime transtulit.

Transfert etiam in dictam Societatem ius praesentandi ad caeteras suae ditionis ecclesias.

§ 7. Deinde ad sustentationem corporalem, et pro aliis necessitatibus dictorum collegii, rectoris et collegialium ex iis, quae sibi divina bonitas largita erat, certam tunc expressam censuum atque pensionum provisionem in certis temporibus ac modis tunc etiam expressis persolvendam ordinavit, constituentem annuatim bis mille sexagenas tres grossos et duos obulos earumdem partium, ac statuit, quod cuiuslibet una medietas a senatibus oppidorum seu pagorum iudicibus in festo S. Georgii in ipso collegio, vel certe intra quatuordecim dies post, et itidem altera medietas in festo Sancti Galli, pari modo ipsi collegio et collegialibus numeraretur, in bona currenti moneta, absque ulla contradictione; quos proventus stabiles ac perdurantes sic esse voluit, ut nulli haeredum, posterorum, aut successorum suorum dominiique Comutaviensis possessori, eos ulla ratione, imminuere aut mutare liceret, citra beneplacitum et consensum ipsorum collegii rectoris et collegialium, quin et hoc addidit, ut si casu contingeret ex redditibus censualibus huiusmodi aliquem vel aliquos, infortunio sive ignis, sive ex aere, grandinis, aut cuiuspiam alterius eventus casu, bonorum seu frugum iacturam facere aut perpeti, quam ob cambiorum censuum debitores non essent solvendo, ut tunc eiusmodi defectus ad requisitionem collegii rectoris et collegialium huiusmodi per quaestores, seu officiales dicti Georgii ac possessorum suorum ex officio camerae seu fisci dominii praedicti Comutaviensis eidem collegio plene suppleretur, obligando haeredes, posteros et successores suos praedictos, ne vel in minimo suae voluntati et ordinationi sive donationi adversari,

Dotem constituit.

vel etiam deesse praesumerent, quod si secus quid accidere contingeret, et ipsis rectori et collegialibus iuxta praescriptum census sic donati ab iis, a quibus numerari debent, non persolverentur, iidem rector et collegiales plene et de integro, interveniente auctoritate et approbatione regia, tabulis regni constabilita, potestatem haberent, accepta a tabulis regni camerario uno invadendi ac occupandi ipsum oppidum Comutaviense cum omnibus adiacentibus oppidis, pagis ac villis, et quibus illis census praedictus consignatus est, idque tam pro parte census quam pro toto, sicque invasis et occupatis locis uti, frui, potiri et gaudere, ac eorum usumfructum qualescumque essent inde recipere, sine restitutione ulla, neque prius ad cessionem iuris sic adepti tenerentur, quoad census retenti (ob quos non solutos invasio facta foret) plene et de integro cum impensis omnibus in omnem iudicum processum, et camerario factis, eisque ad ultimum quadrantem persoluti essent, idque toties quoties illi de pensione debita sive a censualibus, sive a quaestoribus praedictis non satisfieret.

Dat collegio facultatem haereditates et legata recipiendi.

§ 8. Et quoniam eidem collegio quam optime provisum esse cupiebat, praemissa matura deliberatione, hanc quoque gratiam concessit, ut liceret pro tempore existentibus eiusdem collegii rectori et collegialibus dono acceptare quidquid piorum testamento ex suis subditis, qui libertate testandi donati sunt, tam in mobilibus quam in immobilibus legatum, seu a viris donatum foret, absque ullius contradictione et repugnantia.

Nonnullaque alia privilegia concedit.

§ 9. Itidem permisit rectori et collegialibus praedictis quidquid ad beneficium collegii expedire iudicaretur, sive in agris, sive vineis, sive hortis, sive pratis, sive praediis, ut id illis emere licitum esset, quae omnia empta, donata, legata, sic praedicto collegio annexa et incorporata esse voluit, ac si ab ipso Georgio ac suis haeredibus et successoribus donata et attributa fuissent, quae quidem sic empta et donata, si censualia essent, ad arbitrium Georgii et haeredum suorum, seu posterorum censibus, ut libera esse possent, constituit.

Domûm pro pueris alendis inibi erigit; cuius curam collegii rectori committit, servatis tamen legibus hic expressis.

§ 10. Id quoque insuper suae voluntatis esse statuit, ut ipsa salutaris subditorum suorum institutio meliorem progressum habere valeret, et domus pauperum praedicta ipsi rectori collegii huiusmodi cum omnibus habitantibus in ea immediate subiecta essent cum pleno iure tam quoad aedificia, census, eleemosynas, quam quoad personas in ea degentes proinde rectoris praedicti, et non alterius cuiusque esset, adolescentes in ea alendos recipere et approbare, eosdemque vicissim excludere, illis praefectum idoneum, qui illi probabitur praeponere, ac de toto domus ordine disponere, absque cuiusque contradictione, molestatione, sive repugnantia, sic tamen ut subditorum dominii praedicti primaria cura haberetur, eisque locus ante alios concedatur, qui in studiis diutius perdurari valerent, et ad ea apti habilesque iudicati forent; quamquam, et illud eidem rectori pro tempore existenti liberum esse semper voluit, ut in numero eo iuventutis, qui in ea domo ali possent, viginti adolescentes undecumque adventantes collocare, et una cum ipsius Georgii subditis alere possent, ut beneficium hoc, praeter subditos suos, etiam ad externos extenderetur; decrevit itidem, ne ullus praeceptor ludimoderator sive magister ut piam[1] locorum in omnibus suis ditionibus iuventutem docere praesumeret, nisi prius a rectore dicti collegii, vel ab iis quos idem rector ordinavisset, de religione et vita examinatus, idoneus iudicatus foret, ac professionem fidei in Ordinarii vel

1 Fortasse legi debet *uspiam*. (R. T.)

eius vicarii manibus, iuxta constitutionem felicis recordationis Pii PP. IV, praedecessoris nostri, praevio processu, vel habita debita informatione de religione et fide catholica emisisset, ipseque praeceptor, ludimoderator seu magister ab eodem rectore vel ab iis, qui deputati forent, formam et rationem acciperet tam profanos, quam sacros et pios libros legendi, et iuventutem informandi; declaravit etiam hoc voluntatis suae esse, ne quisquam ad functiones huiusmodi litterarias in ditionibus suis a communitate, parochis vel ecclesiarum rectoribus, seu officialibus dicti Georgii vel haeredum ac posterorum suorum assumeretur, nisi a rectore praedicti collegii approbatus et confirmatus foret.

Bona omnia collegii eximit a quocumque vectigali, *etc.*

§ 11. Quo autem praedicta omnia sic donata et perpetuo attributa dicti rector et collegiales possidere quietius, suisque ministeriis vacare liberius possent et valerent, voluit ac statuit ut domus, seu collegium, ac illius ecclesia nec non sacellum, horti et caetera quaecumque cum omnibus suis iuribus, limitibus et attinentiis quaeri, et ipsa pecuniarum pensio annua, ut praefertur, donata et attributa, libera et immunia essent perpetuis futuris temporibus ab omnibus oneribus et censibus, tam civilibus, quam camerae suae obligatoriis, seu ad eam pertinentibus, seu quibusvis aliis notis et ignotis, etiam eis, quae imposterum forte impedire possent, nihil sibi ac posteris suis, seu futuris haeredibus, seu alias quoquo modo nominatis, qui ius aliquod dominii, sequestratus, praesidentiae, regiminis, iuris, sive legitime sive usurpative, seu ex iniuncto allegare possent, praesumerent, vel auderent iuris reservando, quinimmo plenariam ac liberam (iuxta utriusque iuris tam ecclesiastici quam saecularis, nec non statutorum et privilegiorum eiusdem Societatis) praedicta omnia possidendi, eisque gaudendi et fruendi, omnimodam libertatem permisit.

Haeredes fundatoris si molesti fuerint collegio, liberum esse declarat rectori collegium ipsum cum bonis omnibus alio transferre.

§ 12. Voluit praeterea, quod si quis haeredum, successorum ac posterorum suorum quidpiam in damnum seu detrimentum dicti collegii, seu impedimentum consuetorum exercitiorum, tam spiritualium quam litterariorum dictae Societatis, attentare praesumeret, ut tunc, demonstratis eiusmodi impedimentis et molestationibus aperte et manifeste probatis coram dicto Rodulpho rege in imperatorem electo, futurisque regibus Bohemiae, ac supremis regni officialibus, tenerentur (sic iudicante regia maiestate, ipsisque regni supremis officialibus) posteri sui, et quisquis possessorum dicti dominii Comutaviensis aut haeres foret, infra annum rectori et collegialibus dictae Societatis bona stabilia ubicumque locorum, prout ipsis id liberet in regno Bohemiae, et quae ipsi eligerent (de quorum pretio, ut ipsi rectori et collegialibus cum venditore licitari et convenire liberum esset, voluit pro centum millibus sexagenis misnentium quamlibet sexagenam sexaginta parvis grossis, grossum quemlibet septenis parvis obolis computando) emere, seu solvere, eaque de integro absque ulla diminutione, iisque rectori et collegialibus cum pleno iure non solum usufructus, sed et dominii tradere atque consignare, invariatis semper et impermutatis censibus ab ipsa Societate iam constitutis et imposterum constituendis, quos census voluit, ut dicta Societas quavis locorum, Comutavia exclusa, consequeretur, sicut et omnia emolumenta ex donatis, legatis, emptis, acquisitis, sive quomodolibet a dicta Societate obtentis, in quibus bonis, sive alibi in regno Bohemiae, ubi pro maiori bono ecclesiae expedire iudicaverint, possent ac deberent praedicta Societas aliud collegium constructo simile sub nomine ac titulo dicti Georgii exaedifi-

care, retentisque censibus ante datis et attributis, cum omnibus aliis donatis, emptis, legatis, aut acquisitis ex bonis sic emptis, et ex praedicta summa centum millium sexagenorum census emergentes ad suas et dicti noviter erecti collegii necessitates accipere, possidere et convertere; quod collegium postquam erectum esset omnibus iis gratiis, quibus dictum collegium Comutaviense a praedicto Rodulpho rege in imperatorem electo donatum tunc erat, frui et gaudere deberet, iuxta tenorem praesentium litterarum et diplomatis confirmationis super his a dicto Rodulpho rege in imperatorem electo.

Alias leges imponit.

§ 13. Quod si vero praedicti rector et collegiales negligerent aut tale novum collegium, adepti eiusmodi bona, erigere detractarent, tunc non solum novo isto censu, verum etiam praeteritis ipsis ex Comutaviensi fundatione et legatis attributis ac donatis consequenter privati esse deberent, ac illa suis haeredibus seu posteris resignare tenerentur; addidit insuper, quod si quis haeredum et successorum possessorumve dominii praedicti Comutaviensis post datam et latam a praedicto Rodulpho rege in imperatorem electo, et officialibus dicti regni sententiam, id quod supra expressum est, facere, et huiusmodi bona pro memorata summa centum millium sexagenorum emere, ac rectori et collegialibus praedictis de pleno intra tempus nominatum, videlicet anni spatium, consignare detractaret, statuit, ut presbyteri et clerici Societatis per rectorem Comutaviensem, seu Pragensem, et alium praedictae Societatis collegiorum in regno Bohemiae possent ac valerent, excepto uno camerario a tabulis praedicti regni Arcensis, et oppidum Comutaviense cum suburbiis, agris, oppidis, pagis ac villis, quinimmo cum omnibus quoquomodo vocatis aut nuncupatis, ad dictum dominium spectantibus, occupare, possidere et tenere, seu illorum fructibus omnibus potiri et gaudere tamdiu, quamdiu illis eiusmodi bona pro memorata summa centum millium sexagenarum empta, data ac in possessionem tradita non forent a successoribus suis praedictis; et insuper omnes expensae essent restitutae, quas ipsos rectores et collegiales in actionem assumere forte contingeret, quandocumque vero successores sui praedicti, sive is, qui dominus Comutaviae foret, id quod scribitur actu forent exequuti, ac rectori et collegialibus huiusmodi bona, ut praefertur, memorato pretio empta consignarent, tum quidem dicti rector et collegiales obligati esse deberent ab occupatis per camerarium cedere, ac bona empta ad se recipere, citra omnem conditionem, salva impensarum per ipsos rectorem et collegiales factarum in iuridicum processum restitutione, quae etiam concessionem anteire deberet; quod nisi praestarent, liberum esse domino, qui illis bona iuxta conditiones praescriptas procuravisset iure simili per camerarium a tabulis regni accepto, eos ab occupatis expellere, et totum dominium ad se recipere; neque etiam id praetermissum esse voluit, siquidem cum tempus habentes nonnunquam consilia et actus mutare soleant, quod si is forte ex suis successoribus, qui presbyteros et clericos ipsius Societatis Comutaviensis expulisset, aut alius post ipsum dominus Comutaviae eosdem rursus Comutaviam revocare vellet, ubi id illis intimatum foret, et de plana ac sincera voluntate constare, et tunc intra centum annos ipsi presbyteri et clerici citra omnem contradictionem ad illud Comutaviense collegium redire tenerentur, quod quidem collegium is ex dominis, qui eos revocaret illis tale vicissim quale ab illis relictum esset cum omnibus censibus,

fundis, agris, pratis, vineis aliisque datis, donatis, attributis et legatis, denuo redemptis restituere deberet et censeretur, ut tale prorsus quale reliquissent recipere possent, et non aliter. Porro, quoad bona empta pro pretio summae supradictae attinet, si aliud collegium presbyteris in illis, vel alibi ex proventibus dictorum bonorum erigeretur, illud quidem collegium in illis bonis in potestate dictae Societatis inibi, ubi ereatum foret, ut maneret atque perduraret, voluit, ac dicti collegii Comutaviensis membrum esset, necnon omnibus gratiis libertatibus aeque gauderet; statuit ita tamen, ut reddituum pro memorata summa centum millium sexagenarum comparatorum eidem novo collegio medietas sola remaneret; ac si quid interea temporis industria rectoris et collegialium, nec non etiam aliorum huiusmodi in liberalitate ac bene volenti accessisset, tam donatis quam legatis acquisitis, sive emptis id ipsum quoque ne ab eo auferetur etiam voluit; altera vero medietas domino in Comutavia, qui presbyteros predictos revocaret, eisque collegium restitueret in usum suum atque commodum perpetuo cederet; quod si autem presbyteri Societatis huiusmodi, iuxta superius praescriptas conditiones, vocati ad recipiendum vicissim Comutaviense collegium id facere abnuerent, et intra centum annos redire retrectarent, eo ipso facto voluit ut utriusque, et novi et veteris collegii, amissionem cum censibus et rebus omnibus concurrerent, et haec omnia sic donata, ac pro summa centum millium sexagenarum acquisita, ut in ius ac dominium eius qui foret dominus Comutaviae cederet, qui ea omnia in alium pium usum pro bono Ecclesiae Dei, prout illi in Domino cum approbatione loci Ordinarii visum esset, teneretur convertere. Ultimo omnium, et hoc subiunxit quod si (quod Deus avertat) contingeret presbyteros Societatis praedictae, ob personarum inopiam, vel propter bella, aut mortalitatem, seu contagia pestis, alteriusve mali incommoda in regno praedicto Bohemiae deficere, vel quod pro ratione sui Instituti officiis, quae similia collegia suscipere solent, satisfacere nequirent, ut tunc successores et posteri dicti Georgii quisquis possessor dominii Comutaviensis esset, teneretur praepositum provincialem provinciae, nec non ipsum Claudium, et pro tempore existentem Societatis generalem mature, non semel sed saepius, certiores reddere de eiusmodi defectu, dictique collegii necessitate; qui quidem praepositus provincialis provinciae, et praepositus generalis postquam essent sufficienter admoniti et requisiti de substituendis aliis, tenerentur huiusmodi requisitioni intra centum annos omnino, citra longiorem tergiversationem, satisfacere, atque praedicto collegio de personis providere; qui si id negligerent, aut non facerent, vel quod ipsa Societas sua sponte imparem se oneri huius collegii sentiens huic donationi aliquando renunciaret, tunc ut tam collegium ipsum, quam census omnes, caeteraque omnia non ad alium, quam ad posteros ac haeredes suos directe redirent atque reverterentur, neque praedicta Societas aut quisque alius ius haberet eorum quidquam, tunc donatorum et de caetero donandorum in toto vel in parte ab eodem Georgio suisque haeredibus ac posteris, ullo quaesito colore sive praetextu, vendendi, alienandi vel in potestatem cuiusque alterius tradendi, qui non esset legitimus haeres ac possessor praedicti dominii Comutaviensis, imo nec eidem haeredi ac possessori, nisi de expressa Sedis Apostolicae licentia, et quiquid secus fieret, id totum irritum atque cassum esset.

Erectio praevidetur alterius collegii in iisdem locis.

Casus in quo presbyteri Societatis in toto regno Bohemiae deficerent.

§ 14. Cum autem, sicut eadem petitio

Comutaviense collegium tandem erectum institutamque in eo universitatem.

subiungebat, postmodum ibi iuxta voluntatem et ordinationem praedicti Georgii unum collegium dictae Societatis erectum et institutum fuerit, quod ex donatione eiusdem Georgii sustentatum uberes et optabiles reddit fructus, ipseque Georgius obtinuerit illud ab eodem Rodulpho rege in imperatorem electo per patentes litteras sub certis modo et forma tunc expressis, et in tabulis dicti regni contentis in universitatem et studium publicum erigi et institui, pro parte Claudii praepositi generalis ac rectoris et collegialium, necnon Georgii supradictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut praemissa omnia pro illorum firmiori robore confirmare et approbare, necnon infrascripta concedere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem aestimationem, et beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, attendentes quod ex litterarum studio animarum saluti consulitur, ac alia spiritualia et temporalia bona modo proveniunt, Claudium praepositum generalem ac rectorem et collegiales, necnon Georgium praedictos eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon bonorum, domorum et iurium supradictorum situationes, confines, qualitates, quantitates, vocabula, denominationes et veros etiam annuos valores, praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, donationes, concessiones, voluntates, decreta, statuta, translationes, ordinationes, indulta, praecepta, nec non omnia et singula alia praemissa, apostolica auctoritate, earumdem tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque plenariae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Necnon omnes et singulos tam iuris quam facti, ac etiam solemnitatum quarumcumque quomodolibet omissarum, aliosque defectus, si qui forsan intervenerint in eiisdem, supplemus.

Confirmat Clemens cum bonis omnibus, statutisque a fundatore editis.

§ 15. Et nihilominus sacellum arcis praedictae, in quo per clericos seu presbyteros ad nutum pro tempore existentis domini dicti oppidi Comutaviensis poni et amoveri solitos in divisis deserviri consuevit, quodque in titulum perpetui simplicis beneficii ecclesiastici forsan nondum erectum existit, una cum illius fructibus, redditibus et proventibus, ac bonis universis mobilibus et immobilibus, quae similiter pro expressis haberi volumus, collegio praedicto, praedicti Georgii dicti ipsius sacelli et arcis patroni expresso ad hoc accedente consensu, dicta auctoritate, perpetuo applicamus et appropriamus.

Confirmat quoque applicationem sacelli arcis;

§ 16. Praeterea usum liberum supradictae parochialis ecclesiae dumtaxat, reservatis omnibus et singulis illius fructibus et redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis, bonis quoque et proprietatibus in quibuscumque rebus consistentibus, moderno et pro tempore existenti eiusdem ecclesiis rectori, dicti Georgii patroni etiam ad hoc accedente consensu, eisdem rectori et collegialibus praesentibus et futuris, ipsi quoque collegio pariter perpetuo concedimus et assignamus.

Usum ecclesiae parochialis,

§ 17. Insuper iuspatronatus et praesentandi personas idoneas, ac omnes et singulas ecclesias in ditionibus Georgii

Et ius praesentandi ad ecclesias in ditionibus fundatoris constitutas.

praedicti pro tempore vacantes ad curam earumdem ecclesiarum, prout antea ad eumdem Georgium suosque praedecessores spectavit et pertinuit, in Societatem Iesu, necnon collegii praedicti rectorem et collegiales, eodem accedente consensu, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo transferimus.

Universitatem ibidem erigit.

§ 18. Ulterius, ut maiori dicti oppidi decori, necnon subditorum ditionum praedicti Georgii consulatur, in eodem oppido Comutaviensi ac aedibus dicti collegii universitatem studii generalis, in qua clerici ipsius Societatis theologiam, philophiam aliasque ingenuas artes profiteantur, ac iuvenes quoscumque doceant, ad instar aliarum universitatum studiorum generalium tam in transalpinis provinciis et regnis, quam alias ubilibet erecturam, etiamsi in hac universitate Comutaviensi iurisprudentiae et medicinae facultates non accesserint, dicta auctoritate etiam perpetuo sine alicuius praeiudicio, erigimus et instituimus. Ipsamque universitatem et studium generale sic erectum et institutum curae, regimini et administrationi pro tempore existentis rectoris dicti collegii, qui totius universitatis rector existat similiter perpetuo supponimus et committimus, ac eisdem universitati, illiusque rectori, magistris et scholasticis, et officialibus, ac ministris, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, indultis, gratiis, praerogativis, honoribus et praeeminentiis, aliis universitatibus, quacumque auctoritate erectis, illarumque pro tempore existentibus rectoribus, magistris, doctoribus, lectoribus, praeceptoribus, scholasticis, procuratoribus, bidellis, nunciis, officialibus, ministris et aliis personis in genere vel in specie tam praedicta, quam imperiali, regia, ducali, aut alia auctoritatibus, et alias quomodolibet concessis non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter in omnibus et per omnia uti, potiri et gaudere, etiamsi dictae facultates iurisprudentiae et medicinae ibi non accesserint.

Cui caeterarum universitatum privilegia condit.

Facultatem rectori tribuit graduslaureamque concedendi.

§ 19. Ac insuper rectori eiusdem universitatis et collegii pro tempore existenti, ut ipsos, quos in eadem erecta universitate, vel etiam alibi, in quavis alia per debitum tempus studuisse, ac scientia et moribus idoneos esse reperirentur in praedictis facultatibus artium et theologiae ad baccalaureatus etiam formatae licentiaturae lauream doctoratusque, et magisterii gradus, servata forma Viennensis Concilii, et alias, iuxta universitatum aliorum studiorum generalium consuetudines, et erectae universitatis statuta promovere, et ipsorum graduum solita insignia eis exhibere, atque ad dictos gradus sic promoti in hac universitate Comutaviensi postea publice et privatim, etiam in omnibus aliis universitatibus studiorum generalium facultates praedictas interpretari, et alios docere, necnon de eis disputare, ac gradui seu gradibus huiusmodi convenientes actus exercere: quodque omnes et singuli, qui in ipsa universitate Comutaviensi, etiamsi ibi non habeantur facultates iurisprudentiae et medicinae, vel depositi, vel descripti in matricula, vel in quovis gradu promoti extiterint, in quavis alia universitate seu academia pro vere inscriptis et in gradu promotis recipiantur. Demum, ut omnes et singuli, qui in universitate seu academia Comutaviensi huiusmodi triennium, ut vocant, absolverint, testimoniumque ab ipsa universitate de idoneitate ad alios docendum habuerint, possint et debeant, et in quavis cathedrali, aut alia ecclesia, sine ulla tergiversatione, assumi et censeri tales, qui in vera academia et studio generali (etiamsi iurisprudentiae et medicinae facultates ibi non sint) litteris operam dederint per triennium, ut cathedrales ecclesiae requirunt.

Praeposito generali Societatis Jesu facultatem tribuit statuta edendi pro collegio et universitate,

§ 20. Caeterum moderno et pro tempore existenti dictae Societatis praeposito generali, ut per se, vel dicti collegii et erectae universitatis rectorem, aut alium, seu alios, pro salubri et felici directione universitatis Comutaviensis, ac rectoris, magistrorum, procuratorum, bidellorum, nuntiorum et aliorum ministrorum ac officialium muneribus et functionibus, modoque et forma docendi, et alias sua officia exercendi, necnon pro scholasticorum manutentione quaecumque statuta et ordinationes licita et honesta, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis minime contraria, edere et promulgare, eaque pro temporum, rerum et personarum qualitate mutare, corrigere et reformare, seu illa cassare et abrogare, aliaque de novo edere, necnon super illorum observatione poenas eius arbitrio imponere, ac etiam in praedicta universitate rectores, magistros, lectores, scholasticos, procuratores, bidellos, et praecipue unum seu plures notarios publicos, seu tabelliones authenticos, fideles et legales, postquam tamen ad hoc idonei reperti fuerint, recepto ab eis prius de notariatus et tabellionatus officiis fideliter exercendis iuramento ac professione fidei huiusmodi, iuxta constitutionem praedictam, per eos emissa, aliosque ministros et officiales necessarios pro usu universitatis praedictae creare, ac de officio huiusmodi notariatus per pennam et calamare investire, aut alios creatos ad huiusmodi officia assumere, et quoties opus fuerit, amovere, seu electiones factas confirmare, ita quod scripturis authenticis per dictos tales notarios sic creandos vel assumendos aut confirmandos plenaria et indubia fides adhiberi debeat in iudicio et extra, libere et licite valeant, etiam perpetuo concedimus et indulgemus, ac desuper eis licentiam et facultatem impartimur.

Et notarios creandi.

Vetitum tamen in academia ad gradus promotos ab assequutione ecclesiasticarum dignitatum removere.

§ 21. Demum omnibus et singulis tam metropolitanarum, primatialium, cathedralium et collegiatarum aliarumque quarumcumque ecclesiarum per Europam et universum orbem sitarum capitulis, nec non superioribus et particularibus personis, quacumque auctoritate et dignitate fungentibus et functuris, ac quovis privilegio et indulto munitis, in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus ne studiosos academiae seu universitatis Comutaviensis huiusmodi, aut in ea ad gradus promotos ab assequutione dignitatum, seu canonicatuum et praebendarum earumdem ecclesiarum sibi tamen canonice conferendarum, aut ad illos nominandarum, si idonei ad id iudicati fuerint, et tempus debitum suorum studiorum in academia seu universitate huiusmodi absolverint, vel gradum doctoratus seu magisterii, aut licentiaturae, vel alium susceperint, dummodo aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, reiicere et removere quoquo modo audeant seu praesumant.

Bona omnia collegio confirmat.

§ 22. Postremo omnia bona, res et iura a predicto Georgio, ut praefertur, collegio et universitati Comutaviensis huiusmodi concessa, donata et attributa, et de caetero per quoscumque fideles quovis modo donanda, concedenda et attribuenda eidem collegio, eadem auctoritate, similiter perpetuo applicamus et appropriamus; ita quod liceat rectori et collegialibus praedictis per se, vel alium, seu alios eorum corporalem, realem et actualem possessionem libere appraehendere, et perpetuo retinere; nec non in collegii et universitatis huiusmodi, ac personarum ipsius collegiis usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita.

Clausulae praeservativae.

§ 23. Decernentes easdem praesentes, etiam ex eo quod interesse habentes, vel putantes ad hoc vocati, et causae vel causa

propter quam seu quas praemissae emanarunt, etiam coram loci Ordinario, etiam tanquam a Sede Apostolica delegato, aut alias quomodolibet verificatae, non fuerint; et ex quavis alia causa, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidari non posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, vel contrariis dispositionibus, nullo unquam tempore comprehendi, sicque in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, etiam palatii apostolici causarum auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere; irritum quoque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores praesentium litterarum deputat.

§ 24. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Pragensi et Olumocensi episcopis, ac dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque ubi, quando et quoties opus fuerit, ac pro parte Claudii, et pro tempore existentis praepositi generalis dictae Societatis, ac collegii rectoris et collegialium huiusmodi, nec non Georgii praedictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, praesentes et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac singulos, quos ipsae praesentes litterae concernunt, et concernent in futurum, illis pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos desuper per quoscumque, contra praesentium tenorem, quomodolibet molestari, impediri, vel perturbari. Contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam, ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit.

§ 25. Non obstantibus praemissis, ac priori voluntate nostra praedicta, et piae memoriae Bonifacii PP. VIII, similiter praedecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis tunc expressis casibus, et in illis ultra unam diaetam ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeant, seu praesumant; et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo non ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum supradictarum, ac capitulorum, provinciarum, urbium et locorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, earumdemque ecclesiarum praesulibus, capitulis et aliis superioribus et particularibus personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, confir-

matis et innovatis, ac concedendis, confirmandis et innovandis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de eis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, vel quaevis alia expressio habenda, seu exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, latissime hac vice specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Per praedicta debita ecclesiarum Comutaviensis servitia negligi cavet.

§ 26. Proviso, quod propter praemissa dictae ecclesiae, quarum iura patronatus ad rectorem et collegiales praedictos translata et quarum usus et cura illis concessa et commissa existit, debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur, sed earum congrue supportentur onera consueta; quodque propter translationem huiusmodi plus iuris in eosdem rectorem et collegiales translatum non intelligatur, quam ipse Georgius haberet: quo vero ad curam parochialium et aliarum ecclesiarum sub iuribus patronatus huiusmodi compraehensarum, rectori et patribus eiusdem collegii, ut praefertur commissam, salva remaneat iurisdictio loci Ordinarii, ita ut propter ea non intelligatur illi in aliquo praeiudicatum. Per praesentes autem non intendimus iuspatronatus huiusmodi in aliquo approbare.

Clausulae poenales.

§ 27. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum absolutionis, confirmationis, approbationis, adiectionis, suppletionis, applicationum, appropriationum, concessionum, assignationis, translationis, erectionis, institutionis, suppositionis, submissionis, indulti, impartitionis, praecepti, mandatorum, decreti, derogationis et intentionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, quarto kal. septembris, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 29 august. 1594, pontif. an. III.

XCIV.

Confirmatio concordiae inter regem catholicum eiusque successores et archiepiscopum Toletanensem pro tempore existentes super administratione collegii virginum nuncupati Dominae Nostrae de Remedio *in civitate Toletana erecti* [1].

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pro nostro munere in his partes nostras libenter interponimus, quae ad concordiam et pacem inter catholicos reges et ecclesiasticas personas pertinere dignoscuntur.

Hispaniarum rex et cardinalis Toletanus concordiam inter se initam confirmari petunt.

§ 1. Nuper siquidem charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, ac dilectus filius noster Gaspar tituli sanctae Balbinae, presbyter cardinalis Toletanus nuncupatus, ecclesiae Toletanae perpetuus administrator, ad infrascriptam super modo et forma gubernii collegii virginum Beatae Mariae *de los Remedios* civitatis Toletanae, concordiam (quae in instrumento desuper con-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

fecto, cuius tenorem praesentibus inseri, et inferius adscribi et annotari fecimus, latius continetur) insimul devenerunt; nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut concordiam huiusmodi approbare et confirmare auctoritatisque nostrae robore communire de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Clemens;

§ 2. Nos, qui honestis fidelium votis libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam huiusmodi, et desuper confectum instrumentum inferius insertum, et prout illa concernunt omnia et singula, quae in dicto instrumento inferius adscripto continentur, et inde sequuta quaecumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, supplentes omnes et singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, et per omnes inviolabiliter observari debere, et ad illarum omnium observationem, omnibus viis ac iuris et facti remediis, cogi et compelli posse et debere.

Clausulasque opportunas pro perpetua observantia apponit,

§ 3. Sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et diffiniri debere, ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Et apostolico nuncio eiusdem concordiae exequtionem committit.

§ 4. Et nihilominus dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis apud dictum Philippum regem, nunc et pro tempore, existenti nuncio committimus et mandamus, quatenus per se, vel alium seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Philippi regis et Gasparis cardinalis, ac pro tempore Toletani archiepiscopi, eorumque successorum fuerint requisiti, ad exequutionem eorum omnium, quae in dicta concordia continentur, procedat, et per eos, ad quos spectat, eadem observari curet et faciat.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, et alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis ac totis eorum tenoribus, specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Tenor concordiae.

§ 6. Tenor vero instrumenti huiusmodi concordiae sequitur et est talis: In nomine Sanctissimae Trinitatis Patris, Filii et Spiritus Sancti unius solius Dei et veri Domini et gloriosae Virginis S. Mariae Dominae nostrae. Manifestum et notorium sit omnibus hoc praesens publicum instrumentum conventionis, assensus, transactionis et concordiae visuris, quod in oppido de *Madrid* existente in eo curia et consilio S. Maiestatis, die VII martii, anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, in praesentia mei notarii et scribae publici, ac testium infrascripto-

rum, praesente doctore Amezqueta, de consiliis regis et camerae nomine S. Maiestatis catholicae, et pro eo, quod suum ius tangit et dominorum regum, qui post longos dies S. Maiestati succedent in regnis coronae Castellae in perpetuum, et dominus cardinalis Don Gaspar de Quiroga, archiepiscopus sanctae ecclesiae Toleti, primae Hispaniarum, cancellarius maior Castellae, de consilio status S. Maiestatis, et praesidens consilii Italiae, inquisitor generalis contra haereticam pravitatem et apostasiam, pro se ipso, et nomine suae dignitatis archiepiscopalis et archiepiscoporum praedictae sanctae ecclesiae Toleti eius successorum in perpetuum, ex altera parte, et dixerunt quod cardinalis Don Ioannes Martinez Siliseo, qui fuit archiepiscopus Toleti, instituit, fundavit et dotavit in praedicta civitate Toleti unum collegium virginum, nuncupatum Dominae Nostrae Remediorum, in quo, iuxta formam constitutionum cum quibus illud fundavit, et testamentum sub quo decessit, voluit, quod adesset una ecclesia pro sepultura, et centum puellae et unus administrator, et una gubernatrix, et unus capellanus maior et quatuor capellani et alii ministri pro servitio cultus divini praedictae ecclesiae et collegii; et quomodocumque sit, per dictas constitutiones et fundationem dicti collegii, et praefatum testamentum, dictus cardinalis ordinavit, quod dumtaxat archiepiscopus Toleti, qui post eum foret et illius successores in perpetuum, remanerent patroni dicti collegii, prout in dictis scripturis latius constat. Quod testamentum factum et concessum fuit coram Ioanne Sanchez de Canales, scriba publico, Toleti, die VIII mensis martii, anno MDLVII, post quae sub die nona mensis maii praedicti anni quinquagesimi septimi, dictus cardinalis Siliseo coram praefato Ioanne Sanchez scriba revocavit dictum testamentum in omnibus et per omnia, prout in eo continebatur, et dicta die nona maii praefatus cardinalis concessit constitutiones, sub quibus fundavit dictum collegium coram Didaco Barrasa, eius secretario et notario apostolico. Post quae sub die x praedicti mensis maii praedicti anni quingentesimi quinquagesimiseptimi, dictus cardinalis per actum et scripturam publicam, quam confecit coram dicto Ioanne Sanchez scriba, utendo potestate et facultate, quas vigore constitutionum dicti collegii habebat, et fecerat et sibi reservaverat, et via ac forma quibus de iure melius locus esset, fecit novam nominationem patronorum dicti collegii, in qua nominavit in tales patronos suam Maiestatem regis domini nostri et dominos reges eius successores in perpetuum, et archiepiscopum Toleti, qui post dictum cardinalem foret, et illius successores in perpetuum, et illis dedit omnem potestatem et facultatem, quam tamquam tales patroni possunt et debent tenere. Post quae, dicta die decima maii, praefatus cardinalis, per aliam scripturam publicam, quam fecit coram praedicto Ioanne Sanchez, revocavit scripturam revocationis, quam fecerat dicti sui testamenti, et declaravit et mandavit, quod praefatum suum testamentum observaretur, adimpleretur et exequeretur, prout in eo continebatur, declarando, prout declaravit, inter alia, quod patroni praefati collegii essent rex dominus noster et illius successores, et archiepiscopus Toleti et sui in dicta dignitate archiepiscopali successores, prout per scripturam superius relatam ordinaverat, et quod dicti patroni possent nominare et nominarent, praesentare et praesentarent virgines, quae ingredi deberent dictum collegium, cum quo approbavit dictum suum testamentum; et ad maiorem cautelam illud concessit de novo, prout de omnibus ex di-

Monasterium a cardinale Siliseo fundatum et dotatum.

Leges nonnullae ab eodem in suo testamento sancitae,

Inter quas constituit archiepiscopos Toletanos eiusdem monasterii patronos.

Altero vero testamento patronos constituit reges catholicos et archiepiscopos Toletanos,

Cum facultatibus hic expressis.

ctis scripturis, ad quas se refert, latius constat et apparet, quae omnes sunt signatae a dicto Ioanne Sanchez de Canales. Post quae, existente sua Maiestate eiusque curia et consilio in civitate Toleti de anno MDLX, et impendita atque arrestata persona fratris D. Bartholomaei de Carranca defuncti, qui fuit archiepiscopus Toleti, doctor Christophorus Perez, administrator, qui fuit dicti collegii, petiit et supplicavit suae Maiestati, ut dignaretur acceptare dictum patronatum, prout et quemadmodum dictus cardinalis Siliseo ei dimiserat illud, supplicando; et in effectu, postquam tractatum et practicatum fuit, de mandato suae Maiestatis cum nonnullis de consilio suo et praedicto doctore Christophoro Perez circa ordinem, qui quoad nominationem virginum et reliquorum concernentium dictum patronatum, debebat teneri et poterat servari inter suam Maiestatem et archiepiscopos Toletanos pro tempore extituros, et capto ac deliberato ordine et forma, qui visus est conveniens, et habito consilio cum S. Maiestate, et facta omnium particulari relatione, habita consideratione quod opus et institutio dicti collegii erat adeo sancta et pia, et tam in servitium domini nostri, ac utilitatem et beneplacitum praedictae civitatis et archiepiscopatus, ac regni Toleti, et quod illud fecit dictus cardinalis, qui fuit magister suae Maiestatis, ei placuit acceptare dictum patronatum pro se et pro dominis regibus Castellae suis successoribus capiendo S. Maiestas, et ipsi tanquam tale patroni in eorum protectionem, manum et auxilium praefatum collegium, personas, bona, privilegia et exemptiones, ac omnia illud tangentia et concernentia, et illis praestare favorem et auxilium, atque iuvare et favere substentationem, conservationem et effectum dictae institutionis, ita quod de dictis centum puellis eius Maiestas nominare deberet sexaginta, et praedicti archiepiscopi quadraginta, et quod utcumque sit, quod in dictis constitutionibus, quas dictus cardinalis fecit circa tangentia dictum collegium, declaratum reliquit, quod administrator et gubernatrix nominarentur per archiepiscopos in dicta sancta ecclesia pro tempore existentes, quod attento, quod id disposuerat, antequam nominaret suam Maiestatem in patronum una cum dictis archiepiscopis, et antequam dictis archiepiscopis dedissent una cum S. Maiestate nominationem virginum, et quod cum postea fuerit circa haec facta mutatio, erat differens casus et ratio, concordatum et conventum fuit, quod dictus administrator, post obitum praefati Christophori Perez, nominaretur per S. Maiestatem et dominos reges illius successores, et praedicta gubernatrix per dominos archiepiscopos, ordinavitque et praecepit S. Maiestas, quod obtineatur et afferatur confirmatio et approbatio praemissorum a Sua Sanctitate, prout continetur in acceptatione quam S. Maiestas fecit in dicta civitate Toleti, die xxx novembris praeteriti anni quingentesimi sexagesimi. Et cum obierit dictus doctor Christophorus Perez, in exequutionem dictae acceptationis providit S. Maiestas in eius locum ad dictum officium administratoris dicti collegii licentiatum Quintanilla, et per illius decessum canonicum Franciscum de Hoio, et per obitum dicti Hoio, doctorem Ferdinandum de Barriovero, et cum obierit dictus D. Barriovero et sit archiepiscopus dictae sanctae ecclesiae praedictus dominus cardinalis D. Gaspar de Quiroga, et nominaverit sua Maiestas licentiatum Rudes de Andrada, fratrem Ordinis de Calatrava, et illius capellanum; et visis per dictum dominum cardinalem dicto testamento, constitutionibus et declarationibus dicti cardinalis Si-

Philippus II talem patronatum admisit.

Nonnulla tamen reliquit liberae dispositioni archiepiscoporum.

Nonnullae exortae sunt super praedictis contentiones.

liseo, et informatus de his, se opposuit dictae nominationi, dicendo, quod ad ipsum spectabat, et suum, erat et illi incumbebat, et quod praefatus doctor Christophorus Perez non potuerat ei praeiudicare, neque suis successoribus in provisione dicti officii administratoris, nec in praesentatione dictarum puellarum, et quod non habuit potestatem neque auctoritatem ad supradicta, nec facta, neque concessa fuit concordia de his, neque intervenit confirmatio et approbatio Suae Sanctitatis, nec reperiebatur, et quod hoc non obstante processum fuit ad ulteriora in nominatione, quam fecit S. Maiestas de dicto licentiato Rudes ad dictum officium administratoris, qui illud exercuit pluribus annis, donec S. Maiestas illi fecit gratiam, anno praeterito millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, de prioratu Giennensi, qui est de suo Ordine, et illum providit in administratorem conventus illius; et quia praefatus cardinalis D. Gaspar de Quiroga dedit memoriale quoddam, dicens, quod cum ex dicto testamento et constitutionibus factis a dicto cardinali Siliseo pro dicto collegio ad ipsum spectat et pertinet provisio dicti administratoris, sua Maiestas dignaretur ordinare circa nominationem et provisionem huius officii, et presentationem virginum, et super reliquis tangentibus dictum collegium, id quod magis conveniret exonerationi suae regiae conscientiae, ac servitio et utilitati dicti collegii, quibus visis per suam Maiestatem et de eius mandato per dominos praesidentem et eius consiliarios camerae, et desuper habito consilio, resolutum fuit iustis de causis, et quod debeat remanere et remaneat ex nunc praefato cardinali D. Gaspari de Quiroga, archiepiscopo Toletano, et suis successoribus in dicto archiepiscopatu in perpetuum provisio dicti officii administratoris dicti collegii et illud gubernatricis, et quadraginta ex dictis centum virginibus et capellani maioris, quatuor cappellanorum et aliorum ministrorum dicti collegii; ita quod cum sua Maiestas fuerit nominata in patronum illius per ipsius fundatorem, et remanere eius curae ac dominorum regum Castellae patronatum, protectionem et manutentionem dicti collegii personarum, bonorum, privilegiorum, exemptionem illius, et quod eis dabit auxilium et favorem, et sustentatio, conservatio et effectus dicti collegii quoties vacabit dictum officium administratoris eiusdem quovis modo dictus dominus cardinalis D. Gaspar de Quiroga et archiepiscopi post eum futuri Toletani nominare debeant et nominent ab hodie S. Maiestati et dominis regibus suis successoribus ad dictum officium duas personas apponendo aetatem et qualitates cuiuslibet eorum, ut si habuerint quas convenerint, S. Maiestas et domini reges eius successores praesentent et dent suum titulum ei, cui ipsis visum fuerit magis convenire; quam dictus dominus cardinalis D. Gaspar de Quiroga et archiepiscopi post eum futuri Toletani debent admittere et facere informationem et caeteras diligentias necessarias, ut utatur et exerceat dictum officium, et quod ex dictis centum virginibus sexaginta remanere debeant et remaneant ad praesentationem et provisionem S. Maiestati et dominorum regum eius successorum in regno Castellae, prout dicto anno quingentesimo sexagesimo conventum et concordatum fuerat; et quod in reliquis omnibus observetur et adimpleatur quod continetur in praefatis constitutionibus et fundatione dicti collegii in perpetuum; et quod pro observatione et perpetuitate omnium praemissorum, conficiatur et stipuletur, de consensu suae Maiestatis et praedicti archiepiscopi, instrumentum in forma, cuius, si necessarium erit, obti-

De nominatione administratoris.

De praesentatione virginum.

Facta itaque fuit concordia hic expressa.

neatur confirmatio a Sua Sanctitate, et visa per dictum dominum cardinalem archiepiscopum Toletanum voluntate S. Maiestatis, habuit et habet pro iusto et convenienti modum supradictum, quem suae Maiestati placuit dare et dedit in dicto negotio, et tanquam talis accessit et venit, ac consensit illi, et existentes concordes in his supradictis praefatus doctor Amezqueta nomine S. Maiestatis et pro dominis regibus suis successoribus in regnis Castellae in perpetuum, pro eo quod suam partem tangit, et dictus dominus cardinalis D. Gaspar de Quiroga archiepiscopus Toletanus, pro se et pro dominis archiepiscopis suis successoribus in dicto archiepiscopatu in perpetuum, ambo tanquam patroni dicti collegii praestando, prout praestiterunt vocem et cautionem de rato et grato in tali casu pro successoribus necessarium confessi sunt se esse concordes, et convenisse, atque concordarunt et convenerunt, via transactionis et concordiae, et ea via et forma, quibus melius sit de iure, et magis possit et debeat valere, quod fiat et adimpleatur cum effectu quo ad provisionem praedicti officii administratoris, et praesentationem virginum et reliqua dictum collegium tangentia, quod superius relatum est et declaratum, et quae postea dicentur, et pro maiori claritate, et quod intelligatur quando vacabit aliquis ex dictis centum locis tam ex sexaginta, quas nominare et praesentare debet S. Maiestas et domini reges illius successores, quam ex quadraginta, quas nominare et praesentare debet dictus dominus cardinalis et archiepiscopi eius successores, declaratur quod S. Maiestas et domini reges illius successores debeant nominare et nominent tres virgines ex primis quae vacabunt ex nunc imposterum, et dictus dominus cardinalis D. Gaspar de Quiroga archiepiscopus Toletanus et archiepiscopi illius successores duas virgines ex his quae vacabunt, postquam S. Maiestas providerit dictas tres, et sic isto ordine quousque sit adimpletus numerus sexaginta locorum virginum, quas S. Maiestas nominare debet, et ille numerus quadraginta, quas nominare debet praefatus dominus archiepiscopus, ita quod praebendae et loca quae ad S. Maiestatem et ad dominos reges eius successores et ad dictum Dominum archiepiscopum et ad suos pertineant, respective sint in se distinctae et cognitae, et eveniente vocatione, sciatur et intelligatur, ad quem spectat. Et quia ex dictis centum virginibus adsunt ad praesens in dicto collegio aliquae praesentatae per S. Maiestatem (ultra sex loca, quae cardinalis fundator voluit in eo esse pro consaguineis suis) dumtaxat duae virgines, quae sunt Adriana Fernandez Pantosa et Anna Sedenò, et per gubernatores huius archiepiscopatus adsunt quatuor praesentatae, quae sunt Catherina de Salazar, Francisca de Spinosa, Donna Catherina Lasso de Aaro et Donna Maria Pantosa; et ut observetur quoad nominationem dictarum centum virginum ordo iam dictus, quod S. Maiestas nominet tres, et archiepiscopus duas, declaratur, quod ad servandam aequalitatem, modo iam dicto, ad numerum dictarum quatuor, quae sunt praesentatae in dicto collegio per praefatos gubernatores, debet providere S. Maiestas modo primas septem virgines, quae cum duabus quas praesentavit erunt novem, et postea dominus cardinalis et eius successores debent providere duas virgines, quae cum quatuor existentibus in dicto collegio praesentatis per dictos gubernatores erunt sex; et postquam providerit dictus dominus archiepiscopus istas duas virgines, debent providere S. Maiestas et illius successores alias tres virgines, et successive

Concordia a cardinali Toletano admissa fuit.

Forma nominandi virgines.

dictus dominus archiepiscopus, et sui in dicta dignitate alias duas, et sic isto ordine trium et duarum quousque sit adimpletus numerus dictorum centum locorum, ut dictum est. Et quia ex dictis sex virginibus, quas cardinalis fundator voluit esse in dicto collegio eius consanguineas, et quod comprehenderentur in dicto numero centum, adsunt modo quinque provisae, quarum quatuor sunt Donna Leonora de Soto, Constantia Guiseno, Donna Anna de Mena et Maria de Paez, praesentatae per S. Maiestatem, et Donna Maria de Aguilar praesentata per fundatorem, atque ad praesens vacat unus locus, quia nupsit Donna Anna Trevinò Siliseo, declaratur quod provisio et praesentatio istarum sex virginum debet fieri hoc modo, quod S. Maiestas et domini reges eius successores in perpetuum praesentent quatuor loca earumdem, quae sunt illa, quae hodie tenent praedictae Donna Leonora de Soto, Constantia Guiseno, Donna Anna de Mena et Maria de Paez, quae remanere debent et remanent dedicatae et assignatae suae Maiestati, ut quando vacaverint per dictas personas, quae ad praesens illa tenent, aut pro eis, quae in antea succedent in illis, de ipsis provideantur consanguineae dicti fundatoris, et duo loca restantia, quae sunt illa quae ad praesens tenet dicta Donna Maria de Aguilar, et ille qui vacat pro dicta Donna Anna Trevinò, de illis provideat semper praefatus dominus cardinalis et archiepiscopi illius successores duabus consanguineis praedicti cardinalis fundatoris, locus praedictae Donnae Mariae de Aguilar quando vacabit, et praefatae Donnae Annae Trevinò ex nunc quoties et quando cum ut prout dictum est vacans ad praesens; et quoad qualitates, quas omnes praedictae virgines habere debent, ut recipiantur in praefato collegio, debent observari ea omnia quae

Nomina quinque virginum, quae id temporis erant provisae.

circa praemissa dictus cardinalis Siliseo fundator ordinavit et praecepit, quae omnia ita fiant et adimpleantur quoad omnes virgines, quae ab hodierna die datae et stipulationis huius scripturae imposterum praesentari debebunt, et praesentabuntur in dicto collegio per quamcumque dictarum partium, donec adimpleatur numerus dictarum centum virginum, et quod in caeteris omnibus tangentibus dictum collegium ordo et regimen illius observentur et adimpleantur contenta in testamento dicti cardinalis, et in constitutionibus et aliis scripturis desuper confectis et celebratis; non obstantibus his, quae sic tractata et conventa fuerunt cum dicto domino doctore Christophoro Perez, et acceptatione quae illius vigore facta fuit per suam Maiestatem, et quacumque possessione, usu et consuetudine, quae circa praemissa, seu aliquod ipsorum, vel partem eorum in contrarium fuerit, quae omnia, quatenus non sint conformia huic ultimae conventioni, tractationi et concordiae, sint in se nulla, nulliusque valoris et effectus; et quatenus necessarium sit per praesentes praefatus doctor Amezqueta, nomine S. Maiestatis, et dictus dominus cardinalis petunt et supplicant Suae Sanctitati ut dignetur confirmare et approbare huiusmodi scripturam conventionis, concordiae et transactionis, ut observetur et adimpleatur, et debitum sortiatur quicquid in ea continetur in perpetuum, et quod de ea ponatur una copia autentica originaliter in archivio scripturarum regiarum de Simancas, et alia detur praefato domino cardinali archiepiscopo Toletano ad illam ponendam in archivio scripturarum praedicti collegii, et ut ita adimpleatur et observetur, praefatus doctor Amezqueta, nomine suae Maiestatis, et dictus dominus cardinalis, modo supradicto, pro se et successoribus in eius dignitate prae-

Modus adimplendi numerum centum virginum.

missa approbaverunt, eisque consenserunt et promiserunt se non ituros, neque venturos contra ea, nec contra aliquod, seu partem illorum ullo unquam tempore, nec aliquo modo, causa, seu ratione sub praefata cautione pro successoribus tam in corona regia horum regnorum Castellae, quam in praefata dignitate archiepiscopali, et quod rex dominus noster ad maiorem cautelam faciet, approbabit et confirmabit hanc conventionem et concordiam per eius regiam cedulam; et quod quoad tangentia suam Maiestatem acquiescet et stabit contentis in ea, et dictus dominus cardinalis, ac praefatus doctor Amezqueta se subscripserunt suis nominibus, praesentibus Francisco de Aponte, Francisco de Otanez et Don Ioanne Suarez, residentibus in hac curia. G. cardinalis archiepiscopus Toletanus, Don Amezqueta coram me Francisco Gonzalez de Heredia. Ego Franciscus Gonzalez de Heredia, scriba regis domini nostri et eius notarius in sua curia, regnis et dominiis interfui omnibus supradictis cum dictis testibus et contrahentibus, quos fidem facio me cognoscere, et quod dictus doctor Amezqueta concessit de mandato suae Maiestatis et illius regio nomine hanc scripturam. Et in fide me subscripsi meo nomine, et signavi meo signo tali in testimonium veritatis.

Partes contrahentes praemissa omnia se adimpleturos promiserunt.

Locus † signi et subscriptionis

Franciscus Gonzalez de Heredia
Rex.

Quia doctor Amezqueta a consiliis meis regio et camerali meo nomine et de mandato meo tanquam patronus, qui sum collegii beatae Mariae Remediorum virginum, quod cardinalis Don Ioannes Martinez Siliseo, archiepiscopus, qui fuit Toletanus, instituit et fundavit in ea civitate, et regum successorum meorum ex una parte, et admodum reverendus in Christo pater cardinalis Don Gaspar de Quiroga, archiepiscopus sanctae ecclesiae Toleti, pro se ipso et nomine suae dignitatis archiepiscopalis et archiepiscoporum futurorum, illius tanquam patroni qui similiter mecum sunt dicti collegii, ex altera parte, concesserunt scripturam conventionis, transactionis et concordiae existentis in duobus foliis istud praecedentibus factam coram Francisco Gonzalez de Heredia, meo secretario et notario regio, sub die septima mensis praesentis martii huius anni millesimi quingentesimi nonagesimi quarti, super provisione officii administratoris praedicti collegii, gubernatricis centum virginum, capellani maioris, quatuor capellanorum et aliorum ministrorum eiusdem, prout in dicta scriptura latius continetur et dicitur in ea, quod ad maiorem cautelam illam debeo ego laudare, approbare et confirmare, et illa visa per praesidentes et consiliarios meos camerae, et habito mecum consilio, quod dictum opus erat et pium et sanctum, et adeo in servitium Dei domini nostri, ac utilitatem et beneficium praedictae civitatis et archiepiscopatus, et quod illud instituit praefatus cardinalis Siliseo, qui fuit praeceptor meus, quem sum peculiari amore prosequutus, et ad favendum et manutenendum opus tam pium, illudque adiuvandum, acceptavi et per praesentes accepto de novo dictum patronatum, prout et eo modo quo in huiusmodi scriptura continetur, pro me et pro regibus Castellae meis successoribus pro tempore futuris; et ego tanquam talis patronus accipio sub protectione mea et tuitione praefatum collegium, personas, bona, privilegia, exemptiones et omnia illud tangentia et concernentia ad eis dandum, et mei successores, omnem favorem et auxilium, et favendum substentationem, conservationem et effectum praedictae institutionis, et satisfaciendo dictae

Regis declaratio pro se suisque successoribus.

scripturae concordiae, per hanc meam cedulam illam laudo, approbo, ratifico, confirmo et habeo pro bona in omnibus et per omnia, sicut ac prout in ea continetur et promitto, atque polliceor meo verbo regio quod ego et reges mei successores, pro eo quod nos tangit, acquiescemus et stabimus contentis in ea, et quod non ibimus neque veniemus contra ea seu eorum partem; ullo unquam tempore, neque ullo modo, et praecipio quod ex nunc servetur, adimpleatur et exequatur dicta scriptura inviolabiliter, prout et quemadmodum in ea continetur, quod illud sic pro bono habeo, et est mea voluntas.

Eiusque omnium actorum ratificatio.

Actum in oppido de Madrid, die undecima martii MDXCIV.

Io el Rey.

De mandato regis domini nostri, Franciscus Gonzalez de Heredia.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die II augusti MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 2 augusti 1594, pontif. an. III.

XCV.

Pompeius Arrigonius, commissarius, delegatur ad constituendos terminos inter dominium ecclesiasticum et statum magni Ducis Hetruriae [1].

Dilecto filio magistro Pompeio Arrigono, capellano nostro et causarum palatii nostri apostolici auditori

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Cum in diversis locis temporalis nostrae et S. R. E. ditionis, quae proxima et contigua sunt locis et terris dominii dilecti filii nobilis viri Ferdinandi provinciae Hetruriae sibi subiectae magni ducis, ac praesertim Clanes, nostri et eiusdem S. R. E. subditi, cum subditis status Senarum dicti Ferdinandi magni ducis Montis Politianensis et aliis terris; in Umbria vero nostra communitas et homines civitatis nostrae Castelli cum subditis status Florentiae, Aretinis, sive aliis; nec non in provincia nostra Romandiolae, communitas et homines civitatis nostrae Forolivii cum universitate Castrocari tam super aggere et clausura de anno MDXCI a Foroliviensibus nostris subditis, pro usu et commoditate molendinorum in flumine Montoni factis, quam super appositione seu affixione cuiusdam novi termini inter agrum castri Flumani Foroliviensis et agrum Castrocari; ac demum Brasichellenses, nostri similiter subditi, cum universitate Maradi super quadam domo ac terrae petia in schola Gattarae et loco Gigolae vocatis sita, occasione finium et terminorum saepe contendant, et nunc super huiusmodi finibus et terminis inter dictos nostros, et S. R. E. subditos ex una, et praefatos eiusdem Ferdinandi magni ducis subditos, partibus ex altera, aliquae altercationes et controversiae ortae sint, et in futurum etiam suboriri possint;

Cum frequentes controversiae orirentur inter utriusque dominii subditos,

§ 2. Nos omnem praedictarum controversiarum occasionem e medio tollere, et subditorum nostrorum indemnitati providere volentes, dictorum finium et terminorum situationes et denominationes, etiam veriores, praesentibus pro expressis habentes, tua doctrina, fide, prudentia, et in rebus agendis dexteritate, atque experientia freti, tibi per praesentes committimus et mandamus, ut ad loca praedicta quam primum te conferas, et una cum deputato, sive deputatis ab ipso Ferdinando magno duce, uno vel pluribus, speciale et sufficiens ad hoc mandatum,

Committit auditori Camerae ut terminos ponat.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

auctoritatem et facultatem habentibus, illorum faciem inspicias, plantam, adhibitis peritis, confici facias, ac differentias et causas huiusmodi, pro parte dictorum nostrorum subditorum, audias et cognoscas, easque etiam amicabiliter et prout tibi expedire videbitur, sine processu, sola facti veritate inspecta, manu regia, decidas, termines atque componas; et quae super praemissis omnibus et singulis necessaria fuerint et opportuna, facias, agas et tractes, ac demum terminos finium, praedictis et aliis quibuscumque locis, ubi opus fuerit, inter nostram et eiusdem S. R. E., ac dicti Ferdinandi magni ducis ditiones ponas atque constituas, aliaque super his omnibus et singulis necessaria et opportuna, etiamsi speciale mandatum, auctoritatem et facultatem nostram requirerent, similiter facias et exequaris, super quibus nos tibi liberam, plenam et omnimodam auctoritatem et facultatem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris die v septemb. MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 5 septembr. 1594, pontif. an. III.

XCVI.

Confirmatio erectionis archiconfraternitatis B. Mariae de Suffragio, cui inter alia conceditur indultum anno quolibet unum reum condemnatum liberandi, in festo omnium Sanctorum, vel in die Parasceve.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito nostri ministerii pastoralis, ad ea nostrae operationis studia diligenter convertimus, per quae fidelium vota praesertim animarum christifidelium salutem concernentia, optatum consequantur effectum, et ea, quae propterea per fideles ipsos pie facta et ordinata fuisse dicuntur, firma perpetuo et illibata persistant, cum a nobis petitur, libenter apostolico munimine roboramus, ac alias concedimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

In Urbe erecta fuit confraternitas suffragii pro animabus in purgatorio existentibus.

§ 1. Sane dilectus filius noster Franciscus Sanctae Mariae in Via Lata, diaconus cardinalis Sfortia nuncupatus, tam suo, quam dilectorum filiorum confratrum confraternitatis sub invocatione animarum Purgatorii, alias Suffragii, in parochiali ecclesia Sancti Blasii in Via Iulia de Urbe canonice institutae nominibus, nuper nobis exposuit, quod cum nonnulli ex dilectis filiis parochianis dictae ecclesiae, singulari quodam pietatis affectu erga christifidelium animas, quae in Purgatorio futuram beatitudinem expectant, commoti, et de sui ipsius salute altiori mente recogitantes, unam utriusque sexus christifidelium confraternitatem animarum Purgatorii, alias Suffragii nuncupatam, cuius praecipuum institutum hoc esset, pias ad Deum preces pro dictis animabus in Purgatorio existentibus et in earum refrigerium effundere, et alias ad Dei omnipotentis laudem erigendam atque instituendam statuerint.

Vicarius Papae licentiam ad hoc concessit.

§ 2. Subindeque dilectus filius noster in dicta Urbe et eius districtu vicarius generalis, illam ordinaria eius auctoritate perpetuo erexerit, sub certis modo et forma tunc latius expressis, prout in patentibus litteris dicti vicarii desuper confectis plenius continetur.

Clemens institutiones dictae confraternitatis eiusque statuta approbat,

§ 3. Et sicut eadem petitio subiungebat, si dicta confraternitas sub tam pio et laudabili instituto de novo per nos institueretur, ac aliqua speciali gratia et titulo, ac denominatione archiconfraterni-

tatis decoraretur, illa exinde amplius stabiliretur, optataque in Domino susciperet incrementa; pro parte Francisci cardinalis et confratrum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsos confratres (asserentes se dictum Franciscum cardinalem in suum et confraternitatis huiusmodi protectorem elegisse) in suo laudabili proposito confovere, eosque ac confraternitatem ipsam specialibus favoribus ac gratiis prosequi, benignitate apostolica, dignaremur: nos qui pium dictorum confratrum propositum promovere sinceris desideramus affectibus, eosdem confratres ac eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, supensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, erectionem et institutionem dictae confraternitatis, necnon quaecumque statuta et ordinationes ad felix regimen et prosperam directionem dictae confraternitatis iam hactenus condita, quatenus sint licita et honesta, ac sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, ac Concilii Tridentini decretis non contraria, et ab eodem vicario examinata et admissa, apostolica auctoritate tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis apostolicae robur adiicimus, necnon omnes et singulos tam iuris quam facti, et alios quantumvis substantiales defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Eamque in archiconfraternitatem erigit.

§ 4. Et nihilominus dictam confraternitatem in archiconfraternitatem aliarum confraternitatum, ut infra erigendarum, cum omnibus privilegiis et insignibus, iuribus et iurisdictionibus solitis, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo, sine alicuius praeiudicio, erigimus et instituimus.

Statuta etiam condendi facultatem tribuit.

§ 5. Eisdem confratribus, ut pro felici gubernio, prosperoque successu dictae archiconfraternitatis, et illius rerum ac bonorum omnium, omniumque aliorum ad eam, nunc et pro tempore, pertinentium, praeter iam condita, quaecumque alia statuta et ordinationes condere, eademque toties quoties pro rerum et temporum mutatione et qualitate expediens fuerit, etiam in toto vel in parte mutare, corrigere et in melius reformare, ac etiam de novo facere, quae sic condita, reformata, ac de novo facta, per dictum vicarium examinari, et quatenus sint licita et honesta, ac sacris canonibus et constitutionibus dicti Concilii decretis non contrarientur, approbari debeant.

Aliasque aggregandi confraternitates.

§ 6. Et insuper dictae archiconfraternitati quascumque alias confraternitates sub illius instituto, ubivis locorum et gentium, erectas et erigendas, si, et postquam hoc per earum procuratorem ad id specialiter constitutum in una ex congregationibus ipsius archiconfraternitatis petierint, similiter perpetuo aggregare, eisdemque sic per eos pro tempore aggregatis confratribus, ac earum ecclesiis, capellis, oratoriis et confratribus, et personis omnia et singula privilegia, indulgentias praedictae archiconfraternitati eiusque confratribus, nec non ecclesiae, seu capellae huiusmodi concessas (facultate eligendi confessorem, necnon aggregandi, et gratias huiusmodi communicandi excepta) communicare, concedere, et alia omnia in similibus, per alias dictae Urbis archiconfraternitates earumque confratres fieri et observari solita, facere, libere et licite valeant, plenam liberam et omnimodam licentiam, facultatem et auctoritatem harum serie impartimur.

§ 7. Postremo, ut christifideles prae-

Indulgentias confratribus et aliis elargitur.

dicti, ad dictam archiconfraternitatem ingrediendam, et piorum operum in illa exercitium amplius incitentur, et exinde ipsa archiconfraternitas confratrum numero et frequentia magis decoretur, praedictaque ecclesia, vel alia, ad quam ipsam archiconfraternitatem transferri contigerit, in maiori habeatur veneratione, et fidelis populi erga illam devotio augeatur, quo ipsi uberioribus coelestis gratiae donis cognoverint se inde esse refectas, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrosancta communione refectis, praedictam archiconfraternitatem de caetero ingredientibus, die primi illorum ingressus et receptionis huiusmodi, ac tam illis, quam iam ingressis confratribus dictae archiconfraternitatis pro tempore ubilibet decendentibus, in eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, sanctissimae Eucharistiae sacramentum (si id commode fieri potuerit), sumpserint, et nomen Iesu ore, vel saltem corde, invocaverint; nec non omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus similiter vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam vel oratorium dictae archiconfraternitatis in Omnium Sanctorum ac per totam octavam, ac nativitatis Beatae Mariae Virginis festivitatibus annis singulis devote visitaverint, et pro salute Romani Pontificis, paceque et tranquillitate Sedis Apostolicae, ac omnium principum christianorum, ac etiam pro animarum in Purgatorio praedicto existentium liberatione, et alias pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, auctoritate et tenore praemissis, elargimur. Insuper, qui vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, durante oratione quadraginta horarum eidem orationi, sive die sive nocte, intervenerint, et psalmum, qui incipit: *Miserere mei Deus*, sive *De profundis*, cum ipso responsorio, *Requiem aeternam*, aut qui hoc praestare nesciverint, coronam recitaverint pro animabus in Purgatorio existentibus; ipsisque confratribus, qui itidem vere poenitentes et confessi, qualibet feria secunda primae hebdomadae cuiusvis mensis, dictum sanctum Eucharistiae sacramentum, devote et cum contritione, pro eisdem Purgatorii animabus, psalmos et orationes huiusmodi recitando, susceperint, septem annos et totidem quadragenas. Quique in oratorio officiis defunctorum interfuerint, et corpora dictorum confratrum utriusque sexus defunctorum, psalmum *De profundis* vel coronam huiusmodi recitando, ad sepulturam associaverint, eumdemque psalmum *De profundis*, vel coronam huiusmodi christifidelibus, etiam non confratibus ab ac luce decedentibus devote etiam recitantibus, vel dictum sanctissimae Eucharistiae sacramentum, dum ad infirmos defertur associaverint, et processionibus dictae archiconfraternitatis, ex quavis causa de licentia eiusdem vicarii pro tempore faciendis, intervenerint; et qui secunda et sexta feriis cuiuslibet hebdomadae psalmum *De profundis* vel coronam huiusmodi pro animabus praedictis dixerint, quique missas pro animabus eisdem celebrari fecerint, et quoties infirmos dictae archiconfraternitatis visitaverint; necnon processionibus dictae archiconfraternitatis infra octavam commemorationis defunctorum ad ecclesiam Sancti Georgii de Urbe, feria sexta in Parasceve ad basilicam Principis Apostolorum de eadem Urbe faciendis, devote interfuerint; ac tam ipsis confratribus qui, confessi et communicati, septem ecclesias dictae Urbis visitaverint, quam aliis chri-

Pia opera ab huiusce archiconfraternitatis fratribus praestanda.

stifidelibus illos associantibus, centum dies de eis iniunctis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, misericorditer in Domino relaxamus.

Confessorem eligendi licentiam tribuit.

§ 8. Postremo eisdem confratribus, ut pro indulgentiis praedictis facilius consequendis iidem confratres, ac etiam eorum quilibet, confessorem sibi bene visum ab Ordinario approbatum, qui, audita eorum confessione, eos a quibusvis peccatis, criminibus, etiam quantumvis enormibus, videlicet in casibus dictae Sedi reservatis, exceptis contentis in litteris in die Coenae Domini legi solitis, bis in vita et in mortis articulo, in aliis vero eidem Sedi non reservatis casibus, quoties opportunum fuerit, absolvere, et pro eis salutarem poenitentiam iniungere possit, eligere licite et libere valeat, eisdem auctoritate et tenore, indulgemus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Contrariis derogat.

§ 9. Non obstantibus nostra de indulgentiis ad instar non concedendis, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod si ingredientibus dictam archiconfraternitatem, aut aliud ex praemissis peragentibus, vel alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, praesentes litterae nullius sint roboris vel momenti.

Clausulae.

Nulli ergo, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimoquarto, quinto idus septembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 9 septembr. 1594, pont. an. III.

Sequitur indultum liberandi unum condemnatum.

Dilectis filiis confratribus confraternitatis B. M. de Suffragio de Urbe

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae huius constitutionis.

Pias christifidelium societates ad charitatis opera exercenda canonice institutas, ut in eorumdem operum exercitio magis confoveantur, specialibus favoribus et gratiis libenter prosequimur, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Indultum liberandi carceratum in festo Omnium Sanctorum, vel die Parasceve, praevia pace offensorum.

§ 1. Proinde vestram confraternitatem specialis gratiae favore benigne prosequi volentes, ac vos et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus vestro nomine nobis humiliter porrectis inclinati, vobis vestraeque confraternitati, ut singulis annis in festo Omnium Sanctorum, vel in sexta feria maioris hebdomadae, arbitrio vestro eligendum unum reum, quem petieritis, et a dilecto filio nostro, et pro tempore existente almae Urbis gubernatore obtinueritis, capitali poena (praeterquam occasione criminis laesae maiestatis, falsificationis monetae, aut litterarum apostolicarum, assassinii, aut sacrilegii) damnatum liberare et absolvere, dummodo tamen pacem ab offensis habuerit, libere et licite valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium, facultatem et auctoritatem concedimus. Mandantes propterea eidem gubernatori nunc et pro tempore existenti, ut singulis annis in perpetuum vobis unum ex huiusmodi poena capitali damnatis liberum dimittat et concedat, ipsumque per vos pro tempore libera-

tum ab omni poena capitali, eo ipso absolutum, ac ad patriam, famam, gradus, honores et bona quaecumque, praeterquam fisco incorporata, plenarie restitutum et reintegratum esse et censeri, nec illum, super praeteritis delictis et excessibus, ulterius molestari vel perturbari posse decernimus et declaramus.

Quibuscumque non obstantibus. - § 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die x martii millesimo sexcentesimo tertio, pontificatus nostri anno XII.

XCVII.

Cavetur ne quis monachus congregationis Beatae Mariae de Alcobatia, Ordinis Cisterciensis, regnorum Portugalliae, coram iudicibus saecularibus conveniatur [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Romani Pontificis auctoritas circa illud praecipue interponi debet, ut ecclesiastica libertas ubique illaesa debeat conservari.

Querelae monachorum super laesione ecclesiasticae libertatis. § 1. Proinde, cum ad nos perlatum sit, dilectos filios, abbates et conventus monasteriorum congregationis Beatae Mariae de Alcobatia, Ordinis Cisterciensis regni Portugalliae, pro causis tum civilibus tum criminalibus, ipsos abbates et conventus aut eorum religiosos concernentibus, apud tribunalia saecularis fori saepe conveniri, in modicum [2] ecclesiasticae libertatis detrimentum.

§. 2. Nos ad quos, ex pastoralis nostri muneris debito, ecclesiasticam immunitatem tueri pertinet, libertati eorumdem abbatum, conventuum et religiosorum opportune providere, ipsamque congregationem, quae nobis et Apostolicae Sedi immediate subiecta extitit, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, congregationem praedictam, illiusque abbates, conventus et monachos, ac singulares quoscumque religiosos, etiam cuiuscumque quantumvis immemorabilis et huc usque forsan pacifice observatae praetensae consuetudinis, sive potius abusus praetextu, ad forum saeculare, pro quibuscumque causis tam civilibus quam criminalibus, a quocumque trahi, neque coram quocumque iudice aut tribunali saecularis fori huiusmodi, in iudicium vocari aut conveniri posse; vocatosque vel quomodolibet conventos, nullatenus respondere aut comparere debere, sed coram iudicibus ecclesiasticis tantum, iuxta sacros canones, et eorum privilegiorum et indultorum apostolicorum formam, conveniri et in iudicium vocari posse, et coram eisdem iudicibus ecclesiasticis comparere et respondere debere.

Prohibitio de qua in rubrica.

Clausulae. § 3. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, et Sedis apostolicae de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum, et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, perpetuo statuimus et declaramus.

Poenae contra transgressores. § 4. Decernentes quascumque personas tam ecclesiasticas, quam saeculares cuiuscumque dignitatis, status, gradus et

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

2 Legi forsitan debet *in non modicum* (R.T.).

conditionis ac praeeminentiae, etiam regali, ducali, ac episcopali et archiepiscopali, et cardinalatus honore praefulgentes ac fungentes, quae abbates, conventus, monachos et regulares huiusmodi personas ad forum saeculare, quoquo modo, trahere vel evocare, contra praesentium tenorem ac ecclesiasticam libertatem, praesumpserint; atque adeo ipsosmet iudices, qui causas quascumque contra dictos abbates, conventus, monachos et religiosos quomodocumque et per quoscumque motas audire, cognoscere, aut alias in his quoquo modo sese intromittere ausi fuerint, et infra tres dies ab intimatione praesentium illis facienda, causas huiusmodi ad iudices ordinarios congregationis praedictae non remiserint, eo ipso in poenas et censuras ecclesiasticas, contra libertatis ecclesiasticae violatores, et contra privilegiorum ipsius congregationis perturbatores, tam in genere quam in specie quomodolibet inflictas incurrere, a quibus, nisi a Romano Pontifice, praevia condigna satisfactione, absolvi non possint; et ita pariter per praedictos iudices ordinarios et delegatos, auditoresque, cardinales, et legatos iudicari, definiri et interpretari debere.

Exequutorum designatio.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Ulixbonensi et Leiriensi episcopo, ac decano Colimbriensi per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum abbatum, conventuum, monachorum et religiosorum, aut quorumcumque eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra ipsos abbates, conventus, monachos et religiosos praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, ac eadem praemissa ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolate perpetuo observari, ac contravenientes quoscumque censuras et poenas praedictas eo ipso incurrisse declarent.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus, ac universalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibuscumque statutis et consuetudinibus, ac legibus regalibus et municipalibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet, et sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus, ac si de verbo ad verbum inserentur, pro sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die XX septembris MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 20 septembr. 1594, pont. an. III.

XCVIII.

Archiepiscopo Valentiniensi ac Oriolensi et Segobricensi episcopis committitur, ut augmentum decimarum et novalium proveniens ex irrigationibus fluminis Tibis in locis de Alicante, regi catholico persolvi curent, necnon cum operariis in deductione et irrigatione

aquarum dicti fluminis dispensent super observatione festorum [1].

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Valentinensi ac Oriolensi et Segobricensi episcopis

Clemens Papa VIII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Carolus V Iberum et Gialone flumina per regnum Aragonum deducenda curavit.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod cum alias pro parte clar. mem. Caroli Romanorum imperatoris, eius genitoris, qui etiam Aragonum et Navarrae rex catholicus existebat, expositum fuisset felicis recordationis Iulio Papae III, praedecessori nostro, quod olim ipse Carolus imperator et rex, provide considerans habitatores regnorum Aragonum et certae partis Navarrae, propter penuriam aquarum et sterilitatem quae exinde causabatur, in eorum alimentis et aliis rebus humanae vitae necessariis, maximam pati aegestatem, et tamquam optimus suorum subditorum protector, egestati huiusmodi providere volens, ex duobus insignibus fluminibus Ibero videlicet et Gialone, per dictum regnum Aragonum decurrentibus, aquas, pro dictis terris irrigandis, deduci mandaverat, et cum ex praemissis tam propter alveorum dictorum fluminum asperitatem, quam etiam longitudinem fovearum et rivulorum pro decursibus aquarum necessario faciendis huiusmodi, magnae admodum expensae necessariae essent, et ad eas sublevandas, Sedis Apostolicae auxilium et auctoritas, prout in similibus fieri consueverat, requireretur,

Clemens VII et Paulus III eidem concessere decimas et novalia super terris hac ratione irrigatis.

rec. mem. Clemens VII et Paulus III Romani Pontifices, etiam praedecessores nostri, ad ipsius Caroli imperatoris et regis supplicationem, per diversas eorum litteras, certis probis viris in partibus illis, et eorum cuilibet dederant in mandatis, ut habita per eos, seu eorum alterum diligenti informatione, quantum quolibet anno, a tunc proxime praeteritis tribus annis, fertili cum sterili computatis, pro decimis et primitiis ex fructibus in terris dictorum regnorum collectis, ecclesiis, monasteriis et aliis piis locis, aut illarum seu illorum rectoribus, vel beneficiatis Caesaraugustanensis et Tirasonensis civitatum et dioecesum persolutum fuisset, illisque perpetuis futuris temporibus, singulis annis persolutis, augmentum decimarum et primitiarum, quod tam ex fructuum superexcrescentia, propter terrarum irrigationem huiusmodi, quam ex novalibus, quae ex derivatione et irrigatione aquarum huiusmodi provenirent, aut propterea ad culturam et frugem pinguiorem redigerentur pro tempore, sicut eidem Carolo imperatori et regi, illiusque in dicto regno Aragonum successoribus, cum primum aquae fluminis huiusmodi per foveas sive rivulos ad terras huiusmodi irrigandas perducerentur, licet ad finem perductae non forent, etiam annis singulis persolvendas esse decernerent.

Alia etiam flumina per alias Hispaniças provincias deduci studuit,

§ 2. Postea vero, licet dictus Carolus imperator et rex in aliquibus partibus dicti regni Aragonum, quas pro irrigandis terris huiusmodi per foveas et rivulos, cum magnis expensis deduci fecisset, exinde habitatoribus earumdem partium utilitas et commoda non parva provenissent, ac superexcrescentiam decimarum et primitiarum etiam novalium huiusmodi, Carolo imperatori ac regi et successoribus praedictis, modo praemisso, persolvendam esse, praevia informatione, vigore praefatarum concessionum, per nonnullos iudices ad hoc deputatos, auctoritate apostolica, decretum et declaratum fuisset, ipse Carolus imperator et rex superexcrescentia decimarum et primitiarum

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

huiusmodi, ratione dictarum impensarum, iam alicubi frui incoepisset; tamen quia in diversis partibus regnorum Castellae et Legionis ac Toleti, etiam propter aquarum penuriam et, quae exinde causabatur, sterilitatem, illarum habitatores in collectione segetum et fructuum humanae vitae huiusmodi necessariorum, aegestatem et detrimenta non parva patiebantur, idem Carolus imperator, qui etiam Castellae et Legionis ac Toleti rex existebat, etiam super hoc providere volens, ex Xarama per regnum et dioecesim Toletanam, ac nonnullis aliis fluminibus per Castellae, Legionis et Toletanae regna fluentibus aquas ad irrigandas terras, per diversas etiam foveas et seu rivulos deduci facere intendebat.

Et cum magnus ad id operatoriorum numerus requireretur, super iis etiam novas decimas petiit imponi.

§ 3. Et quoniam in deductione aquarum huiusmodi ingens copia laboratorum, ac magnae et immensae expensae requirerentur, et pro illius subeundis etiam dictae Sedis auctoritas et auxilium necessaria esse viderentur; idem Carolus imperator et rex eidem Iulio praedecessori supplicari fecit, ut pro subventione tot impensarum in foveis et rivulis pro decursibus aquarum huiusmodi, ut praefertur, fabricandis et necessario faciendis excrescentiam decimarum et primitiarum, ratione irrigationum terrarum ultimo dictarum proventarum, ac decimas novalium quorumcumque ex derivatione et irrigatione aquarum huiusmodi proventuras, seu propterea ad culturam et frugem pinguiorem redactorum, sibi successoribusque praefatis concedere dignaretur.

Iulius III rem nonnullis episcopis commisit;

§ 4. Idem Iulius venerabilibus fratribus archiepiscopo Toletano et Zamorensi ac Abulensi episcopis, et eorum cuilibet similiter commisit et mandavit, quatenus, habita per eos seu eorum alterum diligenti informatione, quantum a quolibet anno, a tribus annis citra, fertili cum sterili compensatis, pro decimis et primitiis ex fructibus in terris etiam novalibus dictorum regnorum Castellae, Legionis ac Toleti collectis, ecclesiis, monasteriis, praeceptoriis, et hospitalibus cuiuscumque Ordinis, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, ac militiarum Sancti Iacobi de Spata, et de Alcanthara, et Calatrava, seu aliis piis locis in civitatibus, oppidis, locis, seu villis in eisdem regis Castellae et Legionis ac Toleti consistentibus, aut illarum vel illorum abbatibus, prioribus, praeceptoribus et rectoribus seu beneficiatis, aut quibusvis aliis qualitercumque qualificatis, decimas et primitias huiusmodi percipientibus, persolutum fuisset, si praefatus Carolus imperator et rex aquam ex dicto Xarama et aliis fluminibus dictorum regnorum Castellae et Legionis ac Toleti, vel eorum alicuius, ubi maior necessitas fuerit, deduci fecisset, taliter ut, propter terrarum huiusmodi irrigationem, fructus excrescerent et uberiores fierent, auctoritate apostolica statuerent et ordinarent, et quilibet eorum statueret et ordinaret, quod solutis, annis singulis, perpetuis futuris temporibus, abbatibus, prioribus, praeceptoribus et rectoribus, seu beneficiatis, et quibusvis aliis personis decimis et primitiis, prout in uno ex dictis tribus annis, fertili cum sterili, ut praefertur, compensatis, soluta fuissent; excrescentia, seu augmentum decimarum et primitiarum huiusmodi, propter terrarum irrigationem pro tempore provenientium, et decimae novalium ultimo dictorum in dictis regnis Castellae, Legionis ac Toleti annis singulis, ac perpetui futuris temporibus ad eumdem Carolum imperatorum et regem, illiusque successores praedictos legitime spectarent et pertinerent, illisque solvi deberent, ordinarent, statuerent et decernerent, et quilibet eorum ordinaret, statueret

Qui, rebus omnibus examinatis, decimas et primitias augere, ratione maioris proventus, possent;

et decerneret dicta auctoritate apostolica, ac pro manutentione et perpetua tuitione dictorum rivulorum, seu fovearum quaecumque statuta et ordinationes rationabilia et honesta ederent et statuerent, ac quilibet eorum ederet et statueret.

§ 5. Ac pro perfectione et manutentione fovearum et rivulorum huiusmodi, cum operariis et operatoribus eorumdem rivulorum et fovearum tam quoad observationem festorum, quam eorum in quibus, ut ab operibus servilibus abstineatur ab Ecclesia statutum est, non tenerentur, auctoritate apostolica dispensarent, et quilibet eorum dispensaret, omniaque alia et singula circa praemissa, quomodolibet necessaria et opportuna, eadem auctoritate, facerent et exequerentur, et quilibet eorum faceret et exequeretur.

Illisque facultatem dedit cum operariis dispensandi super celebratione festorum.

§ 6. Et deinde rec. memor. Gregorio Papae XIII, similiter praedecessori nostro, pro parte ipsius Philippi regis exposito, quod ipse Philippus rex in dictis regnis successor etiam subditorum suorum optimus protector, et[1] aegestati, quam propter penuriam aquarum in diversis partibus regnorum et dominiorum suorum patitur, providere volens, non solum in dicto regno Toletano et ex Xarama et ex Tago (ex quo iam unus rivulus derivatus et deductus extitit) fluminibus, verum in aliis regnis, provinciis, et principatibus Hispaniarum et insulis Canariarum eidem Philippo regi quomodolibet subiectis, et quorum ipse Philippus rex et dominus existit, ac consulendum eisdem necessitatibus, ex eisdem et aliis fluminibus per dicta regna, provincias et principatus, dominia et insulas decurrentibus, aquas similiter pro terris irrigandis deduci facere, quamvis cum magno sumptu et expensis, intenderet.

Philippus II eamdem aquarum deductionem facere curavit in insulis Canariis.

§ 7. Idem Gregorius praedecessor, supplicationibus dicti Philippi regis, ea in parte, inclinatus, vobis et cuilibet vestrum dedit in mandatis, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, habita diligenti informatione, quantum quolibet anno, a tribus annis citra, fertili cum sterili, ut praefertur, compensato, pro decimis et primitiis ex fructibus in terris, etiam novalibus dictorum regnorum, dominiorum, principatuum et insularum collectis, ecclesiis, monasteriis, praeceptoriis et hospitalibus cuiuscumque ordinis, etiam Sancti Ioannis Hierosolomytani, ac militiarum Sancti Iacobi de Spata, et de Alchantara, et Calatrava, seu aliis piis locis in civitatibus, oppidis, locis et villis in eisdem regnis, dominiis, principatibus Hispaniarum et insularum Canariarum consistentibus, aut illarum vel illorum abbatibus, prioribus, praeceptoribus et rectoribus, seu beneficiatis, aut quibusvis aliis qualitercumque qualificatis, decimas et primitias huiusmodi percipientibus, persolutum fuisset, si praefatus Philippus rex et seu successores sui praefati aquam ex dictis et quibusvis aliis fluminibus regnorum, dominiorum et principatuum Hispaniarum et insularum Canariarum, vel illorum alicuius, ubi maior necessitas fuerit, deduci fecerit, seu fecerint, ac etiam in his, in quibus idem Philippus rex iam aquas deduci et derivari fecit, taliter ut, propter terrarum huiusmodi irrigationem, fructus excrescant et uberiores fiant et excreverint, auctoritate praedicta statueretis et ordinaretis, et quilibet vestrum, vel a vobis, et quolibet vestrum, subdelegatus statueret et ordinaret, quod solutis, annis singulis, perpetuis futuris temporibus, abbatibus, prioribus, praeceptoribus, rectoribus, beneficiatis et quibusvis aliis personis, decimis et primitiis, prout in uno ex dictis tribus annis, fertili cum sterili, ut praefertur compensato, soluta fuissent, excrescentia seu augmentum de-

Gregorius XIII praesulibus in rubrica indicatis commisit, ut novas ob id decimas imponerent.

1 Deest forte *detrimento*. (R.T.)

cimarum et primitiarum huiusmodi propter terrarum irrigationem pro tempore provenientium, et decimae novalium ultimo dictorum in dictis regnis, dominiis et principatibus universarum Hispaniarum et insulis Canariarum, etiam annis singulis, perpetuis futuris temporibus, ad eumdem Philippum regem et eius successores praedictos ipsorumque successores legitime spectarent et pertinerent, illisque solvi deberent, ordinaretis, et quilibet vestrum, et unusquisque a vobis et quolibet vestrum ad praemissa subdelegandus ordinarent, statueret et decerneret, dicta auctoritate apostolica, ac per manutentionem et perpetuam tuitionem dictorum rivulorum et fovearum quaecumque statuta et ordinationes, rationabilia et honesta, ederetis, et quilibet vestrum, et unusquisque a vobis et quolibet vestrum ad praemissa subdelegandus, ederet et statueret.

Et cum operariis super observantia festorum dispensarent.

§ 8. Ac pro perfectione et manutentione fovearum et rivulorum huiusmodi cum operariis et laboratoribus eorumdem rivulorum et fovearum, tam quoad observationem festorum, quam eorum in quibus, ut ab operibus servilibus abstineatur statutum est, ad obedientiam non teneantur, auctoritate apostolica, dispensaretis, et quilibet et unusquisque a vobis subdelegandus ad praemissa dispensaret, omniaque alia et singula circa praemissa quomodolibet necessaria et opportuna, eadem auctoritate, faceretis et exequeremini, et quilibet vestrum, et unusquisque a vobis ad praemissa subdelegandus, faceret et exequeretur, prout in Iulii et Gregorii et aliorum praedecessorum litteris desuper confectis plenius continetur.

Haec eadem pro locis Alicante statui petit Philippus.

§ 9. Cum autem, sicuti nuper ex ipso Philippo rege intelleximus, idem Philippus rex maximos et ingentes sumptus in deducendis aquis ex flumine Tibis in loca de Alicante, regni Valentiae, cuius ipse Philippus etiam rex existit, et illis irrigandis fecerit, dictorumque locorum incolae hoc anno irrigatione huiusmodi uti incipiant, pro parte ipsius Philippi regis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi in praemissis, pro maiori et potiori cautela, providere de benignitate apostolica dignaremur.

Votis annuit Clemens.

§ 10. Nos ipsius Philippi regis indemnitati hac in parte consulere cupientes, ac dictarum litterarum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, et alia hic de necessitate exprimenda praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinatis, vobis et cuilibet vestrum per praesentes mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios statuatis et ordinetis, seu statuat et ordinet, quod solutis annis singulis perpetuis futuris temporibus abbatibus, prioribus, praeceptoribus, rectoribus, beneficiatis et quibusvis aliis personis decimis et primitiis, prout in uno ex dictis tribus annis, fertili cum sterili, ut praefertur, computato, soluta fuerint, excrescentia, seu augmentum decimarum et primitiarum huiusmodi, propter terrarum irrigationem pro tempore ex dictis locis Alicante proveniens, et decimae novalium in praedictis locis de Alicante, etiam annis singulis, perpetuis futuris temporibus, ad eumdem Philippum regem et successores suos legitime spectent et pertineant, illisque solvi debeant, auctoritate nostra, statuatis et ordinetis, et quilibet per se, vel alium, seu alios statuat et ordinet, nec non quaecumque statuta et ordinationes rationabilia et honesta, praemissorum occasione, condat et edat, ac pro manutentione deductionis et irrigationis aquarum huiusmodi cum operariis et laboratoribus ad id deputatis et deputandis, tam quoad observationem festorum, quam eorum, in quibus, ut ab operibus servilibus absti-

neatur, ab obedientiam statutum est, non teneantur, dicta auctoritate dispensetis, seu dispenset, omniaque et singula in praemissis et circa ea necessaria et opportuna, eadem auctoritate, faciatis et exequamini, seu faciat et exequatur. Contradictores quoslibet et praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque iuris et facti remedia, appellatione posposita, compenscendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantia tollit.

§ 11. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis, quae dicti praedecessores in suis litteris praedicti voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXVII septembris MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 27 septembr. 1594, pontif. an. III.

XCIX.

Nonnullae declarationes ad Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia reformationem conservandam et promovendam[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pastoralis Romani Pontificis sollicitudo circa religiosorum statum prospere dirigendum sedulo versari debet, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Minister generalis decreta nonnulla fieri petit.

§ 1. Sane, cum nuper dilectii filii fratris Bonaventurae de Calategierone moderni ministri generalis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia relatione acceperimus, ad eiusdem Ordinis reformationem conservandam et promovendam infrascriptas declarationes et decreta maxime utilia fore:

Clemens declarat ministris provincialibus licere quascumque domos Reformatorum visitare.

§ 2. Nos, qui Ordinem praefatum in pristinam regulae observantiam restitui, eiusque professores primi illius institutoris vestigiis quam maxime inhaerere cupimus, supplicationibus eiusdem Bonaventurae ministri generalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate apostolica, tenore praesentium, ministris provincialibus eiusdem Ordinis quascumque domos fratrum dicti Ordinis Reformatorum visitandi, ac tam in capite quam in membris, iuxta regularia ipsius Ordinis instituta, ac ipsarum custodiarum regulas et constitutiones (in quibus inter alia disponitur, quod fratres, qui sunt ministri et servi aliorum fratrum, visitent et moneant fratres suos et humiliter et charitative corrigant) eos reformandi, ac delinquentes corrigendi et castigandi, dummodo extra custodias ipsas, nisi pro maiori quiete ac reformationis utilitate custodum et discretorum iudicio aliud expedire visum fuerit, non mittantur; ac ut in ipsis custodiarum domibus ordinationes et statuta Religionis praedictae, quae particularibus ipsarum custodiarum statutis et constitutionibus non fuerint contraria, atque etiam ipsa custodiarum statuta et constitutiones inviolabiliter observari faciendi; custodibus quoque domos et loca in eorum custodiis comprehensa pariter, ut supra, visitandi, et iuxta regulas et instituta Ordinis et ipsarummet custodiarum, corrigendi et reformandi, necnon pro causis urgentibus et honestis, ipsorum custodum arbitrio, fratres suae custodiae ad alia loca provinciae suae dumtaxat, extra ipsam custodiam, mittendi et dimittendi plenam et liberam facultatem tribuimus et impartimur; talemque facultatem superius explicatam eisdem ministris provincialibus et cu-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

stodibus respective perpetuo competere decernimus et declaramus.

Examinatores pro ordinandis in qualibet custodia eligendi.

§ 3. Praeterea, ut in capitulis provincialibus a diffinitorio aliqui examinatores eiusdem custodiae, pro examinandis fratribus reformatis ad ordines sacros promovendis, aut ad confessiones audiendas deputandis, deputentur, per ipsos vero examinatores approbatis, si episcopus, a quo ad ordines promoveri, aut ad confessiones eos admitti postulabitur, intra custodiam erit, custos, si extra custodiam reperietur episcopus, minister provincialis licentiam concedere possit.

Guardiani custodiarum a definitorio provinciali eligendi.

§ 4. Quodque veluti in capitulis a custodibus et discretis custodiarum aliqui fratres reformati idonei diffinitorio, a quo ipsi et non alii in guardianos locorum custodiae deputentur, praesentari solent, si quandocumque contingat aliquem guardianum in custodia decedere aut, de consilio et consensu discretorum custodiae, amoveri, custodes et discreti praedicti alium in locum demortui aut remoti ipsi diffinitorio praesentare possint, a quo diffinitorio sic praesentatus, et non alius, in guardianum huiusmodi deputari debeat.

De capitulis in custodiis celebrandis.

§ 5. Quandocumque vero, sive propter custodis obitum, aut aliam ob causam, capitulum in custodiis celebrari oporteat, sine provincialis ministri, aut alicuius a ministro generali, vel ipso provinciali deputati commissarii interventu, celebrari non possit.

De domibus recipiendis vel dimittendis.

§ 6. Insuper, ut ipsae custodiae novas domos et ecclesias ad habitandum recipere, aut aliquam ex iam habitis dimittere, nisi in capitulis, et iuxta formam constitutionis felicis recordationis Clementis PP. VII praedecessoris nostri, et quando sufficientem fratrum reformatorum numerum ad inhabitandum domos recipiendas, ita ut ad minus tres partes ex quatuor, quae antea in similibus domibus retineri consueverunt, introducere valeant, non possint.

De transitu Observantium ad Reformatos, et viceversa.

§ 7. Utque ministri et custodes praedicti munere suo, visitando, reformando, corrigendo, monendo et castigando, fungi valeant, nullum fratrem ex familia ad reformatos nisi tempore celebrationis capitulorum, aut congregationum capitularium, in quibus custodes numerum fratrum, quos recipere intendunt, significare teneantur, quibus provinciales licentiam concedere debeant et teneantur; neque ex reformatis ad familiam, nisi pariter in capitulis, in quibus provincialibus et diffinitorio id significetur, transire posse. Possint tamen minister generalis et commissarius generalis, etiam extra capitula et congregationes praefatas, concedere licentiam volentibus a familia ad ipsos reformatos transire.

De novitiis.

§ 8. Quoniam vero novitii, ut per alias nostras similes in forma brevis litteras eidem ministro generali concessimus, inter reformatos educandi sint, ut melius instrui, ac constantiores et firmiores in regularis disciplinae observantia evadant, eos novitios, qui inter reformatos ipsos professionem emiserint, ab eis, nisi lapso triennio a die professionis, discedere non posse, nullique ad alienam custodiam, nisi de speciali ipsius ministri generalis licentia, transire licitum esse, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo statuimus et declaramus.

Clausulae.

§ 9. Decernentes praesentes litteras perpetuo validas fore et esse, et non solum in futuris, sed etiam in praesentibus, et nunc pendentibus causis, et rebus praedictis vim et effectum habere debere, nec a quoquam, quavis auctoritate, revocari, rescindi, retractari, aut quoquomodo infringi posse, neque sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut contrariis dispensationibus, in genere vel in specie, in con-

trarium pro tempore quomodolibet factis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas esse et censeri; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 10. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac ipsius Ordinis, ac quorucumque illius provinciae et custodiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodocumque, et sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, illorum tenores, praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 11. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, aut ipsius ministri generalis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsismet praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XXI octobris MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 21 octobr. 1594, pontif. an. III.

C.

Confirmatio ordinationum praefinitarum pro bono regimine Ordinis fratrum Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, et pro electione magistri generalis eiusdem [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Iis quae pro felici regularium personarum statu, et illorum salubri directione provide statuta comperimus, ut firmiora subsistant, et perpetuo futuris temporibus observentur, confirmationis apostolicae robur libenter adiicimus, prout ipsorum religiosorum vota exposcunt, et nos conspicimus in Domino expedire.

Ordinationes infrascriptae in capitulo generali editae fuerunt.

§ 1. Sane dilecti filii magister generalis et definitores Ordinis fratrum Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum nobis exponi fecerunt, quod nuper in capitulo generali dicti Ordinis in ecclesia monasterii Sancti Augustini eiusdem Ordinis in oppido de Calatayud, Tarraconensis dioecesis, anno proxime praeterito, cum assistentia venerabilis fratris nostri Idelphonsi archiepiscopi Caesaraugustani in eodem capitulo praesidentis, apostolica auctoritate deputati, celebrato, ad eiusdem Ordinis illiusque religioso-

1 Nonnulla de hoc Ordine, vide in const. XLII, Gregorii IX, quae incipit: *Devotionis*, tom. III, pag. 485.

rum prosperam directionem infrascripta decreta ac statuta facta fuerunt.

De alterna electione magistri generalis.

§ 2. Et primo, quod deinceps electio magistri generalis dicti Ordinis tam quoad personam eligendam, quam quoad locum, in quo electio erit celebranda, alternatim fieret, videlicet quod una vice persona eligenda sit ex corona Aragoniae et Galliae, alia vice sit ex corona Castellae, inclusis provinciis Andalusiae et Indiarum.

Loco capitulum generale celebrandi.

§ 3. Quo vero ad locum, quando eligenda erit persona ex corona Aragoniae capitulum celebretur in loco coronae Castellae, et quod iuxta hoc decretum, sive statutum, primum capitulum generale celebrari debeat in provincia Castellae, et persona eligenda sit ex corona Aragoniae.

Provincialium et definitorum Indiarum admissione ad dictum capitulum.

§ 4. Praeterea circa difficultatem itineris electorum ex Indiis, similiter decretum et statutum fuit, ut semper, et quando provinciales et definitores Indiarum accedunt ad capitulum generale, ut electioni magistri generalis assistant, quivis ipsorum admittatur et recipiatur in definitorio et in electione, dummodo ostendant prius nominationem sui capituli provincialis, cuius nominationis data non excedat quatuor annorum tempus, et dummodo non constet de ipsorum revocatione, aut nova alia nominatione facta per capitulum provinciale.

Procuratore generali et vicario in Urbe.

§ 5. Decretum item fuit, quod quando magister generalis fuerit ex corona Castellae, et habuerit Romae procuratorem et vicarium generalem ex eadem corona, Aragoniae provincia possit, si voluerit, curam suorum negotiorum dare alteri procuratori, suis expensis, religioso suae provinciae nominato per suum capitulum provinciale, aut cum mandato procurationis provincialis et definitorum ipsius, et id ipsum facere possit provincia Castellae quando magister generalis fuerit ex corona Aragoniae, et nominaverit Romae procuratorem generalem suae coronae, cum hoc quod procurator particularis provinciae, in robur religionis et obedientiae, sit subditus commendatori monasterii Romae ipsius Ordinis, uti praelato ordinario, et procuratori et vicario generali, uti talibus observatis in omnibus sui Ordinis constitutionibus.

Subsidiis magistro generali debitis.

§ 6. Ad evitandos item sumptus superfluos decretum pariter ac statutum fuit, ut provinciae Castellae, Andalusiae et Aragoniae non teneantur dare magistro generali singulis annis ultra septuaginta quinque scuta, valoris decem drachmarum Castellae, neque ipse magister generalis possit accipere vel petere amplius pro ipsius victu et vestitu; quae scuta septuaginta quinque unusquisque provincialis per suam provinciam dividat, habito respectu reddituum et proventuum, quos quilibet conventus habet, et quod provinciae Indiarum solvant vestiarium hucusque solitum, habeatque magister generalis redditus, proventus et emolumenta loci de Algat, quemadmodum hactenus semper habuit. Quia etiam domus dicti Ordinis sunt ita pauperes, ut extraordinaria onera sufferre non possint, decretum fuit, ut magistris generalibus et provincialibus (quando eorum officiis finem imposuerint) nil dari debeat. Non obstantibus decretis in alio capitulo generali Caesaraugustae celebrato factis, per quae designati fuerunt centum ducati singulis annis solvendi magistro generali, qui officio suo finem imposuisset, et sexaginta octo ducati unicuique provinciali, qui similiter officium suum implevisset. Addita tamen cohortatio fuit ad commendatores et praelatos ordinarios domorum in quibus habitaverint, ut, ipsorum officiis peractis, ita illos tractari curent, ut ipsorum personas et dignitates decet.

§ 7. Praeterea, ut cessent multa inconvenientia, quae ipsa experientia ma-

Revocatio omnium exemptionum et dispensationum a generali fratribus concessarum.

gna esse comprobavit circa exemptiones, quas magistri generales pro tempore existentes concedere consueverunt multis religiosis, tam in sedendo, quam in non assistendo choro, necnon officiis conventualibus, et similiter circa dispensationes super celebratione plurium missarum, quam permittunt Ordinis constitutiones, et super usu lini in vestibus, necnon super immunitatibus a dictis magistris generalibus aliquando quibusdam concedi solitis, illos sibi, ac praefato magistro generali pro tempore existenti immediate subiiciendo, revocando in primis dictas exemptiones, decretum et statutum fuit, ut nullus religiosus possit talibus exemptionibus, dispensationibus, immunitatibus et subiectionibus uti, nec praelati ulterius illis assentiri, sub poena privationis officii, quoad praelatum ad annum, quoad reliquos vero illis utentes, sub poena carceris, in quo detineri debeant per sex menses.

Hortatio ad magistrum generalem ut eas de caetero parce et iuste concedat.

§ 8. Et insuper fuit addita cohortatio ad magistrum generalem, quod in concessione huiusmodi exemptionum parce admodum et considerate procedat, neque illas concedat passim, sed raro, et ex iustissimis causis, et cum debitis limitationibus.

Pecuniae pro certarum provinciarum redemptione non possunt applicari pro captivis extra eas.

§ 9. Item cum visum fuerit gravata fuisse capitula provinciae Castellae et Andalusiae in redemptione captivorum aliarum provinciarum, mediantibus pecuniis earumdem provinciarum Castellae et Andalusiae, decretum fuit, quod pecuniae quae venerint ex Indiis ad redimendum captivos, una cum reliquis quae aggregabuntur in provinciis Castellae et Andalusiae, deserviant tantummodo et applicentur redemptioni captivorum dictarum provinciarum, absque eo quod magister generalis illas extrahere, aut in redemptionem captivorum aliarum provinciarum, vel in alios usus convertere, seu aliter applicare valeat, sub poena privationis officii.

Unio facienda collegio civitatis Illerdensis.

§ 10. Praeterea cum consideratum fuerit, quod domus Bergae, Terragae, Pradas et Montblanch in principatu Cataloniae, et domus Sarriconii, et cuiusdam loci nuncupati *un Castillo* regni Aragoniae, sint fere inutiles Ordini et religioni (nam paucos continet in se fratres, et non potest in ipsis servari regularis observantia) decretum fuit, quod supradictae domus Cataloniae uniantur seu incorporentur, et reducantur ad collegium, quod Ordo, ac religio habet in civitate Illerdensi, et hoc eo consilio ut ex redditibus dictarum domorum coniunctis cum redditibus dicti collegii, possit maior numerus scholasticorum et personarum, quae in litteris exerceantur, in dicto collegio manuteneri.

Alia unio facienda collegio civitatis Osienae.

§ 11. Et similiter quod domus regni Aragoniae unirentur et incorporarentur collegio, quod Ordo habet in civitate Osiena, ad eumdem finem et effectum. Et quod exequutio unionis seu incorporationis domorum Cataloniae committatur priori Barchinonensi, domorum vero Aragoniae provinciali, seu eius vicario dictae previnciae.

Creatio magistrorum atque praesentatorum qualis esse debeat.

§ 12. Praeterea, ut directus gradus praesentatorum et magistrorum detur personis dignis, qui in sacris litteris ac scientiis diu operam praestiterint, et in illis profecerint, decretum et statutum fuit, ut nulli religioso dicti Ordinis detur gradus praesentati, nisi ad illum a suo capitulo provinciali prius propositus sive nominatus fuerit, et nisi saltem spatio trium annorum logicam docuerit sive legerit, et postquam fuerit expositus et confirmatus in capitulo generali, non possit ad magistri munus et gradum similiter proponi aut nominari, nisi theologiam scholasticam aut posivitam, spatio quatuor annorum similiter docuerit sive legerit,

non comprehenso inter illos tempore, quo legerit casus conscientiae, et observata in reliquis omnibus forma constitutionis in distinctione II, cap. XV. Et qui aliter fuerint graduati, non habeantur neque reputentur uti tales, nec habeant nomen, nec votum, nec aliud privilegium, super quo per magistrum generalem non possit dispensari aliqua de causa, occasione vel praetextu. Et nullus expositus fruatur voce, loco, nec aliquo privilegio praesentati, nec magistri quousque non admittatur in capitulo generali.

Magister generalis quae capitula possonere possit.

§ 13. Simulque ut magister generalis adesse possit capitulis provincialibus, quando opus esse viderit, decretum pariter et statutum fuit, quod eidem generali liceat differre aut anticipare capitula provincialia celebranda ante capitulum intermedium quod sequitur, ea tamen lege, ut anticipatio, aut dilatio unius capituli provincialis ad aliud, non excedat tempus quadraginta dierum, cum sit tempus competens ad hoc, ut possit uni interesse, et ad aliud accedere.

Forma votandi in electione magistri generalis.

§ 14. Nec non ut in electionibus tam magistri generalis, quam aliorum provincialium vota libera sint, decretum et statutum fuit, quod, ii qui praestituri sunt votum, non teneantur petere schedulas, ad effectum votum dandi, a secretario capituli, sed possint ipsi facere schedulas arbitrio suo, postquam congregati fuerint in capitulo ad eligendum, aut illas ex suis cubiculis factas afferre, vel ut ipsi voluerint, afferendo tantummodo schedulam eius personae, in cuius favorem votum dederint, et ubi hoc pacto vota praestita fuerint, electus debeat habere supra medietatem votorum alia duo vota, si electus est capitularis.

Magister generalis an possit nominare vicarium generalem vel provinciae.

§ 15. Similiter decretum et statutum fuit quod magister generalis, si commorabitur in Hispania, non possit nominare vicarium generalem in aliqua provincia. At vero, mortuo provinciali alicuius provinciae, licet dictus provincialis substituerit alium vicarium provincialem, possit tamen magister generalis nominare pro illa provincia alium vicarium generalem, qui in ea exerceat iurisdictionem, quam exerceret ipse magister generalis, si in ea existeret.

Nemo recipiatur ad ordinem absque eius licentia.

§ 16. Ulterius decretum et statutum fuit, ut nullus religiosus alterius Ordinis in ipsum Ordinem, absque expressa licentia magistri generalis, recipi possit.

Vicarii Indiarum non discedant ab Indiis, quousque illuc successores non pervenerint.

§ 17. Et quod nullus vicarius generalis Indiarum, possit ex Indiis in Hispaniam reversus egredi, quousque alius in eius locum deputatus non accesserit, aut magister generalis per suas litteras permittat ut recedere valeat, antequam successor illuc perveniat, providerit, sub poena privationis officii, et vocis activae et passivae in perpetuum. Et sub eadem poena successor, qui illuc accedit, remittere teneatur visitationem, seu quam dicunt, residentiam sui antecessoris, cum eiusdem antecessoris culpis et iustificationibus, clausoque processu, illum remittat in Hispaniam, ut magister generalis super eo iudicet et sententiam ferat, mandato supradicto vicario generali, qui ex Indiis fuerit reversurus, ut se praesentet coram ipso magistro generali, ita tamen ut si ex processu probatae extiterint culpae et delicta, propter quae eidem antecessor videatur carcerandus, possit illum carceri mancipare.

Proximum capitulum generale ubi sit celebrandum.

§ 18. Postremo, habito tractatu de loco celebrationis capituli generalis intermedii, resolutum fuit, quod dictum capitulum celebretur in monasterio eiusdem Ordinis oppidi Vallisoleti, Palentinae dioecesis, ac alias prout in statutis et ordinationibus desuper, ut praefatur, factis plenius dicitur contineri.

Ordo petit confirmationem Pontificiam.

§ 19. Cumque magister generalis et definitores praefati cupiant praemissa o-

mnia apostolico munimine roborari, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eorum desiderio huiusmodi annuere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur:

Clemens diclas ordinationes comprobat.

§ 20. Nos, habita super praemissis cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus super consultationibus episcoporum et regularium deputatis, quibus praeinserta statuta examinanda demandavimus, matura consultatione, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula praeinserta statuta, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa nostra scientia, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti, ac solemnitatum quarumcumque quomodolibet omissarum, et alios quoscumque defectus, si qui intervenerunt in eisdem, supplemus, eaque omnia et singula perpetuo valida et efficacia fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac a modernis, et pro tempore existentibus dicti Ordinis magistro generali aliisque superioribus, fratribus et personis quibuscumque, inviolabiliter perpetuo observari, eosque omnes et singulos ad illorum omnium observationem cogi et compelli posse.

Clausula sublata.

§ 21. Sicque et non aliter per ipsius Ordinis magistrum generalem et superiores ac quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ac etiam de latere legatos, et causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequtoresque huius bullae et dictarum ordinationum deputat.

§ 22. Et nihilominus venerabilibus fratribus Toletano et Caesaraugustano archiepiscopis, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae auditori generali per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, faciant statuta praefata a magistro generali et fratribus dicti Ordinis, nunc et pro tempore existentibus, perpetuo observari, ac eos quos illa concernunt et concernere poterunt quomodolibet in futurum, ad eorum omnium observationem omnibus iuris et facti remediis, cogant et compellant; non permittentes aliquid contra illorum statutorum continentiam et tenorem per quoscumque, quovis praetextu vel colore, aut alias quomodolibet, attentari; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes per sententias et censuras ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas praefatas aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 23. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis illiusque monasteriorum, domorum, provinciarum et locorum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis contra praemissa, aut alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua,

non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie, specialiter et expresse derogamus, et ad plenum derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§ 24. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo ipsius Ordinis, vel personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII novembris MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 8 novembr. 1594, pont. an. III.

CI.

Decano collegiatae ecclesiae Zamoscii, Kelmensis dioecesis, conceditur usus mitrae, baculi et aliorum insignium pontificalium [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Romanus Pontifex universalis Ecclesiae regimini praepositus, particularium ecclesiarum, insignium praesertim, decori et ornamentorum enter prospicit, prout nobilium virorum pia vota exposcunt, ac in Domino salubriter conspicit expedire.

§ 1. Sane cum, sicut dilecti filii nobilis viri Ioannis Zamosky, regni Poloniae cancellarii, nomine nobis nuper expositum fuit, ipse collegiatam ecclesiam in oppido novo Zamoscii eleganti structura erexerit, ac magnifico sumptu ornaverit, et ecclesiastico apparatu et supellectili instruxerit, necnon tres dignitates, quarum principalis est decani, ac congruentem canonicorum numerum, qui in ea cultui divino assidue vacent, in eadem ecclesia instituerit:

Ioannes Zamosky collegiatam ecclesiam in oppido Zamoscii erigit.

Pro decano dictae ecclesiae usum insignium pontificalium petit.

§ 2. Ipse vero Ioannes, ad ampliorem eiusdem collegiatae ecclesiae ornatum, et divini cultus fideliumque pietatis et devotionis incrementum maxime cupiat, ut nos dictae ecclesiae decano nunc et pro tempore existenti, usum mitrae, et baculi, ac aliorum pontificalium insignium concederemus, nobisque propterea humiliter supplicari fecerit, ut eius in praemissis desiderio annuere de benignitate apostolica dignaremur;

Concedit Clemens.

§ 3. Nos humilibus ac devotis ipsius Ioannis supplicationibus inclinati, moderno futuro pro tempore dictae ecclesiae decano in perpetuum, ut pro ipsius ecclesiae maiori decore et venustate, ac fidelium spirituali consolatione, mitra, annulo et baculo pastoralibus, ac aliis quibuscumque pontificalibus insigniis ad instar abbatum, usum mitrae et baculi huiusmodi habentium, in ipsa ecclesia et extra illam, de licentia episcopi dumtaxat, uti, et in ipsa ecclesia quandocumque dictum decanum in pontificalibus celebrare contigerit, solemnem benedictionem, post missarum et aliorum divinorum officiorum solemnia, supra populum ibi interessentem, dummodo aliquis antistes aut Sedis Apostolicae legatus vel nuncius ibi praesens non sit, vel si adfuerit, eius ad hoc expressus accedat assensus, elargiri libere et licite valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, licentiam concedimus et indulgemus.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus felicis recordationis Honorii III et Alexandri IV et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, ac aliis apostolicis, nec non in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDXCIV, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 23 decembr. 1594, pontif. an. III.

CII.

Confirmatio concordiae inter archiepiscopum et Capitulum ecclesiae Cameracensis super collatione canonicatuum et praebendarum eiusdem ecclesiae [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Exigit pastoralis muneris, nobis divinitus iniuncti, debitum, ut conventiones inter ecclesiasticas personas, pro communi quiete, factas, ut firmiora sint, apostolicae confirmationis robore libenter muniamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Pius IV Cameracensis ecclesiam in archiepiscopatum erigens nonnulla statuit quo ad collationem canonicatuum.

§ 1. Nuper siquidem venerabilis fratris Ludovici archiepiscopi Cameracensis et dilectorum filiorum praepositi, decani et Capituli ecclesiae Cameracensis nomine, nobis expositum fuit, quod dudum felicis recordationis Pius Papa IV praedecessor noster, inter alia, quae post erectionem cathedralis tunc ecclesiae Cameracensis in metropolitanam per piae memoriae Paulum etiam Papam IV, similiter praedecessorem nostrum, factam, ad ipsius ecclesiae decorem et amplitudinem per ipsummet Pium IV statuta et ordinata fuerunt, expresse decreverat et statuerat, quod ex omnibus canonicatibus et praebendis ipsius ecclesiae Cameracensis decem canonicatus et praebendae, quos primo vacare contigeret, archiepiscopo et Capitulo Cameracensi affecti remanerent, ad id, ut ipse archiepiscopus unum et unam primo vacaturos, tamquam mensae suae archiepiscopali perpetuo unitos, obtinere, ex reliquis vero novem canonicatibus et praebendis praedictis, tres tribus magistris aut licentiatis in theologia, et alii tres aliis tribus decretorum doctoribus aut licentiatis; reliqui vero tres tribus nobilibus eiusdem dioecesis etiam in iure canonico vel theologia, saltem ad licentiaturae gradum in insigni aliqua studii generalis universitate, cum rigoroso examine promotis, ordine servato, in perpetuum in eadem ecclesia concedi et assignari deberent. Et ut de viris spectatae doctrinae et probitatis, ad aedificationem ecclesiae Dei, accuratius prospiceretur, ipsi novem canonicatus et praebendae sic affecti, prima vice ad collationem ipsius archiepiscopi Cameracensis dumtaxat, qui illos graduatis et nobilibus, alternis vicibus conferret, et deinde ipsi novem canonicatus et praebendae sic affecti, quoties illos, perpetuis futuris temporibus, vacare contingeret, ut praefertur, ad collationem archiepiscopi et aliorum canonicorum graduatorum praedictorum superstitum pertinerent, ut videlicet per eos personis sic, ut praefertur, qualificatis conferrentur, prout tam in Pauli, quam in Pii praedecessorum particularibus litteris desuper confectis plenius continetur.

Pius V eadem statuta declarat.

§ 2. Cum autem ex eo quod in eadem ecclesia erant quadraginta octo canonicatus et totidem praebendae, quorum qua-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tuordecim, partim doctorales seu alias graduati, et partim sacerdotales, seu presbyterales ad Capituli, reliqui vero ad archiepiscopi praedictorum collationem et omnimodam dispositionem pertinebant, inter Capitulum praetendentes mentis dicti Pii IV non fuisse dictos suos quatuordecim canonicatus et praebendas, qui iam doctoribus, seu alias graduatis et presbyteris, seu sacerdotibus mediatim affecti erant, in numero decem primo vacaturorum huiusmodi, comprehendere, et archiepiscopum, qui, ratione et necessitate temporum, ut sibi de adiutorio quam primum provideretur, exigere contendebat, contrarium asserentem, quaestionis materia suborta esset, seu suboriri formidaretur, recolendae memoriae Pius Papa V, praedecessor etiam noster, motu proprio decrevisset et declarasset, decretum et statutum dicti Pii IV, eiusque litteras desuper confectas a die insinuationis, seu intimationis earum dictis archiepiscopo et Capitulo factae, ita locum habere ut quinque canonicatus et praebendae, qui post indulti praefati notitiam per eos habitam, vacaverint, et alias ad collationem ipsius archiepiscopi spectabant, sub eodem statuto comprehenderentur; quo vero ad reliquos quinque, qui ad summam decem canonicatuum et praebendarum faciendam deerunt, trex ex pertinentibus ad ipsum archiepiscopum, ac reliqui duo ex spectantibus ad dictum Capitulum, sacerdotalibus tantum, quos primo quovis modo vacare contigeret, computari, et per eosdem archiepiscopum et Capitulum, prima vice et successivis vacationibus, etiam per alios canonicos graduatos, iuxta dicti Pii IV dispositionem, personis, ut praefertur, qualificatis conferendi, perpetuo affecti remanere deberent, prout etiam in eiusdem Pii V litteris desuper expeditis, plenius continetur.

Dubium exortum super interpretatione constitutionis Pii IV

§ 3. Et postmodum, huiusmodi declaratione dictis praeposito, decano et Capitulo insinuata pro parte eorumdem praepositi, decani et Capituli, plures ac diversae causae et rationes dicto Ludovico archiepiscopo exhibitae fuissent, quibus eidem persuaderent, sibi et dictae Ecclesiae commodius et utilius fore, ut dicta declaratio Pii V nonnihil moderaretur; tandem post longam et maturam deliberationem, pro confovenda pace et concordia, sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, dictus Ludovicus archiepiscopus consensit ut, non obstante huiusmodi declaratione Pii Papae V, remaneret dictis praeposito, decano et Capitulo collatio dictorum quatuordecim canonicatuum et praebendarum, cum ea tamen limitatione et restrictione, ut si ante completum numerum denarium, unum, duo vel tres ex dictis septem tantum sacerdotalibus canonicatibus et praebendis, aliter quam per permutationem vacare contingeret, deposita qualitate sacerdotii aliaque priori affectione, personae seu personis graduatis, secundum tenorem litterarum Pii IV et Pii V, praedecessorum, conferrentur; quodque, dicto numero denario completo, idem archiepiscopus restitueret, redderet et concederet dictis praeposito, decano et Capitulo tot canonicatus et praebendas proxime vacaturos ex liberis (quorum collationem semper habuerat) quot ex dictis tantum sacerdotalibus ipse archiepiscopus, ut praefertur, contulisset, consentiens etiam ut huiusmodi canonicatus et praebendae, sic restituendi et reddendi dictis praeposito, decano et Capitulo, subintrarent in locum eorum, quos ex dictis septem contulisset, efficerenturque eiusdem plane in omnibus et per omnia qualitatis, conditionis et naturae cum reliquis dictorum septem dictis praeposito, decano et Capitulo remansuris, ut conferrentur ab eisdem ex

Exortis postmodum nonnullis controversiis,

Archiepiscopus et Capitulum concordiam quamdam inierunt.

tunc in perpetuum eisdem modo et forma, talibusque personis, et sub tali onere, quibus dicti septem canonicatus et praebendae conferri soliti erant, et alias prout in concordia huiusmodi, ac desuper celebrato instrumento seu alia scriptura, etiam latius dicitur contineri. Postquam concordiam, ut praefertur, initam, de mense octobris tunc proxime sequentis anni Domini MDLXXIII, unus et una dictae ecclesiae canonicatus et praebenda ex dictis sacerdotalibus per obitum quondam Henrici de la Hamarde vacantes, per archiepiscopum dilecto filio Iacobo Sapido, sacrae theologiae licentiato, et alius ac alia in sequenti mense novembris per obitum quondam Valerii Sereni, etiam vacans, etiam ex sacerdotalibus, dilecto filio Petro Prendhomme, decretorum etiam licentiato, per eumdem archiepiscopum provisum fuit. Ac demum, post dictum denarium numerum completum, ex libere ad collationem archiepiscopi spectantibus eiusdem ecclesiae canonicatibus et praebendis, unus et una de mense maio anni MDLXXIV per obitum quondam Thomae Pacault, dilecto filio Francisco Biusseret, ac alius et alia de mense augusti eiusdem anni, per obitum quondam Augustini Leporis vacantes, dilecto filio Philippo de Monte per dictum Capitulum, iuxta concordiam huiusmodi provisum fuit.

Concordia super praemissis celebrata inter archiepiscopum et Capitulum,

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tam archiepiscopus, quam praepositus, decanus et Capitulum praedicti cupiant, concordiam praedictam, cum omnibus inde sequutis, ad eorum perpetuam validitatem, apostolica auctoritate, confirmari, nobisque propterea humiliter supplicari fecerunt, ut illis apostolicae confirmationis robur adiicere, de benignitate apostolica, dignaremur.

Quam pontificia auctoritate confirmari petunt.

§ 5. Nos igitur litterarum Pauli IV, Pii IV et Pii V, praedecessorum nostrorum praedictorum, atque concordiae praedictae et instrumenti, seu alterius scripturae desuper celebrati vel confectae tenores et datas, praesentibus pro expressis habentes, ipsosque archiepiscopum et Capitulum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praefatam concordiam, instrumentum vel scripturam desuper celebratam vel confectam, cum omnibus inde sequutis supradictis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac apostolicae firmitatis robore communimus, illisque universis et singulis perpetuae et inviolabilis apostolicae confirmationis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus. Decernentes concordiam ipsam ac instrumentum seu scripturam huiusmodi, ac omnia et singula inde sequuta, ut praefertur, perpetuo firma, valida et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et per archiepiscopum et Capitulum praedictos inviolate observari debere. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Ratam habet Clemens.

§ 6. Non obstantibus praedictis Pauli IV, Pii IV et Pii V litteris, ac quibusvis apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac dictae ecclesiae Cameracensis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis

Derogat contrariis.

quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praedictorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII martii MDXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 7 martii 1595, pontif. an. IV.

CIII.

Subsidium scutorum quinquaginta millium super fructibus quorumcumque beneficiorum in dominio Venetorum existentium pro Camera Apostolica unica vice exigendum [1].

Venerabili fratri Ludovico episcopo Laudensi nostro et Apostolicae Sedis in dominio Venetorum nuncio

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae subsidii petendi.

Eae sunt nostrae et Sedis Apostolicae angustiae, eaque impensarum, quas hoc praesertim tempore facere cogimur, magnitudo, ut cum illis perferendis consueti Camerae nostrae redditus non sufficiant, ad praesentes eiusdem Sedis difficultates aliquo pacto sublevandas, subsidia a personis ecclesiasticis (quibus graviora onera iniungendi necessitatem nobis impositam esse maxime dolemus), praeter intentionem ac mentem nostram, exigere compellamur.

Impositio subsidii de quo in rubrica.

§ 1. His igitur causis adducti, motu proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, subsidium quinquaginta millium scutorum auri in auro super omnibus et quibuscumque fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis omnium et quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum, parochialium, nec non collegiorum, monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium ac conventualium, prioratuum quoque, praeposituraruum, praepositatuum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum etiam maiorum et principalium, personatuum, administrationum et officiorum, caeterorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura saecularium, et quorumvis Ordinum et militiarum, ac hospitalium, ac etiam eorum, qui proprietates redditusque certos ex privilegio apostolico, aut alias possident mendicantium, et quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus regularium in universo dominio reipublicae Venetorum existentium, licet aliis oneribus gravati existant, pro una vice tantum, tenore praesentium, indicimus et imponimus.

Nuncio apostolico committitur huiusmodi subsidii exactio.

§ 2. Ac propterea fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut subsidium huiusmodi ab universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis, Capitulis et clericis beneficiatis, nec non abbatibus, prioribus, praepositis, administratoribus, conventibus, collegiis, militibus et aliis quibuscumque personis ecclesiasticis saecularibus et quorumvis Ordinum et militiarum, ac hospitalium huiusmodi regularibus utriusque sexus, ecclesias, monasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus, dignitates, administrationes, officia, caeteraque beneficia ecclesiastica huiusmodi saecularia vel re-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

gularia, aut militaria obtinentibus (exceptis tamen a subsidio huiusmodi Congregatione monachorum Cassinensium, Sanctae Iustinae nuncupata, ac aliis quibusdam Congregationibus regularibus, quas felicis recordationis Pius Papa V exemit et immunes fecit, et quas etiam nos de novo ab huiusmodi subsidio atque onere per praesentes eximimus et immunes facimus, licet in impositione decimarum eidem dominio reipublicae Venetorum per felicis recordationis Gregorium XIV praedecessorem nostrum, concessarum ratam ipsas Congregationes tangentem hactenus solverint; volumusque propterea, ut tota illa portio ac rata huiusmodi subsidii, quae dictas duodecim Congregationes sic, ut praefertur exemptae, immunes atque exemptae non essent, contingeret, quaeque ab illis alias exigenda foret ab aliis personis ecclesiasticis superius nominatis proportionaliter et pro rata exigatur; necnon etiam exceptis S. R. E. cardinalibus, fratribus hospitalis S. Ioannis Hieroslymitani ac fratribus Mendicantibus, ac beneficiis ecclesiasticis officio inquisitionis haereticae pravitatis in dicto dominio instituto, unitis, annexis et applicatis, quos scilicet cardinales, ac fratres dicti hospitalis, et beneficia inquisitioni haereticae pravitatis unita in totum; fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat ab eodem subsidio, et illius solutione immunes et exemptos esse, iuxta exemptionem in praedicta impositione decimarum eidem dominio Venetorum iam concessarum ad favorem earumdem personarum, ut praefertur, exceptarum factam volumus et decernimus) petere, exigere et colligere, eisque tam in genere, quam in specie, ut dictum subsidium cum effectu solvant, sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eas obtentorum, aliisque arbitrio tuo imponendis poenis, etiam pecuniariis, ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas, etiam saepius aggravandas, mandare et praecipere.

Quae Congregationes exceptae sint ab huiusmodi subsidio praestando.

§ 3. Ac pro faciliori dicti subsidii exactione, unum vel plures subcollectores cum pari vel limitata potestate in unaquaque civitate, dioecesi et loco eiusdem dominii per locorum Ordinarios deputandos approbare, et si qui ex locorum Ordinariis intra aliquem brevem terminum, arbitrio tuo praefigendum, viros idoneos ad id deputare neglexerit, tu, sine illorum etiam consensu, arbitrio tuo illos libere deputare, aliosque eorum loco, quoties tibi placuerit, substituere et subrogare.

Addita facultate subcollectores deputandi.

§ 4. Ac solvere recusantes vel differentes, ac generaliter quoscumque alios contradictores et rebelles, ac ne subsidium huiusmodi exigatur et persolvatur quomodocumque suadentes vel impedientes, directe vel indirecte, per praedictas poenas et censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione posposita, compescere, auxiliumque brachii saecularis propterea invocare, ac demum in exactione subsidii huiusmodi prout alias in exactione decimarum dicto dominio, ut praefertur, iam concessarum fieri consuevit, et iuxta taxam in illarum exactione hactenus observari solitam, salvis praemissis, quoad exceptionem supradictarum Congregationum et aliarum personarum, ut praefertur, exceptarum procedere, solventes vero de solutis quietare et liberare, ac a censuris et poenis, quas dicta de causa incurrerint, absolvere, ac omnia et singula alia in praemissis, et circa ea necessaria et opportuna facere, mandare, ordinare et exequi, auctoritate nostra cures, et cum effectu facias. Nos enim tibi super his omnibus et singulis plenam, liberam, amplam et universam facultatem tribuimus et impartimur. Et ulterius, auctoritate et tenore premissis,

Nec non plura alia ad rem opportune faciendi.

decernimus et declaramus, subsidium huiusmodi integrum et liberum ab omni et quocumque alio onere et gravamine, nec non etiam ab universis provisionibus et expensis collectorum et subcollectorum, vel aliorum ministrorum in eiusdem subsidii exactione intervenientium quorumcumque esse debere.

Pensionarii quoque in subsidio praestando comprehenduntur.

§ 5. Et ad illius contributionem unumquemque supradictorum pro rata fructuum et reddituum suorum, secundum verum annuum valorem; nec non quoscumque etiam pensionarios pro rata pensionum super fructibus, redditibus et emolumentis quarumcumque ecclesiarum et beneficiorum supradictorum ad ipsorum successores reservatarum, etiam quantumvis a similibus subsidiis, vel aliis oneribus exemptarum, quae rata in solutione pensionum detrahi debeat, et similiter reservatarios eorumdem fructuum, reddituum et emolumentorum quorumcumque pariter pro illorum rata omnino obligatos esse et teneri, nec aliquem ipsorum pensionariorum, aut reservatariorum quocumque privilegio, immunitate, exemptione et indulto suffultum, ab huiusmodi contributione se excusare et eximere posse, et recusantes seu differentes, aut alias quomodolibet contradicentes, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, per censuras et poenas ecclesiasticas huiusmodi cogi et compelli posse et debere.

Clausulae.

§ 6. Sicque ab omnibus censeri, et ita per praedictos iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio amplissima contrariorum omnium

§ 7. Non obstantibus nostra, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque ecclesiarum, ordinum et monasteriorum, ac militiarum et aliorum regularium locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus et litteris apostolicis eisdem ecclesiis, ordinibus, monasteriis, militiis et aliis regularibus locis eorumque praesulibus, abbatibus, prioribus, conventibus, collegiis, militibus et aliis personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus utriusque sexus, nec non pensionariis et fructuum reservatariis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda esset, ac etiamsi in litteris reservationum pensionum, aut fructuum huiusmodi caveatur expresse, quod pensionarii, vel forsan reservatarii supradicti, ad contributionem faciendam minime teneantur, sed quod provisi de beneficiis, super quorum fructibus pensiones impositae fuerint, ratam ad pensionarios spectantem persolvere, et onus dictam ratam solvendi in se suscipere debeant, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse ac latissime derogamus, et derogatum esse volumus. Aut si patriarchis, archiepiscopis,

pro praesentium exequutione.

episcopis, praepositis, Capitulis, conventibus et aliis personis praedictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad solutionem, vel contributionem subsidii alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVIII martii MDXCV, pontificatus nostri anuo IV.

Dat. die 18 martii 1595, pontif. an. IV.

CIV.

Confirmatio privilegiorum per diversos Romanos Pontifices concessorum Duci et nationi Sabaudiae super provisione beneficiorum [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem ea, quae a praedecessoribus suis Romanis Pontificibus, personis illustribus de Sede Apostolica benemeritis, praesertim ducali dignitate fulgentibus, gratiose concessa noscuntur, approbare et confirmare, aliaque desuper disponere, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Nicolaus V Carolo Emmanueli promiserat, nulli se, nisi de consensu eiusdem Caroli, ecclesias cathedrales, monasteria, et nonnulla alia hic expressa beneficia collaturum.

§ 1. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Caroli Emmanuelis Sabaudiae ducis illustris petitio continebat, quod alias postquam felicis recordationis Nicolaus Papa V, praedecessor noster, bonae memoriae Ludovico Sabaudiae duci, tunc in humanis agenti, ne ex promotione quorumvis ad quarumcumque ecclesiarum vel monasteriorum infra districtum sui temporalis dominii consistentium regimine, seu provisionibus quibuslibet de quibusvis dignitatibus dispositioni apostolicae reservatis inibi consistentibus quibuscumque, per dictum praedecessorem faciendis, statui suo proveniret dispendium aut alia quaevis adversitas intestina, praefatum Ducem certum per suas litteras reddiderat et sibi promiserat, quod ipso et dominio huiusmodi in integritate obedientiae Sedis Apostolicae persistentibus, ad quarumcumque metropolitanarum, vel aliarum cathedralium ecclesiarum regimina aut dignitates abbatiales infra dictum districtum neminem praeficeret, seu illis de quibuscumque personis non provideret, nisi habitis prius per eum intentione et consensu ipsius Ludovici ducis de personis idoneis ad regimina seu dignitates abbatiales huiusmodi promovendis, vel de quarum personis tales provisiones forent faciendae, de aliis vero dignitatibus, videlicet post pontificalem maioribus, et prioratibus conventualibus, ac aliis eidem dispositioni reservatis, in districtu praedicto consistentibus, personis providere idoneis, de locis tamen ipsius Ludovici ducis ditionis, aut sibi gratis et acceptis de aliis locis oriundis. Praeterea prioratum Tallueriarum, Ripaliae et Novalitiae, ac praeposituram Montis Iovis, qui in confiniis dominii huiusmodi existebant, si et cum illos vacare contingeret, nulli conferret, nisi similiter ab ipso Ludovico duce eius intentione habita de personis, quibus collationes huiusmodi forent faciendae, gratias, aut expectativas et speciales reservationes quaslibet cum quibusvis, quae ex illis dependebant, providendi mandatis in districtu praedicto, personis dumtaxat, quae locorum

1 Ex Regest. in Secret. Brevium. Hanc constitutionem edidit quoque Samuel Guichenon in opere cui titulus: *Histoire généalogique de la royal maison de Savoye, avec les preuves.* Lyon, 1660, 2 vol. in-fol.; cuius habetur etiam ed. Taurinensis anni 1778, 5 tom., duobus vol. in-fol. comprehensis. (R.T.)

eiusdem districtus alienigenae vel extraneae non forent, nisi forsan eiusdem Ludovici ducis consensus aliis personis super huiusmodi gratiis obtinendis suffragaretur, concederetur; quodque si forsan ex importunitate petentium, aut per praeoccupationem, seu alias inadvertenter, per eumdem praedecessorem contra praemissa, quasvis praefectiones et praelationes fieri, aut alia quaecumque concedi contingeret, statuerat et decreverat, ea omnia, utpote contra mentem suam, ab eo extorta, et quaecumque inde sequuta, cum processibus inde pro tempore habitis, quasvis etiam in se censuras et poenas continentibus, nullius fore roboris vel momenti, ipsisque processibus minime intendendum seu parendum esse, nec censuras et poenas huiusmodi quempiam arctare, sed illas et eosdem processus penitus haberi debere pro infectis.

Sixtus IV statuit beneficia ecclesiastica ejusdem dominii Sabaudici nonnisi oriundis vel incolis conferri posse.

§ 2. Piae memoriae Sixtus Papa IV, etiam praedecessor noster, per suas litteras statuit et ordinavit, quod nullus alienigena, seu alterius nationis vel dominii, aut cuiusvis ordinis regularis, qui non esset de ducatu, ditione vel dominio huiusmodi oriundus, vel saltem verus et actualis illorum incola, cuiuscumque dignitatis, status, gradus vel conditionis existeret, saecularis vel cuiusvis ordinis regularis, cum cura et sine cura, quaecumque, quoteumque et qualiacumque forent beneficia, ex tunc deinceps vigore litterarum quarumcumque gratiarum expectativarum, quae sub quacumque verborum forma emanarent, acceptare seu obtinere, nec ius aliquod acquirere posset, decrevitque locorum archiepiscopos et episcopos, necnon monasteriorum abbates pro tempore existentes, et conventus eorumdem, dictarumque ecclesiarum Capitula, et quosvis alios Ordinarios praetextu litterarum huiusmodi sub quavis verborum forma et expressione, ac cum specifica et individua statuti et ordinationis huiusmodi derogatione, a Sede praedicta, vel eius legato, ex tunc in antea impetrandarum, et processuum habendorum per easdem etiam quasvis censuras et poenas in se continentium ad receptionem alicuius vel aliquorum ad beneficia praedicta adversus statutum et ordinationem huiusmodi compelli minime debere seu posse, quodque censurae, processus et poenae huiusmodi, etiamsi dictae litterae motu proprio et ex certa scientia emanarent, minime arctarent, sed haberentur pro cassis, infectis et irritis.

Innocentius VIII et Iulius II praedicta confirmarunt.

§ 3. Et deinde recolendae memoriae Innocentius Papa VIII, similiter praedecessor noster, litteras Sixti praedecessoris huiusmodi, et omnia et singula in eis contenta per alias suas litteras approbavit, necnon successive sanctae memoriae Iulius Papa II, etiam praedecessor noster, praedecessorum nostrorum litteras huiusmodi ex certa scientia similiter innovavit et approbavit, decernens quod illae perpetuae firmitatis robur obtinere deberent, quodque illis per quascumque litteras, etiam quasvis derogatoriarum derogatorias, seu fortiores et insolitas clausulas in se continentes, nullatenus derogatum esse censeretur, nisi illorum toto tenore de verbo ad verbum nihil penitus omisso inserto, necnon de speciali et expresso pro tempore existentis ducis Sabaudiae consensu, et nihilominus pro potiori cautela praemissa omnia de novo statuit et ordinavit.

Bonifacius VIII declaravit contra Amadeum eiusque dominia sine speciali Sedis Apost. mandato promulgari non posse.

§ 4. Idemque Iulius praedecessor similis memoriae Bonifacii VIII, pariter praedecessoris nostri (qui bonae memoriae Amadeo comiti Sabaudiae, tunc similiter in humanis agenti, per suas litteras indulserat, ut nullus delegatus, vel subdelegatus, exequutor, aut subexequutor a Sede praedicta deputatus, posset

in persona ipsius Amadei comitis excommunicationis, et in eius terras interdicti sententias promulgare, sine speciali mandato eiusdem Sedis, faciente plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem) vestigiis inhaerendo, quondam Carolo Sabaudiae duci, etiam tunc in humanis agenti, ut nullus delegatus, vel subdelegatus per litteras apostolicas in suam et uxoris ac liberorum suorum personas excommunicationis sententiam promulgare posset, absque eiusdem Sedis speciali licentia faciente plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, quodque in locis ecclesiastico interdicto, etiam cum huiusmodi licentia, suppositis, si eum ad illa declinare, vel in eis residere contigeret, missas et alia divina officia, etiam apertis ianuis ecclesiarum, et campanis pulsatis, ac alta voce, excommunicatis tamen et interdictis exclusis, celebrari, necnon ecclesiastica sacramenta quaecumque, dum tamen rite, sibi et eius uxori ac liberis ministrari facere, illaque suscipere libere et licite valeret et valerent per alias suas litteras indulsit.

Quod Carolo comiti Iulius II confirmavit.

§ 5. Et demum piae memoriae Leo Papa X, etiam praedecessor noster, singulas litteras praefatas et in eis contenta quaecumque, necnon omnia et singula privilegia, concessiones, gratias et indulta, quae, tam per Romanos Pontifices, quam sacris canonibus non contraria per imperatores et reges pro tempore existenti duci ac nationis Sabaudiae concessa fuerant, ex certa etiam scientia per suas litteras similiter approbavit, confirmavit et innovavit, ac perpetuae firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari debere decrevit; supplens omnes et singulos iuris ac facti defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem; et nihilominus praemissa omnia et singula, prout per dictos praedecessores, imperatores et reges concessa, indulta, statuta et ordinata extiterant, de novo concessit, indulsit, statuit et ordinavit, decernens illis et litteris suis praedictis nullo unquam tempore per Sedem eamdem derogari posse, nec derogatum censeri, nisi de toto tenore, et data litterarum Leonis praedecessoris huiusmodi plena, specifica, individua, specialis et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio fieret, et ipsius Caroli, ac pro tempore existentis Sabaudiae ducis expressus ad id accederet assensus, et sic per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, in quibusvis causis et instantiis, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigeret attentari.

Leo X pontificia omnia et imperialia privilegia ducibus Sabaudiae concessa confirmavit.

§ 6. Subsequenter similis memoriae Clemens Papa VII, etiam praedecessor noster, singulas litteras singulorum praedictorum praedecessorum, ac in eis contenta quaecumque, nec non omnia et singula privilegia, concessiones, gratias et indulta, sacris canonibus minime contraria, tam per Romanos Pontifices, quam per imperatores et reges duci ac nationi Sabaudiae huiusmodi concessa, ex certa scientia, per suas litteras approbavit et confirmavit, ac perpetuae firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari debere etiam decrevit, supplens omnes et singulos iuris ac facti defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem; et nihilominus praemissa omnia, prout per praedictos praedecessores imperatores ac reges concessa, indulta, statuta, ordinata et decreta fuerunt, de novo concessit, in-

Quod idem praestavit Clemens VII.

dulsit, statuit et ordinavit, decernens quoque illis, et praedictis litteris nullo unquam tempore per Sedem eamdem, etiam per quascumque litteras, etiam quamvis generales vel speciales, et implicite latissime extendendas, aut alias derogatoriarum derogatorias, efficacioresque et insolitas clausulas, ac etiam irritantia decreta sub quacumque verborum expressione in se continentes nullatenus derogari posse, nec derogatum censeri, nisi de toto tenore, et data litterarum ipsius Clementis praedecessoris specialis, specifica, individua, plena et expressa, ac de verbo ad verbum nihil omisso, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio fieret, ex expresse appareret Romanum Pontificem illis derogare voluisse, aut causa urgens et sufficiens exprimeretur, ac huiusmodi derogatio per trinas distinctas litteras eumdem tenorem continentes tribus distinctis vicibus praedicto Carolo, ac pro tempore existenti Sabaudiae duci esset intimata et insinuata, ipsiusque Caroli, et pro tempore existentis Sabaudiae ducis ad id expressus accederet assensus, et aliter factas derogationes nemini suffragari, nec non quascumque praefectiones, provisiones, collationes, acceptationes et alias dispositiones in contrarium, etiam per praedictum Clementem praedecessorem, et Sedem huiusmodi pro tempore factas nullius roboris vel momenti fore, nec aliquod ius, vel etiam coloratum titulum possidendi tribuere, ac Carolum et pro tempore existentem ducem, necnon personas ducatus, dominii et ditionis huiusmodi litteris derogativis et decretis super illis processibus, ac illorum exequutoribus, eorumque mandatis et exequutionibus parere minime teneri, sed illis firmiter resistere, ac litterarum earumdem exequutionem omnino impedire, nec ratione resistentiae huiusmodi censuris ecclesiasticis per eosdem exequutores et subexequutores innodari posse, et ita per quoscumque iudicari ed definiri debere, ac irritum decernens et inane si secus super his a quocumque contigeret attentari. Demum similis memoriae Iulius Papa III, etiam praedecessor noster, per suas litteras praemissa confirmavit.

Confirmavit etiam Gregorius XIII.

§ 7. Novissime autem et postremo bonae memoriae Gregorius XIII, etiam praedecessor noster, singulas praedecessorum praedictorum litteras, et in eis contenta quaecumque, ac omnia et singula privilegia, concessiones, gratias et indulta tam per Romanos Pontifices, quam sacris canonibus minime contraria per imperatores et reges duci et nationi Sabaudiae huiusmodi concessa, etiam confirmavit et approbavit, ac etiam irritum et inane decrevit, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari, prout in singulis litteris praedictis plenius dicitur contineri.

Clemens VIII praedicta omnia rata habet innovatque.

§ 8. Nos igitur attendentes sincerae devotionis affectum, quem idem dilectus filius Carolus Emmanuel modernus Sabaudiae dux illustris erga nos et Romanam gerit Ecclesiam, eiusque illibatam fidei constantiam promereri, ut eum specialis gratiae favore prosequamur, ipsumque Carolum Emmanuelem ducem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis a iure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, suis in hac parte nobis porrectis supplicationibus inclinati, singulas supradictorum praedecessorum litteras, et in eis contenta quaecumque, necnon omnia et singula privilegia, concessiones, gratias et indulta

tam per quoscumque Romanos Pontifices, quam dictis sacris canonibus minime contraria per imperatores et reges, etiam quoscumque, duci et nationi Sabaudiae huiusmodi concessa, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque plenariae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; necnon omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus.

Clausulae.

§ 9. Necnon ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, et causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aut quosvis alios in quibuscumque causis et instantiis, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, definiri et interpretari debere; necnon irritum decernimus et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis aliis, quae in litteris singulis supradictis concessa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die x iunii MDXCV, pontificatus nostri ann IV.

Dat. die 10 iunii 1595, pontif. an. IV.

CV.

Institutio festivitatis sancti Stanislai episcopi et martyris, pro die VII *mensis maii, duplici officio celebrandae* [1].

1 Hunc Stanislaum sanctorum catalogo adscripsit et canonizavit Innocentius IV, in eius constit. XXXIV: *Olim*, tom. III, pag. 577.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quae ad Sanctorum venerationem et fidelium erga ipsos devotionem augendam pertinent, ea nos libenter concedimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Festum S. Stanislai ubique celebrandum.

§ 1. Sane, cum gloriosus pontifex et martyr sanctus Stanislaus, Polonus, in maxima apud universos regni Poloniae christifideles veneratione existat, nosque tum ob peculiarem nostram erga ipsum Sanctum devotionem, tum ob paternam nostram in dictum regnum charitatem, novissime de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium congregationis sacrorum rituum, eumdem sanctum Stanislaum episcopum et martyrem in kalendarium romanum referri, ac de illo duplex officium per universum orbem christianum a clero saeculari et regulari eo die, qui eiusdem sancti martyris festo proximior nullo alio festo est impeditus, celebrari iusserimus, prout etiam per praesentes iubemus.

Congregatio cardinal. super ritibus dictum festum praescripsit ad diem VII mensis maii.

§ 2. Cumque eadem sacrorum rituum congregatio officium sic celebrandum, ad diem septimum mensis maii eiusdem sancti martyris diem festum proxime praecedentem, nullo alio festo impeditum adscribendum esse, atque in eodem officio, quod erit de communi unius martyris, infrascriptas orationem [1] et tres lectiones de ipsius vita, ab ipsa congregatione diligenter examinatas et approbatas in secundo nocturno recitandas censuerit.

Quod approbat Clemens.

§ 3. Nos ad Dei gloriam, eiusdem sancti Stanislai venerationem et fidelium spiritualem consolationem, iuxta praefatae congregationis sententiam, officium huiusmodi de sancto Stanislao episcopo et martyre, die septima maii eius diei

1 Orationem et tres lectiones, quarum hic fit mentio, omisimus, quia leguntur in Brev. Rom.

festo proxime praecedenti, quatenus nullo alio festo sit impeditum, celebrandum esse, et in eo orationem et lectiones praedictas, quas tenore praesentium confirmamus et approbamus, recitandas esse; si vero dies septimus maii huiusmodi alio festo fuerit impeditus, in alium diem non impeditum, iuxta rubricas Breviarii Romani, transferri debere, auctoritate apostolica tenore praesentium, decernimus et ordinamus.

Quibuscumque non obstantibus

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Breviarii Romani reformatione, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die IV iulii MDXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 4 iulii 1595, pontif. an. IV.

CVI.

Institutio festivitatis S. Romualdi abbatis, Ordinis Camaldulensis fundatoris, die VII *mensis februarii, duplici ritu de communi confessorum celebrandae* [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Sanctorum festa sunt instituta ut eorum virtutes imitemur.

Pia mater Ecclesia ad hoc Sanctorum cum Christo regnantium memorias a christianis populis frequentari instituit, ut nos, quos uti filios Deo quotidie parere satagit, tantorum patrum exemplis provocati, eorum sectemur fidem, imitemur virtutem, gloriamque, paribus vitae lineamentis, aut invenire aut exquirere studeamus. Ad haec, ut eorum invocatione sentiamus ipsos, qui ex hac vita discesserunt, habentes adhuc erga nos, qui in hoc mundo relicti sumus, charitatem, curam de nobis gerere, suisque precibus atque interventu apud Deum nos iuvare, cumque de propria salute et immarcescibili gloria sint securi, de nostra multiplici miseria sollicitos existere.

Inter sanctos S. Romualdus virtutibus et miraculis claruit.

§ 1. In his sane reponendum esse in primis iudicamus gloriosum anachoritam Romualdum, patria, familia, vitae sanctitate, et divinarum rerum contemplatione, Ordinisque Camaldulensis fundatione illustrem, cuius tanta fuit in Deum religio et pietas, ut in coelis solummodo eius conversatio esse videretur ab hominum conspectu et accessu remotissima, sanctorum vero et beatorum consuetudine, quorum apparitione et intuitu saepissime dignatus est, acceptissima. Tanta erga proximos charitas ut, oratione et lacrymis suis, patrem religioni et coelo acquisiverit; multos clarissimos etiam viros, reges et principes, suo exemplo ad humiles casas in eremo habitandas, et fulgorem purpurae cum vili tunica commutandam allexerit; plurimos a corporis et animae infirmitatibus, ac imminentibus vitae periculis, signo Crucis eripuerit, collapsamque in Italia eremiticam disciplinam restituerit ac mirifice propagaverit. Tanta vero sui humiliatio et contemptus, ut Spiritus Sancti, qui super humiles requiescit, domicilium effectus, sacrarum scripturarum intelligentiam et prophetiae donum consequutus sit, et quo magis humilitatem coluit, eo amplius a Deo exaltari meruerit, longitudine dierum in terris, immortalitate et Sanctorum gloria in coelis coronatus.

Clemens itaque habito consensu cardinalium super sacris ritibus, eius festum instituit.

§ 2. Ut autem tam insignis Dei miles debita ab omnibus veneratione et cultu honoretur, assiduisque precibus invocetur vir *dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est* [1], supplicationi-

1 Prima Ordinis huius Eremus, quae in nostro Bullario recensentur, est Eremus Campi Amabilis, quam confirmavit Alexander II sua constitut. XXVIII, quae incipit: *Nulli fidelium*, tom. II, pag. 48.

1 *Ecclesiastici*, XLV, 1. (R.T.)

bus etiam dilectorum filiorum abbatis generalis et monachorum dicti Ordinis Camaldulensis, pro praeclaro eiusdem Ordinis institutore nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium congregationi sacrorum rituum praepositorum, quibus hoc negocium examinandum commisimus, consilio et assensu, eiusdem S. Romualdi nomen et diem festum in Kalendario Romano, quo nunc utimur, die septimo februarii, quo die eius translatio facta est, adscribendum, eiusque officium a quibuscumque personis ecclesiasticis saecularibus et regularibus, ubique terrarum existentibus, sub ritu duplici, de communi confessorum non pontificum, ubi proprium deest, praeter lectiones secundi nocturni, quae propriae assignantur, ab eiusdem congregationis cardinalibus approbatae, celebrandum esse, auctoritate et tenore praesentium, perpetuo decernimus et statuimus. Mandantes propterea, in virtute sanctae obedientiae, universis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum praelatis, ut in suis quisque ecclesiis, conventibus, ordinibus, militiis, provinciis, civitatibus et dioecesibus praesentes nostras litteras solemniter publicare, ac dicta die officium huiusmodi S. Romualdi ritu duplici, tam ipsi quam caeteri omnes presbyteri et clerici, saeculares et regulares utriusque sexus, ac aliae personae, etiam exemptae, quibus officium decendi et psallendi munus quomodocumque iniunctum est, celebrare et psallere omnino debeant. Decernentes omnes et singulas personas huiusmodi ad aliam recitationem officii ea die non teneri, sed debito et obligationi huiusmodi perinde satisfacere, ac si divinum officium iuxta suorum Breviariorum praescriptum recitarent.

Die VII februarii, qui eius translationis est, festum sub ritu duplici celebrandum.

§ 3. Non obstantibus felicis recordationis Pii V, praedecessoris nostri, ac aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis, etiam super nova Breviarii reformatione editis, constitutionibus et ordinationibus, statutis quoque et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, quodque dies festus huiusmodi in Kalendario Romano descriptus hucusque non sit, caeterisque contrariis quibuscumque.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Fides exemplorum.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die nona iulii millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 9 iulii 1595, pontif. an. IV.

CVII.

Officinae omnes monetariae Status Ecclesiastici, Romana excepta, supprimuntur [1].

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Paterna nostra in subditos nostros charitas, quae nos de ipsorum indemnitate cogitare sedulo facit, ac pastoralis sollicitudo nostra requirunt, ut iis rebus, quae subditis ipsis damnum afferre possunt, opportuna provisione occurramus.

Pontificis sollicitudo erga suos subditos.

§ 1. Sane cum experientia compertum sit in nonnullis locis Status Ecclesiastici, in quibus officia zeccharum sunt permissu Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum instituta, monetam minus legalem, nec eius bonitatis et legae, qui-

In zecchis Status Ecclesiastici monetae inferioris valoris cudebantur.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

bus esse deberet, impressam cusamque fuisse, eamque per Statum nostrum Ecclesiasticum disseminatam non parum damni et incommodi subditis nostris attulisse, cum nos post compertam huiusmodi monetae falsitatem, eius usum prohibere coacti fuerimus.

Clemens eas supprimit romana excepta.

§ 2. Licet vero indemnitati eorumdem subditorum nostrorum, quantum potuimus, consuluerimus; quia tamen, nisi in posterum prospiciamus, possent iterum similia et graviora damna imposterum exoriri; nos de opportuno in praemissis remedio providere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac mera deliberatione nostra, omnia et singula zeccharum officia in quacumque civitate, terra, vel loco Status nostri Ecclesiastici, mediate vel immediate subiecti, excepta alma Urbe nostra, instituta perpetuo supprimimus et extinguimus, omnemque facultatem, privilegium, indultum et quamcumque aliam concessionem cudendarum monetarum, etiam ex titulo oneroso cuicumque communitati, universitati, collegio, aut particularibus personis civitatum, terrarum et locorum praedictorum cuiusvis gradus, status, ordinis, conditionis et dignitatis existant, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos ipsos, Sedemque et Cameram Apostolicam concessa et facta, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo adimimus, tollimus, cassamus et annullamus, ac nulla, irrita et invalida ac nullius roboris esse et fore.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 3. Praesentesque litteras, etiamsi quicumque interesse habentes, vel praetendentes vocati et auditi non fuerint, perpetuo validas et efficaces existere, nec ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, nec ullo modo revocari, aut in ius vel controversiam vocari aut suspendi, limitari, sive adversus illas quodcumque gratiae vel iustitiae remedium impetrari minime posse nec debere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. camerarium, nec non Camerae nostrae Apostolicae praesidentes clericos, necnon et thesaurarium nostrum generalem, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi vel interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus et declaramus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, concessionibus quoque, etiam ex titulo oneroso, de dictis officiis zeccharum factis, ac privilegiis, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet, etiam per modum contractus inter nos et Sedem, ac Cameram Apostolicam ex una, et ipsos, quibus concessa sunt, ex alia initi et stipulati, aut alias quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac de verbo ad verbum inserta mentio habenda esset, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XI iulii MDXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 11 iulii 1595, pontif. an. IV.

CVIII.

Confirmatio nonnullorum privilegiorum nunc et pro tempore existentium inquisitorum regnorum Portugalliae [1].

Dilectis filiis inquisitori generali caeterisque officii inquisitionis haereticae pravitatis in Portugalliae et Algabriorum regnis apostolica auctoritate instituti ministris et officialibus nunc et pro tempore existentibus,

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii,

salutem et apostolicam benedictionem.

Nonnulli pontifices inquisitionis Portugalliae ministris indultum concessere non residendi in suis beneficiis, eorumque fructus percipiendi

§ 1. Cum alias felicis recordationis Pius V, Gregorius XIII, Sixtus V et novissime Gregorius XIV, Romani Pontifices praedecessores nostri, ex certis tunc expressis causis, indulserint omnibus et singulis ministris officii inquisitionis haereticae pravitatis in Portugalliae et Algarbiorum regnis, apostolica auctoritate instituti, qui beneficia ecclesiastica personalem residentiam requirentia obtinerent, ut ad certa tunc expressa tempora, quorum ultimum est quinquennium nondum elapsum a dicto Gregorio XIV concessum, pro negotiis ipsius officii ab eorum residentia abesse, et nihilominus fructus, redditus et proventus huiusmodi beneficiorum per eos obtentorum, nec non iura, obventiones et emolumenta quaecumque, et in distributionibus quotidianis consistentia integre perciperent, perinde ac si personaliter residerent et deservirent, prout in diversis eorumdem praedecessorum litteris plenius continetur.

Huiusmodi indultum ad quinquennium Clemens prorogat.

§ 2. Nos, similibus et aliis ad hoc nos moventibus causis adducti, ac supplicationibus vestro nomine nobis super hoc porrectis inclinati, necessitatibus et commodis vestris consulere volentes, ac litterarum praedictarum tenores, praesentibus pro expressis habentes, vosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, vobis universis et singulis praesentibus et futuris, qui durante quinquennio a fine quinquenii per dictum Gregorium XIV ultimo concessi numerando in regnis, dominiis et locis ditioni pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum regi subiectis, eiusdem haereticae pravitatis generalis, vel alii inquisitores fuerint deputati, vestrisque illorum consultoribus, promotoribus, carcerum custodibus et aliis ministris officii inquisitionis huiusmodi ipsa officia et ministeria exercentibus, tam in eisdem regnis, dominiis et locis, quam alibi ubicumque et in Romana Curia per pro tempore existentem generalem inquisitorem deputatis, seu missis, et alias quomodolibet designatis, et in officio praedicto versantibus, et negocia ad ipsum inquisitionis officium pertinentia sollicitantibus et procurantibus, etiamsi pontificali dignitate, vel alia praediti fuerint, quandium tamen, ultimo dicto quinquennio durante, ipsis officiis et ministeriis operam dederitis, ut vos omnes et quilibet vestrum, vel aliorum praedictorum fructus, redditus et proventus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum saecularium, et quorumvis Ordinum regularium, personalem residentiam requirentium (dummodo illa non habeant curam animarum parochianorum), quae nunc vos et illi obtinetis et obtinebitis imposterum, etiamsi canonicatus et praebendae etiam doctorales (non tamen theologales) aut dignitates, personatus, ad-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

ministrationes, seu officia in cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis praedictis principales extiterint, eisque cura iurisdictionalis dumtaxat immineat, nec non illorum ratione percipi solitas quotidianas distributiones, anniversaria et alia emolumenta quaecumque, etiam praesentibus dumtaxat et diurnis ac nocturnis horis personaliter interessentibus dari, et per illos tantum lucrari solita, cum ea integritate, cum qua illas et illa perciperetis, si in eisdem ecclesiis personaliter resideretis, ac divinis officiis horisque canonicis praedictis interessetis, percipere, exigere et levare, libere et licite valeatis, etiamsi in eisdem ecclesiis et beneficiis primam residentiam personalem consuetam, vos vel aliquis vestrum, vel aliorum praedictorum non feceritis. Quodque etiam ad residendum interim in eisdem ecclesiis, vel beneficiis, vel divinis interessendum minime teneamini, nec ad id a quoquam inviti cogi vel compelli possitis, auctoritate praesentium indulgemus.

Concedit etiam ut servitium quinquennale sit loco primae residentiae

§ 3. Praeterea, cum in plerisque ecclesiis collegiatis, cathedralibus et metropolitanis istarum partium statuta quaedam, etiam forsan iuramento, apostolica auctoritate, vel alias confirmata, aut consuetudines vigeant, ut audivimus, ut quisque earum canonicus, et dignitatem vel beneficium in illis obtinens, teneatur ab initio ad certum tempus, cum primum ad inserviendum ipsi ecclesiae accesserit, primam residentiam anni arctiori quadam observantia facere, alioquin fructus, redditus et proventus, vel distributiones, aut emolumenta praedicta lucrari nequeat, concedimus etiam vobis et aliis praedictis, et unicuique vestrum et illorum, ut si per quinquennium saltem etiam vel post concessionem et indultum huiusmodi, officio inquisitionis deservieritis, tunc eo ipso, ad primam huiusmodi residentiam faciendam in eisdem ecclesiis et beneficiis, in quibus canonicatus et praebendae, vel dignitates, portiones aliaque beneficia per vos obtenta fuerint, ad primam huiusmodi residentiam in eisdem ecclesiis et beneficiis minime teneamini, nec ad id cogi vel compelli possitis; sed obsequia et servitia dicto officio inquisitionis per quinquennium, ut praefertur, praestita sint loco primae residentiae, ita ut deinceps fructus, redditus, proventus, distributiones, iura et emolumenta quaecumque, nec non alia privilegia, indulta, gratias, praeeminentias et exemptiones personaliter tamen deserviendo percipere et habere liceat, perinde ac si prima residentia cum effectu a vobis facta fuisset ad instar aliorum, qui, post factam huiusmodi primam residentiam, illa percipere et habere consueverunt.

Generalem inquisitorem Portugalliae huius indulti exequutorem deputat.

§ 4. Quae ut debitae exequutioni demandentur, ei qui pro tempore fuerit generalis inquisitor in illis regnis auctoritate apostolica deputatus, per se vel alium, seu alios locorum Ordinarios et Capitula ecclesiarum, in quibus beneficia aut dignitates, vel canonicatus, et praebendae huiusmodi fuerint, et quoscumque alios, ad quos spectat et spectabit in futurum, ad respondendum sibi et inquisitoribus, aliisque personis praedictis quibuscumque, et illorum singulis, de quibuscumque fructibus, redditibus, proventibus, distributionibus et emolumentis huiusmodi, auctoritate nostra cogendi et compellendi, eosdemque Ordinarios et Capitula, nec non alios quoscumque contradictores et inobedientes cuiusvis status, gradus, ordinis et conditionis fuerint, et quacumque dignitate et auctoritate fulgentes, etiam exemptos, aut quovis privilegio suffultos, per poenas pecuniarias suo arbitrio moderandas et applicandas, nec non privationis beneficiorum per eos obtentorum, inhabi-

litatisque ad illa et alia imposterum obtinenda, ac demum per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravandi, interdictum ecclesiasticum apponendi et relaxandi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, plenam et liberam, simili auctoritate, tribuimus facultatem.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac earumdem ecclesiarum, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Capitulis, vel locorum Ordinariis, aut aliis personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus caetaerisque contrariis quibuscumque. Aut si illis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod ad respondendum alicui non residenti, vel qui primam residentiam non fecerit, cogi vel compelli, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem ut interim beneficia praedicta debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congrue supportentur onera consueta.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDXCV, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 24 iulii 1595, pontif. an. IV.

CIX.

De electione praelatorum fratrum Tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentia in communi, sub trium votorum substantialium professione, viventium[1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem in his auctoritatis suae partes libenter interponere, per quae religiosorum statui eorumque prospero regimini opportune consulitur.

Ratio constitutionis.

§ 1. Sane pro parte dilectorum filiorum visitatoris generalis et aliorum superiorum ac fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci de Poenitentia, nobis fuit expositum, quod cum alias praedictus Ordo non ita propagatus esset, statutum fuit dilectos filios priores et discretos conventuum ac domorum dicti Ordinis, capitulis generalibus, quae quolibet triennio pro electione novi visitatoris generalis et quatuor definitorum generalium fieri solent, interesse et vota cum caeteris in eo habere debere. Cum autem dictus Ordo in varias provincias, benedicente Domino, diffusus et auctus ad praesens existat, valdeque molestum sit et dispendiosum tot fratres ad capitula generalia convocare, quinimmo confusio, ob ingentem numerum, multoties inde provenire soleat.

Ordo eligendi visitatorem generalem, et definitores generales in capitulis generalibus.

§ 2. Nos cupientes his et aliis incommodis opportuna ratione occurrere, dicti visitatoris generalis supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus et ordinamus quod ex nunc de caetero perpetuis futuris temporibus, in electione novi visitatoris generalis, ac etiam definitorum generalium, in ipsis capitulis generalibus facienda, visitator generalis praeteritus, necnon ex qualibet provincia unus provincialis ac

1 De his Fratribus attende constit. XLVII: *Inter caetera*, Leonis X, tom. V, pag. 764.

discretus et custos similiter provinciales et non alii, generalibus capitulis interesse ac votum habere possint.

Eligendique provinciales, custodes et definitores in capitulis provincialibus,

§ 3. In electione vero novorum provincialium, custodum et definitorum provincialium in capitulis provincialibus facienda, provinciales praeteriti, discreti provinciales, priores et discreti conventuum, necnon definitores generales actuales, ac demum procurator generalis tunc existentes vota habeant.

Prioresque et discretum provincialem.

§ 4. Ad priorum vero et discreti provincialis electionem, provinciales et quatuor definitores provinciales tantum procedant.

Forma dandi vota.

§ 5. Mandamusque ut electiones omnium ac quorumcumque supradictorum per vota secreta in schedulis conscripta fiant; et statim, facta electione, schedulae comburantur, itaut eligentium vota numquam publicari possint.

Provincialium et priorum electiones non fiant in capitulis generalibus.

§ 6. Ac prohibemus ut nullo pacto in capitulis generalibus electiones provincialium ac priorum fiant, sed tantum in qualibet provincia suus provincialis, discretus provincialis et priores creentur.

Irritatio electionum aliter factarum.

§ 7. Decernentes omnes et singulas visitatoris generalis, provincialium ac discretorum et custodum, etiam provincialium, necnon priorum et definitorum praedictorum, seu quorumvis eorum electiones, quas contra hic traditam formam fieri pro tempore contigerit, eo ipso nullas et nullius momenti esse ac fore, illisque non obstantibus, ad alias electiones, iuxta huiusmodi formam, procedi posse ac debere; necnon irritum et inane quicquid super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus, *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum . sub annulo Piscatoris, die vigesima nona iulii MDXCV, pontificatus nostri anno IV!

Dat. die 29 iulii 1595, pont. an. IV.

CX.

Confirmatio edicti vicelegati Bononiensis super qualitatibus notariorum eiusdem civitatis.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem iis, quae salubriter statuta sunt, ut firmiora subsistant, apostolici muniminis adiicere firmitatem, prout in Domino conspicit expedire.

Vicelegatus civitatis Bonon. inexpertos ad officium substituti notariorum admitti prohibet.

§ 1. Nuper siquidem expositum nobis fuit, quod alias dilectus filius magister Octavius Bandinus, protonotarius apostolicus, et in civitate Bononiensi vicedelegatus, provide animadvertens notarios actuarios fori eiusdem vicelegati retinere substitutos non notarios sumantes forenses, artis notariae et litterarum penitus ignaros inexpertosque, et prohibitos notariatus officium exercere ex forma statutorum civitatis Bononiae; et hos quidem substitutos in actis publicis et iudicialibus scribendis exercere officium huiusmodi, etiam absentibus notariis primariis et principalibus, idque valde perniciosum et periculosum fore, et non sine dedecore collegii notariorum, et contemptu constitutionum et privilegiorum fori, ac gravissimo publico et privato damno fieri; ideo praemissis salubri aliqua ratione providere volens, inhaerendo etiam dictis constitutionibus privilegiisque fori notariorum, et statutis et provisionibus dictae civitatis, edicto publico perpetuo valituro statuit et decrevit, quod notarii actuarii fori ipsiusmet vicelegati statim, absque aliqua monitione, a die publicationis praedicti edicti, removerent et removere deberent omnes substitutos non notarios, non habiles, non idoneos, nec a constitutionibus et statutis requisitas

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

qualitates habentes, praecipiendo ac mandando ipsis notariis, ne audeant retinere similes substitutos et personas ad exercendum huiusmodi officium notariatus ad acta civilia et iudicialia conscribenda, testesque examinandos in scriptis redigendos, et nec minus ad aliqua alia officia huiusmodi concernentia facienda, quae notariis civibus ac idoneis et habilibus, ex forma statutorum et constitutionum praedictarum, conveniunt, sub poena privationis ipsis notariis ab eorum officio, et notariatus exercitio ipso iure et facto incurrenda; prohibendo expresse ipsis notariis, ne sub iisdem poenis et aliis a constitutionibus fori et statutis collegii et civitatis huiusmodi impositis et inflictis, similes personas in concernentibus eorum officium et exercitium aliquo modo retinere praesumerent, ac huiusmodi edicto notarios actuarios fori praetoris, ac Rotae Bononiensis civitatis compraehendi et compraehensos esse decrevit, eosque notarios praedicto edicto, ac contentis in illo eisdem poenis subiecit, subiectosque esse voluit.

Qualitates in iis requirendas, qui ad notariorum officium admittendi sunt, designat.

§ 2. Et successive statutis huiusmodi inhaerendo decrevit, statuit et ordinavit, quod nullus notarius, qui non esset vere civis, origine propria paterna et avita, vel saltem duabus ex eis, et qui non esset ex vero et legitimo matrimonio natus eligi, nominari, deputari, recipi et admitti possit ad acta civilia scribenda in aliquo foro civitatis, vel comitatus, et districtus Bononiensis, etiam tamquam principalis notarius, vel quovis modo et nomine non possit imbussulari, vel extrahi ad aliqua officia utilia dignitatis vel honoris civitatis, vel comitatus et districtus Bononiensis, et omnis electio, imbursatio et extractio, quae fieret et facta esset ex praedictis notariis, vel aliquo eorum et non habentium qualitates a statutis requisitas, et patientium defectus natalium et illigimitatis esset ipso iure et facto nullo et invalida; et vigore talis electionis, imbursationis, extractionis vel admissionis, ipse notarius non posset, nec valeret admitti, et admissio facta vel facienda quovis titulo, etiam roborata quibuscumque clausulis, vel sub quacumque verborum generalitate aut specialitate a quocumque impetrata vel impetranda esset, ipso iure et facto, nulla et nullius roboris et momenti; et quilibet notarius inhabilis, non idoneus, et natalium defectus patiens, et non habens origines veras et requisitas, ex forma statutorum communis Bononiensis et collegii praedicti notariorum, non posset dispensari ad praemissa, et dispensatio quaecumque esset ipso iure nulla, nec eis prodesset privilegium aliquod impetratum vel impetrandum ad derogationem praemissorum, vel aliquam legitimationem seu dispensationem, tam circa defectus natalium, quam utriusque originis; et si praefati inhabiles et prohibiti, et patientes defectus praedictos, procurarent obtinere aliquam gratiam vel derogationem, seu privilegium aliquod super praemissis, contra formam praesentis nostrae constitutionis, ipso iure et facto incurrant poenam privationis perpetuae ab officio notariatus, et scutorum quingentorum auri de facto ab eis, et eorum quolibet exigendorum, pro medietate collegio notariorum Bononiae, et pro alia medietate locis piis, arbitrio ipsius vicelegati, vel successorum suorum applicandorum, et in defectu poenae pecuniariae, exilii perpetui a civitate vel a territorio Bononiensi.

Et privilegia consulum notariorum confirmat.

§ 3. Confirmans etiam et innovans statuta communis Bononiensis et collegii praedicti, ac iurisdictionem et auctoritatem correctoris et consulum eiusdem collegii ex dispositione statutorum, tam communis, quam collegii praedictorum

ex forma provisionis registri per praedecessores suos editae, et ipsis correctori et consulibus concessis, quam iurisdictionem quatenus in viridi observantia esset, et omnia in dicta constitutione contenta ampliavit, prout in edicto et constitutione huiusmodi ac scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Edictum vicelegati collegium notariorum petit confirmari.

§ 4. Cum autem edictum et constitutio praedicta pro salubriori dictae artis, atque adeo totius civitatis Bononiensis statu et regimine, ac ad plures abusus, qui in exercitium huiusmodi artis irrepserant, tollendos facta esse dignoscantur, cupiunt propterea dilecti filii collegium notariorum Bononiense illa aliaque praemissa pro firmiori eorum subsistentia et observatione inviolabili nostro et Sedis Apostolicae patrocinio communiri; et ideo nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Clemens.

§ 5. Nos igitur dictum collegium notariorum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, edictum et constitutionem huiusmodi, in eisque latas statutorum et decretorum prohibitiones, ac desuper confectas scripturas, citra tamen praeiudicium dispensationum super defectu natalium a nobis et Apostolica Sede concessarum et concedendarum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, nec non edicti et constitutionis, statutorum et decretorum prohibitiones, aliaque in eis contenta praedicta ad notarios quorumcumque aliorum tribunalium, etiam tribunalis fori mercatorum, ac Rotae Bononiensis sub quibus non comprae-hendantur notarii curiae archiepiscopalis, de quibus nullam prorsus mentionem fieri praesentium tenore intelligatur (cum eis fuerit provisum per constitutiones archiepiscopi nunc, et pro tempore existentis), etiam ad ipsorum notariorum substitutos perpetuo extendimus et ampliamus, illisque omnibus et singulis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, ac solemnitatum de iure, usu et consuetudine, aut alias quomodolibet necessariarum vel requisitarum, ac quosvis alios defectus, si qui in praemissis, aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus; necnon edictum et constitutiones ac statutum, decretum, prohibitiones aliaque in eis lata et contenta huiusmodi, ac ipsius collegii notariorum statuta, ordinationes et capitula praedicta perpetuo valida et efficacia, perpetuique et inconcussi roboris esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per quoscumque notarios dicti collegii sub quibuscumque tribunalibus Bononiensibus, etiam Rotae et fori mercatorum praedicti existentibus, et quosvis alios, ad quos quomodolibet spectat et spectare poterit in futurum, perpetuo, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri debere.

Translationes officiorum in forenses fieri vetat.

§ 6. Ulteriusque ad temeritatem quorumdam dicti collegii notariorum primariorum actuariorum de scabellis, ut vocant, qui officia, seu scabella sua in fumantes et forenses notarios transferunt, contra dispositionem eorumdem statutorum, et in praeiudicium notariorum civium, quibus officia seu scabella ipsa ex forma dictorum statutorum competunt, coercendam, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus officia seu scabella notariorum primariorum huiusmodi in fumantes et forenses, aut alias quascumque personas per edictum et statutum ab eis reiectas quoquo modo transferri, sive eis vendi aut resignari, seu de officiis, aut scabellis huiusmodi in favorem personarum praedictarum disponi,

aut personae ipsae ad ea admitti seu recipi nullatenus unquam possint neque debeant, perpetuo statuimus et ordinamus; nec non quascumque translationes, venditiones, resignationes, aut alias dispositiones de officiis seu scabellis eisdem in favorem fumantium seu forensium, aut personarum praedictarum, quomodolibet et quovis modo faciendis, nullas penitus et invalidas, nulliusque roboris et momenti existere et fore, ac eisdem personis nullatenus suffragari posse.

Clausulae.

§ 7. Sicque per quoscumque iudices ordinarios, etiam palatii nostri causarum auditores, ac S. R. E. cardinales et legatos etiam de latere, nec non vicelegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, ac alias in contrarium forsan quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica et de verbo ad verbum expressa mentio habenda esset, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XII augusti MDXCV, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 12 augusti 1595, pontif. an. IV.

CXI.

Indultum a Sixto Papa IV scholaribus monasterii El Real *concessum gradus laureamque consequendi in qualibet Hispaniarum universitate, restringitur ad octo scholares pro quolibet cursu scholastico* [1].

Clemens Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Sixtus Papa V scholaribus huius monasterii concessit, ut in qualibet Hispaniarum universitate lauream consequi possent.

§ 1. Dudum felicis recordationis Sixto Papae V, praedecessori nostro, pro parte charissimi in Christo filii nostri, tunc sui, Philippi Hispaniarum regis catholici, exposito, quod in collegio fratrum Ordinis S. Hieronymi, iuxta monasterium sancti Laurentii *El Real* nuncupati, eiusdem Ordinis, prope et extra muros oppidi *de Escurial*, nullius dioecesis, provinciae Toletanensis ab ipso rege fundato et dotato, ita vigerent et florerent bonarum artium et praesertim philosophiae et theologiae studia, ut multi, praeter fratres dicti Ordinis, non secus atque universitatum studiorum generalium, publici lectores, easdem facultate profiterentur. Quare idem praedecessor eiusdem regis, monasterii et collegii praedictorum fundatoris et patroni, supplicationibus inclinatus, omnibus et singulis, tam dicti Ordinis professoribus, quam etiam saecularibus clericis vel laicis, qui in praedicto collegio huiusmodi facultatibus operam dederint, earumque professores audierint, si et postquam, more solito, cursus studiorum perfecerint, et de hoc fidem obtinuerint, ut in quacumque universitate studiorum generalium in regnis Hispaniarum consistentium, gradibus baccalaureatus, licentiaturae, magisterii seu doctoratus, tam artium, quam theologiae, prout eorum quisque, perfecto cursu ac

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

praevio consueto examine, idoneus repertus fuerit; perinde ac si eosdem studiorum cursus, actu in ipsa universitate absolvissent, et in matricula scholasticorum eius universitatis descripti fuissent, insigniri, et ad huiusmodi gradus recipi et admitti, et postquam graduati fuerint, omnibus privilegiis, gratiis et indultis, quibus alii graduati, qui in ea universitate studuerint, uterentur, potirentur et gauderent, indulsit; mandans locorum Ordinariis et universitatum rectoribus et superioribus, ut dictas personas saeculares, vel regulares, quae sub disciplina professorum collegii praedicti, debito tempore et, ut moris est, in praedictis facultatibus respective operam dedissent; quique, ut praefertur, idonei reperti fussent, ad gradus praedictos, sine ulla controversia, reciperent et admitterent, et alias, prout in eiusdem Sixti praedecessoris in forma brevis, ultima octobris MDLXXXVII, expeditis litteris plenius continetur.

Philippus rex ad aliquos ex iis tale privilegium restringi petit

§ 2. Cum autem, sicut nobis nuper idem Philippus rex exponi fecit, rationabilibus de causis expediat, facultatem Sixti praedecessoris huiusmodi, quoad saeculares clericos vel laicos, qui in dicto collegio huiusmodi facultatibus operam dederint, ad numerum octo, pro quolibet cursu huiusmodi, dictam facultatem restringi; quare idem rex nobis humiliter supplicari fecit, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Clemens restringit ad octo pro quolibet cursu scholastico.

§ 3. Nos igitur supplicationibus huiusmodi inclinati, ac praedictarum litterarum Sixti praedecessoris tenores pro expressis habentes, facultatem et indultum eiusdem praedecessoris, ad numerum octo collegialium, iuxta constitutiones ab ipso Philippo rege et fundatore editas, inibi studentium, pro quolibet curso restringimus et limitamus; ita ut, ultra numerum praedictum, quoad saeculares clericos sive laicos, nullam penitus tribuant facultatem, ac si non emanassent, illis, quoad dictos octo collegiales tantum et dicti Ordinis professores, prout emanarunt, in suo robore permanentibus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus litteris praedictis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XIX augusti MDXCV, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 19 augusti 1595, pontif. an. IV.

CXII.

Instructio super ritibus Italo-Graecorum [1].

Sacramentum Baptismi.

Sanctissimus dominus noster Clemens Papa octavus, *etc.*, Presbyteri graeci, baptizatos chrismate in fronte non consignent, et ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum euchologium praetermittantur, quae sequuntur post illa verba: καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν, *etc.*, usque ibi, εἰ τὰ ποῖσι ὁ ἱερεὺς σχῆμα τοῦ κύκλον, hoc est; *Et post orationem, etc.*, ubi habetur forma huius consignationis, usque ad verba: *Postea facit sacerdos figuram circuli, etc.*

Sacramentum Confirmationis.

§ 1. Episcopi latini infantes seu alios baptizatos a presbyteris graecis de facto chrismate in fronte consignatos confirment; et tutius videtur ut ad cautelam et sub conditione id faciant, videlicet: *Nisi es confirmatus, ego te non confirmo; sed si non es confirmatus, ego consigno te signo Cru†cis, et confirmo te chrismate salutis: † in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.* Praesertim vero cum verisimiliter dubitari potest, quod ad episcopis graecis fuerint baptizati.

1 Ad haec et totam materiam Graecorum attende constit. XXXV Innocentii IV: *Sub catholicae*, tom. III, pag. 580.

§ 2. Sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim, renovetur.

Sacramentum Eucharistiae.

Non asservetur idem sacramentum toto anno, si tamen asservatum fuerit, saltem in fine anni sumatur.

Tollatur abusus tundendi, vel etiam miscendi sacro oleo, ac iterum coquendi, vel alias exsiccandi species sacramenti Sacrae Eucharistiae feria v, *Coenae Domini*, ut deinde illud asservent.

Si Graeci velint accipere altaria portatilia ab episcopis latinis consecrata, bene erit; sin minus, tolerentur eorum throni, sive throni super altaria lapidea ponendi cum celebrant.

Corporalia uti Latini habeant, nisi thronis etiam pro corporalibus utantur.

§ 3. In casu necessitatis, presbyteri graeci catholici possint Latinos absolvere.

Sacramentum Poenitentiae.

Utantur forma absolutionis in generali Concilio Florentino praescripta; et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma huiusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.

Tollendus abusus, ubi est, ut vir atque uxor, simul et eodem tempore, eidem presbytero confiteantur.

Aqua, ex ritu graeco, in die Epiphaniae, vel primo die mensis benedicta, conservetur in ecclesia, ut illa fideles aspergantur.

Non sunt cogendi presbyteri graeci, olea sancta praeter chrisma ab episcopis latinis dioecesanis accipere, cum huiusmodi olea ab eis, in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur. Chrisma autem, quod non nisi ab episcopo, etiam iuxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere. Prohibeantur vero ab episcopis graecis externis schismaticis, seu S. Rom. Ecclesiae communionem non habentibus, illud accipere vel eo uti.

Circa oleum sanctum catechumenorum et infirmorum.

§ 4. Ordinati ab episcopis schismaticis, alias rite ordinatis, servata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non exequutionem.

Sacramentum Ordinis.

Proinde ipsi ordinati ab episcopis schismaticis, correcti vel emendati reconciliandi sunt, et absolvendi cum poenitentiis salutaribus, dummodo errores, vel saltem schisma ordinatoris abiurent in iudicio, vel publice vel secreto, pro qualitate facti. In ordinibus autem per eos alias rite susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate huiusmodi occasione contracta, auctoritate Sanctae Sedis Apostolicae, fuerit dispensatum.

Non sunt admittendi episcopi schismatici, sive pro ordinibus, sive pro aliis sacramentis conferendis, sed detinendi, quoad Sancta Sedes Apostolica desuper consulatur, et responsum habeatur.

Graeci sine litteris dimissoriis episcopi latini dicecesani ad sacros ordines promoti, suspensi sunt; et si suspensi in suis ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares sicut et Latini.

Super huiusmodi autem et similibus irregularitatibus dispensandi facultatem a Sancta Sede Apostolica obtineri oportet.

Si episcopus latinus Graecum aliquem ordinare voluerit, qui a presbytero graeco in baptismo chrismate in fronte de facto fuerit consignatus, debet illum antea confirmare, saltem sub conditione, videlicet: *N. si es confirmatus, etc.*, ut supra. Presbyteri vidui, seu uxoribus orbati, habitum deferant diversum ab aliis.

§ 5. Curent Ordinarii locorum, ut decretum sacri generalis Concilii Tridentini de reformatione matrimonii vertatur in linguam graecam vulgarem, et in locis et parochiis Graecorum et Albanensium evulgetur et publicetur.

Sacramentum matrimonii.

Matrimonia inter coniuges graecos dirimi, seu divortia quoad vinculum fieri

nullo modo permittant aut patiantur, et si qua de facto processerunt, nulla et irrita declarent.

Maritus latinus uxoris graecae ritum non sequatur.

Latina uxor non sequatur ritum mariti graeci.

Graeca vero uxor sequatur ritum mariti latini.

Quod si id fieri non possit, quisque coniugum in suo ritu, catholico tamen, manere permittatur.

Proles sequatur patris ritum, nisi praevaluerit mater latina.

Presbyter graecus coniugatus, ante sacrum sacrificium, seu sanctam missam celebrandam, vel per hebdomadam, vel per triduum abstineat ab uxore.

Aliaque dogmata.

§ 6. Graeci credere tenentur, etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere, sed non tenentur pronunciare, nisi subesset scandalum, praesertim si degant inter Latinos, aut necessitas postularet confitendi fidem catholicam, quia tunc oporteret etiam pronunciare.

Nunquam monachis graecis seu Calogeris animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel alia iusta causa.

Presbyteri saeculares graeci, abiuratis schismate et erroribus, atque in fide catholica bene instructi, in parochialibus seu curatis ecclesiis Graecorum institui possunt.

De ieiuniis.

Tolerandus est apud Graecos usus carnium die sabbati, ubi sine scandalo fieri potest, in locis tamen ipsorum et inter eos tantum.

Item tolerandum est, ut ad ieiunium eodem die sabbati in qudragesima, excepto uno sabbato sancto, ex antiqua traditione non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

In ieiuniis biduanis, vel triduanis, vel alias a dioecesanis, vel in iubilaeis a Summo Romano Pontifice indictis, dies sabbati in eis compraehensus, vel praescriptus, in alium diem pro plebibus graecis ab ipsis dioecesanis, apostolica auctoritate sanctissimi Domini nostri Domini Clementis divina providentia Papae octavi, permittitur commutari.

Si ipsi Graeci ad observationem ieiuniorum et vigiliarum Latinae Ecclesiae induci possent optimum esset; sed non cogantur, cum ipsi qualibet hebdomada, et feria quarta et feria sexta ieiunent.

Graeci existentes inter Latinos, dies festos de praecepto eiusdem Latinae Ecclesiae servare teneantur.

Episcopus graecus Romae sit, *etc.*

§ 7. Insuper idem Sanctissimus Dominus noster constituit Romae habendum esse episcopum graecum catholicum, qui Graecos episcopis latinis Italiae et insularum adiacentium subiectos, ab episcopo graeco ordinari volentes, cum illorum dimissoriis ad id tantum concedendis, ritu graeco ordinet.

Decreta pontificia.

§ 8. Ita Sanctitas Sua ex sententia congregationis super reformatione Graecorum decrevit et declaravit ac fieri mandavit.

Datum Romae in palatio Montis Quirinalis apud S. Marcum, die XXXI mensis augusti, anno Domini MDXCV, pontificatus sui anno quarto.

Dat. die 30 augusti 1595, pont. an. IV.

CXIII.

Facultas reformatoribus civitatis Bononiensis vectigalia nonnulla augendi, et nova aliqua imponendi [1].

Dilectis filiis vexillifero et regimini virorum reformatorum Status Libertatis civitatis nostrae Bononiensis

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Graves, quibus in tantis totius chistianae reipublicae calamitatibus angimur,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Bononia, propter causas hic allatas, multo alieno aere gravata.

sollicitudines, subditorum nostrorum, praecipue vero istius nobilissimae civitatis angustiis, eo magis augentur, quo minus promptas, citra novorum onerum impositiones, earum solvendarum rationes habemus. Accepimus siquidem civitatem istam, seu vestrae communitatis cameram, licet multa a nobis adhibita sint ad eius necessitates sublevandas, per nonnullorum Montium erectiones et aumenta, huc usque remedia; gravi nihilominus adhuc aere alieno (ea potissimum de causa contracto, quod durante superiorum annorum penuria, frumenta communitatis, aere carius empta, in populi beneficium viliori pretio sunt vendita, quodque in transitu exercitus nostri ecclesiastici, in Hungariam proficiscentis, graves sumptus ab ipsa communitate necessario facti fuerunt) gravatam reperiri; et nunc ad huiusmodi aes alienum dissolvendum subventioni triremium, quae gabella grossa nuncupatur, super qua subventioni praedictae constitutio ad ipsam communitatem spectans assignata erat, supplere non potest, vobis de alicuius novae subventionis auxilio providendum esse.

Pontifex facultatem reformatoribus dat vetera augendi et nova imponendi vectigalia.

§ 2. Nos, qui istius civitatis conservationi, et necessitatum sublevationi, quantum cum Domino possumus, providere cupimus, cum alia ratione id modo praestari nequeat, ad ea, quae alioquin ab instituto nostro prorsus aliena existunt, onera nimirum subditis nostris augendi, remedia recurrere cogimur. Supplicationibus igitur, vestro nomine, nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, vobis ut, cum interventu venerabilis fratris Annibalis episcopi Carcassonensis, in ista civitate vicelegati, infrascriptas gabellas augere, et de novo respective imponere, easque auctas et impositas, ad decennium proximum, a data praesentium computandum, exigendas, ac in aeris alieni extinctionem et alios vestrae communitatis usus et utilitatem convertere, libere et licite valeatis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impartimur.

Omnesque ad ea solvenda teneri declarat.

§ 3. Decernentes omnia et singula augmenta et impositiones per vos, praesentium vigore, facienda, per quascumque personas, quantumvis immunes, exemptas et privilegiatas, etiam ecclesiasticas tam saeculares quam quorumvis Ordinum et militiarum, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, utriusque sexus, etiam collegiorum Hispanici, Ancarani, Flisci, Montis Alti et aliorum in dicta civitate Bononiae existentium, atque eiusdem civitatis archiepiscopi, seu eius coadiutoris, etiam ratione clericatus, seu alias ex dispositione iuris communis, aut municipalis, vel ex speciali privilegio, etiam per nos, aut praedecessores nostros Romanos Pontifices et Sedem Apolicam, aut modernum, vel pro tempore existentem dictae civitatis legatum, vel eius vicelegatum, aut vos viros reformatores, ex quavis causa, etiam onerosa, ac sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus et aliis decretis, concesso, et saepius confirmato et innovato (exceptis tamen mendicantibus, ac illis qui per veram et actualem exbursationem pecuniarum, in Camerae et Sedis Apostolicae subventionem factam, aut ratione numeri duodecim filiorum exempti sunt dumtaxat), etiamsi eaedem personae episcopali, vel archiepiscopali, vel maiori dignitate praefulgeant, aut reformatoris status libertatis ipsius civitatis, vel alia quacumque mundana vel saeculari potestate et auctoritate sint suffultae, nec non pro eis agentes, ac eorum conductores et cessionarios, tam in emendo quam in vendendo quaecumque bona dictis augmentis supposita et obnoxia, persolvi debere

absque ulla personarum earumdem exceptione, vel differentia; perinde ac si minime exemptae, vel privilegiatae existerent, nec de aliqua earum exemptione, immunitate, vel privilegio constaret; quinimmo quascumque similes exemptiones, libertates et immunitates eis aut cuicumque earum, quavis ratione, causa, vel occasione competentes, ut praefertur, quoad huiusmodi augmentum et impositionem, illis nullatenus suffragari debere.

Clausulae.

§ 4. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus et declaramus.

Vectigalia augenda recenset.

§ 5. Augmenta vero gabellarum, quae a vobis fieri permisimus, haec sunt; nimirum ut exempti omnes, praeter datium ordinarium, quadrantes duodecim pro singulo vehiculo rerum eorum in civitatem comportandarum, ad portas civitatis, per quas introducuntur, solvant; utque quadrantes tres pro singula corba, ut vocant, frumenti, ad molendinum pariter solvant, quae duo augmenta, seu impositiones ad libras sex mille circiter quotannis ascendent: ut non exempti quadrantes sex pro singulo vehiculo, et sex pro singula corba, ut supra, ultra solitum solvant, quae augmenta ad libras quindecim mille circiter annuatim ascendent: ut pro singulo quartirolo, ut vocant, salis, ultra solitum pretium et vecturae, alteriusque hucusque solvi solitae impositionis solutionem, quadrantes sex ab omnibus, tam exemptis quam non exemptis, indifferenter persolvendi augeantur, quod augmentum ad summam annuam ter millium librarum circiter ascendet: ut pro singulo vehiculo rerum cuiusvis generis, ex comitatu Bononiae, cum solita licentia, et prout consuetum hactenus existit, extrahendarum, bononeni decem persolvantur; ex quibus summa duarum millium circiter librarum, singulis annis percipi poterit: ut solutiones omnes quorumcumque datiorum, tam novorum quam antiquorum, ex moneta nova ad monetam antiquam reducantur, ex qua reductione librae circiter triginta mille annuatim percipi poterunt; sicque augmenta et reductio supradictae summam annuam sexaginta unius millium librarum, vel circa, constituent. Volumus autem, ut si quid, ultra dictam summam exinde percipietur, id totum, quod summam praedictam excedet, in extinctionem Montium Annonae Bononiensis convertatur; utque vos eamdem summam in alios, quam supradictos usus, nullatenus convertere possitis; ipso vero decennio elapso, augmenta et impositiones omnes supradictae, eo ipso extincta, omniaque in pristinum redacta sint, et esse censeantur, ac supradictae contributionis triremium onus ad praedictam gabellam grossam pertineat, vosque illa ulterius exigere nullo modo possitis.

Exequutores designati.

§ 6. Quocirca nostro et Apostolicae Sedis in ipsa civitate de latere nunc et pro tempore existenti legato, seu eidem Annibali episcopo moderno, et pro tempore existenti ipsius civitatis vicelegato, seu gubernatori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi, et quando opus fuerit, per se vel alium solemniter publicando, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat, auctoritate nostra, dicto decennio durante, vos seu a vobis deputatos, libera exactione et perceptio-

ne augmentorum et impositionum huiusmodi frui et gaudere; non permittens vos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet per censuras et poenas ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris et facti remedia compescendo; vos vero, seu deputatos quotannis, coram eo rationem exactionis et expositionis augmentorum eorumdem reddere faciat, prout vos et deputatos praedictos ad huiusmodi rationem reddendam teneri, ac cogi et compelli posse statuimus et ordinamus.

Contraria tollit.

§ 7. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, praesertim felicis recordationis Symmachi Papae praedecessoris nostri, quae incipit: *Non liceat*, ac regula nostra de non tollendo iure quaesito, necnon quibusvis legibus, etiam imperialibus et municipalibus, statutis quoque et consuetudinibus civitatis et districtus Bononiae, ac quorumvis Ordinum et militiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus et litteris apostolicis, etiam *Mare magnum* et *Bulla aurea* nuncupatis, quibusvis Ordinibus, etiam Mendicantium, aut duodecim Congregationum, aut militiarum et hospitalium, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, ac S. Stephani et S. Bartholomaei de Musiano, Bononiensis civitatis et dioecesis, S. Benedicti, seu alterius ex praedictis invicem unitis monasteriis illorumque abbatibus, superioribus et personis, ac supradictis collegiis et cuilibet ipsorum, ac etiam seaecularibus, necnon quorumcumque castrorum, terrarum et locorum, etiam civitatis, comitatus et districtus predictorum, iurisdictione, ex quavis causa quomodolibet dismembratorum et sequestratorum, dominis, seu comitibus, aut feudatariis, livellariis, vassallis et universitatibus per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem Apostolicam, etiam per viam legis et statuti perpetui, et ex quavis etiam onerosa causa, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut consistorialiter, seu alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda sit, et in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, tenores huiusmodi, eorumque causam et effectum, praesentibus pro sufficienter expressis, et ad verbum insertis, necnon modos et formas ad id servandos, pro individuo servatis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die VI septembris MDXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 6 septembr. 1595, pontif. an. IV.

CXIV.

Subsidiis quinquennalibus scutorum decem millium Carolo Emmanueli a Sixto PP. V concessis super fructibus

ecclesiarum et beneficiorum ducatus Sabaudiae et Pedemontis pro defensione earumdem ecclesiarum contra vicinos haereticos, additur aliud subsidium quinque millium scutorum intra triennium exigendum [1].

Dilecto filio nobili viro Carolo Emanueli Sabaudiae duci et Pedemontium Principi

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Sixtus V Caroli duci subsidium quinquennale super fructibus ecclesiarum Sabaudiae, *etc.* decem millium scutorum bis concessit.

§ 1. Cum alias, sicut exponi nobis nuper fecisti, felicis recordationis Sixtus Papa V, praedecessor noster, tuis supplicationibus inclinatus, ut pleraque ditionis tuae oppida et loca, quae finitimorum populorum haeretica pravitate pollutorum periculis et insidiis subiacebant, ex peculio ecclesiarum, quarum praecipue causa agebatur, aliqua ex parte per te defenderentur, unum decem millium scutorum auri in auro pro uno quinquennio, a kalendis maii tunc proxime futuri incipiendo, per suas litteras datas xx iunii MDLXXXVII, in universo ducatu Sabaudiae, et deinde aliud aliorum decem millium similium scutorum subsidia annua pro alio quinquennio, a kalendis ianuarii tunc pariter proxime futuri incipiendo, in universo principatu Pedemontium, necnon Niceae provinciae et toto eius districtu ac territorio, et statu Oneliae, omnibusque aliis civitatibus, oppidis, terris, castris, villis et locis ditioni tuae citra montes subiectis consistentibus super quarumcumque metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum, parochialium et aliarum ecclesiarum, nec non monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praeposituarum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum, caeterorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura, saecularium, ac S. Benedicti, S. Augustini, Cluniacensium, Cisterciensium, Praemonstatensium, Silvestrinorum et quorumvis aliorum Ordinum, non tamen Mendicantium, utriusque sexus, necnon congregationum regularium, ac hospitalium etiam pauperum hospitalitatem non exercentium, necnon Beatae Mariae Theutonicorum, aliarumque militiarum, non tamen sanctorum Mauritii et Lazari, ac hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani fructibus, redditibus et proventibus, iuribus et emolumentis, ac etiam distributionibus quotidianis sub certis modis et formis tunc expressis exigenda, per alias suas in forma brevis litteras sub datum XXIII decembris eiusdem anni MDLXXXVII expeditas, concessit et assignavit, prout in ipsis litteris plenius continetur.

Gregorius XIV huiusmodi subsidium prorogavit ad aliud quinquennium.

§ 2. Cumque piae memoriae Gregorius Papa XIV, etiam praedecessor noster, iisdem tunc urgentibus causis adductus, utrumque quinquennium, ad aliud quinquennium a fine cuiusque ex huiusmodi quinquennii respective numerandum extenderit, seu subsidia praedicta ad aliud simile quinquennium, ut praefertur computandum, prorogaverit et de novo concesserit, prout in aliis item in simili forma brevis litteris eiusdem Gregorii praedecessoris expeditis plenius pariter continetur.

Tale subsidium auget Clemens in aliis scutis quinque millibus intra triennium exigendis,

§ 3. Nunc autem, sicut tua expositio subiungebat, cum eaedem causae, defensionis nimirum eorumdem oppidorum et locorum tuae ditionis, quae plurimorum finitimorum populorum haeretica pravitate infectorum periculis et insidiis assidue subiacent, adhuc vigeant, et pro eorumdem locorum custodia, et catholicae religionis in eisdem conservatione,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tu maiores et graviores sumptus hoc tempore facere cogaris, quam hactenus feceris, nobisque propterea supplicaveris ut ex earumdem ecclesiarum peculio, cum de illarum praecipue incolumitate et salute nunc magis tractetur, tibi aliquod maioris subventionis auxilium concedere dignaremur; ac praeterea cum quinquennium per felicis recordationis Gregorium Papam XIV, ultimo prorogatum seu concessum adhuc duret; nos volentes tuis necessitatibus aliqua ex parte succurrere, teque specialibus favoribus et gratiis prosequi, singularum litterarum praedictarum tenores, praesentibus pro expressis habentes, utrumque annuum subsidium decem millium scutorum super ducatus Sabaudiae, ac principatus Pedemontium, ac provinciae Niceae statusque Oneliae, aliarum civitatum, terrarum et oppidorum, ac locorum ditioni tuae subiectorum ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, prioratuum, praeposiurarum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum, caeterorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura, saecularium ac regularium supra expressorum, et in dicti Sixti V litteris compraehensorum, iis dumtaxat exceptis, quae ipse Sixtus excepta esse voluit, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et emolumentis, ac distributionibus, ut praefertur, concessa et prorogata ad triennium tamen proximum, a kalendis praeteritorum mensium ianuarii et maii anni praesentis MDXCV, inchoatum, et ut sequitur kalendis mensium ianuarii et maii futurorum anni MDXCVIII finiendum, ad alia scuta quinque millia annua similia et non ultra, itaut utrumque subsidium huiusmodi praedictum, dicto tamen triennio durante, sit et esse debeat in totum scutorum quindecim millium similium pro quolibet subsidio, et usque ad eam summam per dictos deputatos et deputandos ab omnibus et singulis in eisdem Sixti litteris expressis et compraehensis, durante eodem triennio colligi et percipi debeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, extendimus et ampliamus, ac in utroque subsidio praedicto augmentum huiusmodi scutorum quinque millium similium tibi cum eisdem extensionibus, declarationibus, exceptionibus, exemptionibus et facultatibus sub eiisdem sententiis, censuris et poenis, necnon sub eisdem clausulis, ac etiam irritantibus decretis et aliis in dictis litteris contentis, perinde ac si ea omnia et singula in specie praesentibus expressissemus, concedimus et assignamus.

Causis hic expositis, quae illud exigunt.

§ 4. In huius autem augmenti exactione, modum et formam in praedictis eiusdem Sixti V litteris expressam, in omnibus et per omnia, servari volumus et decernimus.

In exactione vero formam a Sixto PP. V traditam iubet servari.

§ 5. Quocirca venerabili fratri Iulio Caesari archiepiscopo Barensi, nostro et Apostolicae Sedis apud nobilitatem tuam nuntio per praesentes committimus et mandamus, quatenus praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, iuxta facultates a Sixto V super exequutione dictorum subsidiorum concessas, publicet et exequatur, ac subsidiorum huiusmodi augmentum, per nos, durante dicto triennio tantum factum, etiam sub censuris et poenis in dictis litteris expressis exigi, eidemque Carolo Emmanueli duci consignari curet et faciat; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, iuxta earumdem litterarum continentiam et tenorem, ac earum forma servata, auctoritate nostra compescendo.

Nuncio apostolico exequutionem huiusmodi concessionis committit.

§ 6. Non obstantibus omnibus, quae iidem praedecessores in singulis eorum litteris praedictis voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

§ 7. Caeterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, in quibus expediens esset, deferri, volumus, et dicta auctoritate decernimus, quod earumdem praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, et super collectione subsidii huiusmodi deputatae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur.

Transumptis fidem addit.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XIV septembris MDXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 14 septembris 1595, pont. an. IV.

CXV.

Institutio monasterii, seu domus refugii nuncupatae in alma Urbe, pro virginum honestarumque viduarum educatione, et aliarum mulierum ad honestam vitam se convertentium probatione; cum subsidii assignatione, iudicisque specialis deputatione, ad eiusdem monasterii eiusque personarum et officialium lites diiudicandas.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

In supremo curae pastoralis munere, quod nullis nostris meritis, sed divina ope freti substinemus, nihil magis curandum esse censemus, quam ut periclitantium animarum saluti, et personarum, quae necessario auxilio destitutae sunt, commoditati, quantum cum Domino possumus, consulamus. Quae quidem paternae charitatis officia ita cum suscepta administratione sunt coniuncta, ut ea functionis nostrae propria esse sentiamus.

Exordium.

§ 1. Nos itaque animadvertentes in alma Urbe nostra, varia alioquin piorum locorum celebritate referta, certam aliquam domum ad tria personarum genera recipienda hoc tempore desiderari, puellarum nimirum ac virginum, quae variis causis antequam nubant, aut vitam religiose instituant, in discrimine honestatis constitutae sunt; viduarum deinde, quae nullum commune domicilium habent, in quo degant; ac demum earum mulierum, quae a turpi corporis sui quaestu ad meliorem frugem se recipere volentes, mutandae quidem vitae, ac poenitentiae agendae desiderio quandoque inflammantur, sed cum loco indigeant, ubi ab impudica hominum consuetudine prius disiunctae, tantisper commorentur, quamdiu in monasterium ad illas recipiendas in Urbe destinatum admittantur, aut aliud honestum vitae genus ineant, ne concepto illo ardore sensim refrigescente, in eadem pestifera peccandi libidine perseverent. Considerantesque ulterius, si haec domus in Urbe erigeretur, procul dubio animarum Christi immaculati Agni sanguine redemptarum saluti opportuno admodum remedio consultum iri, idcirco caeteris locis piis in Urbe a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris opportune, pro rerum ac temporum ratione institutis, eiusmodi domum hoc tempore addendam duximus.

Causae huius institutionis seu erectionis.

§ 2. Ad laudem igitur omnipotentis Dei, ad virginum et viduarum aliarumque mulierum supradictarum commoditatem, communem domum, quae in tres diversas partes distribuantur, in quarum aliam virgines, quae vel parentibus orbatae, vel eorum cura atque omni alia ope destitutae, in periculo pudicitiae versantur, donec nimirum vel de matrimonio contrahendo, vel de vita religiose instituenda deliberaverint, illisque de convenienti dote, aut eleemosyna, sive a

Institutio domus pro pauperibus virginibus recipiendis in una eius parte; pro viduis in alia, ac pro impudicis mulieribus poenitentibus in altera.

suis, sive ab aliis provisum sit, aut quousque de viro, cum quo matrimonium contrahant, aut de monasterio, in quod admittantur, certo constitutum fuerit; in aliam vero viduae honestae conditionis et famae, quae in eadem domo simul degere voluerint; in aliam denique mulieres impudicae poenitentiam agere cupientes, quousque cum caeteris in monasterium pro eisdem in Urbe designatum recipiantur, aut donec honestum vivendi genus compleant, admitti, et ibidem commorari atque educari; ac singulae sub proprio vitae instituto, seorsum virgines a viduis atque a mulieribus praedictis, exercendae instrui et probari, ac alias regi et gubernari debeant, in aedibus et viridariis quondam Bernardi Acciaioli in eadem alma Urbe nostra, in Monte Quirinali sitis, per nos nuper a dilecto filio Ioanne Baptista Acciaiolo, eiusdem Bernardi filio et haerede, in usum praedictae domus emptis atque instauratis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, erigimus et instituimus.

Imponitur denominatio monasterii Refugii B. Virginis in Urbe.

§ 3. Quoniam vero erectionis huius, atque instituti fundamenta, ita demum firma et salutaria fore confidimus, si sanctissimae Dei Genitricis ac Virginis Mariae humani generis advocatae praesidio ac patrocinio innitantur, in primis nos eiusdem Beatissimae Virginis, quam singulari semper pietatis cultu prosequuti sumus, intercessione ac meritis freti, eamdem domum *Beatae Mariae Refugii Urbis* appellari debere statuimus.

Assumptionis eius festum ibidem solemniter celebrandum.

§ 4. Ex omnibus vero illius festivitatibus, assumptonis Eiusdem in coelum diem, anniversaria solemnitate ibi celebrandam esse decernimus.

Officiales pro eiusdem regimine monasterii ad annum eligendi,

§ 5. Pro eiusdem autem domus regimine et gubernio, administratores et officiales necessarios ad annum proximum, et deinde ad nostrum beneplacitum duraturos, qui regimini et gubernio dictae domus praesint, et alia infrascripta exequi curent eligemus.

Qui opportuna edant statuta et ordinationes,

§ 6. Quibus administratoribus et officialibus, postquam ut praefertur, electi fuerint, quaecumque statuta et regulas, ac normam ad huiusmodi regimen et gubernium prospere dirigendum, necessaria et opportuna, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis conformia, et a nobis et a Sede apostolica approbanda et affirmanda tam a virginibus, viduis et mulieribus in dictam domum recipiendis, quam ab ipsis et aliis futuris administratoribus et officialibus observanda, condendi et faciendi interimque domum praedictam regendi et gubernandi, illiusque regimini et gubernio praesidendi, inferiores ministros eorum arbitrio constituendi et deputandi, et quando eis expedire visum fuerit, mutandi et revocandi.

Qualitatesque virginum, viduarum et aliarum mulierum recipiendarum praescribant.

§ 7. In primis vero virginum, viduarum et mulierum in dicta domo recipiendarum qualitates designandi et praescribendi, easdemque virgines, viduas et mulieres in domum praedictam, donec statuta per eos condita, a nobisque approbata et confirmata fuerint, similiter ipsorum arbitrio recipiendi et admittendi, easque dimittendi.

Easdem visitent, corrigant *etc.*,

§ 8. Necnon etiam easdem, cum opus fuerit, visitandi, corrigendi et reformandi, ipsius domus bona et redditus administrandi, ac omnia et singula alia ad regimen et gubernium eiusdem domus, ipsarumque virginum, viduarum et mulierum commoditatem necessaria et opportuna faciendi, ordinandi, mandandi, gerendi et exequendi.

Congregationes duas pro dictae domus regimine, ibidem instituant.

§ 9. Praeterea duas in eadem domo congregationes, alteram virorum, alteram mulierum, ad infrascripta peragenda, auctoritate nostra, instituendi et erigendi facultatem et auctoritatem, tenore presentium, concedimus et impartimur.

§ 10. Ex virorum vero congregatione unum praefectum, et aliquos assistentes et deputatos, necnon caeteros administratores et officiales, pro regimine et administratione dictae domus eiusque bonorum et reddituum necessaria, iuxta statuta, ut praefertur, condenda et a nobis approbanda, singulis annis eligendi et deputandi.

Unam virorum, videlicet unius praefecti, et aliorum deputatorum et ministrorum.

§ 11. Ex mulierum etiam congregatione, similiter unam praefectam, et aliquas matronas assistentes, necnon caeteras ministras et officiales, ut praefertur, necessarias, quae munera pro huiusmodi operis exequutione, et ipsarum virginum, viduarum et mulierum receptione, regimine et gubernio, eis in eisdem condendis et approbandis statutis iniungenda, adimplere curent, pariter erigi et deputari volumus et ordinamus.

Alteram mulierum, videlicet unius praefectae, aliarumque matronarum, ministrarum, *etc.*

§ 12. Insuper domum et congregationes praedictas sub immediata beatorum Petri et Pauli, ac nostra, et successorum nostrorum Romanorum Pontificum Sedisque Apostolicae protectione, tutela et patrocinio recipimus et perpetuo permanere volumus, itaut nullis aliis personis, quacumque auctoritate, potestate et dignitate fungentibus et functuris, quantumvis speciali nota dignis, in illarum protectione, regimine, administratione vel gubernio, ullo unquam tempore, quavis occasione, praetextu, causa, vel quaesito colore, sese ingerere vel immescere liceat.

Nemo alius in dicto gubernio se intromittat.

§ 13. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ipsosque Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausula sublata.

§ 14. Decernimus autem, ut pii utriusque sexus christifideles in praedictas congregationes eo libentius admitti et recepi curent, ac piis domus praedictae obsequiis, ea, qua decet, charitate vacare studeant, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui in eisdem congregationibus pro tempore describendi die, quo se describi fecerint, si vere poenitentes et confessi, sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; necnon in cuiusque eorum, qui pro tempore in ipsis congregationibus descripti fuerint, mortis articulo, si vere poenitentes confessi, sacraque communione refecti fuerint, vel si hoc facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu, ore vel corde, pie invocaverint, etiam plenariam. Nec non tam ipsis, qui in dictis congregationibus descripti fuerint, quam caeteris christifidelibus, qui in praedicto Assumptionis, et etiam in Nativitatis, Conceptionis, Purificationis, Annunciationis, Praesentationis et Visitationis Beatae Mariae festivitatibus, a primis vesperis usque ad occasum solis earum, ecclesiam dictae domus devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, sanctaeque matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, similiter plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper personis dictarum congregationum, quoties divinis officiis seu congregationibus in dicta domo habendis vel celebrandis interfuerint, vel aliquod pium opus pro dicta domo praestiterint, sexaginta dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta, relaxamus. Praesentibus quoad ipsos, qui in

Indulgentia pro personis dictarum congregationum atque aliis.

dictas congregationes recepti fuerint, perpetuis futuris temporibus, quo vero ad caeteros christifideles, ad decennium proximum valituris. Volumus autem ut virgines, viduae et aliae mulieres praedictae in dictam domum receptae, si praemissa omnia et singula adimpleverint, easdem peccatorum suorum indulgentias et remissiones, sicut caeteri praedicti, in omnibus consequantur.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XX septembris MDXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 20 septembris 1595, pont. an. IV.

Sequitur iurisdictio iudicis dicti monasterii.

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Relatio praedictae institutionis.

Cum nos nuper, ut diversarum pauperum puellarum ac virginum in Urbe inopia laborantium, et diversis periculis expositarum, necnon honestarum viduarum, etiam in caelibatu vivere statuentium, honoris et pudicitiae securitati, necnon mulierum, quae vitam minus honestam antea duxerant, quaeque postea ad cor reversae coenum carnalium voluptatum relinquere et poenitentiam agere decreverint, commoditati et probationi, donec vel in aliquod Urbis monasterium admissae fuerint, vel illis alias provisum fuerit, paterna charitate consuleremus, unam domum Refugii nuncupatam in Monte Quirinali, in aedibus et viridariis quondam Bernardi Acciaioli per nos ab ipsius Bernardi haeredibus magno sumptu comparatis, erigendam, ibique unum collegium pauperum virginum et honestarum viduarum, ac pro illis, nec non mulieribus praedictis poenitentibus quousque similiter in aliquod monasterium, ut supra, receptae fuerint, seu alias illis pariter fuerit provisum, recipiendis, mansiones separatas instituendas et instaurandas decreverimus, iamque magna ex parte aedificia dictae domus instaurata fuerint.

Relatio subventionis dicto monasterio per hunc Pontificem subministratae.

§ 1. Verum cum ad earum perfectionem, et suppellectilis ac rerum necessariarum comparationem, non mediocris impensa facienda sit, nos ut pretium aedium et viridarii praedictorum, quanto citius integre persolvi possit, tria millia per Ioffredum Lomellinum Cam. Apost. clericum pro residuo pretii officii clericatus dictae Camerae Apostolicae, quod obtinet, et mille et trecenta per Iulium et eius filium de Philippis Veliternenses, pro compositione cum Camera Apostolica, ac alia scuta mille monetae per equites Angelum et Alexandrum de Cananis, pro compositione spolii et bonorum quondam bonae memoriae cardinalis Canani solvere promissa et conventa; necnon alia mille quingenta per universitatem macellariorum, seu diversos eorum particulares dilectos filios, pro residuo decem millium occasione mutui per Cameram Apostolicam facti debita, et quascumque alias pecuniarum summas nuper per Cameram Apostolicam, seu eius ministros diversis particularibus macellariis in eorum subventione mutuatas, irrevocabiliter inter vivos donavimus et concessimus. Et administratores dicti collegii, seu domus, dilectos etiam filios confraternitatem virorum ibidem erectam seu erigendam deputavimus, eosque procuratores irrevocabiles, ut in rem propriam ad dictas summas, ut praefertur, donatas, et earum singulas exigendas, et de eis quietantiam fecimus et constituimus, prout in aliis nostris litteris plenius continetur.

Causae concessionis huius iurisdictionis.

§ 2. Considerantes quod eis valde difficile redderetur, si pro consequutione supradictorum creditorum, eis ut praefertur, donatorum et concessorum, et quorumvis aliorum bonorum et pecunia-

rum, domui, seu collegio huiusmodi, ac personis pro tempore in eo degentibus debitarum, manutentioneque et conservatione omnium bonorum suorum, iurium et actionum, nunc et pro tempore tam ad domum et collegium huiusmodi, quam etiam singulas personas in eo degentes, illiusque officiales, administratores et illi deservientes, ac litium et causarum desuper tam active quam passive iam forsan ortarum, et quae oriri continget in futurum in diversis almae Urbis tribunalibus, et coram diversis iudicibus agere, seu trahi, et se ac eorum et domus seu collegii huiusmodi bona et iura recuperare, ac defendere et tueri cogerentur, ac in diversis locis molestarentur, volentes propterea eorum indemnitati, ac iurium et bonorum conservationi opportune consulere ac paterna diligentia providere:

Deputatio iudicis causarum dicti monasterii et eius personarum.

§ 3. Motu proprio, et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie, hac prima vice, dilectum filium Rodulphum Bonfiolum, Bononiensem senatorem, de cuius scientia, providentia, solertia et integritate plurimum in Domino confidimus, in iudicem ordinarium dictae domus, seu collegii, ac quarumcumque personarum illius, tam virginum et viduarum, et aliarum mulierum supradictarum, quam etiam quarumcumque aliarum personarum tam ibi pro tempore degentium, quam etiam ad servitia eiusdem domus, seu collegii commorantium, cuiusvis sexus, ordinis, conditionis existentium, necnon officialium et administratorum illius pro tempore deputatorum, eorum officio et administratione dumtaxat durante, pro hac prima vice eligimus, constituimus et deputamus; relicta in posterum eidem confraternitati et eius officialibus, alium seu alios deputandi, amovendi seu revocandi prout sibi bene visum fuerit.

Concessio iurisdictionis amplissimae.

§ 4. Cum plena, ampla et libera facultate, auctoritate et potestate ac iurisdictione, omnes et singulas lites et causas ac differentias, tam civiles quam criminales et mixtas, tam super exactione dictarum pecuniarum donatarum, ac ratione domus, seu collegii huiusmodi, et personarum praedictarum, quam etiam eorum bonorum, rerum, iurium et actionum, nec non aliorum quorumcumque inter vivos, et causa mortis, vel quasi contractum etiam inter se, camerales obligationes, et seu illius vim habentes, active et passive, ultra citroque, etiam per appellationem, et in quacumque instantia, quavis occasione, praetensione, vel causa et praetextu, quomodocumque et qualitercumque motas et movendas, summarie, simpliciter et de plano, sola facti veritate inspecta, ac etiam manu regia, et absque aliqua substantialium, aut aliorum terminorum observatione, aut alia tela iudiciaria, ubicumque et quandocumque principaliter, vel incidenter tractabitur aut agetur de aliquo etiam minimo iure, aut interesse domus, seu collegii, aut personarum praedictarum, seu cuiuslibet earum tam active quam passive, ac privative ad omnes et singulos alios, tam ordinarios quam delegatos, iudices et conservatores, ac exequutores, cuiusvis ordinis, status, gradus et conditionis existentes, et quavis auctoritate, privilegio, indulto et iurisdictione suffultos, eorumque curias et tribunalia, ecclesiastica et saecularia, singulis diebus et horis, praeterquam in honorem Dei feriatis, omni et quacumque appellatione remota, audiendi, videndi, cognoscendi, decidendi, ac fine debito terminandi, ac debitae exequtioni demandandi et demandari faciendi, illasque et earum singulas a quibuscumque tribunalibus et iudicibus ordinariis et commissariis, et aliis praedictis, necnon Convertitarum, Neophitorum,

sancti Iacobi Incurabilium, Consolationis et aliorum piorum locorum, ac Ripae et Ripettae, Burgi Sancti Petri, Curiae Capitolinae almae Urbis conservatoribus, auditore Camerae, et vicario nostro generali in dicta Urbe et eius districtu, ac palatii nostri apostolici auditoribus, ac dictae Urbis gubernatore, senatore et quibusvis aliis iudicibus et conservatoribus etiamsi iudices et conservatores, ac tribunalia huiusmodi similia, aut amplissimum privilegium haberent, in statu et terminis, in quibus causae ipsae reperientur, aut alias quomodolibet, prout ei visum fuerit, avocandi et reassumendi, et eis ne sese in causa et causis huiusmodi ingerere, aut intromittere, ac partibus ne coram alio comparere, aut procedere audeant, sub pecuniariis poenis, arbitrio suo imponendis, applicandi et moderandi, inhibendi. Et inobedientes et rebelles poenas praedictas damnabiliter incidisse et incurrisse, declarandi, aggravandi et reaggravandi. Ita quod nullo umquam tempore domus, seu collegium huiusmodi, ac personae praedictae, nec earum aliquae quavis occasione vel causa, aut praetensione, seu praetextu, ad instantiam quarumvis personarum, communitatum, universitatum, capitulorum, et congregationum, societatum, et confraternitatum, saecularium, seu cuiusvis Ordinis regularium, nec minus conventuum, monasteriorum, prioratuum, hospitalium, aut religionum, seu congregationum, aliarumque ecclesiarum, et piorum locorum, etiam magis privilegiatorum, et similem vel ampliorem facultatem habentium, seu quarumvis aliarum personarum ecclesiasticarum, regularium vel saecularium, aut etiam laicorum, cuiusvis ordinis, dignitatis et conditionis existentium alibi quam coram supradicto Rodulpho, et pro tempore iudice, eis, ut praefertur, deputato, et seu deputando, trahi aut vocari, nec molestari, aut conveniri, causaeque coram ipso pro tempore introductae, ab eo avocari, nec illi minusque partibus inhiberi possit.

Cum applicatione poenarum.

§ 5. Decernentes et volentes, motu, scientia et potestate similibus, quod idem Rodulphus, et pro tempore iudex, quacumque reassumptione ab eisdem supradictis et aliis quibuscumque, quomodocumque et qualitercumque, per quoscumque iudices facta, et inhibitione, sub quibusvis censuris et poenis emanata, non obstantibus, possit et valeat ad ulteriora in causis praedictis, usque ad illarum finalem expeditionem et exequutionem, absque alicuius poenae aut censurae incursu, aut spolii, seu attentatorum vitio, procedere et exequi facere.

Facultas procedendi, quacumque alterius iudicis inhibitione non attenta.

§ 6. Praesentes quoque, et desuper conficiendas litteras, etiam ex eo quod dicti gubernatoris, et aliorum tribunalium supradictorum, notarii, montistae, et alii interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, nec praemissis consenserint, aut alias de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu, nullo umquam tempore argui, notari, vel impugnari, aut alias ad viam iuris reduci posse, sed semper validas et efficaces existere, et quoties revocatae, seu reductae forent, toties in pristinum statum restitutas et reintegratas existere; neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per nos vel alios Romanos Pontifices, praedecessores seu successores nostros, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, etiam motu et scientia similibus, pro tempore factis et faciendis, comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et suum plenarium effectum sortiri debere.

Clausulae huius concessionis praeservativae.

§ 7. Sicque per quoscumque iudices,

Clausula sublata.

et dicti apostolici palatii auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae contrariorum derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac quorumcumque congregationum, societatum, confraternitatum, monasteriorum, prioratuum, coenobiorum, militiarum, hospitalium, conventuum, religionum, ordinum et ecclesiarum, et aliorum piorum locorum huiusmodi, necnon dictae Urbis statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis vicario, gubernatori, A. C., senatori, conservatoribus, reformatoribus dictae Urbis, et aliis quibuscumque iudicibus et notariis praedictis, et quibusvis aliis, illis et singulis illorum sub quibuscumque tenoribus et formis, necnon quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, quomodolibet concessis, etiamsi in eis expresse caveatur, quod illis derogari nequeat, nisi derogationes huiusmodi, et causae in eis forsan expressae, specialiter insererentur, ac de consensu superiorum, monasteriorum, ordinum, congregationum, et aliorum piorum locorum, aut iudicum, et notariorum huiusmodi fierent, aut alias factae derogationes huiusmodi nemini suffragentur. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie pari motu, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Et quod praedicta donatio insinuari non debeat, nec minus praesentes in Camera nostra praesentari et registrari debeant, nos obstantibus constitutionibus Pii IV de registrandis, quibus quoad hoc derogamus.

Exemplorum fides.

§ 9. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, ac manu unius ex administratoribus et notariis domus seu collegii huiusmodi pro tempore existentium, subscriptis, et sigillo dictae domus munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIV octobris MDXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 24 octobris 1595, pontif. an. IV.

CXVI.

Concessio quorumcumque privilegiorum et gratiarum universitati Studii generalis Mexicanensis [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ex supernae dispositionis arbitrio gregi Dominico praesidentes, inter curas multiplices, quam ex ministerio nostri pastoralis officii nobis incumbere censemus, illam, per quam universitatum studiorum generalium, praesertim in Indiis Occidentalibus canonice erectarum statui et quieti consulatur, libenter amplectimur, ac ut personae in scientiis et facultatum diversis generibus invigilantes a nobis gratias et favores reportasse laetentur, nostri

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

pastoralis officii partes (maxime dum id catholicorum regum vota exposcunt) favorabiliter impendimus.

In universitate Mexicana nonnulli gradus laureamque susceperant.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod iam a pluribus annis in civitate Mexicanensi novae Hispaniae in Indiis Occidentalibus una studii generalis universitas, in qua theologiae et doctorum [1], ac forsan aliarum facultatum et scientiarum lectiones habentur de consensu praefati Philippi regis, qui earum partium etiam dominus temporalis existit, introducta ac usu recepta existit, pluresque scholares, absoluto ibidem studiorum suorum cursu, alii quidem magistri in theologia, alii vero doctoratus in decretis, ac licentiaturae, et forsan alios gradus a lectore, et professoribus eiusdem universitatis pro tempore existentibus, et forsan aliis bona fide susceperunt, eisque ita susceptis, et eorum privilegiis usi fuerunt. Et sicut eadem expositio subiungebat, ut si gradus suscepti, et imposterum ibidem suscipiendi, atque adeo universum studii generalis huiusmodi exercitium cum maiori Dei gloria, et eius sanctae fidei exaltatione deinceps procedatur idem Philippus rex pia meditatione ductus [2], et iam experientia comprobatum habens quantum universae republicae christianae, praesertim apud illos novos fidei catholicae cultores talis universitas in dicta civitate, quae admodum insignis et frequens existit, utilitatis afferat, plurimum cupit dictae universitati per nos, ut infra, indulgeri.

Haec autem universitas propagandae fidei catholicae nonnihil conferebat.

Clemens gradus collatos ratos habet et huic universitati caeterarum universitatum similium privilegia concedit.

§ 2. Nos igitur consideratione praefati Philippi regis super hoc humiliter supplicantis, dictae universitati illiusque rectoribus, professoribus et scholaribus etiam iam graduatis, ac nunc et pro tempore existentibus, quod omnes et singuli magisterii in theologia, ac doctoratus in decretis vel aliis facultatibus, seu alios gradus hactenus susceperunt, eisdem gradibus, eorumque privilegiis, facultatibus et praerogativis uti; nec non quod deinceps rector, et seu alii doctores, lectores, et professores eiusdem universitatis praesentes et futuri, magisterii, doctoratus et licentiaturae, ac baccalaureatus aliosque gradus, tam in praefatis, quam etiam philosophiae, et iuris civilis, aliisque facultatibus atque scientiis scholaribus ipsis suis loco et tempore, ac cum insignibus solitis, praevio diligenti ac rigoroso examine, ac servatis servandis conferre; ipsique scholares illos et alios actus suscipere et exercere, ac tam ipsi, quam doctores et professores, ipsaque tota universitas et studium generale eiusdem civitatis omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, facultatibus, praerogativis, indultis, favoribus et gratiis quibus Salamantinensis et Compostellatenensis aliaeque studiorum generalium universitates regnorum Hispaniarum, ac civitatis Limae in Indiis *del Perù*, de iure, usu, consuetudine, vel privilegio et alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter et aeque principaliter, ac absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri et gaudere, ipsamque universitatem studii generalis civitatis Mexicanensis ad instar, et secundum statuta, consuetudines, privilegia et facultates Salamantinensis et Compostellatenensis, ac Limanensis aliarumque huiusmodi universitatum regere, exercere et administrare libere et licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ac licentiam et facultatem impertimur.

1 Ita in editione romana; sed forsan legendum *Decretorum*, ut ex sequentibus apparet. (R. T.)

2 Sic.

§ 3. Neque doctores, professores et scholares iam, ut praefertur, graduatos et deinceps graduandos, aliosque officiales et ministros eiusdem universitatis Mexicanensis ab aliquo molestari, perturbari, inquietari, vel impediri posse; sicque per quoscumque iudices ecclesiasticos et saeculares, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari, definiri, decidi ac interpretari debere; nec non si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Cancellariae Apostolicae regulis etiam de gratiis ad instar non concedendis, nec non statutis, legibus et consuetudinibus quarumcumque civitatum et locorum; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et verborum formis, ac litteris in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis specialis, specifica, *etc.*, foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli, *etc.*, incursurum.

Contrariorum derogatio.

Datum Tusculi, anno Incarnationis Dominicae MDXCV, nonis octobris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 7 octobris 1595, pontif. an. IV.

CXVII [1].

Approbatio et nova institutio Congregationis Clericorum saecularium in communi viventium sub invocatione Beatae Mariae, dudum ab Alexandro episcopo Lucano in ea civitate erectae, cum indultorum concessione, et facultate alia ubique loca recipiendi.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ex quo divina Maiestas ad pastoralis officii fastigium nos quamquam immeritos evexit, illa, quantum in nobis semper fuit, superno auxilio freti, facere conati sumus ut confraternitates seu societates, aut congregationes piorum hominum, quae ad divini cultus augumentum et animarum salutem institutae sunt, et in observatione institutorum suorum pie et religiose persistunt, magis quotidie in illo suo pio et sancto proposito confirmarentur.

Prooemium.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, venerabilis frater Alexander, episcopus Lucanus, iamdudum confraternitatem seu societatem aut congregationem Clericorum saecularium et laicorum in communi viventium, sub invocatione et vexillo beatae et gloriosae semperque Virginis Mariae, in ecclesia Sanctae Mariae curtis Orlandigorum Lucanensis erexerit, ac dictae confraternitatis seu congregationis confratribus, ut unum ex eis, qui aliis praeesset, ac rerum et bonorum ipsius confraternitatis seu congregationis curam et administrationem gereret, cuique ipsi confratres parere tenerentur, eligere, ac constitutiones per eum approbandas condere possent, facultatem concesserit, prout in patentibus litteris ipsius Alexandri epi-

Alexander episcopus Lucanus de an. MDLXXXIII hanc congregationem instituit.

1 Haec constitutio in *Appendice* romanae editionis reperitur sub numero CCCLXX; nos huc transtulimus, servato temporis ordine. (R.T.)

scopi de anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio desuper confectis plenius contineri dicitur, ac eius confraternitatis seu congregationis confratres sacramentorum ecclesiasticorum administratione, divini verbi praedicatione, et aliorum bonorum operum exemplo proximum iuvare totis viribus intendant.

Eam approbat Clemens.

§ 2. Nos, ut ipsi confratres in suo laudabili proposito magis confoveantur, et ad huiusmodi pia et sancta opera exercenda promptiores reddantur, ac fructus, quos in vinea Domini plurimos hactenus, et maturos ac dulces locatori Domino obtulerunt, eosdem longe dulciores et maturiores, ac uberiores imposterum offerant, motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, erectionem confraternitatis, seu societatis, aut congregationis clericorum saecularium, in dicta ecclesia ab eodem Alexandro episcopo, ut praefertur factam, necnon omnia et singula in dictis patentibus litteris erectionem huiusmodi concernentia contenta, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, contenta et inde sequuta quaecumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illis que perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, et solemnitatum in eis forsan omissarum defectus, siqui intervenerint in eisdem, supplemus.

Et de novo instituit.

§ 3. Et nihilominus eamdem confraternitatem in congregationem clericorum saecularium sub titulo, seu invocatione eiusdem Beatae Mariae Virginis, cum eisdem regulis, institutis et facultatibus in dicta ecclesia, auctoritate et tenore praemissis, perpetuo erigimus et instituimus.

§ 4. Nec non nunc et pro tempore existentibus rectori et sociis dictae congregationis, ut quaecumque statuta et ordinationes felix regimen et gubernium ipsius congregationis concernentia, ac sacris canonibus, et decretis Concilii Tridentini, ac Romanorum Pontificum constitutionibus non adversantia condere, quae tamen condita ab Ordinario loci approbentur.

Facultatem, ordinationes et statuta ad bonum eius regimen edendi concedit,

§ 5. Quodque confessores dictae congregationis, qui ab Ordinario approbati fuerint, confessiones quorumcumque ad eos accedentium quocumque anni tempore audire, et debitam illis poenitentiam pro modo culpae iniungere.

Confessoribusque potestatem confessiones audiendi elargitur;

§ 6. Superiores autem ipsius congregationis, per se vel alium, seu alios ex ipsis iam approbatis, suos subditos a censuris in casibus Sedi Apostolicae reservatis, non tamen contentis in litteris die Coenae Domini legi solitis, absolvere, et etiam debitam illis poenitentiam iniungere.

Praelatis congregationis absolvendis subditos a censuris S. A. reservatis,

§ 7. Nec non superior dictae congregationis, receptos inobedientes, et illius constitutionum trangressores punire, et poenitentia pro modo culpae eius arbitrio, servata tamen semper dictarum constitutionum forma, eosdem afficere, et si sibi videbitur cum assensu maioris partis dictae congregationis culpabiles eiicere, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio episcopi, seu brachii saecularis, libere et licite valeant, eisdem auctoritate et tenore, concedimus.

Inobedientes expellendi.

§ 8. Quodque recipiendi in congregatione huiusmodi, tam clerici, quam laici, teneantur (ubi aliter congregationi visum non fuerit remittendum) promittere etiam cum iuramento, se refecturos expensas pro ipsis ab eadem congregatione factas, si quando contigerit, ut sponte, vel iusta de causa expulsi, ab eadem congregatione discedant.

Qui recipiuntur iuramentum praestare debent expensas reficiendi si discedant vel dimittantur.

§ 9. Demum, quod congregatio haec sit et perpetuo remaneat sub protectione

Quae sit Ordinarii iurisdictio super congregationem.

huius Sedis Apostolicae, non tamem exempta ab ordinaria iurisdictione episcoporum Lucanorum, qui pro tempore erunt, quoad visitationem et reformationem, si opus fuerit, iuxta constitutiones eiusdem congregationis tantum, nec alias aliter, nec alio modo, nullo tamen casu, praetextuve, aut quaesito colore aliquos ex sociis praefatis ab eadem congregatione, sine expresso consensu eiusdem, unquam extrahere, nec ab observantia instituti distrahere valeant, perpetuo statuimus et ordinamus.

Clausulae.

§ 10. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari ac definiri debere, nec non irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Transumptis huius bullae credi iubet.

§ 11. Volumus autem, quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Quibuscumque non obstantibus

§ 12. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XIII octobris MDXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 13 octobris 1595, pont. an. IV.

Sequitur facultas alia ubique loca recipiendi.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Illos apostolicae benignitatis favoribus libenter prosequimur, qui sub suavi Christi iugo gratum Altissimo famulatum praestantes, in militanti Ecclesia ad christifidelium salutem optatos in Domino fructus afferunt.

Suam approbationem recenset.,

§ 13. Alias siquidem nos congregationis clericorum saecularium Beatae Mariae Lucanensis institutum approbavimus, ipsamque congregationem sub nostra et Apostolicae Sedis protectione suscepimus, illique diversa privilegia, indulta et gratias concessimus, ita tamen, ut visitationi loci Ordinarii, iuxta constitutiones ipsius congregationis, tantum subesset.

Traditamque huic congregationi ecclesiam S. Mariae de Porticu.

§ 14. Et deinde eidem congregationi ecclesiam Sanctae Mariae in Porticu de Urbe, ut apud illam unus praepositus, et aliquot eiusdem congregationis personae habitare, et in ipsa ecclesia divina officia celebrare, et ecclesiastica sacramenta ministrare valerent, de consensu dilecti filii nostri Bartholomaei Sanctae Mariae in Porticu, diaconi cardinalis Cesii nuncupati, concessimus, prout in diversis nostris in forma brevis desuper expeditis litteris plenius continetur.

Modo alia loca ubique de licentia Ordinariorum recipiendi facultatem concedit.

§ 15. Cum autem, sicut accepimus, congregatio praedicta uberes in ecclesia Dei fructus ad animarum christifidelium salutem proferat, et illi clerici sua nonnullis constitutionibus et regulis a dilecto filio nostro Caesare tituli Ss. Nerei et Achillei praesbytero cardinale Baronio nuncupato, ipsius congregationis apud nos protectore, examinatis, et auctoritate nostra apostolica approbatis, laudabilem vitam agant, et in via Domini non mediocres progressus faciant, et si illis, ut alia loca, domos et ecclesias ubique recipiendi, et in illis iuxta praedictas constitutiones et regulas degendi, ac divina officia celebrandi ecclesiasticaque sacramenta ministrandi facultas concederetur, inde profecto christifidelium animarum salus valde promoveretur, ac spiritualis consolatio magis augeretur; nos eiusdem congregationis propagationi consulere, ac

illam et eius personas specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, necnon singularum nostrarum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, et singulares eiusdem congregationis personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolvendas et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certa scientia, et mera deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine eidem congregationi eiusque praeposito generali et clericis, ut loca, domos et ecclesias illis in quibusvis civitatibus et dioecesibus de licentia Ordinariorum concedendas recipere, et in illis habitare, ac divina officia celebrare, et ecclesiastica sacramenta ministrare, ac omnibus et singulis privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus, libertatibus et immunitatibus, ipsis congregationi, praeposito et clericis, per nos in primo dictis litteris concessis, ubique frui, potiri et gaudere, libere et licite possint, et valeant, servata tamen forma in primo dictis nostris litteris expressa, et in praedictis constitutionibus, ut praefertur, iussu nostro examinatis et approbatis contenta, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. Illosque desuper a quoquam, quavis auctoritate, impediri, molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus possse, irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Indulgentiasque et privilegia communicat.

§ 16. Quocirca dilectis filiis nostris Caesari presbytero cardinali Baronio, moderno et pro tempore existenti eiusdem congregationis protectori, ac vicario Urbis, necnon causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum praepositi et clericorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Exequutores et defensores deputat.

Derogat contrariis.

§ 17. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, ed in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, atque omnibus illis, quae in praemissis litteris vuluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV iunii MDCIV, pontificatus nostri anno XIII.

CXVIII.

Approbatio indicis librorum prohibitorum a Pio IV iam confirmati, et nuper suppleti, et facultas cardinalium congregationis super indice decidendi dubia desuper emergentia, cum inno-

vatione aliorum indultorum eis competentium [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Sacrosanctum catholicae fidei depositum, sine qua Deo placere, aut aeternam salutem consequi nemini licet, ut salvum in Ecclesia Dei perpetuo conservaretur, posterisque inviolatum traderetur, pastoralis Romanorum Pontificum vigilantia, summo semper studio et contentione laboravit. Ipsi enim a Christo Domino, huius tam pretiosi depositi auctore, et illud fideliter custodiendi, et bonum semen patris familias ab inimici hominis zizaniis discernendi, et Ecclesiam salutari doctrina aedificandi, praecipuam curam, summamque potestatem in beatissimo Petro Apostolorum principe acceperunt. Quocirca sanctae memoriae Gelasius I et Gregorius IX, aliisque complures Romani Pontifices, praedecessores nostri, zelo zelati pro domo Domini exercituum, ut hanc fidei catholicae doctrinaeque integritatem salvam incorrumptamque in Ecclesia Dei retinerent, apostolici animi magnitudine pro muro domus Israel, adversus eiusdem fidei hostes, seipsos opponentes, ne illorum dolis et insidiis, imprudentes et simpliciores homines caperentur, lucem a tenebris, prava a rectis seiunxerunt, quae sequenda, quae cavenda essent, christifidelibus delararunt; probatos, laudabiles, orthodoxos libros ab adulterinis, perniciosis et apocryphis, singulari diligentia, distinxerunt; postremo haereticorum impia dogmata et noxia, ac venenata scripta, conciliorum decretis, pontificiis constitutionibus, aut alio opportuno censurae genere comdemnarunt.

Concilium Tridentinum hunc indicem confecit, et Pio IV illius approbationem remisit, ut legitur in fine dicti Concilii.

§ 1. Sed cum nostris hisce calamitosis et novissimis temporibus antiquus humani generis hostis, a sua malitia numquam recedens, ad eamdem catholicam doctrinam et veritatem labefactandam, pestiferas haereses et detestabiles errores, aut novos conflasset, aut veteres ex inferis excitasset, sacra Tridentina Synodus pestilentem noxiorum librorum copiam, quae plus nimio excreverat, coercere atque auferre cupiens, primum quidem doctissimos aliquot viros delegit, qui de tota ea re cognoscerent et deliberarent; deinde vero, cum ii in negocio non parum progressi essent, iustis de causis eadem Synodus permota, ad ipsam Apostolicam Sedem integram rem deferendam statuit.

Pius IV approbavit.

§ 2. Itaque felicis recordationis Pius Papa IV, praedecessor noster, qui tunc ad Ecclesiae gubernacula sedebat, praelatis quibusdam doctrina et prudentia praestantibus adhibitis, indicem librorum prohibitorum et regulas quasdam, per suas litteras in forma brevis promulgavit, et huiusmodi noxiorum librorum detrimentis depellendis opportune providit. Caeterum, licet illa pro temporis ratione prudenter fuerint tunc constituta, tamen cum Satanae astutia, in huiusmodi librorum editione, nova in dies mala crescerent (nam post illud tempus alii etiam libri perniciosi partim conscripti atque editi, partim qui scripti erant, et antea delituerant, in medium prodiere, quorum lectione simpliciores et incauti homines in errores induci facile poterant), propterea piae memoriae Sixtus Papa V, praedecessor noster, multis illustratis,

1 Hunc Indicem habes in fine Concilii Tridentini, et supplementum habes in liberculo, paucos ante annos, nostris typis vulgato. Eius autem approbationem lege in Pii IV constitut. XCIV, quae incipit: *Dominici*, tom. VII, pag. 281. — Haec scribebat Cocquelinius, nunc vero *Index librorum prohibitorum*, Romae excussus in satis amplum volumen crevit; quod saepe novis additamentis in lucem prodit. Super hoc indice Congregationem cardinalium instituit Sixtus V cum amplissimis facultatibus, ut in eius constit. CXVII: *Immensa*, tom. VIII, pag. 985. (R. T.)

atque ad regulas adiectis necessariis rebus, mandavit ut nonnulli alii eiusdem generis libri eidem indici adderentur.

Sixtus V alios libros addi iussit, sed re infecta obiit, et iste Pontifex perfecit,

§ 3. Verum cum idem Sixtus, re minime absoluta, ab humanis excesserit; nos animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulentes, quod iampridem utiliter coeptum, et a multis diu desideratum erat, hoc tempore omnino perficiendum, atque in lucem edendum duximus. Venerabili igitur fratri nostro Marco Antonio episcopo Praenestino de Columna, et dilectis filiis nostris Augustino S. Marci de Verona, Simeoni S. Anastasiae de Terranova, Hieronymo S. Mariae super Minervam Asculano, Federico S. Mariae Angelorum in Thermis Borromaeo, Francisco S. Mariae Transpontinae Toleto, titulorum presbyteris, necnon Ascanio S. Mariae in Cosmedin, Columna diacono cardinalibus, super huiusmodi indice per nos deputatis, aliisque piis et eruditis viris in consilium adhibitis, ea omnia ac singula, quae a Sixto V, ut supra diximus, instituta erant, diligenter examinanda commisimus, quae cum magno studio visa, ac Deo favente, demum absoluta fuerunt.

Et modo approbat.

§ 4. Nos tam eamdem Pii praedecessoris constitutionem, et indicem, ac regulas (quorum omnium tenores haberi volumus pro expressis), quam haec ipsa illis addita, prout inferius descripta sunt, omnia et singula, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, atque ab omnibus, tam universitatibus, quam singularibus personis ubique locorum existentibus, sub eisdem poenis in dicta Pii constitutione contentis, observari praecipimus et mandamus. Quo autem facilius negotium, tum prohibitionis, tum expurgationis et impressionis librorum peragatur, eas omnes facultates, privilegia et indulta, quae recolendae memoriae Pius V magistro sacri palatii primum, deinde Gregorius XIII et Sixtus V cardinalibus congregationis praedictae concesserunt, quorum tenores hic volumus haberi pro expressis, confirmamus, et quatenus opus est, innovamus in his omnibus, quae additis in hoc indice non adversantur.

Dubia super eo emergentia, decisioni congregationis remittit.

§ 5. Volumusque propterea ac decernimus, ut siquae in posterum dubitationes aut controversiae circa ipsum indicem illiusque regulas, aliaque illis addita emerserint, ad congregationem supradictorum cardinalium, seu aliorum, qui pro tempore super indice huiusmodi deputati fuerint, referantur, et ex sententia eorumdem cardinalium, nobis aut successoribus nostris, si rei gravitas id postulaverit, consultis, declarentur et decidantur; quorum auctoritatem tum permittendis, tum prohibendis, expurgandis et imprimendis libris, aliisque ad eam rem pertinentibus explicandis, volumus esse praecipuam, atque ita mandamus ab omnibus venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis aliisque locorum Ordinariis et dilectis filiis inquisitoribus, universitatibus, magistris, doctoribus, bibliopolis, impressoribus, mercatoribus, gabellariis caeterisque omnibus cuiuscumque gradus, ordinis, aut dignitatis, tam ecclesiasticis saecularibus vel regularibus, quam laicis quocumque honore vel dignitate praeditis, inviolabiliter observari.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et forma in contrarium praemissorum

concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et ad verbum inserta mentio habenda esset, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis credi mandat.

§ 7. Decernentes earumdem praesentium exemplis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo praelati alicuius ecclesiastici obsignatis, eamdem haberi fidem, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die XVII octobris MDXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 17 octobris 1595, pontif. an. IV.

CXIX.

Commissio nuncio Hispaniarum ut si concordiam inter regem catholicum ac archiepiscopum et ecclesiasticos civitatis et dioecesis Caesaraugustanensis initam super primitiis et decimis, quarum excrescentia, ob irrigationem fluminis a clarae memoriae Carolo V imperatore factam, eidem regi ex concessione apostolica debetur, eidem archiepiscopo et ecclesiasticis utilem esse compererit, apostolica auctoritate confirmet[1].

Dilecto filio nostro, et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, ac venerabilis frater archiepiscopus Caesaraugustanensis, aliique in infrascripta concordia interesse habentes, quod alias felicis recordationis Clementi VII et Paulo III, et successive Iulio etiam III Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, pro parte clarae memoriae Caroli V Romanorum imperatoris, qui etiam Aragonum et Navarrae rex catholicus erat, exposito, quod provide considerans propter penuriam aquarum, et quae exinde causabatur sterilitas terrarum, Aragonum et certae partis Navarrae regnorum habitatores ipsius regni Aragonum in eorum alimentis et aliis rebus humanae vitae necessariis maximam pati aegestatem; et tamquam optimus subditorum suorum protector, aegestati huiusmodi providere volens, ex duobus insignibus fluminibus, Ibero videlicet et Xalone, per dictum regnum Aragonum decurrentibus, aquas pro dictis terris irrigandis deduci mandaverat, et cum ex praemissis, tam propter alveorum dictorum fluminum asperitatem, quam longitudinem fovearum et rivulorum pro decursibus aquarum, magnae admodum expensae necessariae essent, et ad eas sublevandas Sedis Apostolicae auxilium et auctoritas, prout in similibus fieri consueverat, plurimum requirerentur; ipsi Clemens, Paulus et Iulius praedecessores, ad ipsius Caroli imperatoris et regis supplicationem, per diversas eorum litteras certis viris probis in partibus illis, et eorum cuilibet successive, dederunt in mandatis, ut habita per eos, seu eorum alterum, diligenti informatione, quantum quolibet anno, a tunc proxime praeteritis tribus annis, fertili cum sterili compensato, pro decimis et primitiis ex fructibus in terris dictorum regnorum collectis, ecclesiis, monasteriis et aliis piis locis, aut illarum seu illorum rectoribus, vel beneficiatis Caesaraugustanensis et

Facti series.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Tirasonensis civitatum et dioecesum persolutum fuisset, illisque perpetuis futuris temporibus singulis annis persolutis, augmentum decimarum et primitiarum, quod tam ex fructuum superexcrescentia, propter terrarum irrigationem huiusmodi, quam ex novalibus, quae ex derivatione et irrigatione aquarum huiusmodi provenirent, aut propterea ad culturam et frugem pinguiorem redigerentur, pro tempore fierent, eidem Carolo imperatori et regi, illiusque in dicto regno Aragonum successoribus, cum primum aqua fluminis huiusmodi per foveas sive rivulos ad terras irrigandas perducerentur, licet ad finem perductae non forent, etiam annis singulis persolvendum esse decernerent, prout in singulis litteris praedictis plenius continetur.

Causae ineundi concordiam.

§ 2. Cum autem, sicuti eadem expositio subiungebat, informatio a principio, quantum quolibet anno, a tunc proxime praeteritis tribus annis, fertili cum sterili compensato, pro decimis et primitiis praedictis ecclesiis, monasteriis et piis locis persolutum fuisset, iuxta earumdem litterarum formam, facta non fuerit, sed postquam aquae pro irrigandis terris huiusmodi per foveas et rivulos cum magnis expensis dictus Carolus imperator et rex deduci fecisset, et exinde habitatoribus earumdem partium utilitas et commoda non parva provenissent; superexcrescentia decimarum et primitiarum et novalium Carolo imperatori et regi, ac successive eidem Philippo regi, eius successori, non iuxta litterarum praedictarum formam, sed iuxta extimationem, quantum singulis annis decimae et primitiae, habita ratione pluviarum, propter huiusmodi irrigationes excreverint, facta fuit; et quia forma huiusmodi valde incommoda et dispendiosa, ac praeter formam praedictarum litterarum apostolicarum existit ob non factam, ut praefertur, a principio ecclesiis, monasteriis et aliis locis praedictis assignationem, iuxta earumdem litterarum apostolicarum formam. Quibus omnibus per Philippum regem, et archiepiscopum Caesaraugustanensem, ac interesse habentes, mature consideratis, auditaque peritorum in praemissis sententia, ac habita ratione, quantum annuatim, dicta posteriori forma per eos, ut praefertur, servata, ecclesiis, monasteriis et locis praedictis obvenerit, ab anno MDXLVII ad annum MDXCIII, a quo tempore terrae infrascriptorum locorum, irrigantur, ut ex processibus apparet, eorumdem peritorum adhibito consilio, omnibusque rite et recte ac mature examinatis inter Philippum regem ac dictum archiepiscopum et alios interesse habentes, ad huiusmodi, verbo vel in scriptis, deventum fuit concordiam, videlicet: quod ecclesiis, monasteriis et aliis beneficiatis huiusmodi semel assignetur id quod habere et consequi debent, non autem ad arbitrium, et prout unoquoque anno pluit et aliter campi irrigantur, sed inde *Banuel*, videlicet quinque ex sex, et inde *Cortes*, duae ex tribus, necnon inde *Mollene*, tres ex quinque partibus ipsi Philippo regi, reliquae vero partes Ordinario, et aliis interesse habentibus, ac inde *Galluc* locis seu oppidis Caesaraugustanensis dioecesis, medietas Philippo regi, aliaque medietas fructuum decimalium et primitialium terrarum ab antiquo coli solitarum eidem Ordinario et interesse habentibus praedictis darentur, salvis in reliquis iuribus dicti Philippi regis super decimis et primitiis dictarum terrarum, quae ab anno MDXLVII cultae fuerunt, et denuo coluntur et irrigantur, et antea non colebantur, quae omnes ad eumdem Philippum regem spectent. Quae vero a rivulo seu fovea *Zequie* irrigari non possunt, omnes ad eumdem Ordinarium et interesse habentes spectent, nec sub ali-

Concordia de qua in rubrica.

qua divisione comprehendantur. Haec tamen concordia intelligi debeat et duret, quatenus terrae irrigentur, aut ad hoc aqua detur, ac donec fovea seu rivulus *Zequie* huiusmodi totum perficiatur, ita ut termini, seu territoria Caesaraugustanensis, et planities de *Fuentes* illo irrigentur et alias, ac aliter, prout in dicta concordia et scripturis desuper confectis plenius continetur.

Commissio nuncio apostolico ut concordiam approbet.

§ 3. Cumque praemissa in earumdem partium, et praesertim ecclesiarum maiorem commodum et utilitatem cedere dicantur, et tam dictus Philippus rex, quam archiepiscopus Caesaraugustanensis et alii interesse habentes, cuperent concordiam huiusmodi, pro illius observatione et subsistentia firmiori, nostro et Sedis Apostolicae patrocinio roborari; nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati ac singularum praedecessorum et aliarum litterarum tenores, et inde sequuta, pro expressis habentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus consideratis per te vel alium, seu alios, quos ad id idoneos duxeris deputandos considerandis, si concordiam huiusmodi in eiusdem archiepiscopi et interesse habentium commodum esse repereris, eam, prout facta est, auctoritate nostra confirmes et approbes, necnon omnes et singulos tam iuris, quam facti, et quoscumque alios defectus, si qui tam in concordia, quam aliis praemissis, et inde sequutis quomodolibet intervenerunt, suppleas, illique perpetuae firmitatis robur adiicias, ac eam ab omnibus interesse habentibus, etiam sub ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis inviolabiliter observari cures, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis, legibus et consuetudinibus, ac praedictis et aliis litteris apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VI novembris MDXCV, pontificatus nostri, anno IV.

Dat. die 6 novembris 1595, pontif. an. IV.

CXX.

Statuitur quod causae mercatorum universitatis Anconitanae, qui merces suas, tam ad grossum, ut vocant, quam minutim vendunt, definiantur per consules mercatorum dictae universitatis[1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Papae desiderium commercium in Anconitana urbe restituendi.

Inter caetera cordis nostri desiderabilia illud maxime cordi nobis haeret, ut commercia mercatorum in civitate nostra Anconitana, quae a nonnullis annis citra restricta non modicum fuisse videntur, iterum, nostris praesertim temporibus, restituantur et floreant.

Idcirco causas mercaturae occasione motas a consulibus definiri statuerat anno superiori.

§ 1. Idcirco superiori anno per nostras litteras, octavo idus martii, pontificatus nostri anno tertio, datas, diversa privilegia, immunitates et salvos conductus mercatoribus Anconam venientibus et ibi commorantibus concessimus, prout in ipsis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur; inter caetera vero illud curavimus ne mercatores, ac personae quaecumque ad portum Anconitanum confluentes, vel inibi commorantes litium dispendiis atque incommodis ab huiusmodi commercio distraherentur, et ut

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

eorum controversiae et lites quam citissime et minimo dispendio terminarentur, statuimus ut quotannis, ex numero mercatorum inibi commorantium, tres consules eligerentur, unus nimirum ex Florentina, alius vero per ultramarinos, et tertius ex alia quavis natione, arbitrio universitatis mercatorum in praedicta civitate degentium, quorum, vel de eorum ex eis coniunctim procedentium iudicio, causae omnes inter mercatores invicem, seu inter illos et alias personas, aut etiam inter alios quoscumque, occasione mercaturae quomodolibet motae et movendae, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, cognoscerentur, audirentur et deciderentur; consules vero praedicti assessorem aliquem iurisperitum suo arbitrio assumerent, cuius voto in eiusmodi causis definiendis uti possent. Quodque si res, de quibus agetur, valorem quadraginta scutorum non excederent, a sententiis vel decretis vim definitivae habentibus eorumdem consulum non liceret provocare; sin autem praedictam summam excederent, non ad alium iudicem fas esset appellare, quam ad septem vel octo mercatores sorte extrahendos, qui huiusmodi causas appellationum, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, terminarent, nec ulterius quam semel tantum ulla appellatio daretur.

Nonnullis tamen eorum iudicium effugientibus,

§ 2. Cum autem, sicut nuper accepimus, nonnulli particulares (sive pro eorum proprio interesse; ut mercatores litium anfractibus defatigati, eorum credita et iura deserere cogantur, sive alias ob causas) iudicium consulum et iudicum appellationum praedictorum effugere, ac lites in longum protrahere satagentes, in dubium revocare curent, veros mercatores matriculatos, iuxta capitula per dilectos filios nostrum et S. R. E. camerarium ac thesaurarium generalem edita ratione mercium, quas in dicta civitate minutatim vendunt, tam in vim instrumentorum in forma camerae celebratorum, quam vigore partitarum librorum mercantilium, aut quarumcumque aliarum scripturarum coram dictis mercatorum consulibus debitores convenire, neque vicissim conveniri posse, et super his per diversas inhibitiones a tribunalibus, sive venerabilis fratris episcopi, sive dilecti filii gubernatoris Anconitanensis obtentas, iudicium et iurisdictionem dictorum consulum et iudicum appellationum impediunt et perturbant, ex quibus commercio mercatorum huiusmodi non modicum affertur praeiudicium.

Clemens auctoritatem illorum ampliat, prout in rubrica.

§ 3. Nos itaque in praemissis, ut par est, opportune providere, ac litteras nostras praedictas effectum omnino sortiri volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia meraque deliberatione nostra, litteras praedictas innovantes, et contenta in illis observari debere decernentes, auctoritate apostolica tenore praesentium, decernimus et declaramus, non solum eos mercatores, qui merces suas, ut vocant ad grossum, sed etiam mercatores ipsos in universitate Anconitana matriculatos, etiam qui fundacos et apothecas habent et exercent, ratione mercium suarum, etiam quae minutatim et dietim venduntur, quoscumque eorum debitores, etiam cives Anconitanos, et quantumcumque privilegiatos et exemptos, tam vigore instrumentorum, quam partitarum librorum mercantilium huiusmodi, aliarumque quarumcumque scripturarum coram dictis consulibus et iudicibus appellationum respective convenire, et vicissim coram eisdem ipsos mercatores conveniri debere, ipsosque consules et iudices appellationum, iuxta

praedictarum nostrarum litterarum tenorem, causas quascumque ratione mercium huiusmodi, tam quae ad grossum, quam quae ad minutum venduntur, privative quoad alios quoscumque iudices et tribunalia, etiam episcopi et gubernatoris praedictorum, ac gubernatoris etiam provinciae nostrae Marchiae Anconitanae, ac tribunalis Rotae Maceratensis, necnon etiam quoad Rotae auditores, nec non S. R. E. camerarium ac thesaurarium generalem, et Cameram Apostolicam, decidere et terminare posse et debere.

Clausulae.

§ 4. Sicque per praedictos et alios iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Inhibet quibuscumque iudicibus, quominus in huiusmodi causis se ingerant,

§ 5. Inhibentes nihilominus eisdem episcopis et gubernatoribus et auditoribus, camerario, thesaurario et Camerae Apostolicae praesidentibus et clericis, aliisque iudicibus quibuscumque sub indignationis nostrae, ac sub excommunicationis latae sententiae eo ipso incurrendae, ac aliis arbitrio nostro poenis, ne de caetero in huiusmodi causis se se quoquo modo intromittere, neve inhibitiones aut significationes, vel *non gravetur* super huiusmodi causis concedere, vel alias quomodocumque iudicium et iurisdictionem dictorum consulum impedire vel retardare audeant seu praesumant; et si contra praemissa aliquo modo per eos fieri contingat, irritum et inane, ac nullius roboris vel momenti fore sciant.

Et facultatem praedictis consulibus concedit procedendi.

§ 6. Ipsis vero consulibus ac praedictis iudicibus appellationum huiusmodi, nunc et pro tempore existentibus, ut in causis huiusmodi quibusvis inhibitionibus, aut aliis impedimentis iudicum et tribunalium huiusmodi concessis et concedendis minime attentis, nec obstantibus, et absque incursu censurarum et poenarum in eis appositarum procedere et terminare, utque quoscumque tam actores quam reos ad alios iudices, vel tribunalia praedictos recurrentes per pecuniarias ac alias eorum arbitrio imponendas et applicandas poenas ad eorum iudicium trahere valeant, concedimus et indulgemus.

Quibuscumque in contrarium non obstantibus.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae civitatis Anconitanensis, etiam iuramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis ipsi civitati, eiusque civibus et incolis in contrarium praemissorum quomodocumque concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, vel aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ac omnibus illis, quae in praedictis litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXX novembris MDXCV, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 30 novembris 1595, pontif. an. IV.

CXXI.

Quod in crimine assassinii contra personas ecclesiasticas declaratio spectet ad iudicem ecclesiasticum, et contra milites aliasque personas conventus et hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani pertineat ad eorum superiores, adiuncto episcopo loci, antequam iudices saeculares aliquam declaratoriam desuper ferant, vel ad poenarum exequutionem deveniant[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ne iudices saeculares in personas ecclesiasticas, ultra id quod decet, manus extendant;

§ 1. Aequa et circumspecta Romani Pontificis providentia, inter caetera, quae ei divinitus incumbunt, onera, illud etiam sollicite prospicere et cavere debet, ne saeculares iudices in personas ecclesiasticas, et praesertim hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, pro fidei catholicae adversus christiani nominis hostes defensione assidue laborantes, sub praetextu criminis assassinii, ultra quam deceat, manus extendant.

Utque milites religiosi privilegiis suis perfruantur;

§ 2. Propterea nos pro pastoralis officii nostri munere, his malis atque incommodis, quae de caetero evenire possent, opportuna ratione obviare volentes, et ut milites religiosi, ac personae hospitalis praedicti, in suis immunitatibus et privilegiis, ut par est, conserventur illaesi, motu proprio non ad ipsius religionis, aut alicuius pro ea nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine.

Decernit criminis assassinii ad iudicem ecclesiasticum declarationem pertinere.

§ 3. Hac nostra perpetuis futuris temporibus valitura constitutione decernimus, declarationem criminis assassinii ad iudicem ecclesiasticum omnino pertinere.

1 Caetera de hac militia, vide in constitut. XV Anastasii IV: *Christianae*, tom. II, pag. 618.

Et quoad hos milites spectare ad eorum superiores adiuncto loci episcopo.

§ 4. Ideoque omnibus et singulis quarumcumque civitatum, provinciarum; terrarum, regnorum et dominiorum curiis, tribunalibus, magistratibus, nec non gubernatoribus, potestatibus, officialibus et ministris, caeterisque personis quacumque etiam regali, imperiali et alia auctoritate et potestate fungentibus et functuris, auctoritate apostolica, tenore praesentium, districte prohibemus atque interdicimus, ne sub excommunicationis maioris latae sententiae (a qua non nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi queant), aliisque poenis nostro et successorum nostrorum pro tempore existentium arbitrio infligendis, et per quemcumque eorum, ipso facto et ipso iure, sine aliqua declaratione incurrendis, audeant vel quoquo modo praesumant, ex nunc de caetero in perpetuum contra aliquos dicti hospitalis fratres, milites ac religiosos, donatos, familiares, servitores, nec non presbyteros saeculares eorum ecclesiis inservientes, dum eis inserviunt, et alias quasvis personas dicti Hospitalis, declaratoriam aliquam sententiam ferre, quod assassinii crimen commiserint, neque ad poenarum exequutionem devenire, nisi prius per superiores eorum, adiuncto sibi loci episcopo, declaratum fuerit eos tale assassinium commisisse, non obstante quavis, etiam antiquissima et immemorabili, consuetudine in contrarium forsan quomodolibet vigente.

Clausula sublata;

§ 5. Decernentes quoque sic in praemissis omnibus per quoscumque iudices et commissarios ecclesiasticos et saeculares, quavis etiam imperiali, regia, ducali, aut alia auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam,

quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in corpore iuris clausis, necnon statutis, legibus et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis huiusmodi curiis, tribunalibus, magistratibus et aliis supradictis, eorumque iudicibus ac aliis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua mentio facienda esset, illarum huiusmodi tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime hac vice specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem quod praesentium transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII decembris MDXCV, pontificatus nostri annno IV.

Dat. die 18 decembris 1595, pontif. an. IV.

CXXII.

Unio nationis Ruthenae cum Ecclesia Romana[1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius[1]. Civitas Dei supra montem posita, quae abscondi non potest, in qua gloriosa et admiranda operatur Deus, et ipse fundavit eam Altissimus, Sancta est Ecclesia una, catholica et apostolica, aedificata a Christo Domino supra beatissimum apostolorum principem Petrum, qui est fundamentum Ecclesiae, quod positum est a summo architecto Christo Iesu, qui cum sit primarium fundamentum et lapis electus et angularis, qui portat et sustentat omnia verbo virtutis suae; idem Ipse qui vocat ea, quae non sunt, tamquam ea quae sunt, et qui dixit, et facta sunt, Simonem Ionae filium, hominem mortalem, et natura sua imbecillem, singularis gratiae privilegio Cepham vocavit, hoc est Petrum, eique tantam firmitatem et soliditatem dedit, ut esset petra immobilis, supra quam aedificavit sanctam civitatem suam, quae est Ecclesia Dei viventis, eamdemque per legitimam summorum Romanorum Pontificum successionem, in quibus Beati Petri auctoritas numquam deficit, aedificat autem usque in finem saeculorum. Itaque, per omnes aetates et tempora, ad hanc petram fidei, Spiritu Sancto auctore, confluunt gentes, et in hanc Deo dilectam civitatem, per salutaris baptismi ianuam, introducuntur nationes et populi multi. Saepe etiam, qui fallaciis hominum et diaboli insidiis

1 Ex Regest. in Secret. Brevium. Haec Bulla legitur etiam in Bullario edito ad usum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide. Huius autem unionis, quae constans semper fuit, multorum quippe episcoporum et monachorum Ordinis sancti Basilii, ac praesertim Lithuanorum, quorum quamplurimi a Moschis in odium susceptae propagataeque unionis, nostris quoque temporibus, gravissimis contumeliis affecti, atque etiam interfecti fuerunt, sanguine firmata; meminit Thomas a Iesu in libro, quem edidit, *De conversione omnium Gentium*, verbo *Rutheni*: Antonius Possevinus in *Appar. Sacr.*, verbo eodem, et Baronius in *Appendice* ubi de *Ruthenis* agit.

1 Ps. XLVII, 2. (R. T.)

seducti per devia aberrantes, et perniciosa schismata sectati inseruerunt se doloribus multis, et ab hac sancta civitate discesserunt, iidem divinae misericordiae abundantia per resipiscentiam, conversionem et poenitentiam, tamquam ex fluctibus emergunt, et erroribus ac schismatibus damnatis et repudiatis, iterum in hanc sanctam civitatem a summo Romano Pontifice, qui illius claves habet, reducuntur, et ad pristinam unitatem, magno ecclesiae catholicae gaudio, revocantur. Et ne vererem antiquitatis memoriam repetamus, novissime his diebus nostris, illustre reconciliationis et reversionis ad catholicam ecclesiam exemplum extitit Ruthenorum episcoporum; qua in re abundantes divitias bonitatis Dei erga humilitatem nostram agnoscimus, qui cum ita disposuerit, ut pontificatus noster in tam multas christianae reipublicae calamitates, et tantam temporum acerbitatem incideret, saepe etiam, secundum multitudinem dolorum in corde nostro, consolationibus suis laetificat animam nostram. Antea siquidem Rutheni episcopi, atque ea omnis copiosa et clara natio cum Romana Ecclesia, omnium ecclesiarum matre et magistra, non communicabat, sed proprii sermonis atque idiomatis usu, retento Graeco ritu, vivebat, et luctuosum Graecorum schisma sequebatur; ex quo sane schismate, quod intimo cum dolore commemoramus, innumerabiles aerumnae et miseriae ad nobilissimam Graecorum gentem, tamquam a fonte quodam, promanarunt.

Facti series per singula exponitur.

§ 1. Nuper vero venerabilis frater Michael archiepiscopus et metropolita Kioviensis, Haliciensisque, ac totius Russiae, et cum eo plerique eius comprovinciales episcopi, videlicet venerabilis frater Hypatius Protothronius, episcopus Wlodimiriensis et Brestensis; Cyrillus Exarcha, episcopus Luceoriensis et Ostrosiensis; Gregorius, nominatus archiepiscopus, electus in episcopum Polocensem et Vitebscensem; Leontius, episcopus Pinscensis et Iuroviensis (qui paulo post ex hac vita decessit), et Dionysius, episcopus Chelmensis et Belsensis, et deinde Ionas, archimandrita Kobrinensis, electus in episcopum Pinscensem et Iuroviensem in locum demortui Leontii praedicti: hi omnes, divina Spiritus Sancti luce eorum corda collustrante, coeperunt ipsi secum cogitare et inter se, multa consultatione et prudenti adhibita, conferre, et serio tractare, se et greges quos pascerent, non esse membra corporis Christi, quod est Ecclesia, qui visibili ipsius ecclesiae capiti, summo Romano Pontifici, non cohaererent, et propterea spiritualis vitae influxus se non posse capere, neque crescere in charitate, cum ab eo essent disiuncti, ex quo secundum Deum pendet totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis in mensuram operationis uniuscuiusque membri. Qui etiam se omnibus animae periculis et insidiis principis tenebrarum tamquam leonis rugientis propositos esse, qui intra ovile Christi, intra arcam salutis, et intra domum illam non essent, quae est aedificata supra petram, quam flumina et venti irruentes nequeunt prosternere, in qua sola domo Agnus ille ad vitae fructum comeditur, qui tollit peccata mundi. Quamobrem pro[1] consilio et salutari deliberatione inter se statuerunt, ac firmiter decreverunt redire ad suam et omnium fidelium matrem, Romanam Ecclesiam, reverti ad Romanum Pontificem Christi in terris vicarium, et totius populi christiani communem patrem et pastorem, longo quidem temporis intervallo, post annos fere centum quinquaginta et amplius, postea quam primum

Hic nominati statuerunt redire ad Ecclesiam Romanam anno MDXCIV.

1 Fortasse legendum *prudenti* aut quid simile. (R.T.)

a piae memoriae Eugenio Papa IV in generali concilio Florentino Graeci recepti et reconciliati Ecclesiae fuerant. Hanc autem deliberationem et decretum scripto tradiderunt et mandarunt, cui Michael archiepiscopus, et omnes supradicti episcopi subscripserunt, datumque est die secunda mensis decembris anno MDXCIV, in quo seipsos ad Romanae Ecclesiae communionem et unitatem procurandam communi veluti vinculo obstrinxerunt.

Duo episcopi electi procuratores pro hac reconciliatione.

§ 2. Quod igitur idem Michael archiepiscopus et coepiscopi eius supradicti salutariter statuerant, sedulo exequentes, duos ex eorum numero delegerunt primarios episcopos venerabiles fratres Hypatium protothronium, episcopum Wlodimiriensem et Brestensem, et Cyrillum exarcham, episcopum Luceoriensem et Ostrosiensem, praestantes viros et zelo Dei praeditos, qui cum Romam advenissent, secum decretum illud detulerunt, de quo supra diximus, Michaelis archiepiscopi et metropolitae, et sua et aliorum episcoporum, qui superius enumerati sunt, manu subscriptum. Et litteras praeterea ad nos scriptas attulerunt, datas ex regno Poloniae, et magno ducatu Lithuaniae, die XII iunii anno Domini MDXCV, iuxta kalendarium vetus, quibus infrascripti episcopi subscripserant: Michael archiepiscopus, metropolita Kioviensis et Haliciensis ac totius Russiae; Hypatius protothronius, episcopus Wlodimiriensis et Brestensis; Cyrillus exarcha, episcopus Luceoriensis et Ostrosiensis; Gregorius nominatus archiepiscopus, electus in episcopum Polocensem et Vitebscensem; Leontius episcopus Pinscensis et Iuroviensis, postea defunctus; Michael episcopus Premisliensis et Samborensis; Gedeon episcopus Leopoliensis; Dionysius episcopus Chelmensis, et novissime Ionas archimandrita Kobrinensis, electus postmodum in episcopum Pinscensem et Iuroviensem loco praedicti Leontii episcopi, ut praefertur, defuncti.

Supplicant pro receptione, retentis ritibus Graecis.

§ 3. Cum igitur duo supradicti episcopi et oratores Hypatius et Cyrillus benigne a nobis in conspectum et colloquium nostrum essent admissi, easque litteras ab ipsis quoque subscriptas nobis reddidissent, nostram atque Apostolicae Sedis gratiam humiliter petierunt, seque intra gremium Catholicae Romanae Ecclesiae recipi, et tamquam membra iterum capiti uniri supplicarunt, salvis eorum ritibus et coeremoniis in divinis officiis et Sacramentorum administratione, et alias iuxta unionem celebratam in Concilio Florentino inter Occidentalem et Orientalem Graecorum Ecclesiam; vicissim obtulerunt se paratos omnes haereses et schismata damnare, omnesque errores detestari, quos damnat et detestatur sancta catholica Romana Ecclesia, et eos praesertim, quorum causa hactenus ab eadem Romana Ecclesia separati et disiuncti fuerunt. Tum etiam fidei catholicae professionem rite facere, ac nobis denique uti vero Christi Vicario, et sanctae Apostolicae Sedi obedientiam et subiectionem debitam praestare et perpetuo spondere. Attulerunt iidem episcopi praeterea ad nos litteras charissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniae et Sveciae regis, qui ut est egregie pius, et catholicae religionis propagandae cupidus, salutare hoc negotium de Ruthenis ad reconciliationem et unitatem Catholicae Ecclesiae recipiendis magnopere nobis commendavit, quod et alii fratres nostri catholici episcopi Poloni fecere, hoc est, dilectus filius noster Georgius cardinalis Razivilius, episcopus Cracoviensis, Ioannes Demetrius, archiepiscopus Leopoliensis, et Bernardus episcopus Luceoriensis.

§ 4. Nos igitur, qui per Dei gratiam nihil magis optamus aut quaerimus, quam animas Christo lucrari, eorum petitioni-

Clemens, rebus in Congregatione S. Officii examinatis, consistorium indicit,

bus et oblationibus intellectis et consideratis, eas etiam a venerabilibus fratribus nostris S. Romanae Ecclesiae cardinalibus congregationis sanctae romanae et universalis Inquisitionis praefectis diligenter considerari iussimus; cumque omnia accurate excussa et examinata essent, et duo episcopi supradicti Hypatius et Cyrillus tam suo proprio, quam Michaelis archiepiscopi seu metropolitani, et coepiscoporum suorum nomine, quae ad haeresum, errorum et schismatis condemnationem et detestationem pertinebant, rite praestitissent: item prompti essent publice fidem catholicam ex formula praescripta profiteri, ac nobis et Sedi Apostolicae veram obedientiam exhibere, ob eas causas statuimus ad Dei gloriam Ruthenos episcopos et nationem ad corporis Ecclesiae, et Romanae Ecclesiae communionem et unitatem admittendos et recipiendos esse. Quod ut more magis solemni, et maiori cum laetitia spirituali fieret, certo constituto die, hoc est hodierno, qui est tertius et vigesimus mensis decembris anni praesentis MDXCV, sacro sabbati quatuor temporum, et vigiliae Natalis Domini Nostri Iesu Christi geminato ieiunio, venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales, eorumque amplissimum collegium in nostrum apostolicum palatium, et in aulam, quae dicitur Constantini, huius rei causa congregaverimus, quibus nobiscum de more confidentibus, multisque praesulibus, praelatis et aulicis honoratis viris et familiaribus nostris praesentibus et astantibus, duos supradictos episcopos Ruthenos oratores introduci mandavimus, qui ad pedes humilitatis nostrae provoluti, se ad corporis Ecclesiae Catholicae et Romanae Ecclesiae unitatem et obedientiam recipi et admitti iterum suppliciter petierunt. Tum iussu nostro lecta est deliberatio et decretum supradictum Michaelis archiepiscopi metropolitae, et

In quo episcoporum Ruthenorum lectis litteris;

episcoporum Ruthenorum, qui ei subscripserunt, quique supra singillatim nominati sunt, de petenda et, quibusvis impedimentis remotis, firmiter efficienda cum Romana Ecclesia eiusmodi reconciliatione, et membrorum ad caput suum nova unione. Lectum est autem primo loco ruthenico sermone, ut conscriptum est, deinde lecta est versio latina ad verbum. Tum lectae sunt etiam litterae de eadem re ad nos a praedictis Michaele archiepiscopo metropolitano et episcopis Ruthenis scriptae, de quibus supra diximus, et eodem plane modo, primum quidem ruthenico sermone, deinde ex latina versione ad verbum sunt lectae, mox ab uno ex secretariis nostris domesticis clara voce ipsis episcopis et oratoribus latine significari iussimus, quantam animus noster laetitiam caperet, et exultaret spiritus noster in Deo salutari nostro propter Ruthenorum hanc saluberrimam deliberationem, quantum ipsi deberent Deo bonorum omnium auctori, qui Spiritus Sancti afflatu hanc eis mentem dedisset, ut veteres errores agnoscerent et detestarentur, et ad petram fidei, ad Romanam Ecclesiam caput, matrem et magistram omnium ecclesiarum, redirent.

Uterque episcopus fidei professionem emittit nomine totius nationis.

§ 5. Tum illi statim, Hypatius et Cyrillus, tam suo proprio nomine, quam uti oratores et procuratores Michaelis archiepiscopi et coepiscoporum suorum supradictorum, fidem catholicam iuxta formam professionis fidei orthodoxae a Graecis faciendae ab hac Sancta Sede praescriptam integre et de verbo ad verbum professi sunt, nobis et Apostolicae Sedi debitam et perpetuam obedientiam et subiectionem praestiterunt, quam nos una cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus recepimus, atque haec omnia archiepiscopum et episcopos Ruthenos eorum collegas, ac clerum et populum rata et grata habituros, et eamdem fidei pro-

fessionem facturos, atque obedientiam praestituros, omnia denique per ipsos eorum oratores et procuratores, atque et promissa confirmaturos et observaturos, bona fide et corde sincero, coram Deo, qui iudicaturus est vivos et mortuos, iureiurando promiserunt. Primus autem Hypatius episcopus fidei orthodoxae professionem fecit latina lingua, quod ipse latine nosset, iuxta formam praedictam; legit autem eam clara voce de scripto integre in eum, qui sequitur, modum.

Professio fidei episcopi Wlodimiriensis.

§ 6. Sanctissime ac beatissime Pater. Ego humilis Hypatius Pociey, Dei gratia protothronius Wlodimiriensis et Brestensis episcopus in Russia nationis Russorum seu Ruthenorum, unus ex procuratoribus reverendorum in Christo patrum dominorum praelatorum eiusdem nationis, venerabilis Michaelis Rahosa archiepiscopi metropolitae Kioviensis et Haliciensis, ac totius Russiae, et Georgii archiepiscopi denominati electi in episcopum Polocensem et Vitebscensem, et Ionae Hohol electi in episcopum Pinscensem et Iuroviensem, et Michaelem Kopystenski episcopi Premislensis et Samboriensis, et Gedeonis Balaban, episcopi Leopoliensis, et Dionysii Zbiruisky, episcopi Chelmensis, ab eis specialiter constitutus et missus una cum reverendo in Christo patre domino Cyrillo Terleczky exarcha, episcopo Luceoriensi et Ostrosiensi eiusdem nationis, altero ex procuratoribus dictorum dominorum praelatorum, et collega meo ad ineundam et suscipiendam unionem Sanctitatis Vestrae et Sanctae Romanae Ecclesiae, atque ad deferendam debitam obedientiam ipsorum omnium, et totius ecclesiastici eorum status, et ovium eis commissarum, nomine, huic Sanctae Sedi Beati Petri et Sanctitati Vestrae, uti summo pastori universalis Ecclesiae ad pedes Sanctitatis Vestrae positus, ac infrascriptam sanctae orthodoxae fidei professionem, iuxta formam Graecis ad unitatem dictae S. R. E. redeuntibus praescriptam, facturus et emissurus tam procuratorio nomine praedictorum dominorum archiepiscopi et episcoporum Ruthenorum meorum principalium, quam etiam meo proprio simul cum praedicto domino Cyrillo exarcha, episcopo Luceoriensi et Ostrosiensi, procuratore et collega meo, polliceor et promitto, quod ipsi DD. archiepiscopus et episcopi illam ratam et gratam habebunt, ac suscipient et acceptabunt, et intra tempus competens ratificabunt et confirmabunt, atque de novo iuxta praedictam formam de verbo ad verbum facient et emittent, et eorum manu scriptam, et sigillo obsignatam ad Sanctitatem Vestram et hanc Sanctam Apostolicam Sedem transmittent, prout sequitur[1].

Professio fidei alterius procuratoris, scilicet episcopi Luceoriensis.

§ 7. Tum ruthenica lingua conscripta, et similiter ab ipso subscripta pro eo lecta est a dilecto filio Eustachio Volovitio, canonico Vilnensis Ecclesiae, eiusdem linguae perito. Deinde Cyrillus episcopus eamdem orthodoxae fidei professionem fecit ad eamdem prorsus formam, prout Hypatius episcopus fecerat, ruthenice scriptam, eo quod linguam latinam non calleret. Sed, et latine scriptam, ac ab ipso subscriptam, eius nomine legit dilectus filius Lucas, doctorius canonicus Luceoriensis, huiusmodi sub tenore, videlicet: Sanctissime ac Beatissime Pater. Ego humilis Cyrillus Terleczky, Dei gratia, exarcha, episcopus Luceoriensis et Ostrosiensis in Russia, nationis Russorum seu Ruthenorum, unus ex procuratoribus reverendorum in Christo patrum dominorum praelatorum eiusdem nationis, videlicet Michaelis Rahosa, archiepiscopi metropolitae Kioviensis et Haliciensis ac totius Russiae, et Gregorii archiepiscopi denominati electi in episcopum Polocensem et Viteb-

1 Omittitur professio Fidei, quia reperitur impressa.

Iterum nomina praelatorum supra nominatorum hic recitantur.

scensem, et Ionae Hohol electi in episcopum Pinscensem et Iuroviensem, et Michaelis Kopystensky episcopi Premissiensis et Samboriensis, et Gedeonis Balaban episcopi Leopoliensis, et Dionysii Zbiruisky episcopi Chelmensis, ab eis specialiter constitutus, et missus una cum reverendo in Christo patre domino Hypatio Pociey protothronio Wlodimiriensi et Brestensi episcopo eiusdem nationis, altero ex procuratoribus dictorum dominorum praelatorum, et collega meo, ad ineundam et suscipiendam unionem Sanctitatis Vestrae et S. R. E., atque ad deferendam debitam obedientiam ipsorum omnium, et totius ecclesiastici eorum status, et ovium eis commissarum nomine, huic Sanctae Sedi Beati Petri et Sanctitati Vestrae, uti summo pastori universalis Ecclesiae, ad pedes eiusdem Sanctitatis Vestrae positus, ac infrascriptam sanctae orthodoxae fidei professionem, iuxta formam Graecis ad unitatem dictae Sanctae Romanae Ecclesiae redeuntibus praescriptam, facturus et emissurus, tam proprio nomine praedictorum dominorum archiepiscopi et episcoporum Ruthenorum meorum principalium, quam etiam meo proprio simul cum praedicto domino Hypatio protothronio Wlodimiriensi et Brestensi episcopo, procuratore et collega meo, polliceor et promitto, quod ipsi domini archiepiscopus et episcopi illam ratam et gratam habebunt, ac suscipient, et acceptabunt, et intra tempus competens ratificabunt et confirmabunt, atque de novo, iuxta praedictam formam de verbo ad verbum, facient et emittent, et eorum manu subscriptam, et sigillo obsignatam, ad Sanctitatem Vestram et hanc Sanctam Apostolicam Sedem transmittent, prout sequitur. Firma fide, *etc.* [1].

§ 8. Quare nos commisimus et mandavimus dilecto filio nostro Iulio Antonio presbytero cardinali sanctae Mariae Transtyberim sanctae Severinae maiori poenitentiario nostro, ut eosdem Hypatium et Cyrillum, episcopos et oratores, ac eorum comites, familiares et domesticos, tam presbyteros et clericos, quam etiam laicos et alias quascumque personas dictae nationis Ruthenorum Romae praesentes a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, in quas propter praemissa, seu schisma, haereses et errores praefatos, quibus forsan adhaeserint, quomodolibet incurrerunt, auctoritate nostra, in utroque foro absolvat in forma ecclesiae consueta, nec non cum eisdem episcopis, ac eorum comitibus, familiaribus et domesticis, et quibusvis aliis personis, presbyteris et clericis super irregularitate per eos praemissorum occasione contracta, quodque clericali charactere, quo antea rite insigniti fuerunt, illiusque privilegiis uti, ac in omnibus etiam sacris et presbyteratus ordinibus antea rite susceptis etiam in altaris ministerio ministrare, seu dicto charactere, qui insigniti non sunt, insigniri, et si idonei fuerint, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines praedictos promoveri, et quaecumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, etiamsi canonicatus, praebendae, dignitates, personatus, administrationes, vel officia existant, sive si iam obtineant, sive si eis alias in futurum canonice conferantur, recipere et obtinere, et quoad vixerint retinere; nec non cum eisdem episcopis, ut ecclesiis, quibus canonice praesunt, seu praefecti fuerunt, praeesse, et munere consecrationis per eos antea rite suscepto uti, et ad alias similes cathedrales, vel etiam maiores, etiam metropolitanas ecclesias transferri, et illis praeesse, libere et li-

Poenitentiario maiori committitur absolutio ipsorum a censuris.

1 Prout supra, quamvis non sit apposita, cum sit impressa.

cite possint et valeant, dicta auctoritate dispenset.

Et ipsis procuratoribus datur facultas absolvendi caeteros suae nationis.

§ 9. Ipsis vero Hypatio et Cyrillo episcopis et oratoribus facultatem et potestatem dedimus, cum in Russia fuerint, absolvendi, eadem nostra apostolica auctoritate, eodem modo ab excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis, censuris et poenis Michaelem archiepiscopum et caeteros episcopos supradictos. Ac similiter cum praefatis archiepiscopo et episcopis super huiusmodi irregularitate praemissorum occasione per eos fortasse contracta dispensandi. Ac insuper, ut iidem archiepiscopus et episcopi supradicti sic absoluti, et cum quibus, ut praefatur, fuerit dispensatum, unusquisque in propria civitate et dioecesi, vel in sua iurisdictione omnes et singulos tam presbyteros et clericos, quam alias quascumque etiam laicas utriusque sexus personas, qui, quaeve ad huiusmodi unitatem S. R. E. venerint, vel eam amplexi fuerint, in praedicta forma ecclesiae absolvere, nec non cum presbyteris et clericis praedictis super irregularitate per eos vel eorum aliquem, occasione praemissorum, quomodolibet contracta quoad ordinum exequutionem, quam quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum retentionem vel assequutionem, dispensare pariformiter eadem nostra auctoritate possint, quemadmodum etiam aliis litteris nostris in forma brevis latius continetur.

Admissio Ruthenorum ad petitam unionem.

§ 10. Ut igitur de Ruthenorum ad Romanam Ecclesiam reditu et reconciliatione ad posteritatis memoriam certa et perpetua extet testificatio, hac nostra perpetua constitutione[1] venerabiles fratres Michaelem archiepiscopum metropolitam, et caeteros episcopos Ruthenos supradictos, qui decreto consenserunt, et litteris ad nos missis subscripserunt, tam praesentes quam absentes, una cum omni eorum clero et populo nationis ruthenae, seu russae, quae ad temporale dominium et ditionem charissimi filii nostri Sigismundi Poloniae et Sveciae regis pertinet, ad laudem et gloriam Sanctae et individuae Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus Sancti, ad incrementum et exaltationem fidei christianae, intra gremium Ecclesiae Catholicae, et unitatem S. R. E., uti membra nostra in Christo recipimus, unimus, adiungimus, annectimus et incorporamus, atque ad maiorem charitatis nostrae erga ipsos significationem, omnes sacros ritus et coeremonias, quibus rutheni episcopi et clerus iuxta sanctorum Patrum Graecorum instituta in divinis officiis, et sacrosanctae missae sacrificio, caeterorumque sacramentorum administratione, aliisve sacris functionibus utuntur, dummodo veritati et doctrinae fidei catholicae non adversentur, et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, eisdem ruthenis episcopis et clero ex apostolica benignitate permittimus, concedimus et indulgemus.

Clausula derogatoria.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Pontificis precatio.

§ 12. Omnes igitur unanimes, uno spiritu, benedicamus Deum coeli et patrem misericordiarum, qui facit mirabilia magna solus a saeculo, qui corda filiorum ad patrem convertit, oves Christi ad ovile reduxit, membra capiti iterum conglutinavit. Benedictus Deus, qui semper cogitat cogitationes pacis, et vult omnes salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Benedicti sint fratres nostri Michael, archiepiscopus metropolita, et coepiscopi eius rutheni, qui aures suas non obturaverunt ad voces Domini, sed illi ad ostium cordis stanti et pulsanti aperuerunt, per ipsius gratiam, qui dat velle et perficere pro bona voluntate. Det illis Deus abundantiam caelestium donorum

1 Forte *perpetuo valitura constitutione* (R.T.).

et conservet et corroboret in hoc sancto proposito cum omni clero et fideli populo, ut permaneant in charitate et obedientia S. R. E. matris suae, ut agnoscant et perpetuo confiteantur magnitudinem divinae misericordiae erga ipsos, et ambulent in via Domini conservantes unitatem spiritus in vinculo pacis nobiscum, ut filii nostri dilecti, quos singulari nostro cum gaudio suscepimus in Domino. Ita Christus Dominus pro sua immensa clementia Ruthenorum exemplo Graecos omnes ab orthodoxae fidei tramite aberrantes, qui eos in erroribus sequuntur, permoveat, qui Ruthenis ipsis in hac reconciliatione praeire debuerant, qui tamdiu duplici gravissimo iugo animae et corporis premuntur, quorum calamitatem dies et noctes lugemus, et ut ipsi sectentur unitatem et pacem, ac erroribus et tenebris reiectis, amplectantur veritatem et lucem, et revertantur ad nos, qui intra cor nostrum in visceribus Iesu Christi eos recipere optamus, *ut in omnibus glorificetur Deus, et Pater Domini Nostri Iesu Christi, et fiat unum ovile, et unus pastor.* Amen.

Fides transumptorum.

§ 13. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae iisdem praesentibus haberentur, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, *etc.*, nostrae receptionis, unionis, adiunctionis, annexionis, incorporationis, permissionis, concessionis et indulti infringere, *etc.*

Si quis autem, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDXCV, decimo kalend. ianuari, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 23 decembris 1595, pont. an. IV.

CXXIII.

Approbatio Pontificalis Romani *pro caeremoniis et ritibus ab Ecclesiae Catholicae episcopis observandis nuper restituti.*

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex quo in Ecclesia Dei multa, tum a sacris conciliis, tum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ad Dei gloriam augendam, et ad catholicae fidei unitatem ubique retinendam, pie ac sapienter instituta sunt, nihil magis iidem Pontifices praedecessores nostri curandum sibi esse statuerunt, quam ut communes ecclesiastici muneris rationes ad propriam normam, servata antiquitatis auctoritate, revocarent.

Pius V Breviarium et Missale restituit.

§ 1. Hac sollicitudine impulsus felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, formulam primum psallendi horas canonicas et celebrandi missas, varie prius constitutam, et a nonnullis praedecessoribus nostris restitui et instaurari coeptam, ad unam pariter formam, Romano Breviario ac Missali propterea summo studio, ac diligenter edito, redigendam curavit.

Alii Pontifices Pontificale ediderunt.

§ 2. Atque hoc sane consilio alii Romani Pontifices, qui eumdem Pium praecesserunt, pontificales etiam caeremonias ac ritus, quibus eiusdem Catholicae Ecclesiae praesules in suorum munerum functione uterentur, certis similiter forma et modo praefinitis, in Romanum Pontificale retulerunt.

Sed postea eius immutata forma.

§ 3. Caeterum, quia eaedem caeremoniarum ac rituum formulae ibi expressae, postea, sive diuturnitatis iniuria, sive typographorum negligentia, sive alia de causa, in ipso Pontificali partim immutatae, partim corruptae, veteris instituti atque

auctoritatis gratiam magna ex parte amiserant; idcirco necessaria res visa est, ut eaedem formulae in sacris praesulum ecclesiasticorum muneribus servandae, recuperato prioris integritatis statu, omnino restituerentur, et ab omnibus praescripta firma aliqua ratione observarentur.

Clemens itaque emendari, et emendatam edi, et divulgari iussit.

§ 4. Nos igitur ad summum apostolatus apicem, meritis licet imparibus, evecti, praedictorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, omni cura et sollicitudine adnitendum nobis esse duximus, ut errores, qui quidem nec pauci, nec leves in idem Pontificale, depravatis passim locis, irrepserant, quam accuratissime tollerentur. Idem enim Pontificale, corrupti et mendosi voluminis speciem ideo praeseferebat, ut (multis dictionibus hinc inde partim in unam contractis, partim una in plures distincta, partim iisdem male ac perperam collocatis et traiectis, partim denique ipso orationis sensu mutato) dubium esset, quibus tandem officiis vel laudibus iidem ecclesiae praesules divinum numen prosequerentur; praeterquam quod in rubricis etiam sparsim, turbata ordinis serie, dispositis, tanta erat varietas et obscuritas, ut multis in locis recte nec ne se haberent, opinione magis quam iudicio esset statuendum. Hanc ergo ad rem, tam cum ecclesiae cultu officioque nostro coniunctam, tamque eorum, qui pro impositi oneris debito, sacris ecclesiae muneribus vacare debent, concordiae et unitati congruentem, examinandam et absolvendam piis quibusdam atque insignibus viris, diu multumque in pontificalibus caeremoniis et ritibus versatis, negocium dedimus, dictum Pontificale undequaque corrigendi et restituendi, necnon quaecumque ad exactam illius editionem spectare viderentur perquirendi et praestandi. Cumque apud eos paterna hortatione, ad hoc opus maturandum, quotidie fere uteremur, re tota tandem ad nos perlata, et in hanc, quae nunc editur, formam redacta, singulari Dei benignitate (neque enim aliter accipimus) Pontificale Romanum tandem restitutum et absolutum est, atque ita ex omni parte dispositum (quod ii etiam, qui negocio ac muneri huic praefuere, confirmarunt) ut nihil ab antiquis Pontificalium codicibus, qui tum in clarioribus Urbis ecclesiis, tum in nostra Vaticana bibliotheca, ac denique in quibusdam aliis insignibus locis asservantur, alienum aut discrepans irrepserit. Ad quam operam, in vetustis libris inter se conferendis, strenue ac fideliter navatam, id commodi quoque accessit, quod ii qui ea in re industriam collocarunt, ex gravissimis scriptoribus eos demum auctores, qui omnium probatissimi haberentur, sequuti fuerint; quodque ambiguis omnibus ac dubiis rebus praetermissis, eas dumtaxat, quae essent in veteris Pontificalis summa compraehensae, delegerint, iis tamen exceptis, quae ad Romanum Pontificem attinebant, quod nimirum in caeremoniali S. R. E. sunt expressae. Ex rubricis vero, multis detractis, quae exactiore methodo in librum caeremoniarum episcoporum sunt relata, plerisque etiam, uti necessitatis ratio postulabat, adiectis, et praeterea non paucis quibusdam in melius commutatis, clariusque expositis, ac denique cantu plano in aptiorem modulationis formam (permultis syllabis, pro temporum natura, ubi ratio eas produci et corripi postulabat, contra quam prius in antiquo Pontificali expressum erat, magis apposite extensis, vel contractis a viris eius rei peritis, ad hoc iussu nostro delectis) diligenter redacto, opus iam absolutum probavimus, et Romae edi, editumque divulgari mandavimus.

Quae emendatio facta est adhibitis vetustissimis Vaticanis aliisque codicibus.

§ 5. Ut autem ipsius operis labor fi-

Et modo observari praecipit, aliisque quemquam uti posse prohibet.

nem eum, ob quem est susceptus, sortiatur, utque posthac in omnibus et singulis ecclesiis, uno eodemque modo caeremoniae et ritus pontificales observentur, motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula Pontificalia in hunc usque diem in quibuscumque terrarum orbis partibus impressa et approbata, et quibusvis privilegiis apostolicis munita, et decretis ac clausulis roborata, per praesentes supprimimus et abolemus, eorumque usum in posterum universis ecclesiis, monasteriis, conventibus, militiis, ordinibus et locis, atque etiam omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis ecclesiarum praelatis, caeterisque omnibus et singulis personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus utriusque sexus, interdicimus et prohibemus, et hoc nostrum Pontificale sic restitutum et reformatum in omnibus universi terrarum orbis ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis, etiam exemptis, siquae sunt, recipi et observari praecipimus.

Immutari vetat.

§ 6. Statuentes Pontificale praedictum nullo umquam tempore, in toto vel in parte mutandum, vel ei aliquid addendum, aut omnino detrahendum esse, ac quoscumque, qui pontificalia munera exercere, vel alias, quae in dicto Pontificali continentur, facere aut exequi debent, ad ea peragenda et praestanda, ex huius Pontificalis praescripto et ratione teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum est, nisi formulis, quae hoc ipso Pontificali continentur servatis, satisfacere posse.

Introductionem demandat,

§ 7. Omnibus igitur et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et caeteris ecclesiarum praelatis, necnon aliis, quibuscumque personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus utriusque sexus, ad quas id spectat, praecipimus ac mandamus, ut, omissis quae sic suppressimus et abolevimus caeteris omnibus Pontificalibus, hoc nostrum in suis ecclesiis, monasteriis, conventibus, ordinibus, militiis, dioecesibus et locis praedictis recipiant, illoque posthac perpetuo utantur.

Publicatio litterarum.

§ 8. Caeterum, ut praesentes litterae omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariae apostolicae, et in acie Campi Florae publicari, earumque exemplar de more affigi. Volumusque praeterea, et motu atque auctoritate similibus decernimus, ut qui in Romana Curia sunt praesentes, lapsis duobus mensibus, qui vero intra montes, octo, et qui ultra ubique locorum degunt, duodecim integre excursis, vel alias ubi venalium huius Pontificalis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras caeremonias et ritus in eodem Pontificali praescriptos, iuxta illius modum et normam, in quibuscumque actibus exercere et observare teneantur.

Exemplis credi iubet.

§ 9. Ipsarum autem litterarum exempla, manu notarii publici, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae, aut illius curiae obsignata, vel in ipsis voluminibus, absque praedicto, vel alio quopiam adminiculo, Romae impressa, eam ubique locorum et gentium fidem faciant, quam praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x februarii MDXCVI, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 10 februarii 1596, pontif. an. v.

CXXIV.

De exequutione Concilii Tridentini contra regulares, non subditos episcopis, extra claustra notorie delinquentes, et de poenis eorum superiorum, qui illos punire negligunt [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Suscepti muneris ratio postulat, ut ea, quae in sacro Tridentino Concilio provide constituta sunt, ab iis, ad quos spectat, inviolate observari curemus.

Concil. Trid. sess. XV, cap. IV, iussit regulares extra claustra notorie delinquentes certo modo puniri.

§ 1. Maturo sane consilio ipsius Concilii decreto provisum est, ut quicumque regularis non subditus episcopo, intra claustra degens extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante, a suo superiore, intra tempus ab episcopo praefigendum, severe puniatur, et superior de punitione episcopum certiorem faciat, sin minus, ipse a suo item superiore officio privetur, et delinquens ab episcopo puniri possit.

Sed exequutio dicti Concilii deficiebat ex causis hic expressis.

§ 2. Verum quia experientia compertum est, interdum in huiusmodi decreti exequutione nimis remisse procedi; cum enim episcopus instat, aliquem regularem, eo quo supradictum est modo, delinquentem a suo superiore puniri, saepe fit, ut superior regularem delinquentem ad alia suorum Ordinum loca, extra episcopi dioecesim, ex industria impunitum transmittat, atque etiam ipse aliquando ad alias provincias se conferat, nec ulterius super delinquentis excessibus inquirat, et de eius punitione episcopum certiorem reddat. Unde nec regularis delinquens tunc ab episcopo puniri potest, cum extra ipsius dioecesim existat, nec superior, qui delinquentem corrigere negligit, officio privatur.

Hic ergo Pontifex praescribit normam, qua dicti concilii decretum exequi debeat.

§ 3. Nos, pro pastorali nostra sollicitudine, praefati decreti exequutioni, quantum cum Domino possumus, favere et praemissis malis, ut par est, opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium praedicti Concilii interpretum sententia, motu proprio et ex certa scientia nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, omnibus et singulis cuiuscumque ordinis et instituti regularium, etiam Mendicantium superioribus, in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae, ac privationis dignitatum et officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis poenis, praecipimus et mandamus ut, iuxta praedictum decretum, quilibet ipsorum, regularem non subditum episcopo, intra claustra degentem, et extra ea ita notorie delinquentem, ut populo scandalo sit, episcopo instante, intra tempus ab episcopo praefigendum, severe puniat, ac de punitione episcopum certiorem faciat, et alias decretum ipsum, in omnibus et per omnia exequatur. Caeterum si superior in regularem delinquentem non animadverterit, quinimmo si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca, extra episcopi dioecesim, ut praefertur transmiserit, volumus, et simili motu atque auctoritate decernimus, ut superior, instante episcopo, intra terminum ab episcopo praefigendum, et sub eisdem indignationis nostrae, ac privationis dignitatum et officiorum obtentorum, necnon et sub inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac ulterius privationis activae et passivae vovis (ad quas a nemine, praeterquam a nobis, et a Romano Pontifice pro tempore exi-

1 De materia autem extra claustra vagantium, et apostatarum, plene vide in Pauli IV constitutione XXIII quae incipit: *Postquam*, tom. VI, pag. 538.

stenti restitui possit, ipso facto similiter incurrendis poenis, ipsum regularem delinquentem a loco, ad quem transmissus fuit, revocare, et in quo deliquit constituere seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere praetermiserit, per praesentes similiter statuimus, ut Ordinarius loci, ad quem regularis delinquens transmissus fuerit, super praemissis ab ipso Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel alias de illius delicto informatus, ut praefertur, tamquam Sedis Apostolicae delegatus, praedictum Concilii decretum omnino exequi, et in regularem delinquentem severe animadvertere possit et debeat.

Et ita, et non alias posse iudicari decernit.

§ 4. Decernentes sic et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam eiusdem Romanae Ecclesiae cardinales, et causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulasque contrariis derogatorias apponit.

§ 5. Non obstantibus quibusvis eorumdem Ordinum vel institutorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Formam et effectum pubblicationis addit.

§ 6. Ut autem praesentes litterae omnibus supradictis innotescant, mandamus illas ad valvas ecclesiae sancti Ioannis Lateranensis, et basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Florae affigi et publicari; volumusque post quindecim dies, eos qui in Urbe sunt, qui vero extra eam et citra montes, intra quatuor, qui demum ultra montes erunt, intra octo menses a die publicationis huiusmodi computandos, perinde afficere et arctare, ac si eorum unicuique personaliter intimatae fuissent.

Transumptis fidem dari praecipit.

§ 7. Ac earumdem praesentium litterarum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae obsignatis, eamdem fidem in iudicio et extra illud haberi, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum praecepti, mandati, voluntatis, decreti, *etc.*, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, septimo kalendas martii, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 23 februarii 1596, pont. an. v.

CXXV.

Metropolitae Ruthenorum conceditur facultas consecrandi episcopos sui ritus pro ecclesiis vacantibus, qui tamen metropolita a Romano Pontifice debeat confirmari [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Decet Romanum Pontificem, eos qui, pravis schismatum erroribus relictis, ad sanctae matris Ecclesiae unitatem redierunt, specialibus favoribus prosequi, ut illi in eiusdem Ecclesiae fide et obedientia eo constantius perseverent, quo cumulatioribus beneficiis se affectos esse perspexerint.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Facti series.

§ 1. Cum itaque venerabiles fratres Hypatius, protothronius Wlodimiriensis et Brestensis, ac Cyrillus, exarcha Luceoriensis et Ostrosiensis, episcopi nationis Ruthenae seu Russae, suo et venerabilium fratrum Michaelis archiepiscopi, metropolitae Kioviensis et Haliciensis ac totius Russiae, Gregorii archiepiscopi nominati, electi in archiepiscopum Polocensem et Vitebscensem; Michaelis, episcopi Praemistiensis et Samboriensis; Gedeonis, episcopi Leopoliensis; Dionysii, episcopi Chelmensis et Belsensis; Leontii, episcopi Pinscensis et Iuroviensis, postea defuncti, et Ionae, archimandritae Kobrinensis ecclesiae Sancti Salvatoris, deinde electi in episcopum Pinscensem et Iuroviensem loco dicti Leontii, episcopi defuncti, nomine, qui antea cum Romana Ecclesia non communicabant, sed, proprii sermonis et idiomatis usu retento, graeco ritu vivebant, ad nos, et ad Sedem Apostolicam nuper accesserint, ac tam privato amborum, quam praedictorum Michaelis archiepiscopi et aliorum coepiscoporum communi et procuratorio nomine, se et illos in eiusdem Ecclesiae gremium recipi, et tamquam membra suo capiti uniri supplicaverint, ac omnes suos et ipsorum errores, haereses et schismata damnaverint et detestati fuerint, fideique orthodoxae professionem, iuxta formam Graecis ab hac Sancta Sede praescriptam, integre et ad verbum fecerint et emiserint, nobisque et Apostolicae Sedi debitam obedientiam et subiectionem praestiterint et perpetuo praestare promiserint; nosque, nomine pii patris, ipsos universumque eorum clerum et populum Ruthenae seu Russae nationis in eiusdem Ecclesiae gremium receperimus, et tamquam membra in Christo unitati Ecclesiae restituerimus et incorporaverimus, ac praeterea ad nostram erga ipsos charitatem magis ostendendam, omnes sacros ritus et caeremonias, quibus idem archiepiscopus seu metropolita, episcopi et clerus praedicti, iuxta Sanctorum Patrum Graecorum instituta, in divinis officiis et sacrosancto missae sacrificio, et sacramentorum administratione, aliisque sacris functionibus utantur, dummodo veritati et fidei catholicae non adversentur, et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, ex apostolica benignitate eisdem permiserimus, concesserimus et indulserimus, aliaque fecerimus, quae in nostris sub plumbo confectis litteris, datis decimo kalendas ianuarii praesentis anni, plenius continentur.

Episcopi Rutheni supplicarunt recipi in Cath. Ecclesiae gremium.

Motus proprius quo conceditur.

§ 2. Cupientes nunc eosdem ulterioribus gratiis prosequi, cum provincia Russiae seu Ruthena longo intervallo a Romana Curia distet, et propterea episcopis, qui pro tempore eligentur, valde incommodum futurum sit, ad Apostolicam Sedem pro suae electionis confirmatione accedere, seu etiam alios, qui eorum nomine huiusmodi confirmationem petant ad eamdem Sedem transmittere, eorum in hac parte commodis et indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, et ex certa scientia nostris, et Sedis Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, statuimus et ordinamus, ut quandocumque post hac aliquas ex praedictis eorum cathedralibus ecclesiis, seu sedibus episcopalibus, Wlodimiriensis nimirum et Brestensis invicem, Luceoriensis et Ostrosiensis etiam invicem, Polocensis et Vitebscensis etiam invicem, Pinscensis et Iuroviensis pariter invicem, Praemislensis et Samboriensis similiter invicem, Chelmensis et Belsensis etiam invicem, Leopoliensis et Camenecensis etiam invicem perpetuo, vel alias unitis seu annexis, pastoris solatio destitui, aut quovis modo vacare contigerit, is qui ad dictas ecclesias pastoris so-

latio destitutas seu vacantes, iuxta morem eorum seu modum illis permissum, electus seu nominatus fuerit, a praedicto archiepiscopo metropolita Kioviensi ac Haliciensi, nunc et pro tempore existenti, auctoritate et nomine Sedis Apostolicae confirmari vel institui, eique munus consecrationis impendi possit et debeat, ac ut sic electus seu nominatus et confirmatus vel institutus, ab eodem archiepiscopo metropolita, vel de eius licentia ab alio catholico antistite eiusdem nationis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, duobus vel tribus aliis episcopis catholicis, ac similem communionem habentibus, assistentibus, munus consecrationis huiusmodi suscipere, idemque antistes illi dictum munus impendere valeat. Super quo ipsi tam in episcopum pro tempore electo seu nominato et confirmato, quam archiepiscopo metropolitae pro tempore existenti plenam, amplam et liberam potestatem et facultatem per praesentes concedimus et indulgemus.

Facultas archiepiscopo metropolitae Kioviensi et Haliciensi, vel de eius licentia alii catholico antistiti confirmandi electos ad ecclesias cathedrales et sedes episcopales.

§ 3. Verum cum sedes archiepiscopales, seu metropolitanas ecclesias Kioviensem et Haliciensem praedictas similiter invicem perpetuo, vel alias unitas sive annexas, per obitum, vel alias quovis modo, quandocumque tam forsan in Romana Curia, quam extra eam ubilibet pastoris solatio destitui, seu vacare contigerit, volumus, et pari motu atque auctoritate, perpetuo statuimus et ordinamus ut is, qui in archiepiscopum seu metropolitam, iuxta eorum morem seu modum illis permissum, pro tempore similiter electus seu nominatus fuerit, electionis seu nominationis suae confirmationem, institutionem seu provisionem, necnon et muneris consecrationis licentiam a nobis et a Romano Pontifice pro tempore existente, petere et obtinere omnino teneatur et debeat.

Romano Pontifici reservatur confirmatio metropolitae.

§ 4. Volumusque et similiter perpetuo statuimus, ut litterae confirmationis seu institutionis et provisionis huiusmodi, et licentiae praedictae in eadem Curia per officiales, ad quos spectat, per viam secretam gratis expediantur. Decernentes sic et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, quacumque auctoritate et dignitate fungentes, sublata eis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Confirmationis litterae per secretam viam expediendae.

§ 5. Non obstantibus quibuscumque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Clausula derogatoria.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium exemplis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo hominum, *etc.*, nostrorum statutorum, ordinationis, concessionis, indulti, decreti et voluntatis infringere, *etc.*, Si quis, *etc.*, incursurum.

Fides exemplorum, et clausulae poenales.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDXCVI, VII kal. martii, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 23 februarii 1596, pontif. an. v.

CXXVI.

Episcopis Wlodimiriensibus et Brestensibus, rutheni ritus, conceditur usus vestium sacrarum, quas Saccocium *appellant, dalmaticarum et tunicarum*

instar, dum sacrosanctum missae sacrificium divinaque officia pontificali more celebrant [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei,

Venerabili fratri Hipatio protothronio metropolis Kioviensis, episcopo Wlodimiriensi et Brestensi, nationis Ruthenae seu Russae, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Romanus Pontifex eos specialibus favoribus libenter prosequi consuevit, quorum merita et virtutes suis ac Sedis Apostolicae benificiis dignas esse animadvertit.

Quae Wlodimiriensis et Luceoriensis episcopi pro unione gesserant, reconset.

§ 1. Cum igitur tu, necnon venerabilis frater Cyrillus, exarcha metropolis Kioviensis, episcopus Luceoriensis et Ostrosiensis nationis Ruthenae seu Russae utriusque vestrum, et aliorum venerabilium fratrum Michaelis archiepiscopi metropolitae Kioviensis ac totius Russiae, nec non Gregorii archiepiscopi nominati, electi in episcopum Polocensem et Vitebscensem; Michaelis, episcopi Praesmisliensis et Samboriensis; Gedeonis, episcopi Leopoliensis; Dionysii, episcopi Chelmensis et Belsensis; Leontii, episcopi Pinscensis et Turoviensis, postea defuncti, et Ionae, archimandritae Kobrinensis ecclesiae Sancti Salvatoris, deinde electi in episcopum Pinscensem et Turoviensem, loco dicti Leontii episcopi defuncti nomine, qui omnes antea cum Romana Ecclesia minime communicabatis, sed, proprii sermonis et idiomatis usu retento, graeco ritu vivebatis, ad nos et Sedem Apostolicam nuper accesseritis, ac tam privato amborum, quam praedictorum archiepiscopi sive metropolitae, et aliorum coepiscoporum communi et procuratorio nomine, vos et illos in Romanae Ecclesiae gremium recipi, ac tamquam membra suo capiti uniri supplicaveritis; universosque vestros et illorum errores, haereses et schismata damnaveritis et deserti fueritis, fideique orthodoxae professionem, iuxta formam Grecis ab hac Sancta Sede praescriptam, integre et ad verbum feceritis et emiseritis, nobisque et Apostolicae Sedi debitam obedientiam et subiectionem praestiteritis et perpetuo praestare promiseritis; nosque more pii patris vos et ipsos, universumque eorum clerum et populum Ruthenae seu Russae nationis praedictae in eiusdem Ecclesiae gremium receperimus, et tanquam membra in Christo unitati Ecclesiae restituerimus et incorporaverimus; volentes nunc, ut par est, insignem aliquam paternae nostrae erga fraternitatem tuam voluntatis significationem ob eam rem pie ac diligenter pro virili sua parte prestitam exhibere.

Quare eidem Saccoccii usum concedit.

§ 2. Motu proprio, et ex certa scientia nostris, eidem fraternitati tuae, ac tuis successoribus Wlodimiriensibus et Brestensibus, episcopis in unione et obedientia sanctae Romanae Ecclesiae perseverantibus, ut post hac perpetuis futuris temporibus, vestibus illis sacris, quas *Saccos* appellatis, dalmaticarum et tunicarum instar, quibus venerabilis frater archiepiscopus seu metropolita ex speciali indulto uti solet, et quibus eidem archiepisco seu metropolitae, vel alicui vestrae nationis episcopo sine simili indulto uti non licet, dum sacrosanctum missae sacrificium, vel alia divina officia pontificali more, tu vel ipsi successores tui celebrabitis, uti libere et licite valeatis, facultatem et licentiam, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex specialis dono gratiae, concedimus et indulgemus.

§ 3. Ut vero eius rei aliquod monumentum extet, et in eadem tua ecclesia

1 Ex Regest. in Secret. Brevium. Simile privilegium hac die, iisdemque expressum verbis concessit Clemens episcopis Luceoriensibus, quibus sacras vestes rubri coloris dono dedit.

Ipse Clemens vestes huiusmodi coerulei coloris auro argentoque intertextas ei dono dat.

post hac perpetuo conservetur, nos eas vestes auro et serico coerulei coloris intertextas et eminentibus hinc inde liliis auro similiter intorto seu ricio, ut vocant, ornatas, confici iussimus, illasque cum nonnullis altaris ornamentis, necnon cum stola tum minore tum maiore, quas *Petrochilos* et *Omophoria* appellatis, ac cum aliis vestibus inferioribus, quibus pro albis utimini, ex serico coerulei coloris confectis, floribusque aureis et argenteis decoratis, simili motu et auctoritate, eidem fraternitati tuae ac tuis successoribus praefatis, gratiose donavimus et elargiti sumus, prout denuo, auctoritate apostolica tenore praesentium, donamus et clargimur.

Clausulae.

§ 4. Decernentes sic et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, quacumque auctoritate et dignitate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus, ecclesiarum Wlodimiriensis et Brestensis praefetarum statutis et consuetudinibus, quavis etiam apostolica auctoritate roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium exemplis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prosus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales.

§ 7. Nulli ergo, *etc.* Si quis autem, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDXCVI, IV kalendas martii, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 26 februarii 1596, pontif. an. v.

CXXVII.

Moderatio bullae Sixti V contra clericos male promotos et eos promoventes editae, cum praeservatione poenarum ibidem simoniace ordinatis et ordinantibus inflictarum [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanum Pontificem decet, ea quae ob iustas causas interdum statuta sunt, cum ipsa rerum experientia suadet, moderari et immutare, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Sixti V bulla est hic citata.

§ 1. Alias sane emanarunt litterae felicis recordationis Sixti PP. V, praedecessoris nostri, contra clericos male promotos, ac in episcopos in ordinum collatione peccantes tenoris infrascripti, videlicet: Sixtus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam, *etc.*, Sanctum et salutare [2].

Moderatio dictae constitutionis Sixti V eiusque reductio ad terminos sacrorum canonum, bullae Pii II et Conc. Trident.

§ 2. Nos animadvertentes in dictis litteris nihil fere, quo ad ea, quae in ordinum collatione servanda sunt, disponi ultra id, quod in sacris canonibus, et in Concilii Tridentini decretis, aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus dispositum fuit, sed poenas dumtaxat varias, tam saeculares, quam cuiusvis Ordinis, instituti et militiae regulares male promotos constitui, absolutionemque et dispensationem

1 Haec constitutio, quae incipit *Sanctum*, legitur tom. IX, pag. 63.

2 Omittitur insertio bullae, quoniam eam habes in loco cit. in rubrica.

Sedi Apostolicae reservari, et alias sicut in praefatis litteris continetur; considerantesque, tam promoventes, quam eos, qui ad dictos ordines promoventur, saepe censuris et poenis huiusmodi, ob illarum multiplicitationem in eorum perniciem animarum, variis modis illaqueari, nonnullos ex praelatis et episcopis in conferendis huiusmodi ordinibus nimis scrupolose procedere, multosque metu poenarum et censurarum praefatarum, ab ordinum collatione prorsus deterreri, adeo ut clericorum et sacerdotum numerus propterea aliquibus in locis valde imminutus sit, omnium in praemissis saeculari tati ac animarum saluti, parterna charitate prospicere volentes, motu proprio, et ex certa scientia nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, supradictas litteras ad terminos sacrorum canonum, ac constitutionis recolendae memoriae Pii Papae II, etiam praedecessoris nostri, quae incipit: *Cum ex sacrorum ordinum* [1], sub dat. videlicet XV kal. dec. anno Incarnationis Dominicae MCDLXI, pontificatus sui anno IV, cuius tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, et ad dispositionem decretorum sacri Tridentini Concilii restringimus et reducimus, nec non censuras et poenas in eisdem Sixti litteris contra quoscumque, praeterquam contra simoniace ordinantes et ordinatos, inflictas, quas volumus in suo robore permanere (aliis omnibus poenis a sacris canonibus et conciliis contra predictos omnes similiter inflictis salvis et firmis remanentibus) moderamur et abolemus.

Causae moderationis praedictae faciendae.

§ 3. Decernentes sic et non aliter, per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam eiusdem Romanae Curiae cardinales, et causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausula sublata.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes nostrae omnibus supradictis innotescant, dilecto filio nostro in alma Urbe in spiritualibus vicario iniungimus, nec non venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et quibusvis aliis ecclesiarum praelatis et locorum Ordinariis, seu eorum vicariis in spiritualibus generalibus, praecipimus et mandamus, quatenus statim ac praesentes nostras litteras, seu earum exempla authentica, etiam impressa receperint, illas seu illa in Urbe, et in suis quisque provinciis, civitatibus, dioecesibus, et locis solemniter publicent et publicari faciant.

Clausula derogatoria.

§ 5. Volumus autem, *etc.* Nulli ergo hominum liceat, *etc.*

Fides exemplorum, et sanctio poenalis.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDXCVI, pridie kal. martii, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 28 februarii 1596, pontif. an. V.

1 Quae legitur tom. V, pag. 165.

CXXVIII.

Facultas Philippo regi catholico, militiae de Montesia perpetuo administratori, ut in controversiis inter militiam praedictam et locorum Ordinarios, et alias ecclesiasticas personas ortis, pro concordia et amicabili compositione se interponere valeat [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico

Clemens Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultatem, de qua in rubrica Carolo V concessit Clemens Papa VII pro militia S. Iacobi de Spatha.

§ 1. Controversiis et litibus olim in Romana Curia, et extra eam coram diversis iudicibus ordinariis et delegatis inter archiepiscopos Toletanum et Hispalensem, ac Episcopos Cordubensem, Conchensem, Cauriensem, Abulensem, Pacensem, Gadicensem et Oxomensem, eorumque Capitula et nonnullos alios ecclesiarum praelatos et personas ecclesiasticas regnorum Hispaniae, ac priores, milites et alios fratres militiae Sancti Iacobi de Spatha, sub regula Sancti Augustini, eorumque conventus super iure decimandi, seu praestatione et solutione quarumdam decimarum, tam novalium, quam pecorum et armentorum, rebusque aliis in actis causarum huiusmodi latius deductis, et illorum occasione pendentibus, aliis item, ut formidabatur, orituris, ut illae omnes amicabili concordia terminarentur, felicis recordationis Clemens Papa VII hortatu clarae memoriae Caroli V Romanorum imperatoris, Hispaniarum regis, et dictae militiae perpetui administratoris per Sedem Apostolicam deputati, genitoris tui, per suas litteras in forma brevis confectas eidem Carolo imperatori, regi et administratori facultatem et auctoritatem tribuit componendi et concordandi lites, differentias et controversias huiusmodi, seque inter partes praedictas interponendi.

Paulus III iudicibus, quo minus in huiusmodi causis se ingererent, prohibuit.

§ 2. Idipsumque postea piae memoriae Paulus Papa III per alias suas similes litteras illi commisit causas universas et singulas praedictas ubicumque et quomodocumque pendentes in eodem statu, quo pendebant, ad suum beneplacitum, facta iudicibus et collitigantibus huiusmodi legitima intimatione, suspendendo, et ne durante huiusmodi beneplacito suo, in causis predictis quicquam innovaretur inhibendo, decernens partes ipsas ad observandum quidquid per illum concordatum, aut amicabiliter compositum foret, omnino teneri, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attentari.

Et lites cum episcopis quibuscumque, et personis ecclesiasticis regnorum Hispaniae pendentes tali indulto comprehendi declaravit

§ 3. Et subsequenter ad tollendum dubium, an sub illis verbis generalibus, *et alios praefatos, et personas ecclesiasticas*, caeteri archiepiscopi et episcopi regnorum praedictorum comprehendebantur, ipse Paulus praedecessor per alias suas litteras causas praedictas non solum inter Toletanum et Hispalensem archiepiscopos, ac Cordubensem, Conchensem, Cauriensem, Abulensem, Pacensem, Gadicensem et Oxomensem episcopos, illorumque Capitula huiusmodi in dictis litteris, ut praefertur, specialiter nominatos, sed etiam Granatensem, Compostellanensem et Valentinensem archiepiscopos, necnon Pacensem, Burgensem, Carthaginensem, Giennensem, Malacitanensem, Civitatensem, Salamantinensem, Zamorensem, Seguntinensem, Legionensem, Segobiensem, Albarazinensem, Calaguritanensem et Pampilonensem episcopos, eorumque Capitula, et quascumque alias personas ecclesiasticas in dictis regnis consistentes, ac ipsos priores, praeceptores, milites et fratres, eorumque conventus, tam super decimis et aliis rebus praedictis in ipsis litteris expressis, quam etiam super iurisdictione, nec non iurepatronatus, seu praesentandi personas idoneas dictae militiae ad vicarias, praeceptorias, et alia beneficia ecclesiastica eiusdem militiae, illaque administrandi, regendi, gubernandi et visitandi, tam in dicta curia, quam extra eam coram quibuscumque iudicibus ordinariis

et delegatis, etiam causarum palatii apostolici auditoribus, ac S. R. E. cardinalibus in quavis instantia quomodolibet pendentes, dicto suo beneplacito durante, suspendi, easque eidem Carolo imperatori per eum componendas et concordandas, ita quod in illis, in omnibus et per omnia iuxta tenorem primodictarum suarum litterarum, procedere libere et licite valeret, perinde ac si in ipsis litteris singuli archiepiscopi, episcopi, capitula et aliae personae specialiter nominatae fuissent, de novo concessit et commisit.

Pius IV eamdem facultatem concessit Philippo II regi.

§ 4. Sed ipso Carolo imperatore ac rege, his vix coeptis atque imperfectis relictis, de medio sublato, cum per similis memoriae Pium Papa IV, praedecessorem nostrum, accepto quod priores, milites, fratres et clerici dictae militiae, iuxta privilegia eis a diversis Romanis Pontificibus praedecessoribus suis concessa, nec non ipsius militiae consuetudines, usus et stabilimenta ab immemorabili tempore ab eis observata, integras decimas tam personales et mixtas, quam etiam praediales intra terminos dictae militiae, extra vero personales et mixtas, necnon praediales novalium praediorum suorum, propriis manibus vel sumptibus cultorum, exigere et habere potuissent, et eatenus exegissent in quibuscumque et quorumcumque praelatorum provinciis, dioecesibus, seu districtibus, ubi eosdem milites et fratres etiam laicos habitare, vel domicilia habere, aut praedictos fructus ex quibus easdem solvere tenentur acquirere, colligere, nutrire, depasci, levare et percipere contingeret; ipse Pius praedecessor, animadvertens conducibile fore, ut hoc quoque negocium universum via compositionis et concordiae huiusmodi terminaretur, et propterea volens non solum praedictas, sed etiam maiores quae inter supradictos ortae et suscitatae fuerant, et denuo nasci, oriri et suscitari poterant, lites, quaestiones et differentias amputari, interim vero partes ipsas in possessionibus in quibus erant manuteneri et defendi, nihilque innovari debere, motu proprio, certaque scientia, et deliberatione sua, omnes et quascumque lites, quaestiones et differentias tam motas, quam quae moveri poterant in futurum, ad se advocavit, et illarum decisionem et terminationem supendit, et tibi per te componendas et concordandas (ita quod in illis iuxta praedictarum Pauli praedecessoris litterarum continentiam et tenorem, ac si illae tibi directae et praesentatae fuissent, in omnibus et per omnia ad suum et Sedis Apostolicae beneplacitum agere et procedere libere et licite valeres) commisit et remisit, plenamque et liberam licentiam et auctoritatem tibi concessit, prout in suis in eadem forma brevis confectis, ac singulis aliis aliorum praedecessorum praedictorum litteris plenius continetur.

Gregorius XIV eamdem facultatem illi concessit pro militiis de Calatrava et de Alcantara.

§ 5. Demum a felicis recordationis Gregorio XIII, etiam praedecessore nostro, accepto, praedicto negotio a te suscepto, ita effectum esse, ut inter multos praedictorum pax et tranquillitas, diligentia et industria tua, fuerit sequuta; cumque etiam similes et aliae diversae lites et quaestiones inter eosdem, ac alios archiepiscopos et episcopos, eorumque capitula, necnon praelatos et personas ecclesiasticas tam saeculares, quam regulares ex una, et dilectos filios magistros, priores, praeceptores, milites et alios fratres militiarum de Calatrava et Alcantara Cisterciensis Ordinis, eorumque conventus partibus ex altera, super solutione decimarum tam novalium, quam pecorum et armentorum, necnon iurepatronatus, administratione, caeterisque iuribus et iurisdictionibus supradictis, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, et illarum occasione, tam

in dicta Curia, quam extra eam motae iam essent, et in futurum oriri formidarentur; idem Gregorius praedecessor, cupiens eas quoque lites, quaestiones et differentias, eadem opera et industria tua, componi atque concordari, earum status et merita, ac iudicum et collitigantium nomina et cognomina, caeteraque de necessitate exprimenda, pro plene et sufficienter expressis habens, omnes et quascumque lites, causas, quaestiones et differentias tam motas, quam quae moveri poterant in futurum, inter dictas posteriores partes, ad se avocavit, et illas earumque decisionem et terminationem ad suum et dictae Sedis beneplacitum (ita tamen, quod interim partes ipsae in possessione, in qua existunt, manuteneri et defendi deberent, nihilque innovari posse, factaque iudicibus et collitigantibus huiusmodi legitima intimatione) suspendit, easque universas et singulas tibi per te concordandas et componendas, ita quod suo et Sedis huiusmodi beneplacito durante, tu in illis pro huiusmodi concordia et amicabili compositione te interponere, agere et procedere libere et licite valeres, commisit et remisit, ac plenam et liberam licentiam, facultatem et auctoritatem concessit, decernens partes ipsas ad observandum ea omnia, quae in praemissis per te concordata, amicabiliter composita et terminata fuerint, omnino teneri, et ad id efficaciter obligatos fore, nec ab illis ullo unquam tempore resilire posse, necnon irritum et inane decernens, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigeret attentari; non obstantibus omnibus, quae in singulis litteris praedictis concessum est non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Modus componendi a Summo Pontifice regi praescriptus.

§ 6. Nos autem cupientes alias omnes similes lites motas et movendas inter quoscumque praedictos, et alios archiepiscopos et episcopos, eorumque capitula et ecclesiarum praelatos, et personas ecclesiasticas regni Valentiae, et aliorum regnorum Hispaniarum et dominiorum, ac priores, milites et alios fratres militiae Beatae Mariae de Montesia, et Sancti Georgii Ordinis Cisterciensis in regno Valentiae institutae, quae militiae de Calatrava filialis existit, illiusque privilegiis gaudet, eorumque conventus super similibus controversiis, et rebus aliis in actis causarum huiusmodi latius deductis et deducendis, et illorum occasione pendentibus, et quae in futurum oriri formidantur, cupientes eadem tua opera, (qui eiusdem militiae de Montesia eadem apostolica auctoritate perpetuus administrator existis) componi atque concordari, earumque status et merita, ac iudicum et collitigantium nomina et cognomina, caeteraque de necessitate exprimenda, pro plene et sufficienter expressis habentes, omnes et quascumque lites, causas et quaestiones et differentias tam motas, quam quae moveri poterunt in futurum, inter dictas posteriores partes ad nos avocantes, et illas, earumque decisionem et terminationem ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum (ita tamen, quod interim partes ipsae in possessione, in qua existunt, similiter manuteri et defendi debeant, nihilque innovari possit, factaque iudicibus et collitigantibus huiusmodi legitima intimatione), suspendimus, easque universas et singulas tibi per te concordandas et componendas, ita quod nostro et Sedis huiusmodi beneplacito durante, tu in illis pro huiusmodi concordia et amicabili compositione te interponere, agere et procedere libere et licite valeas, committimus, ac plenam et liberam licentiam, facultatem et auctoritatem concedimus; decernentes partes ipsas ad observandum ea omnia quae

ipsum exequendum pro militia de Montesia concedit.

Clemens hoc

in praemissis per Maiestatem tuam, concordata, amicabiliter composita et terminata fuerint, omnino teneri, et ad id efficaciter obligatos fore, nec ab illis ullo unquam tempore resilire posse; necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus quae in singulis litteris praedictis concessum est non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Appositis ad robur constitutionis clausulis solitis.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xx martii MDXCVI, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 20 martii 1596, pontif. an. v.

CXXIX.

Erectio parochialis ecclesiae Sancti Nicolai oppidi de Alicante in collegiatam, cum suppressione alterius parochialis, et illius unione mensae capitulari eiusdem collegiatae S. Nicolai[1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei,

Venerabili fratri episcopo Oriolensi,

salutem et apostolicam benedictionem.

Sacri apostolatus ministerio, meritis licet imparibus, divina dispositione, *etc.*, expedire.

Procemium.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum praefecti iustitiae et iuratorum, ac sindici oppidi civitatis nuncupati de Alicante Oriolensis dioecesis, petitio continebat, quod cum dictum oppidum mille et ducentis familiis, plus minusve, ultra eas, quae extra illius muros in suburbiis et seu villis adiacentibus degunt, refertum, et tam ex ipsius populi multitudine ac frequentia, quam alias valde insigne, et in eo nulla collegiata ecclesia existat, sed duae parochiales ecclesiae, una videlicet Sancti Nicolai, altera vero Sanctae Mariae vacationi minime subiectae, nec in titulum perpetui beneficii ecclesiastici erectae, aut conferri solitae reperiantur. Ipsarum autem ecclesiarum onera per presbyterum ab Ordinario loci approbatum exerceri soleant, earumque fructus, redditus et proventus annui ex anniversariis et missis provenientes in communem massam redacti et, ut vocant, mortui, inter pro tempore existentes presbyteros et clericos dicti oppidi, eisdem ecclesiis deservientes, et ad ipsos fructus pro tempore admissos distribuantur. Si dicta ecclesia Sancti Nicolai in suis structuris, et edificiis ampla, et bene instructa, in collegiatam ecclesiam cum mensa capitulari, arca, sigillo, aliisque collegialibus insignibus, et in ea tres dignitates et undecim canonicatus, totidemque praebendae, quatuor hebdomadariae curatae, et duo perpetua simplicia beneficia ecclesiastica; necnon in praefata ecclesia Sanctae Mariae duae perpetuae vicariae perpetuo erigerentur et instituerentur, ac ecclesia Sancti Nicolai ipsa ecclesia[1] Sanctae Mariae, mensae autem capitulari, dignitatibus, canonicatibus, praebendis, hebdomadariis et beneficiis sic erigendis praefatis pro sua dote, et illa pro tempore obtinentium substentatione, onerumque eis incumbentium supportatione, ultra annuos redditus mille librarum, seu aliam summam totidem scutorum monetae illarum partium constituentium, ad id per praefectum iustitiae et iuratos et sindicum praefatos, perpetuo et irrevocabiliter donatos et assignatos unum seu una, quod seu quam Iosephus Guerra, et aliud seu alia, quod seu quam Melchior Ipunter, aliudque seu alia, quod seu quam Ioannes Trevivio in Sanctae Mariae, ac aliud seu alia, quod seu quam,

Oppidi de Alicante et ecclesiarum S. Nicolai et S. Mariae qualitas.

Causae Pontificis animum moventes ad erectionem et unionem duarum ecclesiarum.

1 Ex Regest. in Canc. Apost.

1 Sic.

Hieronymus Bernat, et reliquum seu reliquam, quod seu quam Petrus Muler clerici dilecti filii respective obtinent praestimonia, seu praestimoniales portiones, aut perpetua simplicia beneficia ecclesiastica, necnon una sub Sanctissimi Crucifixi, ac alia sub Sanctae Luciae, ac alia sub Sancti Hieronymi in Sancti Nicolai, aliaque sub Sancti Michaelis, et alia sub Sancti Antonii de Padua nuncupati invocationibus in Sanctae Mariae praefatis, quorum omnium, dum pro tempore vacant, collatio, provisio et omnimoda alia dispositio ad pro tempore existentem Episcopum Oriolensem, cessantibus reservationibus, et affectionibus apostolicis, asseritur pertinere, et quae de iurepatronatus praefecti ac iuratorum, et sindici praefatorum ex fundatione, vel donatione existunt; reliquae perpetuae sine cura capellaniae in S. Ioannis loci eiusdem S. Ioannis dictae dioecesis ecclesiis ex nunc, pro ut ex tunc, postquam vacaverint, etiam perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur, nec non praefecto, ac iuratis, et sindico praefatis nunc et pro tempore existentibus iuspatronatus et praesentandi Ordinario loci personas idoneas ad duas ex dignitatibus, ac sex ex canonicatibus, et praebendis huiusmodi similiter perpetuo reservaretur et concederetur, aliaque infrascripta fierent et ordinarentur, ex hoc ut divinus cultus magnum inibi suscipere incrementum, ac eiusdem oppidi decori et venustati, illiusque populi saluti et spirituali consolationi non modice consuleretur, ac etiam cura animarum parochianorum in Sancti Nicolai et S. Mariae ecclesiis praefatis melius exerceretur.

Praefecti et sindici preces pro erectione et unione de quibus in rubrica.

§. 2. Quare pro parte tam praefecti, ac iuratorum, et sindici, quam dilectorum in Christo filiorum clerici et communitatis patronorum praefatorum asserentium praestimoniorum, seu portionum aut beneficiorum octingentorum, capellaniarum vero huiusmodi, et illis forsan annexorum octuaginta ducatorum auri de Camera fructus, redditus et proventus, secundum comunem aestimationem, valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut praemissis et aliis infrascriptis benigne annuere, ac alias desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio Oriolensi episcopo erigendi uniendique, *etc.*

§ 3. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem fructuum etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, quique ecclesiarum omnium decorem, ac earum in melius directionem, divinique cultus, ac beneficiorum et ministrorum ecclesiasticorum incrementum sinceris desideramus affectibus, praefectum, ac iuratos et sindicum praefatos, eorumque, necnon cleri ac communitatis huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, *etc.*, censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per, *etc.*, mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint vocandi, si et postquam de praemissis nobis expositis tibi legitime constiterit, ac praefectus, iurati et sindicus praefati redditus annuos etiam perpetuos insimul ad summam mille scutorum dictae monetae ascendentes, de suis propriis ac per eos acquisitis bonis, et facultatibus et effectum praefatum perpetuo donaverint et assignaverint, nec alias, aliter, nec alio modo praefatam ecclesiam S. Nicolai in collegiatam cum mensa capitulari, sigillo, arca et capsa communibus, aliisque collegialibus insignibus, ac in ea unum decanatum dignitatem principalem pro uno decano magistro in theologia, vel decretorum doctore, qui inibi caput existat, et tam in choro, quam in capi-

tulo, processionibus et aliis actibus dictae collegiatae ecclesiae praesit, primumque locum et vocem habeat, ac unam cantoriam, quae secunda, pro uno cantore, qui officium cleri regat, et absente decano inibi etiam praesit, unamque sacristiam, quae tertia dignitates existant, pro uno sacrista, qui rerum et suppellectilium in sacristia ipsius collegiatae pro tempore existentium curam gerat, et eorum omnium, quae sibi et sine cura [1] commissa fuerint, rationem Ordinario loci reddere teneatur, ac undecim canonicatus, et totidem praebendae pro undecim canonicis, qui omnes simul cum decano cantore et sacrista praefatis Capitulum collegiatae ecclesiae huiusmodi constituant, ac quatuor hebdomadarias curatas: in dicta vero ecclesia S. Mariae duas perpetuas vicarias pro duobus perpetuis vicariis, qui curam animarum parochianorum earumdem parochialium ecclesiarum, hebdomadarii vero collegiatae, vicarii autem praefatae S. Mariae ecclesiarum huiusmodi exerceant, et alia parochialia onera illis respective incumbentia subeant; necnon in eadem ecclesia collegiata unum diaconale, pro uno diacono, qui Evangelii, et alterum subdiaconale nuncupanda perpetua simplicia beneficia ecclesiastica pro uno subdiacono futuris inibi perpetuis beneficiatis, qui Epistolae decantationi ibidem deserviant, et tam ipsi beneficiati, quam decanus, cantor, sacrista, canonici et hebdomadarii praefati singulis diebus horas canonicas diurnas et nocturnas, ac missas, et alia divina officia in eadem collegiata ecclesia servata ecclesiastica disciplina celebrare, eisdemque interesse, ac ipsius collegiatae ecclesiae in divinis deservire teneantur, auctoritate nostra perpetuo, sine alicuius praeiudicio, erigas et instituas, ac illis sic erectis et institutis collegiatae ecclesiae videlicet dictam ecclesiam S. Mariae ex nunc, mensae vero capitulari, nec non decanatui, cantoriae, sacristiae, ac canonicatibus, et praebendis, hebdomadariis, et beneficiis praefatis pro eorum congrua dote, et illa pro tempore obtinentium substentatione, onerumque eis incumbentium supportatione, redditus annuos mille scutorum, ut praefertur, donatos et assignatos, etiam ex nunc, praestimonia vero, seu portiones aut beneficia et capellanias huiusmodi, quae omnia personalem residentiam non requirunt, cum primum per usum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu privationem, vel quamvis aliam omissionem, vel dimissionem illa seu illas ad praesens obtinentium, aut alias quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam, et in aliquo ex mensibus in quibus vacantium beneficiorum ecclesiasticorum dispositio nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti, vel dictae Sedi etiam per constitutiones apostolicas, seu Cancellariae apostolicae regulas, vel etiam ratione facultatis continuae commensalitatis alicuius S. R. E. cardinalis etiam viventis, et alias quomodolibet, et undecumque servata existat, ac pro tempore fuerit, seu ordinariis collatoribus etiam per easdem constitutiones et regulas, seu litteras alternativarum, aut alia privilegia et indulta concessis hactenus, et in posterum concedendis simul vel successive, ac quandocumque et ubicumque vacabunt, etiamsi actu nunc, ut praefertur, aut aliis quibusvis modis etiam ex aliorum quorumcumque personis, seu liberas praefatorum, vel, *etc.*, factas, aut assecutionem, *etc.*, vacent etiamsi tanto tempore, *etc.*, devoluta, ac praestimonia, seu portiones, aut beneficia et capellaniae huiusmodi dispositioni apostolicae specialiter, vel alias generaliter reservata,

Dignitates in sic erectam collegiatam instituendae.

Redditus pro Capitulo inibi erecto assignantur.

1 In editione romana ad hunc locum habetur *sic;* legi tamen debet *et suae curae.* (R.T.)

seu reservatae existant, et super eis, *etc.*, indecisa ex nunc, prout ex tunc, et e contra cum annexis, *etc.*, suis, ita quod liceat decano et capitulis praefatis, illorum omnium et annexorum, iuriumque et pertinentiarum suorum quorumcumque corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios suo, et collegiatae ecclesiae, ac mensae, dignitatum et aliorum erigendorum praefatorum beneficiorum nominibus propria auctoritate libere apprehendere, et perpetuo retinere; fructus quoque, redditus, proventus inde provenientes, percipere, exigere, recuperare, locare, arrendare et administrare, cum hoc, quod deductis in primis decem libris pro praebendis et fructibus certis singulorum dignitatum, ac canonicatuum et praebendarum, nec non hebdomadariarum, et erigendorum beneficiorum praefatorum, ac certa portione distributionum per Ordinarium loci et Capitulum praefatos taxanda, quam dicti hebdomadarii ultra pedem altaris, et alia emolumenta ex praefata cura et illius exercitio tantum provenientia, ac ad ducenta scuta vel circa annuatim, ut asseritur, ascendentia habere debeant. Reliqua omnia fructus, proventus, iura, obventiones, et emolumenta tam reddituum donatorum et assignatorum, quam praestimoniorum, seu portionum, aut beneficiorum et capellaniarum huiusmodi cedant et cedere debeant in distributiones quotidianas inter decanum, cantorem, sacristam et canonicos praefatos in dicta collegiata pro tempore residentes, et horis canonicis, aliisque divinis officiis suis loco et tempore ibidem interessentes dumtaxat, iuxta providam super hoc a praefato Ordinario faciendam ordinationem, dividendas et per eos lucrandas et percipiendas; ex quibus decanus duas, quilibet vero ex cantore et sacrista unam cum dimidia, et singuli canonici unam integram portiones respective habeant, absentium autem et non interessentium portiones (infirmitate, aut alio legitimo, de quo docere debeant, cessante impedimento) aliis praesentibus et interessentibus pro cuiusque rata accrescant et crescere eo ipso censeantur; redditus tamen tam per praefectum, iuratos et sindicum assignati, quam reliqui fructus dictae mensae capitularis a die datae praesentium decursi, et usque ad diem captae realis possessionis per eum, qui ultimo loco canonicatum et praebendam dictae collegiatae ecclesiae a primaeva eorum erectione huiusmodi vacantes assequutus fuerat, nulli aliorum accrescant, sed asservientium pro pede, ut vocant, fixo, ac perpetuo prout in ecclesia Oriolensi fieri consuevit, advenienteque vacatione alicuius ex praestimoniis seu portionibus, aut beneficiis uniendis et capellaniis, huiusmodi distributio pro rata iuxta ordinem ab eodem Ordinario statuendam fiat, dictique decanus et Capitulum quatuor pueros chori, et alios ministros ex massa communi perpetuo manutenere, ac onera sibi incumbentia supportare teneantur, fructibus et emolumentis tam S. Nicolai, quam S. Mariae ecclesiarum huiusmodi, seu illarum massa, seu massis in suo pristino statu et modo illos per clericos et presbyteros dicti oppidi, et canonicatus, et praebendas, et dignitates huiusmodi pro tempore obtinentes percipiendis, firmis et immutatis remanentibus, prout ante erectionem huiusmodi erant; dictis vero vicariis oblationes et alia emolumenta ratione curae dictae ecclesiae S. Mariae provenientia, et debita *pes altaris* nuncupata (quae ad alia ducenta scuta, vel circa annuatim, ut etiam asseritur ascendunt) pro eorumdem vicariorum substentatione et manutentione cedant, ipsique illa percipere et habere, ac in suos usus convertere

Dispositiones variae circa reddituum applicationem et usum.

Divisio inter officiales novae collegiat. praebendarum aliorumque omnium emolumentorum

possint, dicta auctoritate etiam perpetuo unias, annectes, incorpores, applices et appropries respective.

Qualitates requirendae in iis qui ad canonicatus promoveri debent.

§ 4. Insuper quod ex undecim canonicatibus et praebendis praefatis unus et una pro uno decretorum doctore, vel alias in illis graduato in aliqua approbata universitate studii generalis, ac alius et alia pro uno magistro in theologia, qui Adventus et Quadragesimae, aliisque anni temporibus et solemnitatibus concionem in dicta collegiata habeat; necnon alius et alia poenitentiarii nuncupandi, pro uno poenitentiario, qui confessiones audiat et alia poenitentiarii officium, iuxta Concilii Tridentini dispositionem, faciat et adimpleat; aliusque et alia theologales pro uno quoque magistro in theologia, qui Sacram Scripturam, iuxta ipsius Concilii formam, inibi legat et interpretetur; aliusque et alia pro uno alio theologo, vel utriusque iuris perito, qui negociis Capituli intendat; ac alius et alia diaconalis pro uno diacono; nec non alius et alia subdiaconalis pro uno subdiacono, qui diaconus, et subdiaconus episcopo Oriolensi pro tempore existenti, dum ad ipsam collegiatam ecclesiam accedet, missamque solemnem ibidem celebrabit, assistere debeant, ac quod sacrista, necnon theologus legens, et poenitentiarius, hebdomadariique praefati illis horis, quibus functionibus et officiis suis impediti erunt, pro praesentibus habeantur.

Collatio ad quos pertineat.

§ 5. Quodque decanatus ad Romanum Pontificem pro tempore existentem tantum, poenitentiarii vero nuncupati, ac aliorum quatuor, non tamen, ut praefertur, affectorum canonicatuum et praebendarum ad eumdem Romanum Pontificem, seu reservationibus et affectionibus apostolicis cessantibus, ad praefatum Ordinarium, hebdomadariarum autem, ac vicariarum et duorum erigendorum beneficiorum huiusmodi, tam hac prima vice, quam deinceps perpetuis futuris temporibus, quandocumque illa vacare contigerint, collatio, provisio et omnimoda alia dispositio ad eumdem Ordinarium dumtaxat spectet et pertineat; de hebdomadariis autem et vicarii praefatis, earum vacatione pro tempore occurrente, positis edictis et praevio concursu ac alias, iuxta decretorum dicti Concilii, ac constitutionis felicis recordationis Pii Papae V, praedecessoris nostri, super modo conferendi parochiales ecclesias editae formam, disponi debeat, necnon quod cantoria, sacristia, canonicatus et praebendae, hebdomadariae, vicariae et dua erigenda beneficia huiusmodi, quoties eorum collatio, provisio et quaevis alia dispositio ad Ordinarium praefatum, vel praesentatio personae idoneae ad illa ad infrascriptos patronos pro tempore spectabit, nullis omnino conferri, nec per aliquos quovis modo obtineri possint, nisi qui ex dicto oppido de Alicante, ac locis, seu oppidis de Muchiavel et Sancti Ioannis, ac de Bemmagres, nec non, municipiis, mansis, et Algueriis nuncupatis infra civitates et terminos eiusdem oppidi de Alicante consistentibus, concepti seu orti existant, in quibus, et illi omnes, qui, casu quo in aliis oppidis atque locis concepti aut nati sint, aut pro tempore erunt, quorum tamen parentes in eodem oppido de Alicante domicilium habuerint, necnon omnes presbyteri et clerici, qui de praesenti ad fructus et emolumenta ecclesiarum S. Nicolai et S. Mariae huiusmodi admissi sunt, comprehendantur et comprehensi intelligantur; nec non quod quicumque voluerit fundare in dicta collegiata ecclesia canonicatum et praebendam, teneatur illos dotare in centum et quinquaginta librarum similium vel amplius, iuxta Ordinarii praefati ordinationem et taxationem, redditibus annuis et proventibus in toto, vel in parte,

Quibus supradicta beneficia sint conferenda.

ex aliqua capellania, cuius ipse fundator patronus sit ex fundatione, vel donatione, quod in primo coram Ordinario loci verificari debeat in quacumque dictarum ecclesiarum; quae capellania, accedente consensu dicti patroni, tali causu eo ipso suppressa censeatur, illiusque fructus sint applicati pro dote huiusmodi canonicatus et praebendae, quorum idem fundator patronus existat, et ex redditibus ipsis decem in praebendam, reliquae vero centum et quadraginta librae huiusmodi in distributiones quotidianas, ut praefertur, lucrandas et percipiendas convertantur; et qui capellaniam seu beneficium de novo ibi fundaverit, congruam illi dotem arbitrio eiusdem Ordinarii assignare teneantur, et aliter factae fundationes, necnon collationes, provisiones, aliaeque dispositiones de dignitatibus ac canonicatibus et praebendis, aliisque beneficiis inibi pro tempore erectis, contra tenorem praesentium factae, sint eo ipso nullae et irritae, nulliusque roboris et momenti, auctoritate praefata, similiter perpetuo, statuas et ordines.

Cappa canonicis conceditur.

§ 6. Praeterea decano et cantori, sacristae, canonicis, hebdomadariis et duobus beneficiatis, quod tam hieme quam aestate, almutias et cappas ad instar canonicorum et dignitates obtinentium, aliorumque capitularium personarum, ac hebdomadariorum, beneficiatorum cathedralium Valentinensis, Oriolensis, Segobricensis, ac collegiatarum Xativae et Gaudiae Valentinensis dioecesis ecclesiarum deferre, et illis uti, nec non decanos, cantor, sacrista et canonici praefati, ut a quotidiana residentia et eius oneribus aliquando subleventur, spatio duorum mensium dumtaxat, quolibet anno, interpellatis diebus, ab eadem collegiata ecclesia, illiusque residentia et servitio abesse, et nihilominus interim fructus et distributiones quotidianas dignitatum, ac canonicatuum, et praebendarum per eos in eadem ecclesia pro tempore obtentorum cum ea integritate, qua illos et illas perciperent, si horis canonicis, et aliis divinis officiis ibidem interessent; percipere et lucrari, et tam ipsi omnes, quam dicta collegiata ecclesia, illiusque mensa, ac iura, res et bona eiusdem, nec non capellani et alii ministri inibi pro tempore servientes omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, facultatibus, praerogativis, indultis et gratiis tam spiritualibus quam temporalibus, quibus caeterae collegiatae ecclesiae, illarumque mensae, Capitula et ministri, ac alia ad illos spectantia de iure, usu, privilegio, consuetudine, vel alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt in futurum, pariformiter et sine differentia, perinde ac si illa eis principaliter concessa fuissent, uti, frui, potiri et gaudere. Necnon decanus et capitulum praefati pro felici ecclesiae collegiatae, ac dignitatum et aliorum erigendorum beneficiorum praefatorum, rerumque et bonorum suorum regimine et administratione, quaecumque statuta et ordinationes, felix huiusmodi regimen concernentia, licita tamen et honesta, sacrisve canonibus, et dicii Concilii Tridentini decretis non contraria, condere, ac toties quoties expediens fuerit, in toto vel in parte mutare, corrigere, reformare, ac de novo facere, libere et licete valeant, ipsaque omnia statuta et ordinationes, postquam sic condita, reformata et de novo facta fuerint, ab Ordinario praefato examinari et approbari debeant, eadem auctoritate, pariter perpetuo, concedas et licentiam impertiaris. Postremo nunc et pro tempore existentibus praefecto, ac iuratis et sindico praefatis iuspatronatus et praesentandi personas idoneas ad

Varia item et multa privilegia elargitur Pontifex.

cantoriam et sacristiam, necnon ad sex canonicatus et praebendas pro doctore, aut alias graduato in decretis, ac magistro in theologia lectore, alioque etiam theologo, aut iurisperito, necnon diacono et subdiacono, assistentibus canonicis praefertur, affectos, quoties de caetero illos quovis modo, et quorumcumque personis etiam apud Sedem praefatam, ac alias ubicumque et quomodocumque vacare contigerit, eidem Ordinario per ipsum ad praesentationem huiusmodi instituendas, dicta auctoritate, itidem perpetuo reserves, concedas et assignes; ac iuspatronatus huiusmodi eisdem praefecto, iuratis et sindico ex veris, meris et primaevis fundatione vel dotatione competere, illudque puram et simplicem naturam, qualitatem et conditionem iurispatronatus laicorum perpetuo habere et obtinere, ac eidem nullo unquam tempore in quovis vacationis casu etiam per Pontificem et Sedem praefatos, alias quam in casibus solitis, absque expresso dictorum patronoruum consensu, derogari posse.

Clausulae praeservativae.

§ 7. Praesentes quoque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus, etiam per quasvis constitutiones apostolicas et Cancellariae Apostolicae regulas etiam unionum, suppressionum, aliarumque huiusmodi gratiarum effectum non sortitarum revocatorias, quandocumque et per quoscumque, etiam in crastinum assumptionis cuiuscumque Romani Pontificis ad apostolatus apicem, pro tempore editas, ac sub quibuscumque tenoribus et formis emanatas et emanandas nullatenus compraehendi, sed semper in omni casu, tamquam eas, quae in favorem divini cultus emanarunt, ab illis excipi, et quoties illas suspendi vel revocari, aut ipsis in aliquo derogari contigerit, toties in pristinum et validissimum suum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque nova data per clerum et patronos praefatos pro tempore eligenda concessas, validasque et efficaces esse et censeri, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari. Sicque et non alias, per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et praefatae Sedis nuncios iudicari et definiri debere, nec non si secus, *etc.*, et inane decernas.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus voluntate priori, et aliis premissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque decretis in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionalibus, *etc.*, processum. Quae quidem litteras et processus habitos per easdem, ac inde sequuta quaecumque ad ecclesiam S. Mariae, ac praestimonia, seu portiones vel beneficia unienda et capellanias huiusmodi volumus non extendi, sed nullam per hoc eis, *etc.*, generari; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem quod propter unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi, si illas per te, vigore praesentium, fieri

contigerit, ut praefertur, ecclesia S. Mariae, ac praestimonia, seu portiones, aut beneficia et capellaniae huiusmodi debitis propterea, *etc.* obsequiis, et animarum cura in ipsa ecclesia S. Mariae nullatenus negligatur, sed eius, *etc.*, consueta.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 1 aprilis 1596, pontif. an. v.

CXXX.

Confirmatio pragmaticae ad evitandos superfluos sumptus in civitate Bononiensi [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem ea suae confirmationis robore libenter communire, quae ad evitandos superfluos et inanes eius subditorum sumptus, provide statuta esse dicuntur, prout in Domino salubriter conspicitur expedire.

De mandato Pontificis publicatur pragmatica Bononiae.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, nuper, sub die videlicet sexta mensis aprilis proxime praeteriti, de ordine et mandato nostro, ad evitandos damnosos et superfluos sumptus in vestibus et conviviis fieri solitos, ex quibus nobiles et divites familiae redditus et substantias proprias plerumque absumere consueverunt, in civitate nostra Bononiensi quaedam pragmatica, seu reformatio, publicata extiterit, eamque ad conservationem familiarum eiusdem civitatis perpetuo inviolate observari maxime expediat.

Eam confirmat Clemens.

§ 2. Nos, qui subditorum nostrorum conservationem, et eorum incrementum sincero optamus affectu, pragmaticam et reformationem praedictam perpetuo ut par est, observari cupientes, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, eamdem pragmaticam et reformationem cum omnibus in illa contentis capitulis et poenis in eis appositis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus.

Exequutores deputat.

§ 3. Mandantes propterea dilectis filiis moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in dicta civitate de latere legato, seu eius vicelegato, aut gubernatori, necnon viris reformatoribus status libertatis dictae civitatis, ut pragmaticam et reformationem praedictam ab omnibus perpetuo observari curent et faciant, et in contravenientes, poenas in praedicta pragmatica seu reformatione adiectas, irremissibiliter et absque ulla exceptione, exequantur, ac exequi curent et faciant.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem civitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, necnon quibuscumque licentiis pro tempore etiam ab ipsis legato, seu vicelegato, aut gubernatore, ac a Sede Apostolica in contrarium concessis et concedendis (quas ex nunc prorsus revocamus et annullamus, ac revocatas et annullatas esse et fore); sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere decernimus. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDXCVI, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 17 maii 1596, pontif. an. v.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

CXXXI.

Iubilaeum ad divinam opem, pro sanctae catholicae fidei in regno Franciae exaltatione, et pristinae in eo tranquillitatis restitutione, implorandam [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, universis christifidelibus in regno Franciae existentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Quae ipse gesserit pro tranquillitate in regnum Franciae inducenda recenset.

§ 1. Quam semper cordi nobis curaeque fuerit, ut gravissimae ac diuturnae sollicitudinis nostrae partes de christianissimo et pacatissimo olim Franciae regno, tum catholicae religionis in eo conservandae, tum publicae illius tranquillitatis instaurandae causa susceptae, eum quem ipsi iamdiu a Domino assiduis precibus flagitavimus, quemque boni omnes optant, exitum sortirentur, praeclare quidem constare iis arbitramur, quibus cognitae sunt ac perspectae rationes, quae nos tandem anno superiore adduxerunt, ut charissimi in Christo filii nostri Henrici Francorum regis christianissimi supplicationibus (quibus se in sanctae Romanae Ecclesiae gremium a nobis recipi postulabat) benigne annueremus, eumque propterea paterna charitate complecteremur. In quo officio quemadmodum nihil plane praeter ipsius Henrici regis et totius regni salutem et quietem, omni humanarum rerum cogitatione seposita, spectandum duximus, ita nunc illud in primis curandum esse existimavimus, ut optatos et speratos eius deliberationis fructus, Deo piis omnium votis adspirante, quam primum capiamus; atque hoc sane consilio dilectum filium nostrum Alexandrum Medices tituli sanctae Praxedis presbyterum cardinalem Florentinum nuncupatum, ad eumdem Henricum regem atque ad ipsum Franciae regem nostrum et Apostolicae Sedis de latere legatum nuper destinavimus.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Legato apostolico se iussisse ut publicas supplicationes indiceret.

§ 2. Quoniam vero ad eos fructus consequendos divinae opis praesidia praecipue necessaria esse intelligimus, praeter privatas et publicas a nobis iam saepe hac de causa indictas preces proprias et peculiares, in ipso regno Franciae supplicationes, hoc etiam tempore indicendas censuimus, confisi, Deum, pro immensa sua pietate, eorum desideria, a quibus potissimum rogari se animadvertit, cumulate expleturum, et quae ipsi petimus, bonitatis suae dona tandem concessurum. Quocirca eidem Alexandro cardinali iniunximus, ut cum primum ad idem regnum pervenerit, in ea civitate vel loco, in quo sibi consistendum esse statuerit, ad duas vel tres insigniores ecclesias ibi existentes, hebdomada et diebus per eum designandis, solemnes processiones, ut moris est, indicat, atque ad eas ipse cum veneralibus fratribus nostris primatibus, archiepiscopis, episcopis, aliisque praelatis ibidem tunc praesentibus, necnon cum officialibus ac magistratibus dictae civitatis, universoque illius clero et populo supplex accedat.

Christifideles hortatur, ut tales supplicationes faciant.

§ 3. Ut autem divina benignitas et clementia opportuni auxilii gratiam regno deprecanti largiatur, omnes et singulos utriusque sexus christifideles, qui tam in eadem civitate, quam in toto regno erunt, per viscera misericordiae Dei ac Domini nostri Iesu Christi, per quem reges regnant, et regna consistunt, hortamur atque obsecramus, ut qui in eadem civitate fuerint, dicta hebdomada, aut saltem altera sequenti, qui vero extra eam, in caeteris regni dominiis, provinciis, regionibus et locis existent, proxima aut altera sequenti hebdomada, postquam litterae eiusdem Alexandri cardinalis super indictione huiusmodi supplicationum publicatae fuerint, vel alias ad illorum cer-

tam notitiam pervenerint, ad Deum Patrem clementissimum, humiliato et contrito corde, convertantur, et ob culpas ac peccata commissa ex animo dolentes, concordibus et assiduis precibus ipsum orent, ut oculis clementiae Ecclesiam suam sanctam respiciat, Franciae regnum in sancta catholica et apostolica fide conservet, illudque in pristinam pietatem et tranquillitatem restituat, haeresum radices evellat, simultates atque odia dirimat; universam denique rempublicam christianam a pravis schismatum erroribus, et malorum omnium periculis salvam et incolumem tueatur.

Facientibus autem indulgentiam in forma Iubilaei concedit.

§ 4. Et ii quidem, qui in eadem civitate fuerint, praedictas ecclesias, vel unam ex eis, quam maluerint; qui vero extra eamdem civitatem in dicto regno erunt, ecclesiam seu ecclesias per locorum Ordinarios, seu eorum vicarios, aut de eorum mandatis, vel eis deficentibus, per eos qui ibi curam exercent animarum, deputandam seu deputandas, quocumque die, vel quibuscumque diebus eiusdem vel sequentis hebdomadae, quam ipsi elegerint, saltem semel devote visitaverint, et quarta et sexta feria, ac sabbato eiusdem vel sequentis hebdomadae ieiunent. Praeterea pauperibus et indigentibus personis, aut locis piis, pro suo arbitrio, eleemosynas erogent, atque intra hoc tempus sacerdoti ab Ordinario approbato peccata sua confiteantur, et die dominico dictum sabbati diem proxime subsequenti, vel alio dictae prioris aut sequentis hebdomadae die, arbitrio confessarii, sanctissimum Eucharistiae sacramentum devote suscipiant. Qui autem in navigatione vel itinere fuerint, eo peracto, haec omnia, ut praefertur, faciant et exequantur. Regulares autem utriusque sexus, qui in claustris degunt, nec non alii, qui in carcere vel captivitate detinentur, aut propter corporis infirmitatem, seu aliud quodcumque impedimentum, superius expressa, aut eorum aliqua facere vel adimplere nequiverint, sacerdotis confessarii, quem elegerint, arbitrio, praedicta omnia et singula, aut aliqua illorum in alia pietatis opera commutare, vel in aliud, proximum tamen, tempus differre valeant. Quae omnia, ut eo libentius praestare studeant, quo uberius spiritualibus muneribus et gratiis se a nobis refectos esse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Deus nobis, licet indignis, contulit, thesauros Ecclesiae, quorum dispensatores sua benignitate facti sumus, copiose aperientes, omnibus et singulis praedictis, qui praemissa fecerint et adimpleverint, plenissimam peccatorum suorum indulgentiam, veniam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitando certas ecclesias inter et extra Urbem, concedi consuevit, tenore praesentium, damus, concedimus et elargimur.

Facultates hic indicatas confessariis tribuit.

§ 5. Nec non eisdem christifidelibus, etiam cuiuscumque ordinis et congregationis regularibus utriusque sexus facultatem impertimur, eligendi sibi presbyterum confessarium tam saecularem, quam cuiusvis ordinis, vel instituti regularem ex approbatis ab Ordinariis locorum, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris a iure vel ab homine, quovis modo vel causa, latis seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam in casibus tam locorum Ordinariis, quam nobis et Sedi Apostolicae etiam in litteris in die *Coenae Domini* legi consuetis, atque alias etiam per quascumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores,

praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodolibet reservatis, in foro tantum conscientiae, hac vice dumtaxat absolvere; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniuncta tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, ac aliis iniungendis, possint et valeant.

Locorum Ordinariis mandat, ut hanc publicent constitutionem.

§ 6. Mandantes insuper omnibus venerabilibus fratribus nostris primatibus, archiepiscopis, episcopis, et aliis quibuscumque ecclesiarum praelatis, et locorum Ordinariis in virtute sanctae obedientiae, ut post indictionem supradictarum supplicationum per eumdem Alexandrum cardinalem faciendam, cum harum litterarum transumpta, aut exempla acceperint, illa statim per suas provincias, civitates, dioeceses et loca promulgari faciant, cleroque et populo sibi subiecto solemnes processiones et supplicationes indicent et celebrent.

Ab absolutionibus irregularitatem excipit,

§ 7. Per praesentes autem super aliqua irregularitate publica vel occulta, nota, defectu, incapacitate, aut inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, etiam in foro conscientiae non intendimus.

Absolutionesque in foro conscientiae tantum validas esse declarat.

§ 8. Ac declaramus, has ipsas praesentes, quoad absolutionem in foro conscientiae et poenitentiali tantum, non autem in foro fori, sive contentioso consequendam, neque etiam quoad dictum forum conscientiae, iis, qui ab aliquo iudice excommunicati, suspensi, interdictive, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus celebrationis huiusmodi iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint.

Obstantia tollit.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus absolvendi facultas in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles iubilaei indulgentiarum, aut facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non quorumcumque ordinum et congregationum regularium iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem ordinibus et congregationibus quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio aut expressio habenda, vel quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et formam in illis traditam pro servata habentes, hac vice nominatim et expresse, ad effectum praesentium, derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fidem transumptis addit.

§ 10. Volumus autem ut praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur his ipsis, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae MDXCVI, decimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 23 maii 1596, pontif. an. v.

CXXXII.

Statuit ut deinceps pignora apud Hebraeos consistentia, elapso spatio decem et octo mensium, in Monte Pietatis de Urbe vendi debeant, neque He-

braei plusquam duodecim scuta, pro quolibet pignore, mutuo dare possint[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Paterna nostra erga cunctos christifideles ac pauperes praesertim personas charitas nos admonet, ut ea quae in earumdem pauperum personarum beneficium cedere posse cognoscimus, opportuna provisione procuremus.

Statutum, de quo in rubrica. § 1. Proinde ex iustis et rationabilibus causis animum nostrum moventibus, motu proprio et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ut posthac in perpetuum pignora quaecumque, super quibus Hebraei pecunias tam hucusque, quam imposterum mutuaverint, quae lapso spatio decem et octo mensium, ab eisdem Hebraeis per licitationem venduntur, in Monte Pietatis de Urbe dumtaxat, in loco ad licitationes faciendas ibi designato, et non alibi, vendi per huiusmodi licitationem debeant; utque imposterum, ex iustis similiter et rationabilibus causis animum nostrum moventibus, dicti Hebraei nulli personae super pignoribus, quae ad eos deferuntur pecunias, usque ad summam scutorum duodecim monetae inclusive ascendentes, aliquo modo mutuari possint, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo statuimus, mandamus et ordinamus.

Poenae in transgressores. § 2. Inhibentes propterea uuiversitati Hebraeorum, et particularibus Hebraeis quibuscumque, sub quingentorum scutorum auri in auro ipsi Monti Pietatis applicandorum, nullitatis venditionis, ac amissionis pecuniarum mutuatarum, et aliis arbitrio nostro eo ipso, quo vendiderint et mutuaverint, incurrendis poenis, ne pignora huismodi vendenda, alibi posthac, quam in praedicto Monte Pietatis, et in loco ibi designato, vendere, neve pecunias ad summam praedictam scutorum duodecim ascendentes, cuicumque personae, super pignoribus, mutuo dare audeant seu praesumant.

Obstantium derogatio. § 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis universitati praedictae Hebraeorum, aut aliis quibuscumque in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXV maii MDXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 25 maii 1596, pont. an. v.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

CXXXIII.

Institutio congregationis super baronibus Status Ecclesiastici, cum iurisdictione eorum castra et bona, etiam fideicommissis subiecta, distrahendi pro satisfactione creditorum.

Clemens episcopus, servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Iustitiae ratio et publicae fidei causa postulat, ut eorum qui pecunias nostris et Sanctae Romanae Ecclesiae subditis crediderunt, seu quibus aliquid ab eisdem, quavis occasione vel causa, debetur, indemnitati, pro munere nostro, opportuno remedio consulamus.

Causae huius institutionis. § 1. Cum igitur multorum querelis iamdiu ad nos perlatum sit, et quotidianis expostulationibus perferatur, nonnullos barones et domicellos nostros et Sanctae Romanae Ecclesiae subditos, tam in Urbe

eiusque districtu, quam in universo Statu nostro ecclesiastico existentes, contracto variis de causis aere alieno, nullam prorsus inire rationem illud dissolvendi, immo nec annuas fructuum praestationes idcirco debitas, maximo creditorum incommodo, persolvere, ipsosque adeo creditores, dum eorum credita a dictis baronibus et domicellis exigere conantur, magnos sumptus facere, et variis litibus implicari, et nihilominus credita ipsa nullo modo consequi posse; fideiussores etiam, qui pro eisdem baronibus et domicellis sese et bona sua quoquo modo obligarunt, ab eorum obligationibus minime posse liberari; praeterea, licet alias ad eorumdem baronum et domicellorum res aliquo pacto sublevandas, a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac etiam forsan a nobis, ex speciali gratia, concessa fuerit facultas, quosdam pecuniarum Montes super eorum civitatibus, terris, castris, casalibus et aliis bonis stabilibus, ad diversas summas ascendentes, erigendi, cum obligatione etiam per ipsos barones facta fructus, hoc nomine, singulis annis conventos, solvendi, ac certis modo et forma Montes erectos, intra praescriptum tempus extinguendi; eos tamen, qui pecunias in dictis Montibus posuerunt, hactenus annuas fructuum praestationes, a nonnullis ex dictis baronibus et domicellis consequi non potuisse, neque adhuc posse, ac praeterea aliquos etiam barones et domicellos, eosdem Montes vel eorum partem, iuxta eorum obligationem, statuto tempore non extinxisse, nec forsan ulterius de illorum extinctione cogitare, quo fit, ut iidem creditores, sub fide publica hactenus magno detrimento affecti fuerint, et in dies magis ac magis afficiantur.

Institutio congregationis pro creditorum cuiuscumque baronis satisfactione.

§ 2. Nos hisce malis pro officii nostri munere occurrere, et debitae supradictorum creditorum (inter quos plerique pauperes, complures etiam pupilli et viduae sunt) satisfactioni expedita aliqua ratione providere volentes, motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dilectum filium nostrum Bartholomaeum Sanctae Mariae in Porticu diaconum cardinalem Coesium nuncupatum, nec non dilectos filium Tiberium Cerasium, Camerae Apostolicae clericum, Paulum Coperchium, fisci et dictae Camerae advocatum, Paulum Æmilium Zacchiam eiusdem Camerae commissarium generalem, ac Rodulphum Bonfiolum, senatorem Bononiensem, ad infrascripta omnia et singula facienda, apostolica auctoritate, tenore praesentium, constituimus, assumimus et deputamus, ac eisdem liberam, amplam et plenam facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur, ut coniunctim omnes, seu saltem idem Bartholomaeus cardinalis, et maior ipsorum pars, omnibus et singulis tam instrumentariis, sive hypothecariis, quam chirographariis, ac etiam legatariis, et ratione mercedis, cibariorum et vestiarii, seu alias quovis modo privilegiatis, vel mercium, sive aliarum rerum occasione, aut etiam ex causa fideiussionum pro eisdem baronibus, seu domicellis, ac pro qualibet summa et quantitate quorumcumque principum, ducum, marchionum et comitum, aliorumque baronum et domicellorum nostrorum, et Sanctae Romanae Ecclesiae subditorum, in Urbe eiusque districtu, et in universo Statu nostro ecclesiastico existentium, cuiuscumque status, gradus, conditionis et ordinis fuerint, etiamsi dignitate quacumque ecclesiastica, etiam cardinalatus honore praefulgeant, aut ipsorum parentum, seu antecessorum, vel auctorum quorumcumque creditoribus, etiamsi eorum vassalli et subditi, aut alii quicumque fuerint, qui de ipsorum creditis, ex quavis causa, et ad quamcum-

que summam, ut praefertur, ascendentibus per mandata exequutiva, a quibusvis iudicibus Urbis, aut alterius loci Status praedicti, decreta et relaxata docuerint, ipsaque mandata exhibuerint, quam primum, absque ulla dilatione, non obstantibus quibuscumque inhibitionibus, dilationibus, supersessoriis *in forma non gravetur*, aut alias quomodolibet ab iisdemmet, vel aliis iudicibus, aut etiam forsan a nobis, sive de ordine ac mandato nostro emanatis et emanandis, quas omnes et singulas, ex nunc, auctoritate praesentium, revocamus, annullamus et irritamus, infrascriptis modis et formis satisfieri curent, mandent et cum effectu faciant, videlicet:

Exhibitis a creditoribus mandatis exequutivis per iudices relaxatis contra barones.

§ 3. Praedictorum deputatorum congregatio, exhibitis mandatis praedictis, absque alia citatione et tela iudiciaria, et sine ulla causae cognitione, super veritate crediti, vel discussione iustitiae, aut nullitatis, mandatorum relaxatorum, tamquam meri et puri exequutores, et propria auctoritate et mandato, et sine vitio spolii attentatorum, aut nullitatis, omnium et quarumcumque civitatum, terrarum, castrorum, casalium, palatiorum, et aliorum bonorum immobilium tam in Urbe eiusque districtu, quam alibi ubicumque in nostro Statu Ecclesiastico existentium, ad ipsos principes, duces, marchiones, comites vel barones, aut domicellos quoscumque, contra quos, vel eorum auctores, parentes et quosvis antecessores, seu haereditaria eorum bona quaecumque mandata huiusmodi, ex quavis causa, ut supra dictum est, relaxata fuerint, vel eorum partem, arbitrio ipsius congregationis pertinentium, et per eos quocumque titulo habitorum, et quovis modo tentorum et possessorum, realem, actualem et corporalem possessionem, nomine Camerae Apostolicae capi et retineri ad commodum tamen et utilitatem eorumdem creditorum per mensem dumtaxat immediate sequentem, a die captae possessionis; a qua die omnis ipsorum principum, ducum, marchionum, baronum, seu domicellorum et aliorum praedictorum iurisdictio, et illius exercitium atque administratio penitus cesset, et cessare debeat, ita quod ipsi non possint per se, vel alios in civitatibus, terris, castris, casalibus, palatiis et aliis locis et bonis praedictis sese ingerere, aut aliquo pacto intromittere, sed illorum iurisdictio et administratio penes dictam congregationem, seu personas ab ea deputandas, remaneat, omnino curent et re ipsa praestent.

Elapso mense civitates et bona eorum subhastanda proponat, et absque expensis plus offerenti deliberet.

§ 4. Quo mense elapso, civitates, terras, castra, casalia, palatia, et alia bona huiusmodi subhastanda proponant, et plus offerenti, omissa penitus omni alia solemnitate, et sine solita etiam subhastatione et deliberatione per manus cursorum, seu alias fieri consueta, et absque illarum expensis, praevia dumtaxat unius edicti per dies quindecim in locis publicis affixione ad deliberationem plus offerenti, cum cedula bancharia idonei mercatoris, servata tamen, quoad personas, quae civitates, terras, castra et alia bona huiusmodi emere voluerint, forma constitutionis felicis recordationis Sixti Papae V, praedecessoris nostri, super prohibitione alienandi castra et alia bona stabilia in Statu Ecclesiastico existentia, sine Sedis Apostolicae licentia, aliis personis quam vassallis eiusdem Status, deveniant, illasque et illa deliberent, et vendant, ac instrumenta quaecumque, et alia desuper necessaria et opportuna, obliganda etiam personas principum, ducum, marchionum, baronum et domicellorum praedictorum, et bona eorum pro evictione, etiam in forma eiusdem Camerae Apostolicae celebrent et celebrari faciant.

Pretium inde reductum creditoribus consignari faciat.

§ 5. Ac pretium inde redigendum, in satisfactionem dictorum creditorum, iuxta eorum anterioritatem et potioritatem, recepta prius ab eis iurium cessione, ad favorem emptoris, et si eidem congregationi visum fuerit, praestita etiam ab ipsis idonea cautione, seu facta obligatione de eodem pretio restituendo prioribus et potioribus, ad omne mandatum sui iudicis, consignent et consignari faciant.

Camer. Apost. inter oblatores admittatur.

§ 6. Inter oblatores autem, Cameram Apostolicam, seu eius commissarium, si offerre voluerit, ad offerendum admittant.

Oblatore non reperto, Camerae adiudicetur pro pretio aestimando, et ipsa creditoribus satisfaciat.

§ 7. Sed si intra dictos quindecim dies nullus oblator reperiatur, tunc congregatio praedicta, civitates, terras, castra et alia bona praedicta, eidem Camerae nostrae Apostolicae adiudicet, liberet ac vendat, et ipsa Camera nostra Apostolica, praevia aestimatione, per unum vel plures aestimatores ab ipsa congregatione deputandos, pro illo pretio, quod aestimatum fuerit, illas et illa pro se accipere debeat, et de dicto pretio omnino supradictis eorum creditoribus satisfacere teneatur.

Subhastatio eadem et deliberatio fiat, si extraiudicialiter constiterit Montem vel censum baronis debito tempore extinctum non fuisse, aut fructus non solutos, vel alia per eum promissa non impleta.

§ 8. Declaramus autem, si inter dictos creditores reperientur aliqui, qui occasione quorumvis tam Montium, quam censuum, intuitu ac contemplatione ipsorum principum, ducum, marchionum, comitum, baronum et domicellorum, vel eorum auctorum, et praedecessorum supradictorum, erectorum et impositorum respective creditores fuerint, et quibus de fructibus idcirco debitis hactenus integre satisfactum non erit, vel in futurum non satisfiet, in praemissis eum servari debere modum et ordinem, ut capta summaria informatione, etiam extraiudiciali per dictam congregationem de lapsu temporis, et de satisfactione non sequuta, absque ulla, ut dictum est, causae cognitione, ad subhastationem, deliberationem, venditionem et adiudicationem, supradictarum civitatum, terrarum, castrorum et bonorum pretio, ut supra aestimando, modo et forma praedictis, et ulterius ad extinctionem dictorum Montium et censuum, ac satisfactionem dictorum fructuum, usque ad diem dictae extinctionis decursorum, ipsa congregatio omnino deveniat. Idemque servari volumus et mandamus, quoad illos principes, duces, marchiones, comites, barones et domicellos, qui licet dictos fructus suo tempore quotannis solverint, supradictos tamen Montes, ut praefertur, erectos, vel census impositos et venditos, intra tempora in erectione ipsorum Montium, aut in impositione et venditione censuum fideiussoribus promissa, vel alias conventa, non extinxerint, aut in futurum debitis temporibus non extinguent, seu etiam alia pacta in eisdem Montium erectionibus, et censuum impositionibus et venditionibus apposita, et alias conventa, seu in quibuscumque contractibus, in quibus, seu quorum vigore dicti barones et domicelli, aut eorum auctores, seu antecessores, debitores existunt, adiecta non adimpleverint, vel non observaverint, aut in futurum non observabunt, sive adimplebunt, in toto, vel in parte, ipsa congregatio eos ad dictorum Montium et censuum integram extinctionem, et debiti solutionem, ac creditorum satisfactionem, etiam si dies totius Montium et censuum extinctionis, vel debiti solutionis non advenerit, cogat et compellat.

Fideicommissa, *etc.*, haec non impediunt.

§ 9. Volumus etiam et, pari motu ac potestate, decernimus principes, duces, marchiones, barones et domicellos supradictos, seu illorum quoscumque pro tempore successores, subhastationem, deliberationem, venditionem et adiudicationem et alia praedicta, impugnare, impedire vel retardare non posse, nec adversus ea aliquo modo se tueri, aut

pro illorum revocatione quocumque tempore instare, etiam ea ratione vel praetextu, quod ipsi in castris et bonis praedictis sint haeredes cum beneficio legis et inventarii, vel non succedant illis, qui debita praedicta contraxerunt, sed quod loca et bona supradicta ex antiquis investituris, concessionibus, fideicommissis, donationibus, vel ex contractibus etiam ex causa dotium, vel quacumque alia de iure privilegiata consequuti fuerint, vel ad ea vocati sint, mandatave a iudicibus fuerint tantummodo decreta, seu relaxata contra bona haeridataria illorum, qui debitum huiusmodi contraxerunt, sed satis sit et sufficiat quod si qui debitum contraxerunt, dicta bona quovis titulo et modo tenuerint et possederint, seu quod ipsi barones et domicelli simili modo illa teneant et possideant, aut ex eo, quod creditores, ex causa Montium et censuum, restitutionem sortis principalis petere non possint, se a fideiussione eximi; quibus et aliis quibuscumque allegationibus, seu subterfugiis non obstantibus, ad exequutionem, nihilominus subhastationnis et deliberationis, et aliorum praemissorum supradictarum civitatum, terrarum, castrorum et locorum deveniri omnino debeat, illaque robur perpetuae firmitatis sortiantur et obtineant.

Illisque plenissime derogatur.

§ 10. Ut autem praemissa omnia et singula ad favorem omnino creditorum praedictorum statuta et disposita, statim sine ulla mora, aut aliquo impedimento, exequutioni, demandari possint, omnibus et quibuscumque investituris, concessionibus, donationibus, fideicommissis, primogenituris et alienandi prohibitionibus, nec non pactis de succedendo tam in contractibus, quam in ultimis voluntatibus, purificatis et purificandis, super civitatibus, terris, castris, casalibus, palatiis et aliis bonis immobilibus huiusmodi, per quoscumque ascendentes, seu collaterales, ac penitus extraneos, ac forsan ipsos etiam Romanos Pontifices praedecessores nostros, etiam motu proprio, et consistorialiter emanatis, et sub quibusvis clausulis, vinculis et cautelis, quomodolibet factis et confirmatis, quorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, ac etiam regulae nostrae de non tollendo iure quesito, motu, scientia et potestate similibus, plenissime ac latissime derogamus, ac derogatum esse volumus.

Aliaque bona libera baronum dictis fideicommissis supposita censeantur.

§ 11. Quod si forsan iidem principes, duces, marchiones, barones et domicelli, aliqua alia bona stabilia nulli investiturae, concessioni, donationi, fideicommisso, primogeniturae, vel alienandi prohibitioni, aut pacto de succedendo, aliisque praedictis subiecta, vel alias immunia et exempta, et libera quoquo modo possederint, nos pari motu et auctoritate, eadem bona investiturae, concessioni, donationi, fideicommisso, primogeniturae, prohibitioni et pacto praedictis in locum bonorum venditorum praedictorum, in omnibus et per omnia subiicimus, substituimus et subrogamus, et per eamdem congregationem, sequuta venditione praedicta, subiici, substitui et subrogari debere decernimus et mandamus.

Clausula sublata.

§ 12. Declarantes nihilominus civitates, castra et bona, sic ut supra, vendita et assignata, semper et quocumque tempore penes illorum emptores et Cameram praefatam, ac successores eorumdem ab omnibus fideicommissis, primogenituris, prohibitionibus, pactis, donationibus, necnon nexibus, oneribus, vinculis, hypothecis, obligationibus ac aliis praedictis, libera et semper exempta remanere debere, ita ut nullo umquam tempore, praetextu praedictorum fideicommissorum, primogeniturarum, prohibitio-

num, pactorum, donationum, nexuum, onerum, vinculorum, hypothecarum, obligationum, vel successionum, tam ex testamento quam ab intestato, emptores, Camera et successores praedicti, molestari, seu inquietari quomodolibet possint, salvis tamen responsionibus, canonibus, censibus, ratione directi dominii, seu cuiuslibet alterius superioritatis, occasione dictorum bonorum, eidem Camerae debitis.

Si de pretio quid supererit, investiatur ut hic.

§ 13. Caeterum volumus, et eidem congregationi pariter mandamus, ut si ex pretio bonorum vigore praesentium vendendorum, aliquid, solutis debitis, supererit, id quod superfuerit, si bona vendita alicui fideicommisso, prohibitioni, vel alteri cuicumque oneri, seu vinculo subiecta esse constiterit, in aliorum bonorum stabilium, vel locorum Montium non vacabilium, quae eidem fideicommisso, prohibitioni, oneri et vinculo in locum bonorum venditorum omnino subiaceant, converti curent et faciant, eorumque fructus singulis annis in aliorum similium bonorum, vel locorum Montium emptionem investiri debere declarent, et cum effectu investiri faciant, donec ad valorem et summam bonorum venditorum ascenderint, quae pariter omnia fideicommisso, prohibitioni, oneri ac vinculo huiusmodi, in omnibus et per omnia, prout bona vendita huiusmodi antea erant, subiecta existant. Si vero bona eadem vendita nulli fideicommisso, prohibitioni, seu oneri et vinculo obnoxia fuerint, congregatio ipsa partem, quae supererit ex pretio huiusmodi, solutis debitis, ut praefertur, ipsis principibus, ducibus, marchionibus, baronibus et domicellis, solvi et consignari faciat.

Castra per Cameram sic emenda non comprehendi per triennium sub

§ 14. Civitates vero, terras, castra et loca iurisdictionalia per Cameram Apostolicam in vim praesentium emenda et acquirenda, in constitutione felicis recordationis Pii Papae V, praedecessoris nostri, de civitatibus, terris, castris et locis Sanctae Romanae Ecclesiae non infeudandis, per triennium, a die illarum venditionum computandum, minime comprehendi debere declaramus.

bulla Pii V de non infeudandis iubet.

Clausula sublata.

§ 15. Decernentes sic et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Camerae praedictae praesidentes clericos et Sanctae Romanae Ecclesiae camerarios, necnon eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae contrariorum derogatoriae.

§ 16. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus et ordinationibns apostolicis, ac legibus municipalibus Urbis, necnon civitatum, terrarum, castrorum, et locorum supradictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ac investituris, etiam in remunerationem, aut ex quavis alia causa onerosa, aut ex contractu, erectionibus dignitatum, aliisque quibusvis concessionibus, dictis principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus et domicellis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et irritantibus ac aliis decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis, nec non fideicommissis, ac ultimis voluntatibus, donationibus, pactis quibuscumque, aliisque praemissis. Quibus omnibus et

singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis, et de verbo ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat, et ad effectum omnium et singulorum praemissorum, specialiter et expresse, ac latissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo, *etc.*

Datum Romae apud. S. Marcum anno Incarnationis Dominicae, millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, septimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 25 iunii 1596, pontif. an. v.

CXXXIV.

Moderatio censurarum contra extrahentes frumenta et aliud annonae genus extra Statum Ecclesiasticum per constitutionem Gregorii XIII inflictarum[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pastoralis nostra de animarum cunctorum christifidelium salute sollicitudo nos admonet, ut ea, quae praedecessores nostri Romani Pontifices, iustis suadentibus rationibus, provide ordinarunt, dum tamen ex his animas christifidelium illaqueatas detinere comperimus, pro earumdem animarum salute moderemur, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Ex Gregorianae constitutionis stricta observantia animae illaqueabantur.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, ob constitutionem felicis recordationis Gregorii Papae XIII, contra extrahentes frumenta, blada et aliud annonae genus extra Statum Ecclesiasticum editam, in qua excommunicationis poena eo ipso incurrenda inflicta existit, multae tum subditorum nostrorum S. R. E., tum vicinorum ditionis nostrae finibus populorum personae, quae etiam pro eorum victu, et in modica quantitate huiusmodi frumenta, blada, legumina et alia id genus extrahere coguntur, excommunicationis huiusmodi poena illaqueatae detineantur, et alias etiam saepe illaqueari contingat.

Clemens excommunicationem tollit quoad eos, qui annonam extrahunt pro suo usu.

§ 2. Nos, quibus animarum christifidelium salus imprimis procuranda est, praemissis, quantum cum Domino possumus, obviare volentes, constitutionis praedictae tenorem, ac si ad verbum insereretur, praesentibus pro expresso habentes, motu proprio, et ex certa scientia maturaque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, excommunicationis poenam in dicta constitutione inflictam, quoad eos, qui frumenta, blada, legumina et alia cuiusvis annonae generis in modica quantitate, et pro usu proprio tantum, non autem mercaturae causa, ex Statu nostro Ecclesiastico pro tempore extraxerint, omnino tollimus et abrogamus, eosque talem excommunicationis poenam, salvis tamen aliis poenis in dicta constitutione inflictis, minime de caetero incurrere declaramus.

Data confessariis eos absolvendi facultate.

§ 3. Praeterea quibuscumque confessariis, ut personas, quas hucusque ob frumentorum et aliorum praedictorum in modica quantitate, et pro usu proprio, non ad mercaturam faciendam, ex dicto Statu extractionem, excommunicationis huiusmodi poenam incurrisse comperierint, ab huiusmodi excommunicationis poena, iniuncta eis poenitentia salutari,

absolvendi facultatem concedimus et impertimur.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus praedicta Gregorii XIII, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXVIII iunii MDXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 28 iunii 1596, pontif. an. V.

CXXXV.

Religiosis Congregationis Sancti Ioannis Evangelistae regnorum Portugalliae prohibetur, quominus de rebus suae religionis extra eam agant, vel favores captent [1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quaecumque ad religiosorum quietem et prosperam directionem pertinere cognoscimus in his auctoritatis nostrae partes libenter interponimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Appellationum formam praescribit.

§ 1. Cupientes itaque dilectos filios canonicos et alios religiosos congregationis S. Ioannis Evangelistae, sub habitu et regula congregationis Sancti Georgii in Alga Venetiarum, in regnis Portugalliae institutae in humilitatis et obedientiae spiritu Dei obsequiis vacare, et a saecularium rerum cura, prout bonos religiosos decet, penitus liberos esse, quae his impedimento esse possunt, provida ratione removenda censemus. Prohinde hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, ac statuimus et ordinamus, quod perpetuis futuris temporibus nullae omnino personae dictae congregationis Sancti Ioannis Evangelistae liceat ab ordinationibus, visitationibus, correctionibus, reformationibus, privationibus, depositionibus, aliisve poenis et sententiis suorum rectorum, visitatorum, aliorumque praelatorum, seu etiam rectoris generalis, et Capituli generalis eiusdem Congregationis in iis, quae ad eius regimen pertinent, ad aliquem iudicem, sive ecclesiasticum sive saecularem, aut aliam quamcumque personam, quavis auctoritate et dignitate, etiam regali, ducali, aut alia mundana, aut etiam archiepiscopali, episcopali, vel alia ecclesiastica praefulgentem appellare, aut alias quoquo modo recursum habere, sed ab eorum superioribus ordinariis, ad rectorem generalem, et ab illo ad capitulum generale recurrere, et coram eis de eorum iuribus experiri, iuxta dictae Congregationis privilegia, et regularia instituta teneantur, a praedicto temen capitulo generali pro notoria et manifesta iniuria, ac in eventum denegatae iustitiae, ac alias, ad Sedem Apostolicam, eiusque nuncios ac legatos dumtaxat, ut praefertur, recurrere valeant.

Prohibitio de rebus Religionis extra eam agere.

§ 2. Insuper eiusdem Congregationis rectori generali, aliisque rectoribus, vicerectoribus, canonicis et fratribus universis, et singulis personis perpetuo interdicimus et prohibemus, ac in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ne ullo unquam tempore non solum de huiusmodi causis, sed etiam de quibuscumque aliis rebus et negotiis Congregationis ad quascumque personas saeculares et ecclesiasticas, extra dictam Congregationem, etiam reges, duces et alios principes saeculares, necnon quoscumque in ecclesiastica dignitate constitutos archiepiscopos, episcopos, et alios ecclesiasticos praelatos (nunciis et legatis apostolicis in casu super expresso exceptis), scribere culpas religiosorum et poenas, quibus plectuntur, et alias res, quae extraneis personis notas esse mini-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

me decet, tam per litteras et memorialia, quam oretenus per se, vel per aliquam interpositam personam, directe vel indirecte, tacite vel expresse, quovis quaesito colore vel ingenio, significare et notas facere de eorum praelatis, aut de omnibus et singulis eiusdem Congregationis canonicis, fratribus, aut conversis supra nominatis, penes praedictas personas conqueri, aut coram illis aliqua ipsorum praelatorum et dictarum personarum crimina obiicere, aut alia facere, dicere et tractare, quae ad religionem seu religiosos ipsos pertineant.

Vel quemcumque favorem captare.

§ 3. Neque pro remissione, aut relaxatione poenarum, seu poenitentiarum eorum favorem et patrocinium requirere vel implorare, vel illis ultro delata uti audeant seu praesumant.

Poenae contra transgressores.

§ 4. Qui vero in aliquo praemissorum contra praesentium tenorem venire, aut aliquid attentare praesumpserint, eos perpetuae privationis activae et passivae vocis, ac dignitatum, officiorum et administrationum quarumcumque, inhabilitatisque ad illa et alia imposterum obtinenda, carcerisque mancipationibus unius anni, ac in omnibus quartis et sextis feriis disciplinam in refectorio suscipiant, et ibidem panem et aquam tantummodo in terra manducent. Poenas, ad quas incurrendas solae appellationum interpositiones, ac litterae, aliaque contra tenorem huiusmodi attentata ubique, tam in iudicio quam extra, fidem faciant, eo ipso incurrisse et incurrere declaramus, poenasque huiusmodi a nobis tantum, et Romano Pontifice remittendas, contra eos irremissibiliter infligimus et promulgamus.

Recurrentes extra Religionem ad eam remittendi.

§ 5. Mandantes in virtute sanctae obedientiae universis et singulis archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, seu, ut praefertur, in ecclesiastica dignitate constitutis et aliis personis ecclesiasticis, ut pro dictae Congregationis quiete, illius religiosos quoscumque ad eos forsan recurrentes, contra praemissa delinquentes, ad eorum superiores remittant, nec illis aliquo modo contra earumdem praesentium tenorem faveant, aut aliorum suffragia implorandi occasionem praebeant; reges autem, duces et principes temporales, ac marchiones et etiam comites, gubernatores et barones paterne in Domino hortamur, ut qui libertatem ecclesiasticam et religiosorum quietem, et institutorum suorum observantiam, tamquam vere catholici principes, tueri teneantur, huius Congregationis prosperum ac pacificum statum, qui ex praemissorum observatione maxime pendet, conservari curent et studeant.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 6. Decernentes insuper praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quocumque alio defectu notari, impugnari vel redargui posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium litterarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper, et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales et alios, ad quos spectat, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Rectori generali data commissio praedicta omnia exequendi.

§ 7. Quocirca dilecto filio rectori generali Congregationis praedictae nunc et pro tempore existenti per praesentes committimus et mandamus, quatenus prae-

missa omnia, statim post praesentium susceptionem, in Congregatione praedicta et in omnibus eius monasteriis publicari, eaque omnia tam per se, quam per visitatores ordinarios, omnesque alios inferiores eiusdem Congregationis praelatos ab omnibus eiusdem congregationis regularibus personis inviolabiliter observari, et quolibet anno in visitationibus dictae Congregationis super praemissis contra delinquentes inquiri faciat, praecipue vero ne aliquas iam iniunctas, vel imposterum iniungendas poenas, seu poenitentias cuicumque eiusdem Congregationis religioso ad supradictarum saecularium, aut ecclesiasticarum personarum praedictarum instantiam remittant, condonent, relaxent aut minuant, aut remitti, condonari, relaxari vel minui patiantur; contradictores et inobedientes supradictis et aliis poenis, iuxta eiusdem Congregationis regularia statuta ac aliis opportunis iuris et facti remediis, appellatione omnino postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus quibuvis apostolicis ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quibuscumque statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et ad verbum expressa mentio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 9. Volumus autem, quod praesentes litterae inter statuta et definitiones eiusdem Congregationis perpetuo observandae describantur, et quod earum transumptis etiam impressis manu secretarii dictae Congregationis, aut alicuius notarii publici, necnon sigillo eiusdem Congregationis, vel alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, indubia ubique, in iudicio et extra, aeque ac praesentibus ipsis fides adhibeatur.

Fides transumptorum.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die IV iulii MDXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 4 iulii 1596, pontif. an. V.

CXXXVI.

Quod Itali extra Italiam non habitent in locis, ubi liber et publicus cultus sive usus catholicae religionis, non existat.

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Cum, sicut non sine magno animi nostri dolore accepimus, quamplures christifideles ex diversis Italiae partibus, eorum patriis, ubi vera et sancta catholica et apostolica religio viget, et pubblice praedicatur, discedentes, abeant in longinqua loca, ubi non solum haereses impune grassantur, sed, quod peius est, catholicae religionis usus publice interdicitur et prohibetur; quo fit, ut personae ibi permanentes, etiam si catholicae sint, cogantur tamen contra eorum pia desideria, sacrosanctae missae sacrificio, aliisque divinis officiis ac sanctorum sacramentorum perceptione, in suarum animarum discrimen, diutius carere.

Itali non habitent in locis in quibus catholicae fidei cultus libere non permittitur.

§ 1. Quare nos, his et aliis malis et periculis inde provenientibus, quantum cum Domino possumus, obviare cupientes, hae nostra in perpetuum valitura

constitutione statuimus et ordinamus, ut de caetero nullus Italus, sive mercator, sive cuiusvis alterius conditionis vel status existat, quovis quaesito colore, praetextu vel ingenio, audeat habitare, vel domicilium tenere in civitate, oppido, seu loco, ubi aliqua ecclesia cum parocho, vel pastore, seu sacerdote catholico non existat, in qua libere, et sine omni periculo, palam et publice, celebrari et audiri possint sacrosanctae missae, et alia divina officia et conciones, ac sacramenta ecclesiastica ministrari, mortuorum corpora sepeliri, et caetera fieri iuxta ritum Sanctae Romanae Ecclesiae.

A matrimoniis cum haereticis et sepulturis abstineant.

§ 2. Utque iidem Itali abstineant a matrimoniis cum haereticis mulieribus, et ab haereticorum sepulturis; filios suos de sacro fonte levari per haereticos non permittant, nec ipsi vicissim haereticorum filios, nisi per catholicum sacerdotem catholico more baptizentur, levare praesumant. Medicorum quoque haereticorum opera, necessitate cessante, et ubi adsit copia catholici medici idonei, non utantur.

Ad habitandum ibi non accedant, nisi prius significent Ordinariis vel Inquis., qui cum eis hic descripta servent.

§ 3. Cum vero Itali praedicti ex Italia recedunt ad morandum seu inhabitandum in partibus praedictis, id significent suis Ordinariis vel inquisitoribus locorum, a quibus serio admoneantur, ut in eis perpetuo catholicam et orthodoxam fidem constanter retinentes et profitentes, piam et catholicam vitam ducant, dominicos et festos dies, abstinentias, et sacra ieiunia ab Ecclesia praecepta religiose colant, atque omnem haeresim et errorem, haereticos, schismaticos et ab orthodoxa fide aberrantes fugiant et evitent, ac ut saltem singulis annis de eorum sacramentali peccatorum confessione, et sanctissimae Eucharistiae perceptione per eos factas fidem seu testimonium ipsis Ordinariis, vel inquisitoribus in Italiam transmittant, ad quod et nos dictos Italos, tenore praesentium, teneri et obligatos esse decernimus et mandamus.

Contra inobedientes tanquam de haeresi suspectos inquiri potest.

§ 4. Quod si quis propriae salutis immemor, contra praemissa facere praesumpserit, possit adversus eum per locorum Ordinarios et inquisitores haereticae pravitatis, uti de haeresi suspectum, procedi.

Quibuscumque non obstantibus

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsismet praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die vigesima sexta iulii millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 26 iulii 1596, pont. an. v.

CXXXVIII.

Iurisdictio, facultates et privilegia auditoris Reverendae Camerae Apostolicae, necnon reformationes officialium eiusdem tribunalis [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei,

Dilecto filio magistro Marcello Lantes, clerico Romano U. I. D., capellano nostro, causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Ea Romani Pontificis in conferendis praecipuis Romanae Curiae officiis cura esse debet, ut ad illa ii demum eligantur viri, qui doctrina, prudentia, fide et probitate praestent, quique officia praedicta

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

ea, qua decet diligentia et integritate, sciant, velint et possint administrare.

Marcellum Lantes Camerae Apostolicae auditorem creat cum omnibus facultatibus, iurisdictionibus, privilegiis, *etc.*

§ 1. Cum itaque nos nuper officium generalis auditoratus seu audientiae causarum Curiae Camerae Apostolicae, quod nuper dilectus filius noster Camillus tituli Sancti Eusebii presbyter cardinalis Burghesius nuncupatus obtinebat, per illius ad cardinalatus dignitatem promotionem vacare decreverimus, et ad praesens vacet; nos personam tuam generis nobilitate parem, et iis virtutibus, quae ad primaria quaeque munera obeunda pernecessaria sunt, ornatam, ac praecipue doctrina prae caeteris Romanae Curiae praelatis eligendam duximus, cui officium praedictum demandaremus, firma spe freti te, dextera Domini propitia assistente, idem officium recte, fideliter et prudenter administraturum. Te igitur, qui dictae Camerae Apostolicae clericus, ac in utraque nostra Signatura referendarius existis, praemissorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, necnon singulorum privilegiorum, indultorum et facultatum officio praedicto concessorum, ac scripturarum aliarumque litterarum desuper confectarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, certaque scientia nostris tibi, quoad vixeris, officium auditoratus seu audientiae causarum huiusmodi, per promotionem dicti Camilli ad cardinalatus honorem, ut praefertur, aut alias quovis modo, quem praesentibus haberi volumus pro expresso, vacans cum officio correctoriae archivii Romanae Curiae, aliisque illi annexis, ac omnibus et singulis suis honoribus, privilegiis, necnon salva dismembratione et separatione sex millium scutorum monetae romanae annuorum ad rationem decem iuliorum eiusdem monetae pro quolibet scuto huiusmodi, et fructibus dicti officii auditoratus per felicis recordationis Sixtum PP. V, praedecessorem nostrum, ex certis causis, factis, et dictis scutis sex millibus eidem Camerae seu alias applicatis, et salvis remanentibus, cum iuribus, regalibus et emolumentis consuetis, ac facultatibus et indultis, necnon decretis, etiam in ordine et modo procedendi in causis eidem Camillo cardinali et aliis, qui pro tempore fuerunt causarum Curiae huiusmodi generalibus auditoribus, etiam per piae memoriae Iulium II, Leonem X, Clementem VII, Paulum et Iulium III, ac Sixtum praedictum et Gregorium XIV, et alios quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos, et Sedem Apostolicam sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis tam in forma brevis, quam sub plumbo expeditis litteris, et alias ex usu, stylo et consuetudine quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus et assignamus; teque ad tui vitam nostrum et pro tempore existentis Romani Pontificis, ac dilecti filii nostri Henrici tituli S. Pudentianae presbyteri cardinalis Caietani nuncupati moderni, et pro tempore existentis S. R. E. camerarii, et curiae causarum Camerae Apostolicae generalem auditorem cum honoribus, oneribus, privilegiis, concessionibus, indultis, iuribus, regalibus, emolumentis, facultatibus et decretis praedictis, con-

Sex millia scuta aurea ex fructibus dicti Officii applicata remaneant C. A.

stituimus et deputamus, ac in locum dicti Camilli cardinalis quoad huiusmodi auditoratus officium eiusque liberum exercitium, quoad vixeris, substituimus et subrogamus. Indulgentes, quod tu, licet quovis modo te imposterum immisceas in causis criminalibus, etiam ubi poena sanguinis et ultimi supplicii imponenda erit, seu imponetur, nullam propterea censuram ecclesiasticam, aut irregularitatis, vel inhabilitatis cuiuscumque notam et impedimenta ullatenus incurras, dummodo sententiam sanguinis per te ipsum non feras, vel votum subscribas, tibique, ut per te vel alium seu alios, idoneum vel idoneos, locumtenentem seu locumtenentes, ac officiales tuos, vel vicesgerentes, quos et quomodo pro tempore duxeris assumendos aut deputandos, de omnibus et singulis causis, modis et formis praesentibus expressis, cognoscendi et decidendi facultatem concedimus; itaut tu, tam in causis obligationum in forma Camerae, quam in forma iuris, guarantiae, vel Ripae et Ripettae celebratarum, ac etiam in aliis obligationibus, in quibus etiam absque obligatione in forma Camerae debitores consentiunt in mandatum exequutivum unica citatione, vel etiam sine citatione, et quarum obligationum vel consensuum vigore in aliis tribunalibus exequutive per relationem mandatorum proceditur, quovis modo solus, praeterquam inter cives Romanos, inter quos privilegium seu constitutionem ultimo loco per similis memoriae Pium PP. IV, etiam praedecessorem nostrum, in favorem populi Romani motu proprio factam, omnino servari volumus, alii vero quicumque etiam Romanae Curiae iudices in similibus causis nullatenus nulloque modo procedere possint, ac de omnibus et singulis obligationibus in forma Camerae, ubivis locorum, et inter quascumque personas factis et faciendis, iis dumtaxat exceptis, quae, independentibus[1] a litibus et causis in eadem Curia coram aliis iudicibus pro tempore introductis, factae et receptae fuerint, et tunc non per viam censurarum, sed per viam mandati exequutivi cognoscas et in illis procedas. Itaut, si quascumque causas, quae de caetero perpetuis futuris temporibus in eadem Curia super ipsis obligationibus, aliisque omnibus praedictis in alio, quam auditoratus huiusmodi tribunali, praeterquam in vim specialis commissionis nostrae, de dictis obligationibus specialem mentionem facientis motae fuerint, in illarum statu, gradu et terminis, in quibus reperientur, tua ordinaria auctoritate, exceptis dumtaxat causis Curiae Capitolii contra dictos cives Romanos pro tempore iuxta formam dicti privilegii motis, reassumere.

Auditor C. A. nullam censuram ecclesiasticam incurrit in causis criminalibus iudicandis.

§ 2. Inhibendo iudicibus, quibus sunt commissae, ac coram quibus illae pendebant, ne in eis aut de illis, quoquo modo aut quovis quaesito colore, directe vel indirecte, se intromittere; itidemque omnibus et quibuscumque iudicibus, eorumque locumtenentibus et auditoribus tam ecclesiasticis quam saecularibus, ne in exequutionibus, ac processibus praedictarum obligationum et contractuum de caetero contra tenorem praesentium ad instantiam cuiuscumque personae, collegii, universitatis, capitulorum, et quorumvis privilegiatorum sub excommunicationis latae sententiae indignationisque nostrae poenis, ac partibus ipsis, notariis, procuratoribus, sollicitatoribus, exequutoribus, officialibus sub eisdem censuris et poenis, ac privationis officiorum suorum et inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, nec non quingentorum ducatorum fisco et eidem Camerae applicandorum, refectionisque expensarum partibus arbitrio suo, et nullitatis pro-

Cavet quominus alii iudices in causis ad eum spectantibus se immisceant sub poenis hic expressis.

1 Forte *independenter*. (R.T.).

cessuum quovis modo, directe vel indirecte, se intromittere praesumant, et quidquid secus super his contigerit attentari, irritum et inane decernendo. Praeterea solus vigore dictarum obligationum censuras ecclesiasticas promulgare.

Enumerat causas per eum definiendas,

§ 3. Necnon omnes et singulas spirituales, ecclesiasticas et prophanas, ac quorumvis etiam eiusdem Romanae Ecclesiae cardinalium, eorumque et nostrorum familiarium, continuorum commensalium, nec non quorumcumque praelatorum in ipsa Curia degentium, ac etiam imperatoris, regum, principum, ac communitatum, et universitatum, oratorum, nec non dictae Curiae officialium eamdem Curiam sequentium et familiarium eorumdem, et ipsius Curiae causarum huiusmodi auditoris notariorum, et eorum familiarium, capsorum quoque, et quorumvis mercatorum, ac pensionum annuarum super fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis, ac eorum fructuum loco pensionum huiusmodi reservatarum et assignatarum, etiamsi earum et eorum solutio non sit in praedicta Curia, sed in partibus facienda. Et quascumque alias etiam commissarias causas, tam civiles quam criminales et mixtas, coniunctim vel divisim, in eadem Curia quomodocumque et qualitercumque motas et movendas, et inter quascumque partes, etiam per viam inquisitionis, aut ex officio quomodolibet pendentes, et quae per appellationem a gravaminibus illatis, et inferri comminatis, seu sententiis diffinitivis vel interlocutoriis a quibusvis iudicibus ordinariis, et arbitris atque arbitratoribus in Curia et Urbe praedictis (vicario nostro, ac gubernatore, vel senatore Urbis praedictae, ac iudicibus capitolinis dumtaxat exceptis) et extra eas, ac quibuscumque iudicibus ordinariis vel delegatis, seu arbitris vel arbitratoribus, ac etiam dictae Sedis legatis, ac eorum vicelegatis in terris eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, aut aliis earum gubernatoribus, vel officialibus, et quibusvis in feudum, seu vicariatum, aut alias quomodolibet concessis, et pro tempore latis et promulgatis interpositam, seu alias ad eamdem Sedem, etiam per viam reclamationis iudicialis, vel extraiudicialis, aut nullitatis, vel recursus a quibuscumque sententiis quorumcumque Ordinariorum, etiam extra Statum Ecclesiasticum hactenus devolutae sunt, et imposterum devolventur. Eas videlicet, in quibus non agetur ultra summam ducentorum ducatorum auri de Camera, aut de re verum valorem praedictae summae non excedente, seu quae inter et contra mercatores dictae Curiae pro quibuscumque negociis ad quamcumque summam ascendant, et pro notariis tuis, ac inter et contra ipsos, et eorum familias pro tempore vertentur, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola veritate inspecta, et manu regia, absque observatione terminorum, qui de stylo, seu ordinatione palatii apostolici, aut alias observari consueverunt, etiam privative quoad alia tribunalia, aliae vero summam praedictam, aut illius valorem excedentes, et inter et contra alios quam mercatores vertentes, servatis terminis, et alias summarie, prout in beneficialibus. Eisdemque terminis quomodocumque male, et nulliter, praepostere, aut confuse tentis, pro minore partium dispendio, etiam unico contextu, citatione et audientia reiteratis, etiam per affixionem citationis pro tempore faciendae ad valvas habitationis ipsorum citandorum, quoad obligatos in forma Camerae, seu guarantiae, Ripae et Ripettae, ac aliis supradictis formis exequutivis, et quoad alios aliter obligatos, ubi non agetur de maiore, quam de viginti ducatorum summa, audire, cognoscere, deci-

Tam in terris Rom. Ecclesiae subiectis, quam in causis decisis ab Ordinariis extra eas.

dere et fine debito terminare. Nec non de omnibus et singulis quibuscumque, et quantumcumque enormibus criminibus, delictis et excessibus tam in Urbe et Curia praedictis, quam extra eas per quoscumque tam eiusdem Curiae atque Sedis officiales, quam dictam Sedem sequentes, et alios etiam a iurisdictione Ordinariorum exemptos, ac dictae Sedi immediate subiectos, cuiuscumque ecclesiasticae vel mundanae dignitatis, etiam episcopalis, vel maioris, et per quoscumque alios cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, perpetratis, vel perpetrandis, tam ad procuratoris fiscalis denunciationem et promotionem, quam etiam partium accusationem, vel etiam instigationem, seu ex mero officio, et quoad omnes privative perpetratis per notarios tuos, et substitutos, interque et contra eos, ac alios in eorum officiis, et intus ea solum inquirere, et super illis tam per viam inquisitionis, quam accusationis, seu denominationis et instigationis huiusmodi procedere, et culpabiles repertos, iuxta suorum excessuum exigentiam et qualitatem, quovis modo punire.

Cavet ne monitoria contra episcopos ad comparendum personaliter decernat.

Dummodo monitoria contra episcopos, vel eorum superiores ad comparendum personaliter, nisi praevia commissione manu nostra signata, non decernas. Nec non quascumque litteras apostolicas generales et particulares tam sub plumbo, etiam per officium audientiae nostrarum litterarum contradictarum, ac etiam per officium minoris gratiae expeditas, quam in forma brevis, et quarum solam signaturam sufficere concessum fuerit, suppli- ones per nos, et pro tempore existen- omanos Pontifices, aut in eorum seu praesentia signatas, necnon litte- tempore existentis camerarii ac iarii maioris nostrorum (dum- lis, et litteris apostolicis prae- exequutores deputati non fue- rint) solus; in quibus vero deputati erunt, cumulative cum illis exequi, et super illis processus debitos in forma solita, etiam cum promulgatione censurarum in similibus promulgari solitarum decernere. Ac tuarum per te, tuosque locumtenentes, seu quosvis alios tam ecclesiasticos et saeculares iudices, et tam delegatos quam subdelegatos, ac etiam causarum dicti palatii auditores, vel nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, tam in specie quam in genere, ac alias quomodolibet in eadem Curia, et extra pro tempore latarum sententiarum, necnon quorumcumque processuum generalium, vel specialium, tam in die Coenae Domini, quam alias cum censurarum et poenarum ecclesiasticarum fulminatione fieri solitorum exequutionem, quas etiamsi delegatis vel subdelegatis praedictis, aut quibusvis aliis, etiam specialiter per nos, et Sedem praedictam commissa fuerint, tibi cumulative, et non privative, commissas esse volumus atque decernimus, servatis terminis in tribunali tuo huiusmodi servari solitis, etiam singulis diebus et horis, prout in ordinariis consuetum est facere, illasque et illos debitae exequutioni, etiam si opus fuerit, cum auxilii brachii saecularis invocatione, demandare. Et quascumque communitates, universitates, collegia, capitula, necnon etiam extra dictam Curiam degentes personas pro debitis per eos in eadem Curia contractis, aut salario, seu contractu in dicta Curia inito; degentes vero in eadem Curia, seu curiales ecclesiasticos, saeculares vel regulares, etiam ab ipsa Curia absentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, etiam pontificalis conditionis, vel praeeminentiae existentes pro quibusvis rebus, et pecuniarum summis ad quorumvis etiam absentium, quorum interesse, pro tempore instantiam, quoties expedierit, etiam per edictum publicum con-

stito summarie et extraiudicialiter de non tuto ad eos accessu, ad satisfaciendum de eorum debitis, et praestandum ea, ad quae pro tempore tenebuntur monere et citare. Ac litteras quascumque remissoriales et compulsoriales, tam generales quam speciales, ubi et quoties opus fuerit, arbitrio tuo decernere. Nec etiam in vim constitutionis Eugenianae in favorem curialium emanatae, ac Leoninae, et cuiuscumque illius extensionis inhibere. Ac monitoria, citationes et inhibitiones ad partes etiam per simile edictum decernere, eos quoque arrestare et carcerare, ac si tibi videbitur, quascumque poenas ac mulctas simili arbitrio dimittere et relaxare, ac pro delictorum et excessuum, necnon criminum qualitate eis per te tuosque locumtenentes infligere et imponere. Necnon quoslibet inobedientes excommunicare, et a divinis suspendere, generaliter vel specialiter interdicere, ac sententias, censuras et poenas ecclesiasticas per te et locumtenentes tuos pro tempore latas, etiam iteratis vicibus aggravare. Et quod a te, vel locumtenentibus praedictis pro tempore excommunicati, seu aliter censurati, ab aliis, quam a te vel locumtenentibus praedictis, etiam de partium consensu, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi non possint, ad evitandum collusiones statuere. Et cum tibi visum fuerit expedire, communitates, universitates, collegia, capitula et personas quoscumque, a quibusvis sententiis, censuris et poenis, ac mulctis ecclesiasticis, spiritualibus vel temporalibus per alios videlicet, quam per te et tuam curiam inflictis, in diebus paschalibus et natalitiis cum reincidentia absolvere, nec non sententias, censuras et poenas, ac mulctas huiusmodi, et quaecumque interdicta suspendere, tollere et eis relaxare. Necnon obligationes in forma Camerae, etiam per mortem debitoris, quoad illius bona tamen etiam per viam confiscationis debiti per aliquem ex procuratoribus in qualibet obligatione constitutis more solito facienda, et haeredibus legitime citatis, seu alias arbitrio tuo exequi, et exequutioni demandari facere. Et generaliter omnia et singula, quae ad officium auditoris causarum Curiae huiusmodi de iure, vel ex privilegio, aut usu, seu litteris, et consuetudine praedictis olim spectabant, et quae illi, qui pro tempore fuerunt causarum Curiae huiusmodi auditores, ex concessis eis facultatibus facere et decernere, mandare, statuere, ordinare et exequi quomodolibet poterant, seu consueverant, facere, dicere, mandare, statuere, ordinare et exequi valeas, habituri ratos et gratos processus et sententias, quas tu et locumtenentes tui praedicti pro tempore habuerint et tulerint, ac reliqua omnia, quae in praemissis, et circa ea, aut quodlibet eorum fecerint, dixerint, mandaverint, statuerint et ordinaverint, ac facturi ea omnia, auctore Domino, ab omnibus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus litteris Eugenii et Leonis Pontificum Romanorum.

§ 4. Insuper, eisdem auctoritate et potestatis plenitudine, tam litteris Iulii II, Leonis X, aliorumque praedecessorum huiusmodi, quam omnia et singula privilegia, indulta, facultates, iurisdictiones et gratias officio auditoratus et auditoribus praedictis quomodolibet concessa, ac cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, singulas denique desuper confectas litteras, quorum omnium et singularum litterarum praedictarum huiusmodi tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pariter praesentibus haberi volumus pro expressis, auctoritate et tenore praedictis, approbamus, confirmamus et innovamus, ac perpetuae firmitatis robur obtinere, et inviolabiliter observari debere decernimus, illaque omnia et sin-

Praedecessorum Pontificum litteras A.C. privilegia vel iurisdictionem concedentes confirmat.

gula ad officium auditoratus, et pro tempore existentem auditorem huiusmodi, perinde ac si eis specialiter et expresse concessa, et pro eis, seu in illorum favorem statuta et ordinata fuissent, extendimus et ampliamus. Quodque constitutiones, quae *Odoardus*, et *Pervenit* incipiunt, et quaevis alternativae, seu moratoria, et dilationes etiam salinariae, per quoscumque etiam eiusdem Romanae Ecclesiae cardinales, clericos Camerae, et illius camerarium pro tempore decretae, quoad obligatos, ut supra, tam respectu bonorum, quam personarum nullatenus possint. Quinimmo obligationes praedictae exequutioni debitae demandentur, etiam post mortem debitoris quoad bona. Et non obstantibus quacumque appellatione, et superinde obtenta commissione de huiusmodi obligatione expressam mentionem non faciente, aut discussione haereditatis ubilibet pendente, si per creditores data fuerit idonea cautio in forma depositi de restituendo id quod receperint, prioribus et potioribus creditoribus in eventum succumbentiae.

Locum ei in capella pontificia assignat.

§ 5. Quodque tu in capella, et aliis actibus tam publicis quam privatis, primum locum post eumdem gubernatorem et oratores principum, si praelati fuerint, habeas, indulgemus, statuimus, volumus et ordinamus; necnon contradictores et rebelles, tibique in praemissis non parentes opportunis iuris remediis compescendi, et ad id, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocandi, caeteraque in praemissis, et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna tam in dicta Urbe nostra, quam ubique locorum faciendi et exequendi, iuxta facultates alias tunc officium auditoratus huiusmodi obtinentibus attributas, plenam et liberam, auctoritate et tenore praemissis, concedimus facultatem.

§ 6. Ac etiam statuimus et ordinamus, quod si in causis in tuo tribunali, tam motis quam movendis, comparuerint creditores usque ad summam quinquaginta scutorum inclusive, pro quolibet, qui vere sint miserabiles personae, eisdem eorum credito, etiam quod non sint priores aut potiores, satisfieri possit ac debeat; mandantes propterea tibi, quatenus constito prius tibi etiam summarie, extraiudicialiter, et quantum tibi sufficere videbitur, de praemissis paupertate et miseria, dictos pauperes ad satisfactionem eorum crediti admittas, eisque satisfieri mandes et facias realiter et cum effectu, super quibus tibi plenam et liberam facultatem cum simili potestate quoscumque ubi et quando, ac quoties opus fuerit, etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non toto accessu, ac etiam sub ecclesiasticis sententiis, censuris, et etiam pecuniariis aliisque poenis imponendis, moderandis et applicandis, citandi, monendi et inhibendi, et in eventum non paritionis, sententias, censuras et poenas huiusmodi declarandi, aggravandi, reaggravandi, excommunicandi, interdicendi, auxiliumque brachii saecularis, si opus fuerit, invocandi, necnon perpetuum desuper silentium, omni et quacumque appellatione et recursu remotis, imponendi, omniaque et singula alia in praemissis et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, exercendi et exequendi, iuxta concessionis aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum desuper huiusmodi officiorum obtinentibus, ut praemittitur, factae tenorem, concedimus et impertimur. Postremo tibi, ut omnes et quascumque causas tam per te, quam locumtenentes tuos super omnibus et singulis articulis, negociis et causis in constitutione, seu motu proprio per praedictum Pium praedecessorem pro pecuniis ad

Alias recenset facultates.

cambium et recambium, usurario et malo modo per mercatores dictae Urbis accipiendis facta contentis, et dependentibus ab eis, prout pro singulorum casuum circumstantiis, alias de iure tibi faciendum videbitur (non obstante facultate, seu motu proprio per eumdem Pium praedecessorem in favorem dicti gubernatoris concessa) partibus iustitiam ministres, ac in causis ipsis non tamquam specialis commissarius, sed prout solet in similibus causis, iuxta tuarum facultatum tenorem, et ordinarium Curiae tuae stylum procedas, cum potestate citandi et inhibendi, ac quascumque inhibitiones per dictae Urbis gubernatorem decretas revocandi, et criminalitates contra mercatores tollendi, aliasque et alia, quae in praemissis et circa ea fuerint necessaria, et quomodolibet opportuna, faciendi, et alias in omnibus et per omnia, iuxta concessionum per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros tunc temporis Curiae causarum eiusdem Camerae generalibus auditoribus factarum tenorem, auctoritate et tenore similibus, committimus et mandamus.

Prohibet iudicibus sub poenis hic expressis, ne sententiarum ab eo latarum exequutionem impediant.

§ 7. Mandantes propterea et districtius inhibentes quibusvis iudicibus et personis, quocumque nomine nuncupatis, ac quovis privilegio munitis, etiamsi eiusdem S. R. E. cardinales fuerint, sub indignationis nostrae poena et interdicti, nec non etiam excommunicationis sententiis, quas, si secus fecerint, eo ipso incurrant, et a quibus (praeterquam in mortis articulo constituti) alias quam a Romano Pontifice pro tempore existente absolvi non possint, nec in obligationibus supradictis, illarumque exequutionibus, aut aliis praemissis contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet, nisi, ut praefertur, se intromittere, aut te vel locumtenentes praedictos super praemissis molestare praesumant.

Pro summa sexaginta millium scutorum bona omnia Camerae Apostolicae eius favore obligat.

§ 8. Insuper tibi, qui in nostram et Sedis praedictae subventionem, ob urgentes, quibus quotidie premimur, necessitates, summam sexaginta millium scutorum monetae in pecunia numerata realiter et cum effectu persolvisti, securitatique tuae consulere volentes, pro omnium et singulorum praemissorum observatione et exequutione, etiam nomine et loco damnorum et interesse, quae te pati posse contigerit, omnia et singula eiusdem Camerae bona, res et iura, tam mobilia, quam stabilia, praesentia et futura, ubilibet existentia, nedum generaliter, verum etiam specialiter et expresse, in amplissima Camerae forma, cum omnibus et singulis clausulis, decretis et cautelis in similibus apponi solitis, latissime extensis, tibi obligamus et hipothecamus; nec non etiam si pro consequendo dicto officio auditoratus ab aliis maius pretium repertum fuerit, seu reperiri contigerit, id omne et totum, sive parva sive magna summa existat, tibi etiam, titulo donationis irrevocabilis inter vivos dici solitae, gratiose remittimus et condonamus; ac praesentes ad probandum, quod eadem summa in nostram, et Sedis et Camerae praefatarum subventionem concessa fuerit, aliaque praemissa, ubique tam in iudicio, quam extra sufficere, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri, nec te, aut quemcumque alium nomine tuo ad praemissa, vel eorum aliqua, etiam quod litterae, mandata, compositiones, solutiones, nostro aut successorum nostrorum ordine, mandato, commissione facta fuerint, etiam ad Sedis, Camerae, seu fisci, aut etiam quarumvis particularium personarum cuiusvis dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentium, instantiam in iudicio vel extra probandum, aut verificandum non teneri, sed soli et simplici assertioni tuae, absque alterius probationis adminiculo, stari de-

bere, easdemque praesentes tibi in omnibus et per omnia suffragari debere, illasque et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos iuris reduci, seu in ius, vel controversiam revocari, aut adversus eas quodcumque iuris aut facti, vel gratiae remedium impetrari, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus et aliis contrariis dispositionibus compraehendi posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum, in quo antequam illae emanarent, erant, statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo concessas, etiam sub quacumque data per te eligenda, validasque et efficaces semper fore et esse, vimque validi et efficacis contractus inter nos, et Sedem, ac Cameram praedictas ex una, et te ex altera partibus, rite et recte, facti initi et stipulati, ac etiam hinc inde acceptati habere et obtinere, ac inviolabiliter observari, semperque validas et efficaces existere; sicque per quoscumque iudices et commissarios etiam S. R. E. cardinales et camerarium, dictaeque Camerae praesidentes et clericos, ac palatii apostolici auditores praedictos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia ac ubique locorum, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate et tenore praedictis, decernimus.

S. R. E. camerarius huiusce constitut. executor deputatur.

§ 9. Quocirca praedicto Henrico cardinali et camerario, per apostolica scripta motu pari, mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios te, vel procuratorem tuum, nomine tuo, in corporalem, realem et actualem possessionem officii auditoratus, et annexorum, iuriumque, et pertinentiarum, ac privilegiorum et facultatum praedictorum, seu quasi auctoritate nostra inducat, et defendat inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, faciens te, vel pro te, procurarem praedictum ad officium huiusmodi eiusque liberum exercitium, necnon honores, onera, salaria, regalia, iura et emolumenta in ipsius Camilli cardinalis locum admitti, tibique de emolumentis et aliis praedictis, ut supra, integre responderi. Contradictores, dicta auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Derogat contrariis.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac nostris, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, nec non revocatoria facultatum percipiendi pretium officiorum dictae Curiae, et gratiis ad instar non concedendis, aliisque cancellariae apostolicae regulis, etiam per nos, ac praedecessores et successores nostros Romanos Pontifices quoscumque, quomodocumque et quandocumque editis et edendis, et etiam praefati Pii IV praedecessoris, quod privilegia, concessiones, et indulta Camerae praedictae praeiudicium quomodolibet concernentia, in Camera praedicta intra certum tempus registrari, intimari, insinuari et notificari debeant. Item, quod praesentes nostras litteras in eadem Camera nullo unquam tempore praesentare, intimare, notificare et registrare facere, ac insinuare tenearis, nisi et quando tibi videbitur, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam de rebus et bonis Ecclesiae et Camerae praedictarum non alienandis, ac in illarum alienatione, et seu concessione certas solemnitates et forma servari debere disponentibus, ac Curiae et palatii stylo, nec non Urbis et

Camerae huiusmodi, et quarumcumque aliarum civitatum, terrarum et locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, reformationibus, etiam novis ac novissimis, et decretis, et ordinationibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis communitatibus, universitatibus, baronibus, domicellis, feudatariis et aliis quibuscumque eidem Sedi mediate vel immediate subiectis, et quibusvis aliis, quacumque dignitate, etiam episcopali, archiepiscopali, patriarchali et cardinalatus honore fungentibus, personis, ubivis locorum existentibus, ac etiam nostris et dictae Sedis nunciis, legatis, etiam de latere per nos et Romanos Pontifices praedecessores nostros sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam pro quibuscumque causis, etiam motu simili concessis confirmatis et approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, et imposterum concedendis, confirmandis, approbandis et innovandis. Quibus omnibus aliisque hic non expressis, quae forsan praesenti gratiae obesse possent, etiamsi de illis specialis, specifica et expressa mentio habenda, et certa exquisita forma observanda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, motu et scientia similibus, specialiter et expresse derogamus, ac plene et sufficienter derogatum esse decernimus et declaramus, ac omnibus illis quae in praemissis concessa fuerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Reformationes autem antea factas praeservat.

§ 11. Per praesentes autem non intendimus reformationibus de auditoratus huiusmodi et aliis dictae Curiae officiis per Pium IV et Pium V praedecessores praedictos factis, necnon Concilii Tridentini decretis in aliquo derogare, vel alias praeiudicare, sed illas et illa salva esse, et in suo robore permanere, eaque omnia, ac etiam eas, quae infra dicentur, reformationes per te et successores tuos praefatos, ac alios, ad quod id spectat, seu in futurum quomodolibet spectabit, omnino et inviolabiliter servari volumus et mandamus. Et insuper volumus, quod tu antequam officium auditoratus causarum Camerae huiusmodi exercere incipias, de illo fideliter exercendo in manibus Henrici cardinalis camerarii praedicti, seu eius locumtenentis solitum praestes iuramentum.

Harum litterarum transumptis credi iubet.

§ 12. Quodque praesentium litterarum exemplis seu transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur et adhiberi debeat, quae ipsis originalibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

Eum adhortatur, ut commisso sibi munere diligenter perfungatur.

§ 13. Tu igitur praedictum officium auditoratus, prompta devotione suscipiendo, sic illud diligenti studio, cura, et integritate exequaris, ut tua opera ad Dei laudem et gloriam, ac earumdem Ecclesiae et Curiae bonum publicum, privatorumque commoditatem et exemplum laudabile cedant, teque apud nos et Sedem praedictam, ut speramus, merito peramplius recomendent.

Reformationes alias factas recenset.

§ 14. Reformationes vero in tuo tribunali servandae ultimo dictae sunt hae, quae sequuntur, videlicet: Statuimus in primis, ut in causis criminalibus in locis nobis et S. R. E. immediate subiectis non decernantur, neque relaxentur monitoria contra aliquem in prima instantia, nisi per te, et tuos in dicto officio successores, facto prius verbo nobiscum, seu cum Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in casibus in bulla *Coenae Domini* contentis, in quibus tamen quando monitoria extrà Italiam de-

De monitoriis in causis criminalibus relaxandis.

cernenda erunt in locis nobis, et S. R. E. non subiectis, vel alias contra officiales, curiales, exemptos, ac contravenientes inhibitionibus, et litteris apostolicis, vel etiam pro rebus dependentibus a causis criminalibus coram te et tuis in dicto officio successoribus legitime introductis ac pendentibus, volumus pariter et mandamus huiusmodi monitoria non relaxari, nisi facto, ut praefertur, prius verbo nobiscum, seu cum Romano Pontifice pro tempore existente. Quantum vero attinet ad litteras pro capiendis inditiis, mandamus servari constitutionem felicis recordationis Pii PP. IV super reformatione dicti tribunalis. Praeterea statuimus et decernimus, ut post hac supersessoriae seu, ut vocant, *non gravetur*, vel dilationes, si quae interdum concedendae erunt, concedantur gratis, etiam pro sigillo et sine ulla iudicis, segretarii, aut alterius cuiuscumque personae mercede, et quando ipsae supersessoriae, aut non gravetur, seu dilationes revocandae erunt, praeterquam quando concedentur in vim termini iudicialis a debitore suscepti, quo casu circa solutionem servari volumus id quod iuxta stylum tribunalis hactenus servatum fuit. Ulterius mandamus creditorem, qui obtinuit mandatum exequutivum de capiendo contra debitorem ratione suspicionis fugae, vel sequestrum contra pecunias et bona debitoris, cogi non posse ad expediendum mandatum exequutivum, vel aliquo modo solvendum, aut deponendum illius taxam. Decernimus etiam tuos nunc et pro tempore existentes iudices nullo modo mandata exequutiva subscribere posse, nisi prius ipsimet iudices in libro expeditionum diem subscriptionis manu propria notaverint. Volumus pariter et statuimus tuum in criminalibus causis locum tenentem nunc, et pro tempore existentem, nihil posse recipere pro sportulis, sed debere esse contentum salario sibi iam assignato, locumtenenti autem in causis civilibus singulis mensibus scuta quinquaginta monetae a notariis pro rata solvi, nec aliquam aliam portionem pro eo retinere mandamus. Tibi insuper, tuisque successoribus praedictis facultatem relaxari faciendi pauperes carceratos extra Curiam pro debitis civilibus, et vigore suorum mandatorum tantum tuo arbitrio, iuxta facultates concessas visitatoribus carcerum Urbis per constitutiones Pauli III et Pii V editas, ad favorem pauperum carceratorum impertimur. Ad haec statuimus, ut substituti notariorum tui tribunalis non admittantur ad conficienda acta civilia seu criminalia, nec ad testes examinandos, nisi praevia approbatione collegii eorumdem notariorum, in qua de fide et idoneitate admittendorum attestetur, et semper de consensu, seu licentia tua, vel tui locumtenentis in civilibus, sive criminalibus respective; et idem servari praecipimus ab aliis, qui in dicto tuo tribunali stipulationes instrumentorum et rogitus pro eisdem notariis recipiunt; utque iidem tuorum notariorum substituti in singulis diebus cuiusque hebdomadae eos tangentibus quoscumque litigantes principales, seu eorum procuratores informare volentes in nota per eos designanda sigillatim describere teneantur, nec pro huiusmodi descriptione, aut admissione ad informandum iudices, aut ordine, seu prioritate circa ipsum actum informandi, aliquid etiam a sponte dantibus recipere possint. Ultra haec ordinamus, dictos tuos notarios pro contradictis aliquid ultra id, quod vere solvitur officio contradictarum, recipere non posse, neque debere, etiamsi illis propterea partibus sub praetextu celerioris expeditionis ultra offeratur. Mandamus etiam, ut notarii, nec non substituti dictorum notariorum sub poena triremium perpetuarum, aliquas

De supersessoriis.

De mandatis de capiendo.

De subscriptione mandatorum exequutivorum.

De salario locumtenentium.

De substitutis notariorum.

societatum officiorum pecunias, censuum ac aliorum cuiusvis generis contractuum, etiam procuratorio nomine exigere, recipere et penes se quovis modo retinere, tractare et habere, etiam de ordine, consensu et voluntate partium non audeant; et nihilominus notarii ad damna et interesse, quae culpa substitutorum partibus evenerint, teneantur et obligati sint, et contra eos in iis exequutive procedi possit et debeat. Ad haec praecipimus et mandamus, ut iidem notarii ad omnem requisitionem partium interesse habentium, instrumenta et testamenta in publica forma exhibere teneantur, et pro eorum mercede infrascriptas taxas, non ultra, exigere possint, videlicet:

De taxa expensarum.

Ab uno scuto usque ad scut. 25, bolen. 45;

A scutis 25 usque ad scut. 50, bolen. 75;

A scutis 50 usque ad scut. 100, scut. 1;

A scutis 100 usque ad scuta 500, scut. unum pro quodlibet centenario;

A scut. 500 usque ad quamcumque summam baiocchi 20 pro quolibet centenario, dummodo in totum ultra scut. 100 pro qualibet summa recipere nequeant.

Nec non etiam eisdem notariis praecipimus sub poena privationis officii, ne scripturas productas penes se in pulpito, aut alibi retineant, sed statim eiisdem mandamus ut illas describant, et eorum productionem in manuali notent, et illas in filsa reponant. Ordinamus praeterea ut substituti et alii intervenientes, seu degentes in officio notarii rogantis instrumenta pro testibus in instrumentis, testamentis et aliis actibus, ubi testes de iure requirantur, adhiberi non possint, sed alii omnino adhibeantur. Insuper statuimus ut instrumenta in his manualibus dietim extendantur et describantur, et filsae instrumentorum ad minus infra tres menses in voluminibus, seu libri formam, ut moris est, redigantur, et manualia ipsa diligenter et accurate custodiantur. Decernimus pariter, ut notarii teneantur adnotare disdictam societatis officii non solum in libro manuali, sed etiam in margine instrumenti societatis per verba huiusmodi, videlicet, die tali disdicta, et die tali reproducta. Reproductio autem disdictae in actis alterius notarii de societate non rogari nullo modo fieri possit, nisi ubi contractus societatis esset extra Urbem rogatus, quae debeat statim in manuali registrari, ut moris est, et notarii omittentes severe, arbitrio tuo et successorum tuorum praedictorum, puniantur. Atque idem servari volumus in nominatione, necnon in translatione periculi vitae, quae non officiat, aut quidquam prosit, nisi parti infra tempus ad nominandum vel transferendum intimetur, et per notarium, ut supra, adnotetur.

De manuali.

De disdictis.

Reproductione.

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionum, assignationis, deputationis, substitutionis, subrogationis, approbationis, confirmationis, innovationis, extensionis, ampliationis, impartitionis, obligationis, hypothecae, remissionis, condonationis, commissionis, inhibitionis, indultorum, decretorum, statutorum, praecepti, mandatorum, ordinationum, voluntatum, derogationis et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Clausulae poenales.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, kalendas augusti, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 1 augusti 1596, pontif. an. v.

CXXXVIII.

Declaratio quod filii civium Monasteriensium, legitimi et ingenui, a beneficiis collegiatarum, et filiae a monasteriis monialium excludi non possint[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Exposcit pastoralis nostrae sollicitudinis debitum, ut in his auctoritatis nostrae partes libenter interponamus, per quae catholicorum ad Ecclesiae Dei, in qua personarum acceptio non est, ministeria idoneorum statui et indemnitati opportune consulitur.

Causae faciendae declarationis. § 1. Sane, cum, sicut accepimus, licet in collegiatis ecclesiis S. Pauli Veteris, S. Ludgeri et S. Martini Monasteriensis, ac S. Mauritii prope et extra muros dictae civitatis, nec non monasterio monialium S. Egidii eiusdem civitatis filii et filiae civium eiusdem civitatis, dummodo se orthodoxos, probos et de legitimo thoro natos docere possent, et canonice provisi essent, non minus quam nobiles militares, indistincte ab omni hominum memoria, recipi et admitti consuevissent, nihilominus, ut etiam accepimus, dilecti filii Capitulum et canonici praefatae Ecclesiae S. Mauritii a nonnullis annis citra quoddam statutum (quo cavetur, ut canonicus pro tempore in dicta ecclesia recipiendus et admittendus, antequam ad professionem canonicatus et praebendae ipsius ecclesiae, quavis etiam apostolica auctoritate, et ex quocumque genere vacationis, etiam ex causa permutationis vel concordiae collatorum induceretur, per duos testes idoneos et fide dignos, probosque et honestae conversationis viros sub iuramento per eos praestando, se de legitimo thoro, ac legitimis et ingenuis parentibus procreatum esse, legitime probare debeat) ediderunt, illudque a felicis recordationis Sixto PP. V, praedecessore nostro, confirmari obtinuerunt, ac novissime illud alio novo statuto extendere ad probationem legitimitatis et ingenuitatis avorum et aviarum pro tempore provisi huiusmodi, ac per testes eiusdem qualitatis, ac ipsemet provisus, sine Sedis Apostolicae auctoritate, tentarunt; moniales quoque dicti monasterii S. Egidii alias filias civium recipere recusant, et timetur ne alia quoque capitula et monasteria, praedictorum exemplo, haec ipsa tentent et statuant, quod in catholicorum civium Monasteriensium praeiudicium vergeret.

Declaratio, de qua in rubrica. § 2. Ideo nos, qui eorumdem civium in catholica religione in illis partibus retinenda et tuenda, constantiam, fide dignorum virorum relatione, perspectam habemus, eosque propterea apostolicis favoribus et gratiis, ut in dies fortiores evadant, dignos iudicamus, attendentes apud Deum non esse acceptionem personarum, nec tam natalium et generis conditionem, quam virtutem et morum probitatem Illi gratos reddere eius fideles, praemissis, quantum cum Domino possumus, providere volentes, supplicationibus etiam dilectorum filiorum consulum, proconsulum et totius senatus dictae civitatis Monasteriensis nobis per dilectum filium nostrum Cynthium, diaconum cardinalem S. Georgii nuncupatum, nostrum, secundum carnem, ex sorore germana nepotem, super hoc humiliter porrectis inclinati, harum serie perpetuo statuimus et ordinamus, ut civium Monasteriensium filii et filiae, iuxta antiquam consuetudinem, in ecclesiis praedictis, et in qualibet illarum, necnon quibuscumque monialium monasteriis respective, dummodo se catholicos, probos et de legitimo matrimonio natos esse probent, absque alia ulterioris gradus probatione,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

sine aliqua prorsus exceptione, recipi et admitti debeant, neque ab ipsarum ecclesiarum capitulis, aut monasteriorum conventibus, et superioribus statuta aliqua his contraria, sine consulum, proconsulum et senatus praedictorum consensu et Apostolicae Sedis approbatione, edi, condi et publicari ullo modo possint, et edita, condita et publicata pro tempore, nullius roboris vel momenti existant; in ecclesia vero Sancti Mauritii sufficiat, ut pro tempore provisi, se de legitimis et ingenuis parentibus natos esse, per duos testes idoneos et fide dignos, probosque et honestae conversationis viros tantum, licet non sint eiusdem qualitatis, qua debet esse provisus, iuxta Sixti praedecessoris confirmationem praedictam, doceant, nec ad aliud circa statutum praedictum teneantur.

Clausulae.

§ 3. Sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Commissariorum desiguatio.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus Monasteriensi et Osnaburgensi episcopis, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes mandamus, ut ipsi, vel duo, aut unus eorum praesentes litteras, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte civium monasteriensium, aut alicuius eorum fuerint requisiti solemniter per se vel alios publicantes, ac in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe seu indirecte quomodolibet praestantes, per censuras ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum et monasteriorum praedictorum, illorumque ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum illis, eorumque capitulis, conventibus, superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac irritantibus et aliis decretis quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die VIII augusti MDXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 8 augusti 1596, pontif. an. v.

CXXXIX.

Contra monachos Congregationis Camaldulensis officia et dignitates ambientes.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ambitio in religiosis damnatur.

Ambitiosam honorum et dignitatum cupiditatem ecclesiasticos omnes, sed religiosos praesertim, qui in humilitatis spiritu Deo servire tenentur, ita vitare decet, ut

ipsi praelaturas minime requirere, sed ad eas vocati, ut Aaron, obedienter suscipere, et humiliter administrare studeant.

In Ordine igitur Camaldulensi, ii qui extra gremium Congregationis pro obtinendis dignitatibus atque gratiis favoribus utuntur, gravibus poenis subiiciuntur;

§ 1. Huius siquidem ambitionis malum ex Ordine Camaldulensi, in quo apud nonnullos, qui propriis religiosarum virtutum, ut deceret, meritis inniti non valentes, ad Ordinis eiusdem dignitates et gradus etiam maiores iis, quos forsan obtinent, per mendicatos S. R. E. cardinalium et principum, etiam saecularium favores, assumi procurant, vigere, non sine animi nostri dolore accipimus, quantum cum Domino possumus, evellere cupientes, motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos monachos praedicti Ordinis et Congregationis Camaldulensis, cuiuscumque aetatis, gradus, conditionis, praeminentiae et litteraturae existentes, qui nimirum pro quibuscumque praelaturis, dignitatibus, muneribus et officiis, etiam iis, quae obtinent, maioribus in dicta Congregatione consequendis, sive pro remissione poenarum eis impositarum, aut aliis quibuscumque gratiis impetrandis, ad principum quorumcumque, tam ecclesiasticorum, etiam S. R. E. cardinalium, quam saecularium, ac praelatorum, de gremio dictae Congregationis non existentium, favores recurrerint, eosque requisierint, vel iis etiam sponte delatis, aut ab aliis etiam ipsis insciis procuratis usi fuerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis directe vel indirecte, palam vel occulte, ad dignitates seu officia in Congregatione praedicta obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere procuraverint, illorumque complices et fautores, ad quascumque praelaturas, dignitates, gradus, honores et officia, tam spiritualia quam temporalia, et praesertim in ipsa Congregatione obtenta vel obtinenda, perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis praelaturis, dignitatibus, administrationibus vel officiis eo ipso privamus, ac privatos voce activa et passiva carere, poenasque huiusmodi a nobis tantum, et Romanis Pontificibus successoribus nostris remitti posse decernimus et declaramus; omnes et singulas supradictas poenas ad eos etiam extendentes, qui ne ex aliquo monasterio removeantur, seu ut in alterius monasterii familia deputentur, contra capituli seu superioris voluntatem, supradictas litteras seu favores exquirere et obtinere praesument.

Et etiam qui eos simili modo promoverint aut gratiaverint.

§ 2. Quocirca, in virtute sanctae obedientiae, ac indignationis nostrae poena, dilectis filiis generali, visitatoribus, definitoribus aliisque praelatis quocumque titulo nuncupatis, praesentibus et futuris, praecipimus ac districte mandamus, ne aliquo ullo unquam tempore, precibus, litteris vel favoribus adducti, seu alias ad instantiam, requisitionem, vel contemplationem principum ecclesiasticorum vel temporalium, etiam S. R. E. cardinalium, aut aliorum quorumcumque extra gremium dictae Congregationis existentium, ad cuiusvis generis praelaturas, dignitates, officia, administrationes et gradus, promovere, vel poenas aliquas remittere, aut aliam quamcumque gratiam, ut praefertur, facere audeant vel praesumant; immo promovendorum meritis et virtutibus tantum inspectis, quod Dei causam agant memores sint, quo magis puro et sincero corde, nulla privata aut mundana affectione commoti, in electionum negotio procedant.

Promotiones aliter factae, nullae sint.

§ 3. Decernentes electiones et promotiones ad monasteria, seu ad quaecumque alia officia dicti Ordinis sic litteris aut aliis favoribus principum et praelatorum quorumcumque, vel aliorum extra gremium, ut praefertur, existentium, eorumque precibus, aut pollicitationibus, iniuste ac indebite extortas, seu alias

quandocumque faciendas, et pro tempore obtentas, nullas prorsus invalidasque fore et esse, et adversus eos, qui se his minus legitimis rationibus ad regenda monasteria, seu ad alia quaecumque officia eligi aut assumi obtinuerint, per eiusdem Congregationis superiores, quandocumque procedi, et rei veritate cognita, condignis poenis, tamquam publicae dictae Congregationis quietis perturbatores, affici posse et debere.

Clausula sublata, *etc.*

§ 4. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac dictorum Congregationis et Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et illorum superioribus sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, concessis et confirmatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice, motu et scientia similibus, latissime derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si praedictis Congregationi et monachis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Iussio hanc bullam legendi anno quolibet in capitulo generali dictae Congregationis.

§ 6. Ac ut harum litterarum notitia ad omnes dictae Congregationis monachos facilius deveniat, volumus illas in generali dictae Congregationis capitulo quotannis publice legi, ibique lectas omnes sic arctare, ac si legitime unicuique intimatae fuissent, illorumque exemplis, vel impressis, manu scribae dicti capituli vel notarii publici subscriptis, et sigillo generalis ipsius Congregationis, vel alterius in dignitate ecclesiastica constituti obsignatis, eamdem prorsus fidem haberi, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die III septembris, millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, pontificatus nostri, anno V. [1].

Dat. die 3 septembr. 1596, pont. an. V.

CXL.

Ordinationes pro bono regimine Congregationis fratrum Ioannis Dei nuncupatae, per universam Italiam, et electione maioris eiusdem congregationis [2].

1 Sequenti die Clemens privilegia omnia Congregationi de Alcobatia Ordinis Cisterciensis in Portugallia a suis praedecessoribus concessa confirmavit constitutione quae incipit: *Romanus Pontifex.*

2 Instituta fuit in Hispaniis ista Congregatio ad regimen hospitalium pro curandis pauperibus infirmis, ut habetur in constit. CXCIV Pii V: *Licet*, tom. VII, pag. 959.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumspecta, circa piorum locorum et virorum, a quibus pia, praesertim circa pauperum infirmorum hospitalitatem, opera exercentur, statum respiciens, ad eorum conservationem, ea, quae alias iustis suadentibus rationibus, auctoritate apostolica sunt ordinata, aliqua ex parte mutat, prout temporum ratio suadet, ac alias in Domino conspicit expedire.

Hic Pontifex locorum Ordinariis Congregationem supposuit et professionis emissionem, ac sacrorum ordinum susceptionem prohibuit, et per unum maiorem nuncupatum ipsam Congregationem regi vetuit.

§ 1. Alias siquidem, cum pridem Congregatio Ioannis Dei in Urbe, ac diversis Italiae et Hispaniae partibus, apostolica auctoritate recepta et confirmata (cuius confratres nonnullos pauperes et infirmos graviterque laborantes hospitio recipere, eisque inservire consueverunt), valde aucta esset, illisque diversa privilegia et indulta ab hac Apostolica Sede Romanisque Pontificibus praedecessoribus nostris, praesertim quod per unum ex ipsis confratribus, maiorem nuncupatum, Congregatio ipsa regeretur, quodque ab Ordinariis locorum exempti essent, atque illius religiosi professionem emittere, et ad sacros ordines promoveri possent, concessa fuissent; nos, ipso nostri pontificatus initio, accepto quod eiusdem Congregationis confratres a suo primaevo instituto paulatim recedebant, ac opus hospitalitatis eorum pauperum infirmorum, cui in primis incumbere tenebantur, intermittebatur, et multi confratrum litterarum studiis intendebant, et sacris ordinibus initiari, ut a servitio hospitalium excusarentur, procurabant; matura consideratione praehabita, et ex aliis causis tunc expressis, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super causis regularium deputatorum consilio, statuimus et ordinavimus, quod omnes et singuli confratres praedicti locorum Ordinariis subesse deberent, quodque ab hospitalibus, in quibus professionem eatenus quilibet emisisset, nunquam amoveretur nisi ob incorrigibilitatem, ac de Ordinariorum, quibus dicta hospitalia subessent licentia, nec etiam transferrentur de uno hospitali ad aliud, nisi pariter de Ordinariorum licentia, ac tam hospitalis a quo, quam Ordinarii ad quem transferrentur, ac de caetero votum tantum inserviendi ipsis hospitalibus sub praedicti Ordinarii obedientia emitterent, prout in nostris litteris sub dat. XIII februarii MDXCII in forma brevis expeditis latius continetur.

At modo regimen maioris restituit.

§ 2. Cum autem, processu temporis, experientia compertum sit, quod congregationis praedictae hospitalia et loca pia in Italia existentia, sic ab invicem separata, et alicuius communi superioris, qui ea eorumque confratres ad primaevi instituti observantiam restituat, et eosdem in ipsa conservet, regimine destituta, gravia incommoda et damna passa sunt, et quotidie patiuntur, ita ut, nisi de aliqua regiminis forma eis provideatur, facile evenire possit, ut Congregatio ipsa in totum extinguatur et corruat; nos propterea Congregationem ipsam (quam ad pauperum infirmorum subventionem valde utilem esse accepimus) conservari cupientes, ac quorumcumque privilegiorum et indultorum eidem Congregationi a quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, praesertim felicis recordationis Pio V, Gregorio XIII et Sixto V concessorum, ac nostrarum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus dilecti filii nostri Hieronymi tituli Sanctae Susannae presbyteri cardinalis Rusticuccii, nostri in alma Urbe vicarii, qui eiusdem Congregationis apud nos protector existit, nobis super hoc eorum nomine porrectis, inclinati, eidem Congregationi Ioannis Dei, ac singulis eius hospitalibus et locis in Italia iam receptis, et deinceps

recipiendis, eorumque confratribus et personis, nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, gratiis, facultatibus, indultis et indulgentiis a praedictis Pio V, Gregorio XIII et Sixto V, aliisque Romanis Pontificibus Congregationi, hospitalibus et locis Hispaniarum, ac hospitalis Sancti Ioannis Chalybitae in insula S. Bartholomaei de Urbe, eiusdem Congregationis Ioannis Dei in genere vel in specie concessis, confirmatis et innovatis (citra tamen facultatem professionem emittendi, et sacros ordines suscipiendi, et citra exemptionem a iurisdictione Ordinariorum locorum, quibus eos omnino subesse volumus, et super quibus litteras nostras praedictas exacte observari mandamus) perpetuo frui, uti, potiri et gaudere in omnibus et per omnia possint et valeant, perinde ac si ipsis nominatim et aeque principaliter concessa fuissent.

Votum inserviendi hospitalibus sub Ordinarii obedientia emitti praecipit.

§ 3. Ita tamen ut confratres in quocumque Italiae loco iam recepti, statim, et deinceps recipiendi in Congregatione praedicta, debito tempore votum inserviendi eorum hospitalibus sub Ordinarii loci obedientia in omnibus eiusdem Ordinarii, aut maioris confratris, ut infra, pro tempore electi emittere, et hospitalitatem pro iis infirmis, quos recipere et curare consueverant, quatenus fieri poterit, exercere, iuxta praedictarum nostrarum litterarum seriem teneantur.

Maioris electionem et munus praescribit.

§ 4. Utque unus confrater in maiorem ab omnibus prioribus quorumcumque hospitalium et locorum dictae congregationis in Italia existentium, Romae in hospitali S. Ioannis Chalybitae praedicto per secreta suffragia maioris partis vocalium eligatur, cuius officium ad sexennium tantum durare debeat, ita ut finito sexennio, iterum eligi aut confirmari, nisi lapso altero sexennio, minime possit.

§ 5. Duo item consiliarii, et duo visitatores, in eodem loco, et eisdem modo et forma eligantur, quorum consiliariorum et visitatorum, necnon etiam singulorum priorum officium ad triennium tantum duret, et finito triennio, ad idem officium nemo possit iterum eligi, vel in eo confirmari, nisi alterum triennium intercedat.

Consiliariorumque et visitatorum atque priorum.

§ 6. Maior omnia et singula hospitalia et loca dictae Congregationis Italiae visitandi et reformandi, rationes et computa vivendi, confratres de uno ad alium locum transferendi, inobedientes et ordinationum transgressores corrigendi, multandi et puniendi, cuiusque hospitalis gubernii formam, iuxta tamen constitutiones faciendas, stabiliendi et determinandi facultatem habeat, reservata tamen in omnibus semper locorum Ordinariis superioritate, superintendentia liberaque auctoritate visitandi, puniendi et castigandi eosdem confratres in delictis et excessibus, praesertim gravibus, tam intra quam extra huiusmodi hospitalia, forsan committendis, secrete tamen et circumspecte, quoad fieri poterit, ad evitandam Congregationis infamiam.

Maioris potestatem et Ordinariorum iurisdictionem describit.

§ 7. Utque Congregationis ipsius confratres, alia eiusdem instituti hospitalia, de licentia Ordinariorum locorum erigere et aedificare, eleemosynasque pro eorum et christifidelium infirmorum sustentatione, eorumdemque hospitalium manutentioni omni loco et tempore sine aliquo impedimento petere et recipere valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, licentiam concedimus et facultatem.

Licentiam hospitalia erigendi et eleemosynas recipiendi concedit Congregationi.

§ 8. Insuper ut habitum cum scapulare et capucio, prout hactenus gestare consueverunt, privative quoad alios quoscumque qui de eadem Congregatione non fuerint, sub poenis Ordinariis locorum bene visis, deinceps etiam perpetuo gestare valeant.

Habitum designat.

§ 9. Ut confrater maior et consiliarii, de consensu Ordinariorum locorum, ob graves causas et ob incorrigibilitatem, confratres, quos indignos iudicaverint, ex dicta Congregatione expellere et dimittere, ipsosque sic expulsos ab emisso per eos hospitalitatis voto absolvere (dummodo tamen poenitentiam ipsis ob eorum excessus et defectus impositam adimpleverint, et non aliter) possint et valeant. Nec aliquis eorumdem confratrum alia ratione aut modo hospitalia et loca, ipsamque Congregationem deserere, aut ab eis recedere, seu a voto inserviendi huiusmodi pauperibus in eorum hospitalibus sub Ordinarii obedientia, etiam quorumcumque privilegiorum, aut generalis iubilaei, seu Cruciatae sanctae, vel alterius cuiusque gratiae, seu generalis facultatis, a nobis successoribusque nostris Romanis Pontificibus, et Apostolica Sede pro tempore concedendarum virtute, absolvi vel liberari valeat.

Incorrigibiles certo modo expelli a Congregatione posse concedit.

§ 10. Quodque confratres huius Congregationis sacerdotes, aut in sacris ordinibus constituti esse non possint, nec ad huiusmodi sacros ordines promoveri valeant, sed, iuxta primaevum eorum institutum, in simplicitate pauperibus infirmis, ut praefertur, inservire debeant.

Promotionem ad sacros ordines prohibet.

§ 11. Demum, ut circa modum et formam observandam quoad electiones et mutationes officialium praedictorum, et receptionem novorum confratrum, eorumque qualitates, et praesertim quod non sint sacerdotes, sive uxorati, ac circa tempus eorum admissionem ad votum praedictum de inserviendo pauperibus in huiusmodi hospitalibus, ac pro omni et quacumque alia causa bonum regimen, gubernium et administrationem tam in spiritualibus quam temporalibus, idem frater maior cum consensu consiliariorum ac visitatorum pro tempore existentium praedictorum, quaecumque statuta, constitutiones et ordinationes ad bonum regimen et gubernium quorumcumque, tam erectorum quam erigendorum hospitalium, in quibuscumque Italiae partibus, et confratrum eorumdem, edere possit et valeat; et postquam facta et formata fuerint, cum consensu eorumdem consiliariorum et visitatorum, semel vel pluries ampliare, corrigere, mutare, moderari, seu de novo, prout magis expedire videbitur, edere, dummodo earum constitutionum confirmationem a nobis, et a Sede Apostolica obtineant, auctoritate et tenore praedictis, pariter concedimus et indulgemus, atque statuimus et ordinamus.

Ordinationes pro hospitalium regimine constituendi facultatem tribuit.

§ 12. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidari, aut in ius, vel controversiam, quacumque ratione vel causa, vocari, aut ad terminos iuris reduci, vel quodvis aliud iuris, seu gratiae remedium contra illa impetrari posse, minusque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus tam per nos, quam per quoscumque Romanos Pontifices pro tempore existentes faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas esse, et de novo, etiam sub posteriori data, concessas censeri.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 13. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulam sublata, *etc.*, subiungit.

§ 14. Non obstantibus praedictis litte-

Contrariis omnibus derogat.

ris nostris, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus, et quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis ordinibus, ecclesiis, monasteriis et piis locis, illorumque superioribus, et quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, etiam motu proprio, ac ex certa scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua, ac expressa mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Exemplis credi iubet.

§ 15. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die IX septembris MDXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 9 septembr. 1596, pontif. an. v.

CXLI.

Confirmatio et declaratio constitutionis Gregorii XIII super reformatione fratrum Minorum S. Francisci strictioris observantiae tam in Italia, quam in regno Franciae et provinciis Belgii [1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pro iniuncti nobis apostolici muneris ratione, de statu religiosorum quorumcumque, qui sub voluntariae paupertatis habitu militantes, in humilitatis spiritu Deo vota reddere satagunt, paterna charitate solliciti, constitutiones et ordinationes Summorum Pontificum, ad eorum prosperum regimen et gubernium provide factas, nonnullis mutatis seu adiectis, pro locorum et temporum qualitate, libenter confirmamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Gregorius XIII edidit constitutionem circa hos reformatos.

§ 1. Dudum siquidem a felicis recordationis Gregorio XIII, praedecessore nostro, emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam. Cum illius vicem, meritis, *etc.* [2].

Hic modo Pontifex ea, salvis declarationibus infrascriptis, approbat quoad fratres Italiae.

§ 2. Cum autem novissime nos pro regimine et gubernio dictorum fratrum reformatorum, nonnulla decreta seu ordinationes fecerimus, aut [3] super his dilecto filio Bonaventurae ministro generali Ordinis S. Francisci de Observantia, nonnullas facultates concesserimus, prout in nostris desuper in forma brevis expeditis litteris sub dat. Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII ianuarii MDXCIV, pontificatus nostri anno

1 Constitutio Gregorii est CXIX: *Cum illius*, tom. VIII, pag 274.

2 Omittitur Bulla Gregorii, quia eam habes in loco in praecedenti notula signato.

3 Forsitan legendum est *atque*. (R.T.)

tertio, plenius continetur. Cumque pro felici statu et gubernio dictorum Fratrum Reformatorum expediat, praeinsertas Gregorii praedecessoris litteras et in eis contenta, exceptis infrascriptis, per nos confirmari, et a fratribus praedictis observari; nos praedictarum nostrarum litterarum tenorem praesentibus pro expresso habentes, ac singulares fratres dicti Ordinis Reformatorum a quibus excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. Ecclesiae cardinalium super consultationibus et negociis episcoporum et regularium, praepositorum sententia, praeinsertas Gregorii praedecessoris litteras, ac omnia in eis contenta, salvis limitationibus infrascriptis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, quoad fratres dicti Ordinis Reformatorum in Italia existentes tantum, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus. Et pro maiori praemissorum firmitate litteris nostris praedictis, quatenus in aliquo obstent, specialiter et expresse derogamus.

De novitiis recipiendis.

§ 3. Quoad caput circa receptionem novitiorum per custodem faciendam, servetur etiam forma constitutionis felicis recordationis Sixti Papae V, praedecessoris etiam nostri, super hoc editae.

De monasteriis.

§ 4. Quoad monasteria ipsis Reformatis concedenda, volumus ut sint apta ad duodecim saltem fratres recipiendos et retinendos.

De casibus reservatis.

§ 5. Circa reservationem casuum servetur decretum a nobis super hoc editum.

De statutis.

§ 6. Quoad statuta et ordinationes de caetero faciendas, ultra ea quae in praedictis Gregorii litteris disponuntur, volumus ut nullo modo decretis per nos in nostra visitatione Urbis editis, neque aliorum Summorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus minime adversentur.

De praedicatoribus et aliis promovendis.

§ 7. Quoad praedicatores et confessarios examinandos et approbandos, volumus ut in singulis capitulis custodialibus, aliquot graves et periti viri, ex fratribus cuiuscumque custodiae saltem tres, qui una cum custode admittendos ad praedicationem verbi Dei, vel audiendas confessiones, etiam ipsorummet fratrum, ac lectores publicos simul examinent, neque antea ad huiusmodi ministeria exercenda ab aliquo probentur aut admittantur. Horum etiam cura sit examinare et probare, tam quoad doctrinam quam quoad mores, promovendos ad quoscumque ecclesiasticos ordines; qua in re servetur decretum congregationis interpretum sacri Concilii Tridentini nuper editum et promulgatum. Hi vero examinatores in huiusmodi officio confirmari nequaquam possint, sed in singulis capitulis custodialibus alii semper de novo ad hoc munus obeundum eligantur.

De hospitiis Reformatorum.

§ 8. Si quando autem praedictos Reformatos accedere contigerit ad loca ubi proprias habent domus seu conventus, volumus et praecipimus ut ad conventus et domus illorum de familia, quae in eisdem locis erunt, divertere, aut hospitari nullo modo possint.

Clausulae praeservativae.

§ 9. Decernentes praemissa omnia et singula perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, et per praefatos fratres Reformatos perpetuo observari debere; praesentes quoque litteras nullo tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu notari, argui,

seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutos, repositos et plenarie reintegratos censeri. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 10. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, etiam *Mare Magno*, *Bulla Aurea*, vel alias nuncupatis, ac quibuscumque dicti Ordinis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, tam eidem, quam aliis quibuscumque Ordinibus, eorum superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis aliisque insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum in genere vel in specie, etiam motu proprio et consistorialiter, vel alias quomodolibet concessis, ac pluries confirmatis et approbatis, ac omnibus illis, quae dictus Gregorius praedecessor in suis litteris voluit non obstare. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 11. Volumus autem, et auctoritate apostolica decernimus, quod transumptis praesentium litterarum, etiam impressis, sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, et manu notarii publici subscriptis eadem fides, tam in iudicio quam extra illud ubilibet adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Tusculi, sub annulo Piscatoris, die duodecima octobris, millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 12 octobris 1596, pontif. an. v.

Sequitur extensio dictae bullae ad Gallos et Belgicas.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Pro iniuncti, *etc.* [1].

Extensio dictae bullae ad Gallos refertur,

§ 1. Nunc vero agnoscentes, pro felici statu et gubernio, FF. Reformatorum Minorum S. Francisci de Observantia, provinciarum Belgicarum Flandriae, videlicet, S. Andreae et Brabantiae, alias inferioris Germaniae, plurimum expedire, ut nos praeinsertas litteras huiusmodi, quae pridem in favorem FF. Reformatorum Italiae confirmavimus, deinde ad Fratres Reformatos regni Franciae extendimus, prout in nostris desuper expeditis litteris etiam plenius continetur, ad ipsas quoque provincias, in omnibus et per omnia (salvis infrascriptis limitationibus), extendamus, et pro dictis provinciis confirmemus et innovemus.

Extensioque ad Belgicas firmatur.

§ 2. Eapropter eorumdem Fratrum Reformatorum dictarum provinciarum id humiliter exposcentium petitionibus annuendum duximus. Propterea omnes et singulos dictarum provinciarum Fratres

1 Ut supra in constitutione praeinserta.

Reformatos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humilitér porrectis inclinati, praeinsertas Gregorii XIII litteras, ac omnia in eis contenta (salvis limitationibus infrascriptis), ad ipsos Fratres Reformatos provinciarum supradictarum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo extendimus et ampliamus, ac confirmamus et approbamus, et pro maiori praemissorum firmitate, prioribus nostris litteris praedictis (quatenus in aliquo obstent) specialiter et expresse derogamus.

Modus recipiendi novitios.

§ 3. Caeterum quoad caput circa receptionem novitiorum per custodem faciendam, volumus et apostolica auctoritate concedimus, ut in dictis provinciis tantum, quoscumque novitios habitum dicti Ordinis suscipere volentes, ad habitum huiusmodi extra capitulum custodiale, iuxta formam litterarum a nobis editarum sub datum die v septembris MDCII in favorem custodum et Fratrum Reformatorum dicti Ordinis, in regno Franciae existentium, quae incipiunt: *Ordinis vestri recipere valeant.* Quas quidem litteras, tam quoad praemissa, quam quoad reliqua in illis contenta, in omnibus et per omnia ad eosdem Reformatos dictarum provinciarum, et cuiuslibet earum extendimus, perinde ac si in illarum favorem nominatim editae fuissent.

Numerus fratrum in monasteriis.

§ 4. Quoad monasteria ipsis Reformatis concedenda, volumus ut sint apta ad duodecim saltem fratres recipiendos et retinendos.

Casus reservati.

§ 5. Circa reservationem casuum, servetur decretum a nobis super hoc editum.

Statuta.

§ 6. Quoad statuta et ordinationes de caetero faciendas, ultra ea, quae in praedictis Gregorii litteris disponuntur, volumus, ut nullo modo decretis per nos, in nostra visitatione Urbis editis, neque aliorum Summorum Pontificum, praedecessorum nostrorum constitutionibus, adversentur.

Ratio instituendi examinatores in capitulis custodialibus.

§ 7. Volumus etiam ut in singulis capitulis custodialibus, aliquot graves et periti viri eligantur, ex fratribus cuiuscumque custodiae saltem tres, qui una cum custode, admittendos ad praedicationem verbi Dei, vel audiendas confessiones, etiam ipsorummet fratrum, ac lectores publicos simul examinent, neque antea ad huiusmodi ministeria exercenda, ab aliquo probentur, aut admittantur. Horum etiam cura sit examinare et probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores, promovendos ad quoscumque ecclesiasticos ordines. Qua in re servetur decretum congregationis interpretum sacri Concilii Tridentini nuper editum et promulgatum. Hi vero examinatores in huiusmodi officio confirmari nequaquam possint, sed in singulis capitulis custodialibus alii semper de novo ad hoc munus obeundum eligantur.

Divertere, aut hospitari Reformati non debent apud fratres de familia, in locis in quibus habent hospitalia.

§ 8. Si quando autem praedictos Reformatos accedere contigerit ad loca ubi proprias habent domus seu conventus, volumus, et praecipimus, ut ad conventus et domus illorum de familia, quae in eisdem locis erunt, divertere, aut hospitari nullo modo possint. Decernentes praemissa omnia et singula, perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, et per praedictos Fratres Reformatos perpetuo observari debere.

Clausulae praeservativae.

§ 9. Praesentes quoque litteras, nullo tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu argui, notari seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, li-

mitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas censeri. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditorem, et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutorum deputatio.

§ 10. Quocirca venerabilibus fratribus Coloniensi, Cameracensi et Mechliniensi archiepiscopis, et dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis in inferiori Germania nuncio, necnon universis et singulis archiepiscopis, episcopis et ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque in dignitate ecclesiastica constitutis, per praesentes mandamus, quatenus ipsi, vet duo aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum Reformatorum praedictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, eos praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos desuper, per ministrum generalem aliosque praedictos, quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus; illos sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, etiam *Mare Magno*, *Bulla Aurea*, vel alias nuncupatis, ac quibuscumque dicti Ordinis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, tam eidem, quam aliis quibuscumque Ordinibus, eorumque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in contrarium praemissorum, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et consistorialiter, vel alias quomodolibet concessis, ac pluries confirmatis et approbatis, ac omnibus illis, quae dictus Gregorius praedecessor in suis litteris voluit non obstare. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 12. Volumus autem, et auctoritate apostolica decernimus, quod transumptis praesentium litterarum, etiam impressis, sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, et manu notarii publici subscriptis, eadem fides, tam in iudicio, quam extra illud ubilibet adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur si forent exibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die undecima iulii MDCIII, pontificatus nostri anno quinto.

CXLII.

Absolutio Henrici IV Francorum et Navarrae regis christianissimi, iniunctis ei salutaribus poenitentiis [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, Charissimo in Christo filio Henrico Francorum et Navarrae regi christianissimo, salutem et apostolicam benedictionem.

Henricum adhortatur, ut divinae misericordiae memor sit et charitatis Romanae Eccles.

§ 1. Divinae gratiae abundantiam in tua conversione contemplantes, et quemadmodum ex densissimis errorum atque haeresum tenebris, et veluti ex profundo quodam malorum, in lucem catholicae veritatis, dextera Domini virtutem faciente, emerseris, intentis mentis nostrae oculis intuentes, prae stupore et admiratione cogimur cum Apostolo exclamare: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius* [2]! Et certe te ipsum saepe cogitare oportet, quod te facere existimamus, quam magna fecerit tibi Deus, qui te longissime a via salutis aberrantem, et peccatis mortuum, convivificavit in Christo, et ad Ecclesiae Catholicae unionem per poenitentiam salutarem, et per huius Sanctae Apostolicae Sedis auctoritatem reduxit. Ex qua cogitatione illud merito consequitur, ut intelligas, et profitearis ad Dei gloriam, quantum debeas Patri misericordiarum, qui non dereliquit te usque in finem, qui abstulit a te cor lapideum, et dedit tibi cor carneum, ut deponeres veterem hominem secundum pristinam conversionem erroris tui. Cónfitearis etiam quantum debeas Ecclesiae Sanctae Catholicae Romanae, tuae ac omnium fidelium matri, quae multarum iniuriarum oblita, quibus olim a te afflicta est, ubera materna et gremium charitatis tibi aperuit, iterum te in Christo genuit, iterum filiis suis charissimis adnumeravit, et singulari cum gaudio, gloria et honore coronavit. Hoc enim optavit pia mater, quae te ad amplexus suos invitabat, quae pro te assidue orabat, et de tua spirituali morte multis cum lacrymis acerbissime dolebat. Nam quando te, iuxto iudicio, a suo corpore separavit, multo id cum doloris sensu, et viscerum suorum cruciatu egit, quemadmodum id litteris suis publice testatus est, felicis recordationis Sixtus V Pontifex Maximus, praedecessor noster, quas, quinto idus septembris anno sui pontificatus primo, contra te promulgavit. Tunc enim, disertis verbis, expressit se vehementer indolere quod, ex officii sui debito, gladium vindictae contra te exercere cogeretur. Sed quanto superioris illius temporis recordatio est acerbior, tanto nunc iucundior est sensus reversionis et conversionis tuae. Gratias enim ex intimo corde agimus Deo, qui hoc gaudium singulare Ecclesiae Catholicae in nostri Pontificatus tempus reservavit, nostraeque humilitati concessit ut in eamdem Ecclesiam Catholicam, post abiuratos impii Calvini errores, omnesque haereses damnatas, et post fidei catholicae professionem rite factam, coelo terraque gaudentibus, reduceremus; quod ipsum ardentissime semper optavimus ab eo primum die, quo nos divinae providentiae dispositio, quamvis immeritos et imbecilles, ad universalis Ecclesiae gubernacula sedere, et gregi suo praesse voluit. Movebant nos nobilissimi regni Franciae tam diuturnae dissentiones et aerumnae,

Commemorat causas, quibus motus Sixtus V eum damnaverat.

Suas curas eum ad Ecclesiae Catholicae gremium reducendi.

1 Ex Archiv. Castri S. Angeli. — Ritus huiusce absolutionis recensentur a Spondano ad an. MDXCV, § 9, et Thuano, lib. CXIII, § 21, tom. V, pag. 519 et 520. Haec vero constitutio, seu potius monumentum concessae a Clemente Pontifice Henrico regi absolutionis legitur in libro Parisiis edito anno MDCXXIII, cui titulus: *Les Ambassades du Cardinal du Perron*, et quidem pag. 176.

2 AD ROM., XI, 33. (R.T.)

caeteraeque christianae reipublicae multiplices calamitates, quae regno illi olim florentissimo mirandum in modum afflicto, et propter intestinas discordias divulso et debilitato, multo graviores erant, et in maiora pericula redundabant, cum tam magna et insignis portio veluti corporis populi et universitatis christianae, sine gravi caeterarum partium ruina, concidere non posset; quod cum omni tempore triste et calamitosum, tum hoc potissimum luctuosissimum foret, quo Ecclesia Dei ab haereticis et Turcis, perpetuis et infensissimis nomini christiano hostibus, vehementissime oppugnatur. Itaque multis cum lacrymis non cessabamus dies noctesque adire ad thronum divinae clementiae, idemque a piis catholicis et servis Dei, hortatu nostro, fieri curabamus, ut multorum precibus placatus, Is qui dives est in misericordia, pacem et tranquillitatem redderet regno amplissimo, eique regem praefieret vere christianissimum, vere Ecclesiae Catholicae Romanae filium, quem omnes agnoscerent et sequerentur.

§ 2. Audiebat interea preces nostras benignus Deus, quamquam id nondum extrinsecus appareret; Ille enim cor tuum paulatim molliebat et disponebat, ut veteri duritie infracta, gratia Dei in corde tuo per Spiritum Sanctum diffunderetur. Ergo ipso te excitante, coepisti catholicam veritatem, quam antea respuebas, appetere, et idoneos magistros quaerere, et ad te intromittere, qui te illam docerent. Cumque iam non mediocriter instructus videreris, et haereses detestares, fidemque catholicam te amplecti profitereris, a nonnullis eiusdem regni praesulibus, cum hac iniunctione, ut ad Apostolicam Sedem mitteres, et ipsius mandata humiliter susciperes, absolutus es, et ab eis in Ecclesiae communionem receptus. Quod tametsi festinantius, et minus rite ac recte factum erat (quod sine nostra et huius S. Sedis auctoritate omnis huiusmodi absolutio et receptio irrita atque inanis esset); gaudebamus tamen in Domino, quod exoptatae conversionis tuae, tamquam aurora quaedam, exoriri videbatur, sperabamusque fore, caelesti gratia iuvante, ut cresceret usque ad perfectum diem.

Henricus resipiscens absolvitur a regni praesulibus, sed minus recte, quia sine auctoritate Sedis Apostolicae.

§ 3. Egisti igitur nobiscum per litteras et nuncios, ut te ad communionem et gratiam reciperemus, eiusque rei causa misisti ad nos dilectum filium nostrum Petrum cardinalem Gondium, deinde dilectum filium marchionem Pisanium, tum demum Ludovicum ducem Nivernensem, principem non solum generis splendore, sed omni virtute et pietate praestantem virum, et nobis multis nominibus in primis carum.

Mittit deinde ad Clement. PP. legatos, qui eius nomine absolutionem peterent

§ 4. Et licet summo animi ardore, tuum ad Ecclesiam Catholicam reditum optaremus, nihilque optatius nobis esset quam te a vinculis, quibus propter haeresim iure constrictus eras, absolvere, quod id ad animae tuae salutem, ad regni istius pacem et tranquillitatem, totius christianae reipublicae utilitatem, summopere pertinere intelligebamus. Faciebat tamen rei gravissimae magnitudo, ut nihil properandum, sed etiam atque etiam deliberandum in re tanti momenti statueremus. Neque enim adhuc coram Deo et Ecclesia eius satis causae afferri posse videbatur, ut is tam cito inter bonos et obedientes filios reciperetur, qui tamdiu atque adeo paulo ante inobediens et contumax fuerat. Itaque priores nuncios, quamquam nobis acceptos, ne audiendos quidem existimavimus. Nivernii vero ducem quamquam benigne et saepius audivimus, ita tamen dimisimus, ut eo rerum statu te nullo modo absolvendum esse definiremus; neque id negabamus, quod nos ipsi praeter caeteros expectabamus,

Quae tamen dilata est, ut ille aptior ad eam obtinendam redderetur.

sed in tempus idoneum et opportunum differebamus. Cor autem nostrum multam in Domino fiduciam habebat, fore (siquidem verae poenitentiae et conversionis spiritu movebaris) ut desideria tua dilata crescerent, et ad absolutionem obtinendam, tanto aptior et capacior redderis. Itaque orationes et preces ad Deum multiplicantes, divini beneplaciti tempus expectabamus.

Henricus Iacobum Perronium et Arnaldum de Ossat delegat cum novis litteris novisque precibus

§ 5. Satis igitur longi temporis intervallo a ducis discessu interiecto, tandem venit ad nos a te missus dilectus filius Iacobus Davy, Perroni dominus, in consilio status consiliarius ac primus eleemosynarius tuus, vir spectata prudentia et eruditione, ac zelo fidei catholicae, qui litteras tua manu ad nos scriptas nobis reddidit; quarum lectione, et eius sermone valde recreati sumus. Ita enim erant scriptae, ut vere ex animo, et ex regii sanguinis ingenuitate scriptae viderentur. Petebas enim omni cum demissione apostolicam nostram absolutionem, veteres errores agnoscebas et damnabas, teque in Ecclesiam Catholicam Romanam recipi suppliciter petebas, in qua et fidei catholicae confessione, te et vivere et mori velle asseverabas.

Clemens praemissis publicis orationibus;

§ 6. Commota sunt viscera nostra, praesertim cum luctuosum afflictae Franciae statum idem Iacobus copiose nobis explicaret, et animarum innumerabilium pericula nobis non ignota efficaciter ante oculos nostros proponeret. Nihil tamen nisi considerate, et quantum humanae imbecillitati licet, explorata divina voluntate, in re tanti momenti agere volentes, primum quidem in religiosissimis et antiquissimis Urbis basilicis orationem sine intermissione adhiberi iussimus, publicasque processiones et litanias quotidie celebrari mandavimus, et nos ipsi prostrati ante Deum, immaculatam hostiam offerentes, Spiritus Sancti lumen multo etiam ardentius nobis concedi petebamus. Deinde eidem Iacobo procuratori tuo, et dilecto filio Arnaldo Ossato, quem pariter ad hoc munus delegeras, permisimus, ut venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales adirent, eisque distincte narrarent petitionem tuam. Mox eosdem fratres nostros cardinales convocavimus, et gravem hanc causam eis proposuimus, litterasque tuas legi voluimus, eosque admonuimus, ut quid facto opus esset in re tanti momenti, secum ipsi considerarent; deinde ad nos referrent, eosque paterne hortati et contestati sumus, ut quemadmodum nos per Dei gratiam, nullo terreno affectu aut humana perturbatione, in hoc negotio ducebamur, sed solam Dei gloriam quaerebamus, ita et ipsi ad eumdem scopum collimantes, libere sententias dicerent, ut coniunctis consiliis, id quod salutarius esset, Spiritu Sancto auctore, decerneremus. Cardinalium igitur sententiis diligenter auditis, illos quidem inveniebamus vehementer optare, ut antequam tibi a nobis absolutio tribueretur, plura et efficaciora a te praestarentur, quibus vitae veteris emendatio ostenderetur, et quae eos certos et quodammodo securos redderent, fore ut catholica religio in regno isto a te sarta et tecta omnino conservaretur. Sed tamen misero et afflicto statu eiusdem olim florentissimi et religiosissimi regni permoti, fide etiam, qua te per litteras tuas obstringebas, adducti, in eam denique sententiam eos communiter venire deprehendimus, videri te absolvendum, tibique suppliciter petenti Ecclesiae Catholicae ianuam aperiendam esse.

Adhibitisque in consilium cardinalibus;

Legatos in porticu Basilicae Vaticanae recipit,

§ 7. Nos igitur considerantes perseverantiam tuam in venia et absolutione petenda, quod non semel tantum atque iterum, sed tertio et quarto supplicatum ad nos miseris, et quae litteris tua manu scriptis receperis et promiseris, quodque

id gallica nobilitas magna ex parte petebat, regni vero Franciae perturbatus rerum status flagitabat; memores etiam nos illius Pastoris et patrisfamilias locum tenere, qui amissam ovem quaesivit, et ad ovile reportavit; quique filium prodigum, qui in longinqua abierat, redeuntem recepit tanto cum gaudio; ne forte nimis asperi, aut duri videremur, quod poenitentem ad fores Ecclesiae toties pulsantem excluderemus, cum eadem Ecclesia pia mater, nulli vere ad poenitentiam redeunti, pietatis suae gremium claudat, teque vero ex animo poenitentem in Domino confidentes, cum tot nunciis, litteris, variisque testificationibus, id profitereris, teque ad haeresim abiurandam et fidem catholicam corde et ore confitendam paratum esse ambo procuratores tui supradicti constanter tuo nomine assererent; ob eas causas et alias complures, quas connumerare nimis longum esset, post saepius imploratum lumen Spiritus Sancti, multasque nostras et piorum hominum orationes adhibitas; cum Sacri etiam Collegii hunc sensum et consensum esse perspiceremus; tandem praesenti die dominico, qui est septimus et decimus mensis huius septembris, in porticum Basilicae Vaticanae Principis apostolorum descendimus more solemni, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon episcopis et praelatis, ac magistratibus et officialibus Romanae Curiae, ibique cum maxima populi frequentia ad tantae rei spectaculum convenisset, accedere iussimus eosdem procuratores tuos Iacobum et Arnaldum, qui coram nobis genuflexi, patentes litteras manus tuae propriae subscriptione, et sigilli regni Franciae impressione munitas, et sufficienter recognitas, continentes mandatum procurationis a te in eorum personas legitime factum, producentes et exibentes in omnium ibidem adstantium praesentia, humiliter et devote tuo nomine supplicarunt, quatenus tibi omnium et quorumcumque errorum per te contra sanctam fidem catholicam, quam tenet, profitetur, et praedicat Sancta Catholica et Apostolica Romana Ecclesia, non solum perperam credendo, sed etiam male operando commissorum, ex intimo cordis affectu, ut asserebant, poenitenti, nostram sanctam benedictionem et supremam absolutionem a censuris ecclesiasticis propter huiusmodi errores per te incursis, et contra te declaratis, concedere, teque ad communionem Sanctae Sedis Apostolicae recipere, et cum eadem reconciliare in forma Ecclesiae consueta, de benignitate Sedis Apostolicae dignaremur; offerentes procuratorio nomine, quo supra, et promittentes errores et haereses quascumque, corde sincero et fide non ficta, abiurare, fidemque catholicam iuxta formam a nobis assignandam profiteri, ac a nobis tibi iniungenda, caeteraque omnia alia et singula pro parte tua adimplenda et exequenda, adimplere et exequi ad omne nostrum et Sanctae Sedis Apostolicae mandatum.

Litteras mandatumque procurae exhibentes,

Et Henricum absolvi, et ad S.A. Sedis communionem admitti precantes,

Eumque praedictae Sedis Ap. mandata exequuturum promittentes.

§ 8. Nos igitur summi et clementissimi illius Pastoris vices, quamvis meritis impares, in terris gerentes, qui, ut antea dicebamus, ovem perditam toto charitatis affectu perquisivit, et inventam in humeros suos sustulit, et ad ovile magno cum gaudio reduxit, cuius misericordia superexaltat iudicium, et cuius cogitationes omnes pacis sunt et misericordiae, tuam salutem in visceribus Christi cupientes, haec, quae infra descripta sunt, suo ordine exequuti sumus. In primis in Dei nomine praetensam absolutionem tibi, ut praefertur, sine auctoritate nostra impertitam, nullam et invalidam, ac nullius roboris et momenti fuisse et esse declaravimus, illamque, quatenus de facto

Quae peracta fuerint recenset.

Absolutionem datam a praesulibus Gallis irritam declarans.

processit, irritamus et annullamus; volentes tamen ut actus religionis alioqui catholici et approbabiles, in consequentiam eiusdem absolutionis facti (qui nisi absoluto et ab absoluto fieri nequiverunt) validi, rati et firmi sint, perinde ac si a nobis tunc absolutus fuisses. Et deinde decrevimus et declaravimus te fore et esse a quibusvis maioris excommunicationis, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quas quibuscumque haeresibus adhaerendo, et quaecumque facta haereticalia committendo, seu permittendo, aut illorum occasione quomodolibet incurreras, et in quas per felicis recordationis, Sixtum Papa V praedecessorem nostrum praedictum (per eius litteras datas v idus septembris anno Domini MDLXXXV, pontificatus sui anno I, quarum tenorem et formam, ac si de verbo ad verbum praesentibus inseretur, habuimus et haberi volumus pro plene et sufficienter expresso) incurrisse declaratus fueras, etiamsi de anno Domini MDLXXII eosdem errores et haereses Parisiis abiuraveris, et detestatus fueris, et postea in eosdem errores et haereses relapsus sis, absolvendum et liberandum, et in gremium S. matris Ecclesiae recipiendum et admittendum esse, illiusque unitati et sacramentorum participationi restituendum, facta prius per te rite et legitime, et iuxta canonicas sanctiones, calvinismi cum omnibus calvinistarum haeresibus et erroribus, ac omnium et quarumcumque aliarum haeresum et errorum quomodolibet contra Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam sese extollentium, abiuratione, detestatione et anathematizatione, ad sancta Dei Evangelia iureiurando praestito, necnon sanctae, catholicae et orthodoxae fidei professione per te, etiam iuxta modum et formam a nobis tibi tradendam legitime emissa, eodem adhibito iuramento, ac promissione de stando et parendo mandatis nostris, et sanctae matris Ecclesiae, et tibi specialiter iniungendis, et de iis bona fide adimplendis et exequendis, ac alias in forma Ecclesiae consueta, prout in quadam decreti schedula manu nostra subscripta, et tunc de mandato nostro per dilectum filium Cosmum Angelum officii sanctae romanae et universalis Inquisitionis assessorem, alta et intelligibili voce perlecta et publicata, latius continetur.

Novam absolutionem impartitus est.

Iniuncta tamen lege emittendi fidei catholicae professionem,

Promittendique de parendo mandatis Ecclesiae Rom. et Pontificis, iuxta formam ab assessore S. Officii perlectam.

§ 9. Quibus auditis, Iacobus et Arnaldus, tui procuratores praedicti, volentes, ut par est, nostris parere mandatis, et sanctae Ecclesiae satisfacere, propositis sacrosanctis Dei evangeliis, ac illis eorum manibus corporaliter tactis, procuratorio nomine, quo supra, abiurarunt, detestati sunt et anathematizarunt haereses et errores quos hactenus tenueras, et alios quoscumque haereses et errores; promiseruntque sub eodem iureiurando quod tu deinceps nec haereses, nec errores praedictos, nec aliquam aliam haeresim, aut errorem credes, neque illis quomodolibet adhaerebis, neque praedicta, aut aliqua alia haereticalia committes, aut facies, neque imposterum haereticis opem, auxilium, consilium, aut favorem circa haereses aut errores, illorum seu eorum occasione, praestabis aut impendes, nec ab aliis praestari aut impendi facies; quodque, Deo iuvante, servares poenitentias tibi per nos iniungendas, et huius Sanctae Sedis Apostolicae mandatis libenter obtemperares. Et insuper sanctae, catholicae et orthodoxae fidei professionem, eodem procuratorio nomine quo supra, emiserunt, et alia fecerunt, promiserunt et iuraverunt, prout latius continetur in quadam abiurationis, fidei catholicae professionis, promissionis et iuramenti schedula, eorumdem procuratorum tuorum manu subscripta, quam palam et publice

Legati regis eius nomine omnes haereses abiurarunt, fideique professionem emiserunt.

Sequitur formula iuramenti per eos praestiti, atque professionis fidei, quam emisere.

legerunt tenoris infrascripti, videlicet: Ego Iacobus Davy, Perroni dominus, consiliarius in consilio status et primus eleemosynarius, alter ex procuratoribus Henrici IV, christianissimi regis Franciae et Navarrae, una cum Arnaldo de Ossato, decano Vareni, dioecesis Ruthenensis, altero ex procuratoribus praedicti regis, collega meo, coram vobis Sanctissimo ac Beatissimo in Christo patre et domino nostro, domino Clemente Papa VIII humiliter constitutus ac genuflexus, sacrosanctis Christi evangeliis coram nobis positis, ac propriis manibus per nos corporaliter tactis, procuratorio nomine, ac cum infrascripta rati promissione, agnoscens neminem salvum fieri posse extra sanctam catholicam fidem, quam tenet, docet, profitetur et praedicat Sancta, Catholica et Apostolica Romana Ecclesia, et Henricum regem praedictum principalem nostrum adversus illam gravissime errasse, praesertim male et perperam sentiendo circa numerum sacramentorum Ecclesiae, circa transubstantiationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, circa praesentiam corporis Christi in Eucharistia, circa supremam potestatem et auctoritatem Summi Romani Pontificis in universa Ecclesia, circa purgatorium animarum et suffragia pro eis, circa venerationem et invocationem Sanctorum, et circa eorum reliquiarum et sacrarum imaginum venerationem, et denique amplectendo impium et detestandum calvinismum cum omnibus suis erroribus et haeresibus, ac in eisdem haeresibus et erroribus, et toto Calvinismo, ab ineunte adolescentia sua, etiam post absolutionem a felicis recordationis Gregorio Papa XIII Sanctitatis Vestrae praedecessore desuper sibi concessam, perseverando et manendo, ac erroribus et haeresibus praedictis, animo, corde, verbis et factis ipsis firmiter credendo et pertinaciter adhaerendo; et demum de anno MDXCIII, divina inspirante gratia, et infinita Christi et Salvatoris nostri Dei misericordia operante, ipse Henricus rex, ab omnibus et singulis huiusmodi erroribus et haeresibus, ex corde resipuit et recessit. A quo tempore et ante, a dicti erroribus et haeresibus, et a quibus sententiis et censuris propterea incursis et declaratis, absolvi, et in gremium sanctae matris Ecclesiae recipi, et sanctorum sacramentorum participationi restitui, humiliter saepius petiit et institit. Et cum ad effectum huiusmodi, inter alia, errores et haereses praedictos, et quoscumque alios abiurare et detestari, fidemque catholicam profiteri teneatur; propterea ego Iacobus procurator, qui supra, cum supradicto Arnaldo collega meo, et procuratorio nomine supradicto, et cum infrascripta promissione de rato, volens Sanctae Ecclesiae et Sanctitati Vestrae (ut par est) satisfacere, corde sincero et fide non ficta, abiuro, detestor et anathematizo universas et singulas haereses, et errores supradictos, ac calvinismum cum omnibus eius erroribus et haeresibus; nec non alios et quoscumque sectarum haereses et errores, se se quomodolibet extollentes contra sanctam, orthodoxam et catholicam fidem, quam tenet, docet et praedicat Sancta Catholica et Apostolica Romana Ecclesia. Et sub eodem iuramento cum eodem Arnaldo collega meo polliceor et promitto, quod idem Henricus, rex noster principalis, deinceps nec haereses, nec errores praedictos, nec aliquam aliam haeresim, aut errorem credet, neque illis adhaerebit, neque praedicta, aut aliqua alia haereticalia committet, aut faciet, neque imposterum haereticis opem, auxilium, ac errores illorum, seu eorumdem occasione praestabit, aut impendet, nec ab aliis praestari aut impendi faciet. Ac praeterea cum eo-

Rex iterum errores calvinismi detestatus, veniam a S. Sede precatur.

Procuratorum regis Franciae promissiones fideique professio.

dem collega meo, iuro ipsum Henricum regem (Deo iuvante) servaturum poenitentias sibi a Sanctitate Vestra iniungendas, et huius Sanctae Sedis Apostolicae mandatis libenter obtemperaturum. Insuper ego Iacobus procurator praedictus cum praedicto Arnaldo collega meo, ad confirmationem et corroborationem praemissorum, et ad maiorem expressionem et declarationem sincerae voluntatis et catholicae fidei dicti Henrici regis nostri principalis, infrascriptam sanctae catholicae et orthodoxae fidei professionem expresse facio et emitto, pro quo similiter de rato promitto, ut infra, firma fide credo atque profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei Unigenitum; et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis; et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine; et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Dei Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem; qui ex Patre, Filioque procedit; qui cum Patre et Filio, simul adoratur et conglorificatur; qui loquutus est per Prophetas; et unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum; et expecto resurrectionem mortuorum; et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam, iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem, sine sacrilegio, reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Catholicae Ecclesiae ritus in sacramentorum supradictorum omnium solemni administratione, recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali, et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae sacramento, esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et

Ultra symbolum, reliqua omnia in Ecclesia catholica admissa, regis nomine admittunt et amplectuntur.

Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac veneration nem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse, affirmo. Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi vicario, veram obedientiam, sicut alii catholici et christianissimi reges Franciae praedecessores sui reddiderunt, spondeo ac iuro. Caeteraque omnia a sacris canonibus, et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, reiectas et anathematizatas, pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc vero catholicam fidem, quam sponte procuratorio quo supra nomine dicti Henrici regis, in praesenti profiteor et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adiuvante) retinere et confiteri. Ego Iacobus Davy, procurator supradictus, una cum supradicto Arnaldo collega meo, quo supra nomine, spondeo, voveo ac iuro. Et simili iuramento mediante, promitto eumdem Henricum regem praesentem errorum et haeresum abiurationem, et fidei catholicae professionem, ac in ea contenta quaecumque, ad omne mandatum Sanctitatis Vestrae et huius Sanctae Sedis, sufficienter et legitime ratificaturum, ac litteras patentes ratificationis huiusmodi, seu publicum instrumentum in forma authentica ad eamdem Sanctitatem Vestram, et hanc Sanctam Sedem Apostolicam, intra tempus competens, absque aliqua interpellatione, realiter et effectualiter transmissurum. Ita nos, dictumque Henricum regem, Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia. Ego Iacobus Davy, procurator supradictus, et procuratorio nomine supradicto, ita abiuravi, detestatus fui et anathematizavi, ac professus sum, spopondi, vovi, promisi et iuravi respective, et praesentem abiurationis, fidei professionis, promissionis et iuramenti schedulam manu mea propria subscripsi, una cum infrascripto D. Arnaldo collega meo. Ego Arnaldus Ossatus, procurator supradictus, et procuratorio nomine supradicto, ita abiuravi, detestatus fui et anathematizavi, ac professus sum, spopondi, vovi, promisi et iuravi respective, et praesentem abiurationis, fidei professionis, promissionis et iuramenti schedulam manu mea propria subscripsi una cum supradicto D. Iacobo Davy collega meo.

Procuratorum iusiurandum regis nomine.

§ 10. Quibus legitime peractis, nos, ut facilius a clementissimo misericordiarum Patre et Domino nostro Deo, erratorum tuorum huiusmodi veniam, et in bono perseverantiam consequi merearis, in salutares poenitentias, et aliquam satisfactionis partem, eisdem Iacobo et Arnaldo, procuratorio nomine praedicto, iniunximus et mandavimus, ut restituas exercitium religionis catholicae et apostolicae Romanae, in principatu Bearni, et quamprimum nomines episcopos catholicos ad Ecclesias eiusdem principatus, et donec bona Ecclesiis restituantur, des ipsis episcopis tantum de tuo, quantum satis erit, ut digne et congrue interim sustentari possint. Utque intra annum proximum, educas et liberes a manibus haereticorum Henricum principem Condensem, et illum con-

Quae fuerint regi iniunctae poenitentiae.

signes educandum personis vere et sincere catholicis, quae eum in catholica religione et christiana pietate enutriant. Et concordata cum Sede Apostolica inita, tam in provisionibus et nominationibus, quam in omnibus aliis integre serves, et illa nullatenus excedas. Ac neminem haereticum, aut de haeresi suspectum nomines ad episcopatum, abbatias et ea beneficia, ad quae ius nominandi habes.

De canonibus Trid. Concilii.

Ac efficias, ut sacrum generale Concilium Tridentinum in regno Franciae et suis dominiis publicetur et observetur in omnibus; iis tantum exceptis (ad tuorum procuratorum praedictorum supplicationem et instantissimam petitionem) si quae forte adessent, quae revera, sine regni tranquillitatis perturbatione, exequutioni demandari non possint.

Ecclesiasticis personis.

Insuper ut ordinem ecclesiasticum, sub speciali commendatione et protectione habeas, ac personas ecclesiasticas tam saeculares quam regulares, ab iis, qui gladium portant, aut ab ullis aliis opprimi, aut vexari, vel eorum bona detineri non patiaris, sed si quae occupata fuerint, ea quamprimum per universum Franciae regnum, ubicumque sita sint, sine ulla litis aut processus forma, restitui facias.

Bonis ecclesiarum.

Infeudationes quoque et concessiones quascumque, de quibuscumque terris, castris, locis et bonis, ad ecclesias, monasteria et pia loca quaecumque quomodolibet spectantibus, si quae a te seu tuis praefectis, gubernatoribus, vel ministris, ad favorem, sive catholicorum, sive haereticorum facta fuerint, revoces et annulles.

Religione catholica.

Verbis et factis etiam in conferendis gradibus regni, ostendas catholicos tibi esse carissimos, itaut omnes clare cognoscant te ipsum percupere ut unica tantum religio, et illa Catholica et Apostolica Romana, quam nunc profiteris, in eodem Franciae regno sit, et perpetuo vigeat et servetur.

Precibus ad B. V. M.

Singulis diebus, legitimo cessante impedimento, recites coronam B. M. V.; quarta quaque feria litanias; singulis diebus sabbathi rosarium eiusdem B. Mariae, quam assumas pro tua peculiari advocata in coelis.

Ieiuniis, confessione et missis.

Ieiunia et caetera praecepta Ecclesiae, observes; et saltem quater in anno peccata tua sacerdoti idoneo sacramentaliter confitearis, et publice sanctissimam percipias Eucharistiam. Singulis item diebus sacram missam, more regum et principum catholicorum, devote audias. Dominicis vero et festis diebus (cessante similiter legitimo impedimento) intersis missae conventuali, vel solemni, in ecclesia vel capella regia, prout alii christianissimi et catholici reges consueverunt facere.

Monasteriis aedificandis.

Ac praeterea aedifices, seu aedificari facias in singulis provinciis regni Franciae et principatu Bearni, unum monasterium virorum, vel mulierum religionis Monasticae vel Mendicantium ex religionibus reformatis.

Ratificatione omnium actorum per procuratores.

Itemque ratifices et approbes sufficienter et legitime, et absque alia interpellatione, in Francia in manibus legati vel nuncii nostri et Sanctae Sedis Apostolicae quam primum, ibi fuerit, abiurationem et detestationem haeresum et errorum, necnon catholicae fidei professionem, ac omnia alia et singula per tuos procuratores praedictos in praesenti negocio facta et promissa, ac praesentia nostra mandata, et poenitentias acceptes et recipias, instrumentumque ratificationis, ad nos et S. Sedem Apostolicam, in forma authentica transmittas et realiter consignare facias.

Notificatione principibus.

Necnon ad catholicos principes scribas, significando et gratulando, quod in gratiam Sanctae Romanae Ecclesiae receptus

sis, qua (Deo favente) profiteberis te perpetuo permansurum.

De gratiarum actione Deo reddenda.

Iubeasque in omnibus locis regni tui gratias agi omnipotenti Deo pro tam insigni beneficio ab eo recepto. Prout etiam latius continetur in alia schedula per eumdem Cosmum de mandato nostro ibidem publice lecta et promulgata, et per eosdem Iacobum et Arnaldum procuratores tuos eorum propriis manibus subscripta; cuius tenorem hic et pro plene inserto et expresso haberi volumus. Quas quidem poenitentias et mandata, iidem Iacobus et Arnaldus, procuratores tui, grato et libenti animo recipere et acceptare dixerunt, receperunt et acceptarunt, et illa (Deo favente) observare et bona fide adimplere promiserunt et iurarunt, tactis iterum corporaliter sacrosanctis Dei evangeliis supradictis.

His peractis, et a legatis receptis Clemens Henricum ab omnibus censuris absolvit.

§ 11. Et successive, nos te in personis procuratorum tuorum praedictorum a quibusvis maioris excommunicationis, aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quas quibuscumque haeresibus adhaerendo, et quaecumque facta haereticalia committendo, seu permittendo, aut illorum occasione quomodolibet incurreras, et in quas per felicis recordationis Sixtum praedecessorem praedictum, per eius litteras praedictas incurrisse declaratus fueras (etiamsi de anno MDLXXII eosdem errores et haereses Parisiis abiuraveris et detestatus fueris, et postea in eosdem errores et haereses relapsus sis), auctoritate apostolica, absolvimus et liberavimus, et in gremium Sanctae Ecclesiae recepimus, et sanctorum sacramentorum participationi restituimus, in forma Ecclesiae consueta; sperantes et confidentes, quod tu tantam huius Sanctae Sedis et nostram benignitatem recognoscens, talem te in futurum, factis ipsis, praestabis et ostendes, ut sancta mater Ecclesia de tanto profectu, tuaque in illam devotione ferventiori in dies, magis ac magis, spiritualis gaudii et laetitiae sentiat augmentum.

Eum hortatur, ut quae sibi iniuncta sunt adimpleat.

§ 12. Teque etiam in Domino hortantes, ut poenitentias salutares praedictas, aliaque praemissa a nobis, ut praefertur, iniuncta, non solum integre et inviolabiliter, sed etiam cumulate et ut catholicum principem et regem vere christianissimum decet, ex toto corde adimplere procures, ut in hoc nostram et Sanctae Sedis Apostolicae benevolentiam, in alio vero saeculo, divina tibi assistente gratia, aeternae retributionis gloriam consequi merearis.

Derogatio contrariorum.

§ 13. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis aliis, tam felicis recordationis Sixti praedicti, et piae memoriae Gregorii XIV, quam quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, litteris et constitutionibus, ac ordinationibus apostolicis, contra haereticos, etiam relapsos, illorumque credentes [1] et fautores, quandocumque editis, et in corpore iuris clausis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in contrarium facientibus quibuscumque. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter expresseque derogamus, et caeteris contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, restitutionis, liberationis, receptionis, restitutionis, hortationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno

1 Forte legi debet *adherentes*. (R.T.)

Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, decimo quinto kalendas octobris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 17 septembris 1595, pont. an. IV.

Sequitur ratificatio Henrici regis, et promissio de adimplendo ea omnia, quae in praerelata constitutione sibi iniunguntur.

Henricus, Dei gratia, Francorum et Navarrae rex, universis et singulis praesentes nostras patentes litteras visuris et audituris, salutem.

Facti series exponitur.

Cum, sicut nobis innotuit, venerabilis P. D. Iacobus Davy Perroni dominus, ac noster in consilio status consiliarius, ac primus eleemosynarius, nunc episcopus Ebroicensis, ac Ven. P. D. Arnaldus de Ossato, decanus Vareni, Ruthenensis dioecesis, nunc episcopus, seu nominatus ad Ecclesiam Redonensem, procuratores nostri, nostro nomine comparuerint coram Sanctissimo in Christo Patre et Domino D. Clemente Papa VIII, et Suae Sanctitati benedictionem et supremam absolutionem a censuris, alias per nos incursis et contra nos declaratis, postulaverint, et desuper per Suam Sanctitatem certum decretum fieri et promulgari obtinuerint, et in exequutionem et adimplementum dicti decreti haereses et errores omnes in scriptis legitime abiuraverint ac detestati fuerint, professionem sanctae fidei catholicae emiserint; et successive idem Sanctissimus D. Noster Papa certas poenitentias et mandata nobis iniunxerit, illasque et illa iidem procuratores nostri acceptaverint, et bona fide servare et adimplere, et quod nos gesta et promissa per eos ratificaremus et approbaremus, promiserint, prout latius continetur in litteris apostolicis desuper confectis, quarum tenor sequitur de verbo ad verbum, et talis est, videlicet: Clemens Episcopus, *etc.* Charissimo in Christo filio Henrico Francorum et Navarrae regi christianissimo salutem et apostolicam benedictionem. Divinae gratiae, *etc.*

Ratificatio de qua in rubrica.

Ne de mandato praedictorum procuratorum in praemissis, et circa ea dubitare contingat, sed ut perpetuis futuris temporibus firmius et clarius de mente, intentione et catholica fide nostra constare possit et constet; propterea nos coram illustrissimo et reverendissimo D. D. Alexandro Medicis I. U. D. tituli S. Praxedis, praesbytero cardinali praelibati Sanctissimi Domini Nostri Papae, et Sanctae Sedis Apostolicae legato, declaramus, omnia et singula in praeinsertis litteris apostolicis contenta nobis bene nota per praedictos procuratores nostros petita, oblata, promissa, dicta, facta, iurata, abiurata, acceptata, obtenta et in huiusmodi negocio quomodolibet procurata respective fuisse et esse, de nostra voluntate et mandato, ita petita, oblata, promissa, dicta, facta, iurata, abiurata, acceptata, obtenta et procurata respective in omnibus et per omnia, prout in praeinsertis litteris apostolicis continetur. Et ad maiorem cautelam, comparisionem, petitionem et oblationem per praedictos procuratores nostros factas, decretumque a praelibato Sanctissimo D. Nostro Papa desuper latum, abiurationemque et detestationem quorumvis haeresum et errorum, ac sanctae catholicae fidei professionem per eosdem procuratores factas, ac iuramenta quaecumque desuper praestita, necnon mandata et poenitentias per eumdem SS. D. N. Papam nobis iniunctas et iniuncta, illorumque et illarum acceptationem et observationem, promissionem et iuramenta quaecumque desuper praestita super illorum et illarum observatione, absolutionemque inde se-

quutam, omniaque alia et singula in eisdem praeinsertis litteris apostolicis contenta specialiter et expresse ratificamus, acceptamus et approbamus, ac adimplere promittimus in omnibus et per omnia bona fide, iuxta eiusdem praeinserti instrumenti vim, formam, continentiam et tenorem. Et in testimonium veritatis praesentes nostras patentes litteras manus nostrae subscriptione, et nostro solito sigillo munitas fieri mandavimus.

Datum Parisiis, die XIX septembris anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, et regni nostri octavo [1].

HENRY.

N. Per Regem

Pendet sigillum magnum regium in cera.

Sequitur pontificium breve, quo Clemens Henrico gratulatur de ratificatione, Romanae aulae gaudium testatum facit, eumque ad perseverantiam adhortatur.

Charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum regi christianissimo

Clemens Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Benedicimus Deum coeli, qui misericordiam suam magnam, quam per ministerium humilitatis nostrae in te operatus est, quotidie magis confirmat, et gaudium nostrum cumulat. Recepimus enim a dilecto filio nostro Alexandro cardinali Florentino nostro apostolico legato ratificationem a tua maiestate factam, qua omnia, quae a tuis procuratoribus Romae tuo nomine acta sunt, nostramque absolutionem et benedictionem, et omnia a nobis ea de causa decreta, et litteris nostris atque apostolico diplomate compraehensa, rata habuisti et comprobasti, atque ad ea perpetuo servanda te ipsum coram Deo, et eius sancta Ecclesia Catholica, regia manus tuae subscriptione obstrinxisti; qua ex re tantam voluptatem cepimus, quantam animus noster capere maximam poterat; praesertim quia idem legatus noster, ut tuo in primis nomini est addictus, tuaeque salutis et gloriae percupidus, omnia ad nos accurate et subtiliter scripsit, quae gesta, quaeve dicta a te sunt, ut pene oculis intueremur, qua alacritate, qua hilaritate, qua pietate et devotione erga nos, et hanc Sanctam Sedem id egeris, denique quamprompte et sincere hac in re officii tui partes sis exequutus. Et nos quidem, fili charissime, ita semper de tua excellenti virtute, animique tui magnitudine et candore nobis polliciti sumus; hoc item a te boni omnes expectabant, qui nunc nobiscum summopere laetantur, et Deo immortali singulares gratias agunt. Mirum est enim, quam optatus et iucundus acciderit hic nuncius venerabilibus fratribus nostris cardinalibus, aulae huius ordinibus, et iis omnibus qui divini honoris zelum habent, quique Dei opera in te in dies illustrius manifestari concupiscunt; quibus fundamentis a maiestate tua tam praeclare iactis caeteram superstructionem consentaneam fore, Dei adiutrice gratia, confidimus. Sic enim tibi Illius nomine pollicemur, qui te ex tenebris vocavit in admirabile lumen suum, cuius nos immeriti vicem in terris gerimus, si ita ut coepisti, in corde puro et conscientia bona, candide, recte, simpliciter coram Deo ambulabis, et omnes cogitationes, omnes actiones ac studia tua ad eius gloriam, eiusque verae catholicae fidei exaltationem converteris atque contuleris, ut certe Spiritu Sancto

Bona regis voluntas a Papa commendatur.

1 Secretarii, qui de mandato Regis se subscripsit, nomen, qui antiquitate deletum, legi non potuit.

auctore, te facturum speramus. Ipse Deus fidelis et verax, qui diligentes se diligit, et honorantes se honorificat, Ipse benedicens benedicet tibi et multiplicabit super te dona sua, et inter christianissimos Francorum reges memorandum et gloriosum efficiet ad omnem posteritatis memoriam, et te, et regnum istud nobilissimum omni felicitate cumulabit. Te interea in spiritu charitatis ut filium charissimum complectimur, tibique paterno affectu nostram apostolicam benedictionem impertimur. Caetera idem cardinalis et legatus noster, tuique amantissimus maiestati tuae coram uberius exponet.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris, die XIII octobris MDXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 13 octobris 1596, pontif. an. v.

CXLIII.

Archiepiscopo Salisburgensi facultas conceditur imprimendi Breviarium Romanum cum Proprio eiusdem Ecclesiae [1].

Venerabili fratri Wulfgango Theodorico archiepiscopo Saliburgensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Summa fraternitatis tuae pietas et religio, ac singularis in nos et Apostolicam Sedem fides et observantia iure poscunt, ut piis votis tuis, quantum cum Domino possumus, libenter annuamus.

Archiepiscopus Salisburgensis officium proprium suae dioecesis componit, et approbandum a S. Sede transmittit.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecisti, te ab initio tuae ad archiepiscopatum Salisburgensem electionis in animo habuisse ut in Ecclesia, civitate et dioecesis Salisburgensi Breviarii et Missalis Romani novissime reformati usus introduceretur, et ad piam huiusmodi tuam intentionem exequutioni demandandam diuturno et summo cum labore et studio Breviarii proprii Ecclesiae Salisburgensis reformationi, inde plurium sanctorum officiis propriis partim deletis et resecatis, partim (eorum videlicet, quos magis approbatos iudicasti) lectionibus et orationibus reformatis, et ordine dispositis, incubuisse, ac demum pro ea, qua nos et Apostolicam Sedem prosequeris fide et observantia, antequam intentionem tuam exequutioni demandares, laborem hunc tuum nostrae et dictae Sedis censurae humiliter subiicere decrevisse; ac propterea lectiones et orationes proprias huiusmodi ad nos, ut illa examinare, corrigere et reformare, ac si ita nobis videretur, approbare et confirmare dignaremur, transmisisse; cupere vero, si et postquam dictae lectiones et orationes per nos approbarentur, Breviarium Romanum cum kalendario ad usum Ecclesiae Salisburgensis et cum insertione dictarum lectionum et orationum propriarum imprimi facere posse. Ac propterea nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Clemens ei concedit, ut illud imprimere possit una cum breviario Romano.

§ 2. Nos igitur, cum iam iuxta desiderium tuum kalendarium ad usum dictae ecclesiae, ac lectiones et orationes proprias praedictas in congregatione sacrorum rituum examinari et reformari mandaverimus, ac per alias nostras in forma brevis litteras confirmaverimus et approbaverimus, tuum hunc piissimo et de catholica religione benemerenti antistite dignum laborem summopere commendantes, ac fraternitatem tuam, ut eo constantius catholicae fidei restituendae et propagandae, ac divino cultui augendo, cleroque et populo tuae curae commissis in via mandatorum Domini dirigendo

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

et reformando, prout facis, deinceps incumbas, amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, ut Breviarium Romanum cum kalendario ad usum praedictae Ecclesiae Salisburgensis ordinato, dictisque lectionibus et orationibus propriis Sanctorum Ecclesiae Salisburgensis per nos approbatis ubicumque tibi placuerit, quam emendatissime tamen, et iuxta nostram emendationem, typis cudi facere, et ad usum praedictae Ecclesiae evulgare libere et licite valeas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et indulgemus.

Typographis vetat, ne illud imprimant sine licentia Archiepiscopi.

§ 3. Et insuper omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus praesertim librorum impressoribus et bibliopolis, ne durante decennio proximo Breviarium huiusmodi sine tua speciali licentia impressum vendere, aut venale habere, vel proponere audeant vel praesumant, sub excommunicationis latae sententiae poena, interdicimus et prohibemus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac prohibitionibus in contrarium praemissorum a quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et dicta Sede factis, necnon statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXVI octobris MDXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 26 octobris 1596, pont. an. v.

CXLIV.

Confirmatio decreti Congregationis Concilii, quo declaratur provisum de parochiali ecclesia per concursum, censendum esse approbatum in illa civitate, vel oppido tantum, ubi est parochus [1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad Romanum Pontificem spectat dubia quaecumque circa personarum ecclesiasticarum iurisdictionem, praesertim circa confessiones christifidelium audiendas, opportuna declaratione removere, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Decretum Sacrae Congregationis Concilii.

§ 1. Cum itaque in congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Sacri Concilii Tridentini interpretum dubium propositum fuit: An provisus de parochiali ecclesia per concursum censendus sit approbatus idoneus minister ad audiendas confessiones in illa dioecesi, in qua ipsam parochialem obtinet, tum eorum qui habent privilegia eligendi idoneum confessorem, tum etiam illorum qui non habent huiusmodi privilegium, sed parochorum consensum; cumque Congregatio praedicta responderit: Censeri dumtaxat in ea civitate, vel oppido, ubi sita est parochialis, non autem passim per totam dioecesim.

Confirmatio pontificia.

§ 2. Nos hanc dictae Congregationis declarationem perpetuo confirmantes et approbantes, quemcumque pro tempore de parochiali ecclesia per concursum provisum idoneum ministrum approbatum ad audiendas confessiones, tam eorum qui privilegium eligendi confessorem, quam eorum qui sine huiusmodi privilegio parochorum suorum consensum ha-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

bent, in ea civitate, vel oppido, ubi parochialis ecclesia sita est tantum, non autem passim per totam dioecesim censendum esse. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, sublata eis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritale, iudicari et definiri debere declaramus.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXVI octobris MDXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 26 octobr. 1596, pontif. an. v.

CXLV.

Primicerio collegiatae ecclesiae Sancti Marci Venetiarum conceditur facultas utendi mitra et baculo, benedicendi paramenta et ornamenta ecclesiastica, necnon benedictionem supra populum impendendi [1].

Dilecto filio moderno et pro tempore existenti primicerio insignis collegiatae ecclesiae S. Marci Venetiarum

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem insignium ecclesiarum decorem, ac personarum in eis dignitates primarias obtinentium ornamentum et dignitatem, quantum cum Domino potest, augere, prout piorum et nobilium virorum vota exposcunt, ac alias in Domino conspicitur salubriter expedire.

§ 1. Sane, cum, sicut pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum ducis, et dominii Venetorum nobis nuper expositum fuit, insignis collegiata ecclesia Sancti Marci Venetiarum, quae a dominio Venetorum magnificentissimo sumptu exstructa, et ornamentis ecclesiasticis, ac vasis sacris, et reliquo ecclesiastico apparatu, ditissime et perabundanter referta existit, ac ab Ordinarii iurisdictione exempta, Sedique Apostolicae immediate subiecta est, et in qua corpus gloriosi evangelistae S. Marci, summa cum totius senatus et populi Venetiarum veneratione asservatur, ita conspicua et illustris existat, ut merito gratiis et privilegiis decoranda videatur; cupiantque dux et dominium praedicti ad maiorem ipsius ecclesiae decorem et ornatum, te, qui dignitatem ibi principalem obtines, amplioribus privilegiis, quam quae hucusque per Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem Apostolicam, concessa sunt, exornari; nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur; nos igitur privilegiorum et concessionum quarumcumque tibi, ac pro tempore existenti primicerio istius Ecclesiae concessorum et factarum, et litterarum desuper expeditarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, qui vigore huiusmodi privilegiorum primam tonsuram eidem Ecclesiae inservientibus conferre potes, ut in omnibus actibus solemnibus, ac etiam processionibus, mitra et baculo aliisque pontificalibus insignibus in ecclesia praedicta et aliis ecclesiis illi subiectis, uti, et indumenta et ornamenta ecclesiastica quaecumque, in quibus tamen unctio sacra non est adhibenda, pro usu earumdem ecclesiarum dumtaxat, benedicere, necnon in praedicta S. Marci et aliis illi subiectis ecclesiis solemnem benedictionem

Indultum de quo in rubrica.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

supra populum (quando aliquis S. R. E. cardinalis legatus vel nuncius, aut alius praelatus superior ibi praesens non sit) impendere libere et licite valeas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

Obstantium derogatio.

§ 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die septima novembris MDXCVI, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 7 novembris 1596, pontif. an. v.

CXLVI.

Fratres Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, nullo etiam quarti voti praetextu vel indulto, de caetero recipiant Fratres Minores S. Francisci de Observantia, aut alterius strictioris Ordinis professores [1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Hic Ordo, respectu quarti voti, strictior aliis reputabatur.

Nuper ad nos perlatum est, religiosos Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, praetextu cuiusdam indulti apostolici dicto Ordini antiquitus concessi, professores Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatos, et alios regulae strictioris, in eorum sodalitatem, seu domos, aut conventus recipere. Quare cum id saepius meritas poenas eludendi causa fiat, et ex hoc multa scandala in populo generentur, et alia multa incommoda nascantur.

Hic Pontifex contrarium decernit.

§ 1. Nos huiusmodi scandalis obviare, et quieti religiosorum prospicere cupientes, tenoremque dicti indulti, perinde ac si de verbo ad verbum insereretur, praesentibus pro expresso habentes, ne quis praelatorum, seu superiorum, aut fratrum conventuum, seu domorum dicti Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, tam in regnis Hispaniarum, quam alibi consistentium, quavis ille dignitate, praeeminentia, praerogativa vel munere fungatur, quemquam Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, aut cuiusvis strictioris regulae, quam sit regula dictorum religiosorum Beatae Mariae de Mercede, praetextu cuiusvis indulti seu privilegii apostolici, recipere audeat vel praesumat, etiamsi habeant privilegium id faciendi, causa quarti voti; quod ipsi professores Ordinis B. Mariae de Mercede huiusmodi faciunt, apostolica auctoritate, tenore praesentium, districte prohibemus.

Subdens alia ratione quam quarti voti regulam strictiorem esse iudicandam.

§ 2. Declarantes regulam strictiorem esse iudicandam alia ratione, quam respectu quarti voti. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus privilegio, seu indulto huiusmodi, quod, harum serie proprio motu, revocamus et abolemus, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis B. Mariae de Mercede, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac aliter in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus

1 Eiusmodi privilegium, quod scilicet iste Ordo, respectu quarti voti, caeteris ordinibus strictior esset, edixerat Calixtus III in sua constitut. IX: *Super gregem*, tom. V, pag. 141. Et de institutione eiusdem Ordinis, aliisque eum concernentibus vide in constitut. Gregorii IX: *Devotionis*, tom. III, pag. 485.

et singulis, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis, alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptisque credi mandat.

§ 4. Volumus autem, quod praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV decembris, millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 24 decembris 1596, pontif. an. V.

CXLVII.

Iurisdictio consulum artis aromatariorum Urbis cognoscendi causas ad artem spectantes, cum indultorum concessione [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Laudabilis Apostolicae Sedis rectitudo, quae in suis actibus provida circumspectione dirigitur, fidelium quorumlibet, eorum praecipue, qui ad humani corporis infirmitates curandas pharmaca et alia medicamenta opportuna, operosae diligentiae studio, parare et impendere dignoscuntur, indemnitati libenter consulit, et dispendiis occurrit, ac quae propterea provide ordinata, ac etiam ab ipsa Sede eis concessa fuisse dicuntur, ut firmiora subsistant, saepius approbat et confirmat, aliasque desuper disponit, prout rerum et personarum qualitate debite pensatis, ad pubblicam utilitatem et salutem conspicit in Domino salubriter expedire.

Causae huius concessionis.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum consulum ac universitatis et collegii aromatariorum Urbis petitio continebat, quod licet ipsi, eorumque antecessores pro felici artis aromatariae, et illam exercentium statu et administratione, diversa statuta, ordinationes et capitula ediderunt, eaque deinde apostolica auctoritate confirmata, et nonnulla alia privilegia et indulta ipsis aromatariis et eorum unversitati ac collegio huiusmodi, per diversos Romanos Pontifices praedecessores nostros, sub certis modo et forma tunc expressis concessa fuerint; nihilominus dicti aromatarii his etiam statutis, ordinationibus, capitulis, privilegiis et indultis suffulti, aliqua in dies damna et incommoda, tam in consequendis eorum creditis, quam alias, pro temporum ac personarum malitia et diversitate, subeunt.

Petitio universitatis aromatoriorum.

§ 2. Quare pro parte consulum, ac universitatis, et collegii praefatorum, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus statutis, capitulis, ordinationibus, privilegiis et indultis huiusmodi, pro illorum subsistentia firmiori, et ne ars ipsa illamque exercentes, dum aliis prosunt et prodesse student, suaque pharmaca et alia remedia corpori humano necessaria credunt, damnis et incommodis afficiantur, sed suo exercitio debite in publicam

1 Quoad locum Aromatariorum in causis discussionum vide in constitut. XLVI Pii V: *Cum officio*, tom. VIII, pag. 118. — Hanc bullam non praeiudicare iurisdictioni gubernatoris Urbis, hic idem Pontifex declaravit die XXIV martii MDCIV, quam non pono, quia hoc tantum continet quod in praxi notissimum est, ipsaque bulla penes notarios civiles gubernatoris registrata est.

utilitatem adimplendo efficacius intendant, robur apostolicae confirmationis adiicere, ac alias in praemissis, per infrascriptae ordinationis remedium, amplius providere de benignitate apostolica dignaremur.

Statutorum et privilegiorum confirmatio.

§ 3. Nos igitur aequum esse censentes, ut qui prompte et fideliter sua ministeria obire conantur, congruam mercedem recipiant, ac a litium incommodis et dispendiis releventur, consules et singulares personas universitatis et collegii huiusmodi, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes; necnon statutorum, ordinationum, capitulorum, privilegiorum et indultorum praedictorum, ac litterarum apostolicarum, et aliarum scripturarum desuper confectarum, et inde sequutorum quorumcumque tenores ac datas praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula universitatis et collegii huiusmodi statuta, ordinationes et capitula (licita tamen et honesta) necnon quaecumque privilegia, concessiones, immunitates, gratias et indulta eisdem universitati et collegio, ac artem huiusmodi exercentibus, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Sedem et Cameram Apostolicas, usque in hunc diem quandocumque et quomodocumque concessa, quatenus tamen in usu existant, omnesque et singulas desuper confectas scripturas ac litteras et cedulas, de motu proprio, vel alio modo signatas, cum omnibus et singulis clausulis, etiam decretis in eis contentis et appositis, auctoritate praedicta tenore earumdem praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac etiam innovamus et de novo concedimus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis apostolicae robur adiicimus, ac illa omnia per et ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, et eisdem stari volumus et mandamus, omnesque et singulos iuris et facti, ac quosvis alios etiam substantiales defectus, si in eis vel aliquo eorum intervenerint, aut intervenisse dici vel praetendi possit, supplemus. Et nihilominus, auctoritate et tenore praedictis, statuimus et ordinamus, volumusque et decernimus, ac etiam aromatariis eorumque universitati et collegio huiusmodi concedimus et indulgemus:

Aromatarii in eorum consulatu tantum debitores conveniant.

§ 4. Quod nulli prorsus aromatarii debitores suos pro causis ad ipsam aromatariam spectantibus in alio tribunali, quam consulatus ipsorum, convenire ullo modo possint; alioquin qui ex eis hoc forum et iudicium declinaverit, toties poenam sex scutorum ecclesiae et hospitali S. Laurentii in Miranda nuncupati de Urbe applicandorum, irremissibiliter incurrat.

Nemo etiam privilegiatus forum declinare possit.

§ 5. Quodque omnes et singulae personae, etiam ecclesiasticae ac quovis privilegio suffultae, in et pro quibuscumque pharmacis et rebus medicinalibus soli consulatui in prima instantia subiectae sint et esse censeantur, omnesque causas, in quibus de hisce rebus quoquo modo agitur seu agi continget pro tempore, in solo ipsius consulatus tribunali in dicta prima instantia, iuxta felicis recordationis Gregorii Papae XIII, praedecessoris nostri, motus proprii formam ac tenorem cognosci ac terminari debeant, exceptis tamen illis causis, in quibus in vim obligationis Camerae Apostolicae agetur.

§ 6. Et insuper liceat eisdem consulibus praesentibus et futuris, absque aliquo

Facultas consulum visitandi et puniendi drogherios et alios.

cuiuscumque impedimento, drogherios et omnes alios, qui speciariae vel alias quascumque res medicinales ad praedictam artem quomodolibet spectantes et illam concernentes (pro quibus rebus eidem consulatui pari modo subsint, exceptis tamen his, quae cum prothomedici interventu visitari et recognosci debent), sive in parva, sive in magna quantitate vendiderint, etiamsi quamvis aliam artem mixtim exercuerint, visitare et recognoscere, ac quidquid corrupti aut vitiati et adulterati in eisdem repertum fuerit, sive totum sive partem, necnon etiam ipsosmet aromatariorum libros, in quibus fraudes aliquas commissas detectum erit, proiici ac comburi facere; necnon dictas res vitiatas quascumque ac corruptas vendentes, seu venales proponentes et praeparantes, iuxta delicti et negligentiae qualitatem, debitis poenis, non tamen corporis afflictivis, afficere, quae etiam poenae ecclesiae et hospitali praefatis eo ipso applicentur et applicatae censeantur.

Fides libris aromatariorum danda.

§ 7. Ac quod aromatariorum libris, quos mercantili more, vel secundum usum et consuetudinem dictae artis tenuerint, plena et indubia ubique fides, in iudicio et extra illud in omnibus, iuxta formam motus proprii piae memoriae Iulii Papae III, etiam praedecessoris nostri, super hoc disponentis, usque ad quinquennium tantum, et non ultra adhibeatur.

Fideiussores teneantur pro his, pro quibus reddiderunt se sponsores.

§ 8. Ac illi omnes, qui in huiusmodi libris, pro rebus inde habitis, debitores scripti reperientur, intelligantur et sint usque ad dictum tempus pro re scripta obligati, etiam si res ipsae non suo, sed aliorum quorumvis usui, de ipsorum tamen debitorum ordinatione, inserviissent seu inservisse dicerentur.

Praescriptio

§ 9. Talesque debitores praescriptionem aliquam contra huiusmodi aromatariorum credita, si aliunde quam ex eorum libris probentur, tam quoad praeterita quam quoad futura, nisi post lapsum sexdecim annorum iuxta, praedictae Urbis statuta, allègare seu praetendere nequeant; non obstante quod forsan alias quodvis aliud praescriptionis huiusmodi tempus, etiam magis breve per Iulium ac Gregorium praedictos, et seu alios Romanos Pontifices, similiter praedecessores nostros, concessum sive statutum reperitur.

sexdecim annorum tantum contra eos allegari potest.

Prioratis et potioritatis privilegium etiam contra privilegiatos pro sc. 50 tantum.

§ 10. Praeterea quod dicti aromatarii, pro quibusvis pharmacis et rebus medicinalibus ac medelis per eos ad quasvis infirmitates subministratis, praeferantur et praeferri omnino debeant omnibus et singulis aliis cuiusvis defuncti vel decocti, aut alias quantumvis privilegiati non solventis creditoribus, etiam quantumvis potioribus ac anterioribus, et quasvis obligationes, etiam camerales, ac publica instrumenta etiam iurata, ac quavis hypotheca vallata, etiam causa dotis, et quasvis alias clausulas seu cautelas in se continentes habentibus, usque ad summam quinquaginta scutorum tantum.

Aromatarii non veniunt in discussione.

§ 11. Neque sub aliqua bonorum discussione comprehendantur, nullaque cessio bonorum, sive quinquennalis aut alia dilatio, vel capitulum *Odoardus*, seu aliud quodlibet remedium, a iure vel ex speciali gratia principis, introductum seu concessum contra dictos aromatarios, et in eorum praeiudicium super consequutione suorum creditorum, occasione medelarum et aliarum rerum medicinalium debitorum usquam valeat, nec debitoribus ipsis in aliquo suffragetur.

Exequutio sub quovis praetextu retardari non possit.

§ 12. Et haeres defuncti solutionem rerum medicinalium huiusmodi, pro quibus ipse defunctus erat descriptus debitor, et etiam funeralium, etiam praetextu quod adiverit haereditatem cum beneficio legis et inventarii, retardare vel differre,

aut impedire minime possit, quin exequutio super bonis haereditariis interim fiat.

Mulieres teneantur solvere res ipsis praestitas etiam in vita mariti.

§ 13. Mulieres vero, viris decoctis vel mortuis, si haereditas solvendo non sit, teneantur solvere eas omnes res medicinales, quae pro ipsismet mulieribus servierunt, licet sub nomine et debito viri in dictis libris notatae reperiantur, usque ad summam tamen vigintiquinque scutorum tantum, factis prius per eosdem aromatarios debitis diligentiis, etiam iudicialibus, contra dictorum virorum sic defunctorum aut decoctorum bona.

Mulieres possint obligari pro se et familia pro sc. 15.

§ 14. Et eaedem mulieres pro rebus medicinalibus illarum filiis et familiaribus, relicuique familiae de illarum ordine traditis, usque ad summam quindecim scutorum obligare se possint.

Quando appellari possit a sententia consulum, et de deposito faciendo, et ubi sit appellandum.

§ 15. Neminique licitum sit a sententia consulum praedictorum appellare, ubi de summa minori, quam decem scutorum, praevia debita taxa, reductorum, agetur, ac minus recursum habere, nisi prius facto actuali deposito penes pro tempore existentem collegii notarium. In aliis vero causis dictam summam excedentibus, laicis videlicet ad forum seu tribunal Capitolinum, vel ad Cameram Apostolicam, aut ipsius Camerae clericorum decanum pro tempore existentem; praelatis vero et personis ecclesiasticis ad Cameram praedictam duntaxat appellatio permissa intelligatur. Semelque et non ultra appellare vel recurrere liceat, et hoc casu pro tempore existens iudex appellationum seu decanus Camerae huiusmodi, de eisdem causis summarie et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, cognoscere debeant.

Nullus iudex possit reassumere aromatariorum causas.

§ 16. Pro praemissorum autem faciliori exequutione et observatione districtius inhibemus atque interdicimus, nunc et pro tempore existentibus gubernatori et senatori, ac etiam vicario dictae Urbis, necnon auditori Camerae praedictae, eorumque locumtenentibus, ac quibusvis aliis iudicibus et officialibus ecclesiasticis ac saecularibus, quacumque auctoritate et facultate suffultis, ne aliquas huiusmodi causas reassumere, vel ad se avocare, aut aliquem praemissa de causa debitorem ad eos recurrentem audire vel admittere, nec se se in illas, contra praesentium tenorem, etiam praetextu quarumcumque facultatum et privilegiorum eis concessorum, etiam ex officio, et ad cuiuscumque instantiam, vel alio quovis modo ingerere seu immiscere; minusque ipsos aromatarios, aut eorum universitatem, aut collegium huiusmodi in aliquo super praemissis molestare vel impedire, seu molestantibus aut impedientibus favere audeant vel praesumant.

Clausulae praeservativae.

§ 17. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore, ex quocumque capite vel causa, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in ius, vel controversiam vocari, aut adversus illas quodvis iuris vel facti, aut gratiae remedium impetrari posse, sed semper et omni tempore contra et adversus quascumque impugnationes, validas et efficaces existere, suosque effectus sortiri et obtinere. Ac ita praemissis omnibus per supradictos, nec non alios quoscumque superiores et iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon S. R. E. cardinales, sublata eis nec non eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 18. Non obstantibus praemissis, nec non constitutionibus et ordinationibus

apostolicis sub quavis forma et expressione verborum conceptis, necnon praedictae Urbis iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, necnon indultis, atque litteris apostolicis eidem Urbi, ac dilectis filiis populo Romano, necnon gubernatori, senatori et vicario Urbis, atque auditori Camerae Apostolicae huiusmodi, necnon aliis iudicibus, superioribus et personis ac locis piis, illorum quoque administratoribus sub quibuscumque tenoribus ac formis, necnon cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, atque aliis efficacioribus et insolitis clausulis, ac efficacissimis, irritantibus quoque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu simili, necnon ex certa scientia, atque de apostolicae potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus, necnon alias quomodolibet et quandocumque concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, necnon expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, necnon forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie derogamus, necnon derogatum esse volumus et decernimus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, concessionis, roboris, adiectionis, mandati, suppletionis, statuti, ordinationis, concessionis, indulti, inhibitionis, interdicti, singulorum decretorum derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, tertio kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 30 decembris 1596, pontif. an. v.

CXLVIII.

Prohibet gubernatoribus hospitalis sanctissimae Annunciatae civitatis Neapolitanae quominus legata et alia relicta dicto hospitali in usus, praeter mentem testatorum, insumant [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem in his auctoritatis suae partes libenter interponere, per quae legata et bona piis locis a fidelibus relicta conserventur, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Causae prohibitionis de qua in rubrica.

§ 1. Accepimus siquidem, quod cum hospitali Sanctissimae Annunciatae civitatis Neapolitanensis a diversis fidelibus eorum haereditates et bona (sive per viam testamenti, sive donationis, aut ex contractu, vel alias diversimode) relinqui et donari soleant, ea lege, ut ex eorumdem bonorum fructibus pars in pia opera distribuantur, et pars in commodum dicti hospitalis in emptionem censuum, aut bonorum stabilium convertatur; quia vero interdum ob eiusdem hospitalis necessitates, illius gubernatores, parte dictorum fructuum, quae in alios usus destinata est, in usus dicti hospitalis utuntur, et

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

pro eius restitutione postea alios redditus eiusdem hospitalis alienare coguntur in non modicum eiusdem hospitalis praeiudicium, quo etiam fit, ut alii christifideles sua bona aliis locis piis potius quam dicto hospitali relinquant.

Prohibitio.

§ 2. Quare nos eiusdem hospitalis commodo et utilitati, ut par est, opportune providere volentes, motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, modernis pro tempore existentibus dicti hospitalis gubernatoribus, officialibus et ministris quibuscumque (sub privationis officiorum, quae obtinent, ac inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, necnon indignationis nostrae poenis) interdicimus et prohibemus, ne quacumque parte fructuum, bonorum et haereditatum praedicto hospitali, tam hactenus relictorum, quam deinceps relinquendorum, contra et praeter voluntatem testatorum et legatariorum, aut donatariorum, etiam pro necessitatibus eiusdem hospitalis, uti possint vel audeant; sed fructus ipsos et quascumque illorum partes, iuxta dispositiones eorumdem testatorum, legatariorum et donatariorum, convertere et erogare omnino curent. Et nihilominus, qui secus fecerint, illos ad restitutionem de suo proprio teneri volumus et statuimus. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et deniri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem gubernatoribus, officialibus vel ministris in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VII ianuarii MDXCVII, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 7 ianuarii 1597, pontif. an. v.

CXLIX.

Decernit provisores et procuratores hospitalium Reginae, in oppido Balneorum, et Regis, in civitate Colimbriensi, qui uno triennio provisoris seu procuratoris officio perfuncti sunt, ad idem officium, nonnisi post integrum sexennium, eligi posse [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

In statutis huiusmodi hospitalium cavebatur, ne provisores et procuratores, post primum triennium, ad eadem officia eligi possent.

§ 1. Cum, sicut accepimus, provisores hospitalium Reginae, in oppido Balneorum, et Regis, in civitate Colimbriensis, necnon procuratores, qui vulgo *Almoxarifex* ibi dicuntur, ex canonicis saecularibus Congregationis S. Ioannis Evangelistae, in regnis Portugalliae sub regula et habitu Sancti Georgii in Alga Venetiarum institutae, eligi soleant, eorumque officium ad triennium duret, maximeque expediat, ut qui dicto officio uno triennio sunt perfuncti, non possint ad idem officium iterum immediate eligi.

Decernit Clemens integrum sexennium interlabi debere.

§ 2. Nos propterea felici regimini dictorum hospitalium providere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine, harum serie per-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.
2 Legimus *Almojarife*. (R.T.).

petuo statuimus et ordinamus, ut qui uno triennio dicto provisoris seu procuratoris officio perfunctus est, ad idem officium, nisi post lapsum integrum sexennium, de novo eligi non possit; ac irritum et inane existat quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Generali et canonicis mandat decreti huius exequutionem.

§ 3. Quocirca dilectis filiis eiusdem Congregationis generali et canonicis per praesentes committimus et mandamus, ut statutum et ordinationem nostram huiusmodi, ut decet, perpetuo observent et observari curent.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et congregationis ac hospitalium praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII februarii MDXCVII, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 12 februarii 1597, pontif. an. VI.

CL.

Erectio collegii pauperum puellarum, et monasterii monialium in oppido civitatis Angelorum, Tlascalanensis dioecesis, in Indiis Occidentalibus [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis sollicitudo procurandi monasteriorum et collegiorum pauperum virginum fundationes.

Superna dispositione, cuius inscrutabili providentia, ordinationem suscipiunt universa, super eminenti apostolicae dignitatis specula, meritis licet imparibus, constituti, ad ea, per quae collegia pauperum puellarum virginum, necnon monasteria monialium cum religionis propagatione ubilibet erigantur, et erecta salubriter dirigantur, libenter intendimus, ac quae propterea pro necessariis puellarum et monialium huiusmodi alimentis, et alias pie et religiose per venerabiles fratres nostros episcopos, et alios ecclesiarum praelatos proinde dicuntur ordinata, apostolicae confirmationis munimine roborantes, fideles ipsos, ut lapsus suos piis operibus emendare, et sacra loca devote visitare facilius assuescant, indulgentiis et peccatorum remissionibus ad id nonnunquam invitamus, aliasque disponimus, et in his nostri pastoralis officii partes favorabiliter impertimur, prout locorum et personarum qualitate pensata, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Ioannes Baranco monasterium monialium et collegium virginum in oppido civitatis Angelorum suo aere erecta et dotata.

§ 1. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Didaci episcopi Tlascalensis in Indiis Occidentalibus maris Oceani, quae nova Hispania vocatur, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias, postquam quondam Ioannes Baranco, incola oppidi, civitatis Angelorum, nuncupati Tlascalensis dioecesis, in humanis agens, pia devotione ductus, ut terrena in ecclesiastica, et transitoria in aeterna bona felici commercio commutaret, decreverat, quod de certa parte bonorum sibi a Deo collatorum in dicto oppido unum collegium, in quo pauperes virgines ad instar collegii in civitate Mexicana ad eum finem instituti, alerentur, fundaretur et dotaretur; ipseque Ioannes (qui postmodum condens de bonis suis in eius ultima voluntate testamentum collegium praefatum in omnibus eius bonis haeredem universalem instituit) ordinaverat, quod, ultra idem collegium, simul cum eo unum monasterium monialium ex proventibus ac bonis ipsius collegii, quae eius iudicio huic oneri sufficere videbantur, prout revera sufficiebant, ad omnipotentis Dei laudem, erigeretur et constitueretur; et

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Directioni et gubernio Senatus dicti oppidi commiserat.

deinde dictus Ioannes pro directione et gubernio huius tam pii et laudabilis operis ab initio dilectos filios senatum, rectorem et ipsosmet senatores dicti oppidi, uti collegii et monasterii construendorum huiusmodi patronos deputasset; attamen paucos post dies, existimans praefatum Didacum, necnon successores suos pro tempore existentes episcopos Tlascalenses huic muneri melius incumbere posse, senatum, rectorem ac senatores praefatos, quos in patronos prius adsciverat, revocaverat, ac illorum loco, pro provido gubernio collegii et monasterii construendorum huiusmodi, Didacum et successores suos episcopos Tlascalenses huiusmodi patronos et defensores nominavit; et insuper voluerat, quod idem Didacus episcopus omnimodam potestatem statuta, capitula, constitutiones et ordinationes condendi, praescribendi, utraque exequendi, quae ad directionem et gubernium eorumdem collegii et monasterii construendorum conducere iudicaret, et quae idemmet Ioannes in praecedentibus documentis illorum occasione editis, sibi reservaverat, haberet; necnon quod dictum monasterium numero duodecim monialium tantum constaret, ac etiam quod in earum receptione et ingressu virgines ex praefato collegio, quae se Deo dicare, idemque monasterium ingredi vellent, praeferrentur, praefatus Didacus episcopus, facultate sibi sic attributa utens imprimis, quod dictum monasterium monialium eidem collegio sic fundato contiguum, et incorporatum foret, adhaereretque parieti illius horti, videlicet in aedibus a via publica, quae dicitur a foro Porticu et Conca praedicti oppidi, ad plateam hospitalis Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, iuxta angulum confinem domui dilectorum filiorum haeredum quondam Ioannis Limiga existentibus ad hoc per dictum Ioannem fundatorem Cuentis [1], ac inibi aedificaretur domus sufficiens cum ecclesia, sacrario, choro superiori et inferiori, claustro, dormitorio, operatorio, novitiatu et reliquis omnibus officinis in similibus monasteriis et collegiis fieri solitis, et opportunis; quorum monasterii et collegii invocatio, titulus et denominatio esset *De Iesu Maria*. Ordo vero ipsius monasterii et regula, quam illius moniales observare deberent, Beati Hieronymi essent; denique moniales ad formam, normam et regularia instituta caeterarum dicti ordinis monialium, et illius generali subditarum, sed tamen sub obedientia et iurisdictione Ordinarii loci se accomodare deberent; ac tam monasterium erigendum, quam illius moniales huiusmodi septis et clausura congruenti, etiam ad invicem unirentur, itaut ne porta quidem aut ingressus eidem monialibus, ut ad dictum collegium accedere possent, permitteretur; quinimmo nullum cum virginibus collegio adscriptis commercium haberetur, nisi speciali licentia a Sede Apostolica desuper obtenta. Praeterea idem Didacus episcopus, attendens testatoris voluntatem et expressam dispositionem, videlicet, quod in dicto monasterio erigendo duodecim tantum adessent moniales, quae et proventibus, et bonis ipsius collegii ali deberent, prout istud onus eidem collegio imposuerat, statuit, ut de tempore, quo monasterium constructum, et debita clausura munitum, ac in illo moniales introducendae forent ex ipsis virginibus in huiusmodi collegio degentibus secundum ordinem et praelationem a dicto Ioanne fundatore praescriptam assumerentur, nisi religionem ingredi recusarent, quo casu aliae virgines pauperes et honestae et spectatae virtutis ad arbitrium patroni eligerentur; ut autem tolleretur occasio di-

Postmodum iurisdictioni et regimini episcopi Tlascalensis supposuit.

Titulum I. M. et S. Hieronymi regulam dedit.

Clausuram posuit.

Interdictio inter moniales et virgines collegii commercio.

Data ei facultate constitutiones pro eis condendi.

In monasterio duodecim moniales recipiendas esse iussit.

Et in eis recipiendis praelationem virginibus collegiis a se erecti tribuit.

Episcopus itaque locum monasterio designavit.

1 Editio Romana habet *sic*; nos legimus *emptis*. (R.T.).

scordiarum inter virgines collegio adscriptas, et Deo dicatas, seu moniales ratione portionis eisdem monialibus praestandae, voluit ipse Didacus episcopus, ut pro victu et vestitu ipsarum monialium, ac servis et ancillis, necnon medico, chirurgo et pharmacis, ac demum pro cera, vino et oleo ad cultum divinum necessariis, dilecti filii praefecti seu praesides dicti collegii pensionem annuam mille et quingentarum librarum monetae communis illarum partium, quae inibi vernacule *pesos de zipusque* vocatur, summam nonigentorum et viginti ducatorum auri de Camera, vel circa constituentium penderetur, dictaeque pensionis solutio quarto quoque mense pro eius rata fieret, ac ea mediante collegium praefatum nihil ultra monasterio et monialibus praedictis debeat. Caeterum quia iste duodecim monialium numerus ita exiguus videbatur, ut a tam paucis divina munia rite adimpleri nequirent, praesertim si e dicto numero tres moniales pro instructione, institutione et moderatione virginum in collegio praedicto existentium educerentur, ac in ipso collegio retinerentur; declaravit ultra et praeter istas duodecim moniales, aliquas alias honestas virgines in praedicti monasterii erigendi moniales admitti et recipi debere, soluta tamen certa pecuniarum quantitate in earum eleemosynam, ut moris est, aliis illarum partium monialium monasteriis; quandoquidem hac ratione istud monasterium erigendum huiusmodi subsidiis suffultum firmiori stabilitate subsistet. Ne tamen numerus monialium sic recipiendarum in immensum excresceret, indeque confusio, aut nimium gravamen monasterio erigendo inferretur, mandavit ut usque ad triginta duas moniales cum eleemosynis tantummodo admitterentur, quibus adiectis etiam illis duodecim, quae de bonis eidem collegio ad hoc a praedicto Ioanne fundatore relictis alentur, explebitur numerus quadraginta quatuor monialium, quarum quadraginta cum abbatissa seu priorissa, uti choro adstrictae, divinis officis continuo vacare poterunt, et reliquae tres moniales gubernio virginum collegiatarum praefectae earumdem institutioni vacabunt. Porro, quia dictum collegium tenebitur monialibus domum sufficientem et capacem subministrare, ipsaque domus pro habitatione dictarum triginta duarum monialium ultra eas, quas dictus Ioannes fundator destinavit, ampliari debebit, ne exinde eidem collegio gravamen inferatur ultra mentem et voluntatem Ioannis testatoris huiusmodi, idem Didacus episcopus, intuitu huiusmodi ampliationis aedificii, statuit et ordinavit, quod monasterio quatuor millia librarum dictae monetae iuxta taxationem et moderationem peritorum eidem collegio pendere debeat, ipsumque collegium hanc summam, ex pensione monialibus ut supra praestanda, per certa temporis spatia quolibet anno excomputare poterit; si vero contigerit ut monasterium ultra limites aedium ad hoc destinatarum ampliandum, ac proinde circumvicinae domus coemendae forent, ea cura monasterio erigendo et eius monialibus, non autem collegio huiusmodi incumbat. Ad haec omnia, quia a monasterio monialium Sancti Hieronymi Mexicanensis dicti Ordinis avocandae erunt sex moniales ad regularem observantiam in hoc novo monasterio erigendo introducendam, praecepit, ut istae sex moniales in numero earum duodecim, quas dictus Ioannes testator instituit, computentur; reliquae vero sex ex virginibus in eodem collegio existentibus assumantur, et adveniente obitu earumdem, statim de ipso obitu ad ipsas virgines denunciatio fiat, ut ex eis in mortuarum locum ad monasterium erigendum in

Pensionem a collegio monialibus solvendam statuit.

Alias triginta duas moniales induxit rationibus hic indicatis.

Aliaque constituit quae recensentur.

Forma in recipiendis novis monialibus servanda.

moniales, intra triginta dierum terminum transferri possint: quo quidem termino transacto, Ordinarius, uti patronus, locum seu loca vacationum, aliis virginibus, sive in praedicto collegio vivant sive non, ad praescriptum tamen praedicti Ioannis fundatoris, libere assignet. Verum ad huiusmodi vacationes in primis ea ratio habenda erit; ut virgines de parentela ipsius Ioannis fundatoris in collegio praedicto degentes, caeteris omnibus collegiatis praeferantur; quibus quidem virginibus de parentela Ioannis fundatoris huiusmodi existentibus religionem in eodem monasterio profiteri renuentibus, animadvertendum erit, an talis monialis defuncta ex conterraneis, seu compatriotis ipsius Ioannis fundatoris erat, et tunc alia conterranea sibi subrogetur; si vero ipsa defuncta ex civitate vel dioecesi Tlascalensis oriunda, aut alias qualificata fuerit, alia virgo, quae demortuae qualitatem habeat ac repraesentet, sibi substituatur, reclicta tamen patrono electione in eventum quod plures puellae concurrerent. Postremo, ut ipsae moniales erga praefatum Ioannem fundatorem eiusque memoriam gratas se exhibeant, constituit quod, ultra missas pro eius animae refrigerio ratione capellaniae aut alias celebrandas, eaedem moniales quatuor alias missas, quolibet anno, solemni ritu, adhibitis diacono et subdiacono, videlicet earum unam intuitu denominationis monasterii erigendi eiusmodi, et eam quidem ipsa dominica infra octavam Epiphaniae, ac cum concione, alteram vero post transfigurationis Dominicae festivitatem, tertiam quoque post festum S. Hieronymi, et quartam missas solemnes huiusmodi post commemorationem omnium defunctorum, et hanc quidem ultimam pro salute animae eiusdem Ioannis fundatoris, celebrari facere. Illae vero duodecim moniales, quae de bonis fundatoris alentur, qualibet hebdomada, in remedium animae ipsius Ioannis fundatoris, coronam Beatae Virginis Mariae, videlicet septies *Orationem Dominicam*, ac sexagesies et ter *Orationem Angelicam* recitare deberent; et haec quidem circa monasterium erigendum et moniales illud ingressuras. Quo vero ad collegium puellarum, idem Didacus episcopus, eiusdem Ioannis fundatoris voluntati inhaerendo, ista, quae sequuntur, capitula et ordinationes observari mandavit. Et primo quidem, ut in collegio solummodo virgines pauperes et orphanae ex patribus Hispanis ortae, non autem, ut vulgo fertur, *Mestizziae*, *Quarteronae*, aut *Mulatae*, neque coniugatae, aut viduae admittantur; et quando contingeret circa paupertatem istarum virginum haesitari, id arbitrio solius Ordinarii servato iuris ordine relinqueretur, ita tamen, ut diligenter attendi debeat, ne quod in subventionem pauperum destinatum est, ad divites deveniat; orphanas vero puellas eas voluit etiam intelligi, quae solo patre forent orbatae, subdens eas ante decennium expletum, vel post quam decimum quartum earum aetatis annum absolverint, recipi non debere, ipsas autem inibi spatio octo annorum et non ultra remanere, immo nec ante id tempus egredi voluit, nisi antea vel religionem ingredi vel nubere decreverint; atque interim quo in dicto collegio educabuntur, eisdem ultra victum, lectum et vestitum de bonis ipsius collegii praestabitur, ita tamen, ut omnibus idem sit vestiendi modus; utentur itaque muliebri tunica ex panno vel sago eius coloris, quo moniales ibi praepositae in earum palliis et scapulariis, seu capistris utentur, deferentque loricam ex panno lineo, necnon reticulum amictorium etiam lineum, quod sub mento applicetur, et donec decimum quartum annum exple-

Suffragia pro fundatoris anima per moniales explenda.

De collegio puellarum.

Qualitates admittendarum.

Tempus, quo ibi permanere debent.

Quae vestes.

verint; calceis non autem crepidis utentur, sed eis ex tunc crepidas et clamidem simplicem supradicti coloris gestare licebit. Et quamvis, habita ratione ad annuum redditum bonorum per ipsum Ioannem fundatorem relictorum, speretur quod in isto collegio usque ad viginti quatuor virgines ali poterunt, isteque numerus eidem collegio praefigatur; attamen quia pro aedificio collegii, nec non ecclesiae et monasterii eligendi huiusmodi complures sumptus faciendi erunt, statuit pariter quod, opere aedificii consumato, statim ab initio usque ad octavum annum, iste numerus viginti quatuor puellarum non adimpleretur, sed tantum quindecim, ex quibus sex in moniales monasterii erigendi huiusmodi destinabuntur; reliquae vero novem puellae ita erunt matrimonio collocandae, videlicet tres primae sexto, aliae vero tres septimo sequenti, et reliquae etiam tres puellae octavo annis nuptui tradantur. Porro eleemosyna erit quadringentarum librarum dictae monetae, dummodo tamen collegio et monasterio erigendo huiusmodi supersint redditus ad virginum et monialium substentationem sufficientes, et unicuique puellae, sive contrahat matrimonium, sive religionem profiteatur, dicta eleemosyna assignabitur, ac in ipsa assignatione, ratio antiquitatis cuilibet attendenda erit, nisi et aliqua causa impedire videretur, ut una vel plures virgines, totum tempus octo annorum in dicto collegio adimpleant; tunc enim, eis praetermissis, reliquis puellis subvenire licebit, dummodo ordo praerogativae seu successionis alioquin servetur, liberaque omnibus sui maneat potestas nubendi intra tempus suae collegiaturae; et quoties, ob hanc vel alias causas, loca admittendarum puellarum vacabunt seu vacua fuerint, rectorissa seu praeposita pro tempore existens collegii huiusmodi id Ordinario, uti patrono, denunciare tenebitur, ad hoc videlicet, ut per edictum ad ecclesiae cathedralis et ipsius collegii valvas vacatio omnibus innotescat, et peracto ab inde sexaginta dierum termino, novae virgines in collegium iuxta eiusdem Ioannis fundatoris praescriptum, recipi possint. Effluxis igitur istis octo annis, tres ex praedictis virginibus in collegio degentibus singulo quoque anno matrimonio collocabuntur, vel si magis eis ex voto sit, religionem ingredientur, assignata earum cuilibet eleemosyna quadringentarum librarum; earum autem virginum, quae nubent, maritus in dotali instrumento sub forma iuris validam obligationem praestare teneatur quod, si virgo sibi nupta absque filiis decesserit, totam eleemosynam collegio restituet; si tamen eveniret, ut aliqua ex dictis virginibus sic coniugatis eo paupertatis reducta foret, ut post eius obitum non suppeteret, unde impensa eius funeris fieret, tunc et eo casu, liceat marito superstiti ex eleemosyna usque ad centum libras eo nomine expendere; nec ipse maritus teneatur eidem collegio ultra trescentas libras remanentes restituere; quod quidem etiam circa praedictas novem virgines, quae ab initio matrimonio collocabuntur, servandum, ita tamen, ut unicuique suae prioritatis et antiquitatis ratio habeatur, et subsequenter ad maiorem oppidi et collegii praedictorum commoditatem et utilitatem praefatus Didacus episcopus etiam statuit ut, ultra numerum praedictarum virginum collegio adscriptarum, possint admitti et recipi aliae virgines honestae, quae se educationi praedicti collegii credere voluerint, dummodo pro earum alimentis, ad arbitrium dicti Ordinarii, quod iustum ei visum fuerit persolvant; quae quidem virgines, quamdiu voluerint, in ipso collegio degere possint; nullaque aetatis consideratio ha-

Numerus.

Dos unicuique danda.

Episcopus concessit ut aliae virgines in educationem ibi admittantur.

beatur, dummodo tempore, quo huic educationi se crediderint, septimum earum aetatis annum expleverint, habeantque et eis assignari debeat dormitorium a reliquis virginibus collegio praedicto adscriptis segregatum, in quo una ex tribus monialibus, quae illi pro tempore assistent, dormiet. Omnes quaeque istae virgines, sive adscriptae, sive educationis causa inibi admissae pro tempore, quo ibidem assignabitur, opus suum ad utilitatem ipsius collegii conferent, et si ultra hoc tempus illis remanserit, pro caeteris laborare poterunt; quodque eaedem virgines educandae in earum vestitu nigro colore, vel albo, aut fusco utentur, idemque vestitus debebit esse honestus non tamen sericis aut aureis utentur torculis in velaminibus ac vestibus, considerantes se in religiosarum domo, honeste et moderate in omnibus praebere debere. Haec autem omnia rectorissa seu praeposita collegii huiusmodi pro sua prudentia moderetur. Quod si contigerit ut aliqua virgo collegio praefato adscripta in aliquo excesserit, vel tale crimen commiserit ut expelli, iureque collegiaturae privari debeat, ea, causa cognita et examinata, in iudicio subiaceat; plenior tamen occasio [1] in virgine solius educationis causa in eodem collegio commorante sufficiat, ut ab inde expellatur; sed omnibus virginibus aequalis erit ratio, si aliqua infirmitate contagiosa laboraverit, quae communitati nociva videatur. Quia autem perutile et necessarium est, ut virgines sub clausuris et septis alantur; praedictus Didacus episcopus similiter decrevit, ut puellae eidem collegio adscriptae toto tempore, quo in eo resederint, clausuram servent, nec eis ab eo, nisi nubendi causa, egredi liceat, et si quae clausuram violaverit loco suo privetur, et altera virgo in eo subrogetur; caeterae quoque virgines eamdem clausuram servabunt, nec eis nullatenus egredi licebit, nisi aliqua graventur infirmitate, quo casu, recuperandae salutis causa, ad domos parentum aut propinquorum, sub quorum cura fuerint, se recipere licebit; id ipsum quoque in ancillis et famulabus collegii huiusmodi observetur, quibus non permittetur egredi vel ingredi septa dicti collegii, nisi de illius patroni pro tempore existentis expressa licentia. Ut autem virgines praefatae commodius instituantur tam in his, quae ad rei [1] cultum et bonos mores spectant, quam etiam ad exteriorem urbanitatem (quandoquidem hoc ipsum verbis et operibus docere oporteat, ac perfectius et sine pretio aliquo tam ab ipsi monialibus, quam saecularibus mulieribus ibidem id exequi poterit) praefatus Didacus episcopus praecepit quod, obtenta prius ab Apostolica Sede desuper licentia, cura et regimen totius collegii huiusmodi tribus monialibus ex monasterio erigendo ad arbitrium et electionem patroni assumendis commendetur; quarum quidem monialium prima collegio praedicto praesideat, et in eo primum obtineat locum, ac rectrix vocetur; altera sit ianitrix et turnaria; tertia vero monialis huiusmodi, uti omnium viginum magistra, eas legere, scribere, cantare et laborare docebit; ac etiam quod omnes, pro arbitrio patroni, collegio huiusmodi assistent, ac ab ipso mutari et removeri poterunt, prout in Domino duxerit salubriter expedire, ita tamen, ut ad hunc effectum moniales etiam ex civitate Mexicanensi transferri facere, vel ex isto monasterio erigendo assumere, immo etiam quartam monialem, si opus fuerit, addere valeat, idque obtenta ab eadem Sede licentia; quae si ab initio aut alias impetrari nequeat, tunc huic muneri ma-

Modus corrigendi expellendique culpabiles.

Clausura etiam in collegio servanda.

Cura collegii tribus monialibus demandata.

Earum officium quale esse debeat.

1 Forte *lenior tamen causa* (R.T.).

1 Legimus *Dei*. (R.T.)

tronas saeculares spectatae virtutis, nominis et probitatis, ac quadragesimum suae aetatis annum paulo plus vel minus agentes, praeficere licebit. Postremo ex quo dictus Ioannes fundator in eius testamento statuit, ut si eius cadaver in maiori ecclesia dicti oppidi sepeliretur, illud ad ecclesiam collegii huiusmodi, postquam aedificata foret, trasferretur, idem Didacus episcopus piae eius voluntati inhaerens, ordinavit quod statim ac ecclesia sic aedificanda, ad hoc idonea videretur, eadem voluntas exequutioni demandaretur; in tumulum vero ac sepulturam praedicti Ioannis fundatoris primum sacellum ecclesiae nulli alteri deinceps concedendum concessit et assignavit, volens ut in eo illius bustum luctuosum collocetur, quod mandavit operiri ferialibus nigro panno vulgari, festivis vero et solemnibus diebus alio panno, etiam nigro, sed sericeo, ex redditibus bonorum collegii huiusmodi emendo; cuius quidem collegii virgines tam adscriptae, quam educationis causa in eo degentes, missam solemnem singulo quoque anno pro salute animae Ioannis fundatoris huiusmodi celebrari facient, eidemque missae, prout edoctae fuerint, ministrabunt, et eam quidem ultra eam quam moniales celebrare tenebuntur altera die post commemorationem defunctorum. Ad has porro missas celebrandas collegium praefatum suppeditabit sex cereos, seu faces, super dicta sepultura accendendos; rursus istae virgines adstare debeant supradictis quatuor missis solemnibus, quarum celebrationis cura monialibus quot annis incumbit, ac interim Deum pro salute animae Ioannis fundatoris huiusmodi deprecabuntur; ultra quod unaquaeque ex eisdem virginibus eidem collegio adscriptis singulis hebdomadis, saltem semel, coronam Sacratissimae Virginis Mariae, scilicet sexagesies et ter *Orationem Angelicam,* et septies *Orationem Dominicam* recitare debebit, necnon, ut omnes virgines, tam moniales quam aliae in praedicto collegio degentes, singulis diebus missam audire possint, praeter illas quatuor missas ratione capellaniae per praefatum Ioannem fundatorem in ipso collegio institutae, aliae tres missae, videlicet duae pro salute animae Ioannis fundatoris huiusmodi, tertia dominicis diebus pro toto conventu et collegio celebrabitur, ac intuitu celebrationis earumdem trium missarum, certa eleemosyna ex bonis ipsius collegii, ad arbitrium illius patroni, sacerdoti seu sacerdotibus, qui eas celebraverint et ibidem sacramenta ecclesiastica ministraverint, erogabitur.

Ioannis fundatoris cadaver ad collegii ecclesiam transferendum, et suffragia eius animae a puellis persolvenda.

Missa in eadem ecclesia singulis diebus celebranda.

§ 2. Quare pro parte Didaci episcopi nobis fuit humiliter supplicatum quatenus statutis, constitutionibus, capitulis, ordinationibus et decretis, aliisque praemissis robur apostolicae confirmationis adiicere, ac iuxta illorum praescriptum collegium et monasterium monialium huiusmodi erigere et instituere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Tlascalensis episcopus praedicta omnia petit confirmari.

§ 3. Nos igitur, qui religionem ubique, ac singulorum christifidelium devotionem, pietatis quoque et virtutum opera, nostris potissimum temporibus, propagari sinceris exoptamus affectibus, eumdem Didacum episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, nec non testamenti et codicillorum per dictum Ioannem testatorem tenores etiam veriores et datas, nec non bonorum per eum relictorum

Confirmat Clemens.

situationes, qualitates, quantitates verosque etiam annuos valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula statuta, constitutiones, capitula, ordinationes, decreta aliaque praemissa, apostolica auctoritate tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, quos illa concernunt et concernent quomodolibet in futurum, ad illorum observationem teneri et obligatos existere, ac omnibus iuris et facti remediis cogi et compelli posse, decernimus; supplentes omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui quomodolibet intervenerint in eisdem.

Erigit itaque collegium atque monasterium de quibus in rubrica.

§ 4. Et insuper ad formam, normam et praescriptum statutorum, constitutionum, capitulorum, ordinationum et decretorum huiusmodi in praefato oppido unum collegium virginum, unumque dicti Ordinis monasterium monialium sub eadem denominatione *Iesus Maria* cum ecclesia et campanili humili, ac campanis, necnon sacrario, coemeterio benedicto, dormitorio, refectorio, claustro, hortis, hortalitiis et aliis officinis necessariis pro usu et habitatione virginum et monialium, ut supra, recipiendarum et admittendarum (quae praemissa omnia exequi, et adimplere, ac moniales ipsae regularibus dicti Ordinis instituti se conformare debeant, ac tam illae, quam reliquae virgines inibi sub iurisdictione, cura, visitatione et correctione Ordinarii loci, etiam uti collegii et monasterii construendorum huiusmodi patroni, Altissimo famulentur), auctoritate et tenore praefatis, sine alicuius praeiudicio, etiam perpetuo erigimus et instituimus.

Bona a Ioanne fundatore donata, caeteraque

§ 5. Illisque sic erectis et institutis pro eorum dote omnia et singula a dicto Ioanne fundatore ad hunc effectum relicta bona, proprietates et iura, nec non pia subsidia per pro tempore inibi recipiendas virgines et moniales, aliosque christifideles ibidem elargienda, eroganda et donanda, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo applicamus et appropriamus.

in posterum acquirenda, eis applicat.

§ 6. Nec non collegio et monasterio construendis huiusmodi, illorumque ecclesiae, seu capellae, ac in illis pro tempore degentibus virginibus, abbatissae, monialibus illisque servientibus, ac etiam eorum rebus, iuribus et bonis universis praesentibus et futuris, omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeminentiis, favoribus, praerogativis, concessionibus, indultis, indulgentiis etiam plenariis ac peccatorum remissionibus, ac aliis universis gratiis spiritualibus et temporalibus, quibus alia similium virginum collegia, necnon monasteria dicti Ordinis, ac eorum ecclesiae, et in eis degentes virgines, abbatissae et moniales, illisque servientes, ac eorum iura, res, actiones et bona de iure, statuto, usu, consuetudine, privilegio, ac alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pariter et pariformiter, ac aeque principaliter, et absque ulla prorsus differentia, in perpetuum etiam uti libere et licite possint, auctoritate apostolica et tenore praedictis, de speciali gratia indulgemus.

Omnia privilegia concedit, quibus caetera eiusdem Ordinis monasteria domusque fruuntur.

§ 7. Ac insuper ut collegii et monasterii construendorum huiusmodi prospero regimini et gubernio ac directioni opportune consulatur, dictique Ioannis fundatoris voluntati satisfiat, praefatum Didacum modernum, ac pro tempore existentem episcopum Tlascalensem et, sede episcopali vacante, dilectum filium vicarium a dilectis filiis Capitulo Tlascalensi

Tlascalensis episcopum monasterii patronum deputat etiam cum facultate nova condendi statuta.

rite deputandum in patronum et spiritualem defensorem eorumdem collegii et monasterii construendorum, cum omnibus et singulis facultatibus ad id necessariis et opportunis, ac etiam solitis et consuetis, aeque perpetuo, auctoritate et tenore similibus, constituimus et deputamus, sibique ultra praedicta, quae ab eis, etiam inviolabiliter observari debeant, quaecumque alia statuta, ordinationes, capitula et decreta ad collegii et monasterii constituendorum praedictorum, nec non eorum personarum, rerum et bonorum spiritualium et temporalium curam, regimen, gubernium et administrationem, victum, amictum, instructionem et disciplinam virginum, abbatissae et monialium in illis pro tempore degentium circa modum et formam recitationis divinorum officiorum, precum, orationum et aliorum suffragiorum pertinentia, ac alias necessaria et utilia, ac sacris constitutionibus, decretisque Concilii Tridentini, et institutis regularibus praedicti Ordinis, ac etiam statutis superius expressis non contraria faciendi et edendi, ac quoties pro rerum et temporum qualitate, seu alias expediens videbitur, illa immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, ac etiam alia ex integro condendi.

Hac prima vice sex monniales ex aliis monasteriis selectas illuc introducendi;

§ 8. Nec non pro monialium in dicto monasterio construendo noviter introducendarum felici directione, ac in ritu, moribus etiam, regularibus institutis, instructione sex eiusdem S. Hieronymi, si id commode fieri poterit, alioquin alterius Ordinis regularis observantiae moniales, quas ad id voluntarias repererit, ex unò vel pluribus, etiam civitatis Mexicanensis, aut aliis monasteriis, hac prima vice, seu necessitate ad hoc urgente semel, atque iterum de superiorum suorum licentia assumendi et in monasterio per praesentes erecto, ita ut illae ibidem se transferre, ac perpetuo vel ad tempus eidem Ordinario loci benevisum permanere, et si alterius Ordinis fuerint, se in habitu et regularibus institutis eiusdem ordinis S. Hieronymi conformare possint et debeant, introducendi; pro doctrina vero, institutione, educatione, nec non directione morum ac gubernio virginum in dicto collegio pro tempore degentium tres moniales, aetate, moribus et rerum peritia conspicuas, ex monasterio per praesentes erecto, postquam illud sufficienti monialium numero fulcitum fuerit, in idem collegium, ubi illae ex tunc quoad vixerint, seu ita Ordinario loci expedire visum fuerit, resideant, ac praedictis virginibus ipsique collegio, una videlicet pro rectrice, altera vero pro magistra, et tertia pro assistente, ac alias iuxta praescriptum dictorum statutorum possint, introducendi, et eis seu earum aliqua, vel aliquibus decedentibus, vel ad monasterium ipsum redeuntibus, alias illius moniales eorum loco sufficiendi, caeteraque omnia alia et singula ibidem faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, procurandi et exequendi, quae similes patroni, et etiam generales ministri, aliique superiores quorumcumque Ordinum in monasteriis monialium sibi subiectis de iure vel consuetudine, seu ex privilegio, vel auctoritate dicti concilii, ac alias quomodolibet facere, gerere, exercere, procurare et exequi possent et poterunt quomodolibet in futurum, plenam, liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem itidem, auctoritate et tenore similibus, etiam perpetuo concedimus et elargimur; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari etiam decernimus.

Et tres in collegium puellarum.

Caeteraque omnia faciendi quae aliorum Ordinum superiores suis in monasteriis facere possunt.

§ 9. Postremo ad augendam tam virginum collegii et monialium monasterii

Indulgentias ecclesiae seu

capellae monasterii, *etc.*, applicat.

construendorum huiusmodi, quam caeterorum fidelium religionem, devotionem et animarum salutem, eisdem virginibus et monialibus, quae vere poenitentes et confessae, ac sacra communione refectae, collegium et monasterium praedictum ingredientes die prima earum ingressus, ac tam illis, quam universis et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui collegii et monasterii praedictorum ecclesiam seu capellam, postquam constructa et consecrata fuerit, tam ipsius consecrationis, quam deinceps in dominicae infra octavam Epiphaniae et S. Hieronymi, ac S. Paulae festorum diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis singulorum dierum festorum huiusmodi, annuatim devote visitaverint, ac inibi pro nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis felici statu ac S. R. E. exaltatione, illiusque inimicorum depressione, infidelium conversione, haeresum extirpatione, ac inter principes christianos ineunda et conservanda pace, concordia et unione, vel alias, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, quocumque ex diebus praedictis id pro tempore fecerint, plenariam omnium et singulorum peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino, auctoritate et tenore praefatis, pariter perpetuo etiam concedimus et elargimur.

Praesentium exequutores deputat.

§ 10. Quocirca dilectis filiis curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, necnon decano et archidiacono ecclesiae Tlascalensis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Didaci episcopi, et pro tempore existentium patronorum praedictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem litteras, et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, ac Didacum episcopum, et pro tempore existentes patronos praefatos illis pacifice frui et gaudere; non permittentes ipsos, vel eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit.

§ 11. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium vocetur; seu quod iudices a Sede Apostolica deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant vel praesumant; ac in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasteriorum et Ordinis huiusmodi iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem monasteriis et Ordini, ac illorum monialibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis

etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis quomodolibet, etiam per nos et Sedem eamdem concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem; et quibusvis aliis privilegiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem quod si aliqua alia indulgentia fuerit per nos eidem ecclesiae seu capellae concessa, litterae ipsae quoad indulgentiam huiusmodi sint nullae, nulliusque valoris et momenti existant. Et insuper ex nunc etiam irritum decernimus et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae poenales.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum absolutionis, approbationis, confirmationis singulorum decretorum, suppletionis, erectionis, institutionis, applicationis, approbationis, indulti, constitutionis, deputationis, singularumque concessionum, elargitionum, mandati, derogationis, voluntatis praedictorum infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, nono kalen. martii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 21 februarii 1597, pontif. an. VI.

CLI.

Collegiales collegii medicorum civitatis Mediolanensis creantur comites palatini et Auratae militiae equites[1].

Dilectis filiis doctoribus philosophiae ac medicinae collegii civitatis Mediolanensis

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii,

salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Romanus Pontifex gratiarum suarum dona illis libenter impertiri consuevit, quorum pietas et religio, singularisque in Apostolicam Sedem fides et devotio nota et perspecta est.

Collegiales iuxta statuta experimentum nobilitatis, et doctrinae facere tenentur.

§ 1. Sane, cum, sicut accepimus, ex dispositione statutorum vestri collegii, quae antiqua sunt, quicumque in illud admitti petierit, antequam recepiatur, suae familiae in civitate Mediolanensi nobilitatem et antiquitatem, saltem a centum viginti annis, et ipsum aut eius parentes artem aliquam vilem nunquam exercuisse, probare teneatur, super quibus diligenter et accurate inquiri consuevit: et praeterea pietatem christianam tenere, et catholicae

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

fidei cultum profiteri, doctrinam vero publicis aliquibus experimentis, ut puta, disputationibus, manifestare et ostendere debeant; cumque propterea collegium vestrum inter caetera philosophiae et medicinae doctorum Insubriae collegia valde insigne, et illis quodammodo exemplar esse videatur, et ulterius vos magno erga Apostolicam Sedem fidei et devotionis studio teneamini:

Comites Lateranenses et Auratae Militiae equites creantur.

§ 2. Idcirco idem vestrum collegium ac vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus vestro nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, vos universos et singulos, ac quoscumque alios, qui posthac perpetuis futuris temporibus in idem vestrum collegium admittentur, ex nunc sacri palatii apostolici et aulae Lateranensis comites et Auratae Militiae equites, auctoritate apostolica, tenore praesentium, sine tamen alicuius personae vel alterius cuiusvis collegii praeiudicio, creamus, facimus et deputamus, ac aliorum palatii et aulae praedictorum comitum, et Auratae Militiae equitum huiusmodi numero et consortio favorabiliter aggregamus, ita ut vos ex nunc, futuri vero collegiales vestri collegii, eo ipso, quo in collegium huiusmodi admissi fuerint, palatii et aulae huiusmodi comites et equites Auratae Militiae, veri non ficti, in perpetuum exi-

Cum privilegiis.

statis, ac omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, exemptionibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus alii palatii et aulae comites et Auratae Militiae equites huiusmodi de iure et consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum (citra tamen facultates et exemptiones a Concilio Tridentino sublatas) pariformiter sine ulla prorsus differentia, uti, frui, potiri et gaudere possitis. Necnon ut moderni et pro tempore existentes dicti collegii abbates in perpetuum, eorum officio durante, torquem aureum cum effigie, nec non insigniis pontificiis, ac gentilitiis domus nostrae, sine pariter alicuius personae vel collegii praeiudicio, deferre; vos vero, ac praedictum vestrum collegium vestimentorum, quibus bidelli induuntur, rubrum, vel alium colorem honoris causa arbitrio vestro eligendum libere et licite [1] valeatis, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Insigniis,

Et veste propria

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus, statutis quoque et consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII februarii MDXCVII, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 23 februarii 1597, pontif. an. VI.

CLII.

Commissio archiepiscopo Valentinensi et Episcopis Dertusensi, Segobricensi et Oriolensi erigendi dotandique parochias, in quibus Mauri ad christianam fidem conversi commorantur, referendique Apostolicae Sedi pro rerum gestarum confirmatione obtinenda [2].

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Valentinensi et episcopis Dertusensi, Segobricensi et Oriolensi

Clemens Papa VIII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus

Necessitas do-

1 Superadde *deferre* vel quid simile.

2 Ex Regest. in Secret. Brevium. Haec constitutio in *Appendice* editionis Mainardi reperitur sub numero CCCLXXI. (R.T.)

tandi parochias erectas et erigendas.

Hispaniarum rex catholicus, quod licet pro instructione Moriscorum, seu a Mauris ad christianam fidem iamdudum conversis descendentium regni Valentiae alias complures iam fuerint in eodem regno parochiales ecclesiae et vicariae erectae et dotatae, etiam vigore litterarum felicis recordationis Gregorii Papae XIII, praedecessoris nostri, die XVI iulii MDLXXVI, ac XXX augusti mensium MDLXXVII annorum Domini in forma brevis expeditarum. Quia tamen pro meliori ac commodiori eorumdem Moriscorum, seu noviter conversorum, eorumque descendentium in catholica fide et doctrina educatione et institutione expedit alias itidem de novo erigere, et dotare parochiales ecclesias, et vicarias in vestris dioecesibus, ac praesertim Dertusensi, Segobricensi et Oriolensi, ac iam erectas, et minus congrue dotatas, dotibus seu redditibus, et proventibus augere, prout fraternitates vestrae, vel ad id per eas deputandae personae idoneae magis opus et expediens esse cognoverint; idcirco idem rex nobis humiliter supplicari curavit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur pium eiusdem Philippi regis zelum plurimum in Domino commendantes, ac quarumcumque eiusdem Gregorii praedecessoris, et aliarum desuper forsan expeditarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem fraternitatibus vestris, apostolica auctoritate nostra, tenore praesentium, committimus et mandamus, quatenus quilibet vestrum in suis respective dioecesibus, terris et locis, in quibus Morisci, seu a Mauris descendentes praedicti inhabitant, ubi parochiales ecclesiae, seu vicariae nondum erectae sunt, et alias erigere, dotare, dividere, seu dotes adaugere et fundare oportebit, seu expedire visum fuerit, erectiones, fundationes, divisiones, distinctiones, applicationes, taxas et taxationes, dotationes dotiumque iam factarum et tributarum, ac reddituum et proventuum adauctiones huiusmodi, sive iuxta earumdem Georgii praedecessoris litterarum formam, sive iuxta aliam, per vos simul vel seorsim faciendi et prescribendi, prout vobis magis et melius expedire videbitur, designetis et particulariter specificetis, illasque sic designatas et specificatas, ac in scriptis diligenter redactas, ad nos, et hanc sanctam Apostolicam Sedem transmittatis, ut quod magis ad Dei laudem, et ipsorum Moriscorum, seu noviter conversorum instructionem et utilitatem, ac aliarum ecclesiarum indemnitatem spectare cognoverimus, statuere, decernere et ordinare valeamus.

Necessariarum facultatum concessio.

§ 3. Dantes et concedentes vobis in praemissis omnibus et singulis, auctoritate nostra praedicta, plenam et liberaram facultatem et potestatem.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII februarii MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 28 februarii 1597, pontif. an. VI.

CLIII.

Erectio domus ad ecclesiam S. Mariae de Scala in regione Transtyberim de Urbe pro fratribus Carmelitis Discalceatis Italiae; quae quidem domus una cum conventu S. Annae et monasterio monialium Ianuensium disiunguntur a Congregatione Hispanica eiusdem Ordinis, et immediate Romano Pontifici subiiciuntur [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sacrarum religionum in Ecclesia Dei pie sancteque institutarum propagationem et incrementum sincero desiderantes affectu, ea libenter concedimus, quae ad propagationem et incrementum huiusmodi salubriter in Domino conspicimus expedire.

Causae concedendae domus, de qua in rubrica.

§ 1. Sane cum in Italia, praeter monasterium seu collegium S. Annae Ianuensis, nullum aliud extet monasterium, neque conventus aut domus Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum nuncupatorum, qui Ordo ad primitivae regulae Ordinis Carmelitarum praescriptum in regnis Hispaniarum institutus, sanctitatis fama redolet, ac suaves in vinea Domini, ad populorum eius salutem et spiritualem consolationem, fructus affert; cumque si in alma Urbe nostra alia eiusdem Congregationis domus erigeretur, magnos propterea fructus ad Dei laudem et animarum salutem inde proventuros esse sperandum sit:

Concessio.

§ 2. Nos Ordinem ipsum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et quorumcumque privilegiorum, indultorum, concessionum et gratiarum, tam spiritualium quam temporalium eidem Ordini Fratrum Carmelitarum, etiam per modum communicationis et extensionis, ac alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores nostros, ac nos et Sedem Ap. concessorum, ac litterarum apostolicarum desuper expeditarum, tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus dilecti filii nostri Dominici tituli S. Grysogoni presbyteri cardinalis Pinelli nuncupati, totius Ordinis Fratr. Carmelitarum apud nos et Sedem Ap. protectoris, inclinati, unam Congregationis praedictae Fratrum Carmelitarum Discalceatorum domum in urbe praedicta in Ecclesia S. Mariae de Scala, in regione Transtyberim sita, vel in alia Ecclesia, in quacumque urbis regione posita, per ipsos obtinenda, ad Dei laudem et ipsius Congregationis propagationem, separatam tamen et divisam, ut infra, a praedicta Congregatione Hispaniarum, perpetuo, auctoritate apostolica, tenore praesentium, erigimus et instituimus, ac in ipsa domo, Ordinem Fratrum Carmelitarum Discalceatorum perpetuo introducimus, ac ipsius domus pro tempore religiosis in perpetuum, ut habitu et regula, atque institutis praefatae Congregationis Hispaniarum, citra tamen illius subiectionem, in omnibus et per omnia se se conformare, ac illius statutis et constitutionibus per nos sub die XXIX februarii anni MDXCII, pontificatus nostri anno primo, confirmatis, necnon quibuscumque privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, praerogativis, favoribus, indulgentiis et aliis gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, supradictae Hispaniarum Congregationi, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem praedictam quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis, aut alias quomodocumque concessis, confirmatis et innovatis, uti, ac frui et gaudere; perinde ac si eidem domui per nos erectae, eiusque futuris religiosis nominatim concessae fuissent, possint et valeant, ac debeant, concedimus et indulgemus, ac mandamus, statuimus et ordinamus.

Communicatio privilegiorum, quibus gaudet Congregatio Hispanica.

Exemptio eiusdem domus collegii S. Annae, et monasterii monialium de Iesu Maria Ianuensis a superioritate praepositi generalis dictae Congregationis Hispaniarum.

§ 2. Eamdem tamen domum, necnon etiam praedictum monasterium seu collegium S. Annae Ianuensis, necnon monasterium monialium *De Iesu Maria* nuncupatum, eiusdem Ordinis civitatis etiam Ianuensis, cum omnibus iuribus et pertinentiis eorum, ex nunc ab omni subiectione, obedientia, superioritate et dependentia praepositi generalis et consultae, ac caeterorum religiosorum Congre-

gationis praedictae Hispaniarum, posthac perpetuo eximimus, separamus et segregamus, ipsamque domum urbis, et collegium seu monasterium Sanctae Annae, ac monasterium monialium *De Iesu Maria* Ianuensis praedicta invicem unimus et incorporamus.

Et ab eadem Congregatione separatio.

§ 4. Eaque a Congregatione Hispaniarum praedicta, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, separata et seiuncta esse, itaut Congregatio praedicta in ea nullam habeat iurisdictionem, superioritatem aut actionem, nec ulla inter eos communicatio sit aut esse censeatur, neque in capitulis, electionibus, aut aliis quibuscumque actibus tam publicis quam privatis ipsius Congregationis fratres in domo et monasterio seu collegio praedictis, nec vicissim, domus et monasterii vel collegii praedictorum fratres in Congregatione praedicta vocem activam et passivam habeant, aut aliquo modo se intromittant, domumque Urbis praefatam et collegium seu monasterium Sanctae Annae, necnon monasterium monialium *De Iesu Maria* Ianuensis, nobis et Apostolicae Sedi immediate subiecta, sub protectione dicti Dominici cardinalis, quamdiu vixerit, absque alia dependentia, subiectione et subordinatione aliorum quorumcumque tam Ordinis Carmelitarum, Mitigatorum nuncupatorum, quam etiam aliorum Carmelitarum Discalceatorum ubicumque, tam in Italia, quam extra, in quacumque mundi parte existentium, existere et esse, ac fore; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus et declaramus.

Statuta nonnulla ad excludendam quamcumque Congregationis Hispanicae ingerentiam in monasteriis Italiae.

§ 5. Caeterum, ut pax, quae religiosos maxime decet, in hisce Congregatione ac domo et collegio, et seu monasteriis praefatis praecipue servetur, auctoritate et tenore praedictis, statuimus et ordinamus, ac in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut nullus eorum religiosorum per se, vel interpositam personam, Congregationis seu domus et monasterii vel collegii huiusmodi vicissim religiosos aliquo modo molestare, perturbare vel inquietare, aut in illorum visitationem, correctionem et reformationem sese quoquomodo immiscere, aut alia, quae ad iurisdictionem, vel superioritatem aliquam attinent, attentare, ac Congregationem praefatam ac domum et collegium ac monasteria huiusmodi, quae omnino separata et distincta esse volumus, praesumat. Nullus quoque huiusmodi religiosus de Congregatione Hispaniarum ad domum seu collegium, nec vicissim de domo et collegio praefatis ad Congregationem praefatam se transferre, neque Congregationis fugitivus vel expulsus aut apostata in domo vel collegio, nec vicissim domus et collegii praedictorum, in Congregationem praedictam admitti et recipi valeat; quod si secus, scienter vel ignoranter fieri contigerit, translatio, receptio et admissio huiusmodi nullius roboris vel momenti existat, et ipse receptus statim eiici debeat; religiosi quoque domus et collegii praedictorum Congregationis Hispanicae, illiusve provinciarum, conventuum, aut singularium personarum negotia in Romana Curia, vel alias sine licentia praepositi generalis et definitoris, seu consultae ipsius Congregationis Hispaniarum, tractare, aut religiosos eiusdem Congregationis Hispaniae sine huiusmodi licentia huc venientes in eorum domibus recipere non possint.

Cardinali Pinellio commissum monasteriorum Italiae regimen.

§ 6. Quia vero nonnulla praedictae religionis Carmelitarum Discalceatorum statuta per Sedem Apostolicam, ut praefertur, confirmata, praecipue ea, quae gubernii modum respiciunt, in domo et collegio monasteriisque praefatis nequeunt

observari, et multa quoque pro diversitate locorum, prout ratio postulat, expedit statui et ordinari; propterea nos praedicto Dominico cardinali protectori, ut adhibitis aliquibus ex gravioribus et prudentioribus dicti Ordinis fratribus, nunc in Italia existentibus per ipsum eligendis, re mature considerata, circa domus Urbis praefatae, per nos erectae, ac collegii seu monasterii Sanctae Annae, et monasterii monialium *De Iesu Maria* Ianuensis regimen et gubernium, omnia disponere, constitutiones praedictas, iuxta tamen dicti Ordinis instituta, declarare, et in iis, in quibus opus fuerit, addere, imminuere aut etiam mutare, ac alia de novo condere, prout in praefatis omnibus, secundum Deum, pro strictiori regulae observantia, magis conspexerit expedire: concedimus quoque, et indulgemus ut, de licentia ipsius Dominici cardinalis, novitii pro nunc extra capitulum, capta informatione, et approbata per vota secreta capituli domus, in qua recipi debent, de licentia tamen dicti Dominici cardinalis, seu nostra, ad habitum praedicti Ordinis recipi et admitti valeant.

Clausulae pro huius constitutionis firmitate.

§ 7. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel de quocumque alio defectu, etiam ex eo quod omnes interesse habentes vocati non fuerint, notari, argui, impugnari, aut ad terminos iuris, seu in ius vel controversiam revocari posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii Papae octavi praedecessoris nostri, qua cavetur expresse, ne qui fratrum Mendicantium professores loca ad inhabitandum recipere, seu recepta mutare audeant aut praesumant, absque dictae Sedis licentia speciali, de prohibitione huiusmodi expressam mentionem faciente, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon erectionibus dictorum monasteriorum Sanctae Annae et *De Iesu Maria*, ac etiam ipsorum fundationibus, et bonorum ubivis locorum existentium dotationibus, in quibus fortasse cavetur, ut bona dictorum monasteriorum, vel aliquorum ex ipsis, ipsorum monasteriorum sint, si et quatenus eadem monasteria sub superioritate praepositi generalis et consultae Congregationis regnorum Hispaniarum existant, et dicti Ordinis iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Volumus autem quod praesentium transumptis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Fides danda transumptis.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XX martii MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 20 martii 1597, pontif. an. VI.

CLIV.

Concessio ecclesiae sanctorum Quadraginta Martyrum de Urbe in regione Pineae confraternitati stigmatum Sancti Francisci [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. In his nostrae auctoritatis partes pro nostra pastorali sollicitudine libenter interponimus, per quae ecclesiarum almae Urbis nostrae decori et ornamento, ac eorum parochianorum animarum curae, simulque confraternitatum christifidelium pie institutarum commoditati salubriter in Domino providetur.

De consilio congregationis visitationis, § 1. Cum itaque in visitatione parochialis ecclesiae Ss. Quadraginta Martyrum regionis Pineae de Urbe per praelatos visitationis nostrae apostolicae nuper factae, ipsis visitatoribus expedire visum fuerit, ut animarum parochianorum cura a praedicta parochiali ecclesia ex rationabilibus causis perpetuo abdicaretur, et ad vicinas ecclesias infrascriptas transferretur; ac ecclesia praedicta Sanctorum Quadraginta confraternitati stigmatum Sancti Francisci nuper dilectorum filiorum nostri Bartholomaei diaconi cardinali Coesii, et nobilis viri Federici etiam Coesii, ducis Aquae Spartae, fratrum germanorum opera in Urbe praedicta pie institutae, perpetuo concederetur.

Cura animarum in hac ecclesia supprimitur; § 2. Nos in praemissis, ut par est, auctoritatem nostram interponere volentes, ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine, curam animarum dilectorum filiorum parochianorum eiusdem ecclesiae Sanctorum Quadraginta Martyrum ab eadem ecclesia perpetuo separamus, dismembramus et abdicamus, atque supprimimus, atque curam animarum huiusmodi inter ecclesias etiam parochiales Sanctae Luciae ad *apothecas obscuras* nuncupatae, Sancti Stephani *del Cacco* vulgo nuncupati, ac Sanctae Mariae de Monterone perpetuo dividimus et distribuimus hoc modo; domus nimirum, quae in via recta, quae tendit ad ecclesiam clericorum Societatis Iesu, in platea Alteria nuncupata consistunt, dictae Ecclesiae Sanctae Luciae: domus vero, quae sunt secus viam, ante nimirum dictam ecclesiam Sanctorum Quadraginta, et quae . . . . eidem ecclesiae Sanctorum Quadraginta supradicti S. Stephani; reliquas autem tres domos e regione seu conspectu praedictae ecclesiae Sanctorum Quadraginta positas, incipientes ab arcu seu fornice Mutinorum ad viam rectam ad Caesarinos tendentem, Sanctae Mariae de Monterone respective cum eorum habitatoribus pro tempore perpetuo pariter concedimus et assignamus; ac domos supradictas, sicut praemittitur, designatas reliquis earumdem ecclesiarum parochiis in perpetuum unimus et incorporamus. Aliisque ecclesiis unitur iuxta divisionem hic statutam.

Fructus, qui praesenti rectori ad sui vitam reservantur, § 3. Fructus tamen, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque supradictae olim parochialis ecclesiae Sanctorum Quadraginta (non tamen incerta ex exercitio curae animarum provenientia) una cum habitatione domorum eiusdem ecclesiae dilecto filio Gabrieli Marescotto moderno ipsius ecclesiae rectori, quoad vixerit, reservamus, illumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta praedicta propria auctoritate, ut prius, percipere, exigere et levare, ac usu et habitatione praedictarum domorum frui et gaudere, nec desuper a quoquam quavis auctoritate molestari, perturbari, vel inquietari posse decernimus. Post illius vero obitum fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta huius-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Post eius mortem, ut hic, dividendi.

modi ex nunc prout ex tunc, et e contra, in duas partes perpetuo dividimus et separamus, ac unam hospitio pauperum sacerdotum praedictae ecclesiae Sanctae Luciae, et alteram partem huiusmodi ecclesiae Sanctae Mariae de Monterone perpetuo applicamus et assignamus, itaut liceat rectoribus praedicti hospitii, ac dictae ecclesiae parochialis Sanctae Mariae de Monterone fructuum, reddituum, proventuum, iurium et obventionum praedictorum pro rata possessionem libere apprehendere, eaque perpetuo exigere, percipere et levare, ac in eorumdem hospitii, et ipsius Sanctae Mariae ecclesiae ac rectoris usus et utilitatem convertere.

Paramenta quoque et ornamenta dividenda.

§ 4. Insuper paramenta et ornamenta ecclesiastica, quaecumque et qualiacumque sint, inter ecclesiam parochialem santae Mariae de Monterone praedictam, et Confraternitatem Stigmatum dividi debere decernimus.

Ecclesia vero Confraternitati Stygmatum conceditur.

§ 5. Praeterea ecclesiam ipsorum Sanctorum Quadraginta Martyrum una cum eius domibus praedictis, salvo usufructu dicti Gabrielis ipso vivente, a cura animarum liberam et exemptam praedictae Confraternitati Stigmatum (itaut ipsius confraternitatis confratres illam reparare, et restaurare, in eaque oratorium eorum extruere ac erigere, nec non ibidem eorum congregationes facere, ac pietatis opera ipsi confraternitati incumbentia exercere libere et licite possint) perpetuo concedimus et assignamus, ac donamus et elargimur; ipsamque confraternitatem in possessionem ecclesiae et domorum praedictarum ex nunc, auctoritate praesentium, inducimus, ac ipsius confraternitatis confratribus, ut possessionem huiusmodi libere appraehendere, ac perpetuo retinere, ac in ecclesia praedicta praemissa omnia facere et exequi valeant, cuiusvis licentia desuper minime requisita, licentiam et facultatem impertimur.

Clausulae.

§ 6. Decernentes praemissa omnia et singula perpetua, valida et efficacia fore et esse, nec a quoquam, quavis auctoritate fungente, ullo unquam tempore quovis praetextu, retractari, impugnari, invalidari, vel annullari; praesentes quoque litteras de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vel praetendentes vocati et auditi non fuerint, notari, redargui, vel impugnari, aut in ius vel controversiam revocari nullo modo posse; sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi vel interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Vicario Urbis data commissio praedicta exequendi.

§ 7. Quocirca dilecto filio nostro in alma Urbe vicario per praesentes committimus et mandamus, quatenus praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter per se, vel alium, seu alios publicans, ac parochialium ecclesiarum praedictarum rectoribus, necnon Gabrieli et confraternitati praedictis, prout quemlibet ipsorum concernunt, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra illos illorumque respective effectu pacifice frui et gaudere, et si aliquam inter eos, de et super illis, differentiam oriri contingat, eam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, omni et quacumque appellatione remota, terminare curet; contradictores quoslibet ac praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpo-

sita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus nostra, si opus sit, de unionibus committendis, vocatis quorum interest, ac exprimendo vero valore etiam alterius beneficii, cui aliud uniri peteretur, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, et confraternitatis praefatarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illis, eorumque respective rectoribus et guardianis, ac personis in genere vel in specie, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Confraternitas singulis annis quatuor libras cerae albae ecclesiae S. Marci persolvere debet.

§ 9. Volumus autem, ut dicta confraternitas in signum, quod dicta ecclesia Sanctorum Quadraginta Martyrum sit filialis collegiatae Ecclesiae S. Marci . . . et in illius . . . recognitionem singulis annis, in festo Sancti Marci Evangelistae, quatuor libras cerae albae laboratae eidem collegiatae ecclesiae Sancti Marci omnino dare teneatur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII martii MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 27 martii 1597, pont. an. VI.

CLV.

Declaratio paragraphi: *Qui vero*, cap. VI, sect. XXV, *De Reformatione*, pro Capitulo ecclesiae Cordubensis [1].

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem dubia quaecumque circa decreta Concilii Tridentini suborta declarare, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Causae declarationis.

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum Capituli ecclesiae Cordubensis nobis nuper expositum fuit, venerabilis frater episcopus Cordubensis eas dictae ecclesiae dignitates, quae administrationem cum iurisdictione habent, obtinentes in cap. VI, sect. XXV, *De Reform.*, § *Qui vero*, non obtinent, dignitates a Concilio Tridentino praeservari, reliquas vero dignitates obtinentes eo decreto minime compraehendi praetendat, et propterea praedicti Capitulum nostram desuper declarationem desiderent.

Declaratio.

§ 2. Nos illorum iustis ac devotis supplicationibus in hac parte inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium eiusdem Concilii Tridentini interpretum consilio, harum serie declaramus, praefatum § *Qui vero* praeservare tam dignitates, quibus annexa est administratio cum iurisdictione, quam illas, quae ex consuetudine ecclesiae pro dignitatibus habentur.

Clausulae.

§ 3. Sicque ab omnibus censeri, ac ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicare et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

attentari, decernimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXI aprilis MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 21 aprilis 1597, pontif. an. VI.

CLVI.

Confirmatio decreti Congregationis Concilii et episcopi Cassanensis super reductione sacerdotum Capituli Sancti Iuliani de castro Villare Cassanensis dioecesis [1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Romanus Pontifex ea suae confirmationis robore communire libenter consuevit, quae a locorum Ordinariis pro ecclesiarum decore, et ecclesiasticarum personarum commoditate provide ordinata sunt, prout in Domino salubriter conspicitur expedire.

Episcopus Cassanensis numerum sacerdotum Ecclesiae inservientium ad viginti reduxerat. § 1. Expositum siquidem nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum Capituli, et cleri ecclesiae Sancti Iuliani terrae castri Villaris Cassanensis dioecesis quod cum in praedicta ecclesia numerus sacerdotum ex communi massa viventium nimium auctus esset, ut modica cuique ex dicta massa portio obvenire posset, bonae memoriae Audoenus episcopus Cassanensis seu illius tunc existens in spiritualibus vicarius generalis in exequutionem litterarum congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Tridentini Concilii interpretum, numerum sacerdotum in ecclesiis receptivis moderari et praefiniri iubentium, numerum sacerdotum praedictae ecclesiae Sancti Iuliani tunc ad triginta ascendentium ad numerum viginti, sine tamen praeiudicio sacerdotum tunc viventium, et ex dicta massa participantium, reduxit, dictumque numerum viginti sacerdotum sufficientem et necessarium esse pro ecclesiae praedictae illiusque parochianorum necessitate et commoditate declaravit, et quoad usque clerus dictae ecclesiae ad eum numerum praefinitum reductus non esset, nullum in consortium, ac ad praedictae mensae participationem recipiendum, ac receptum eiiciendum esse veluti intrusum in dicta portione decrevit, prout ex tunc eiecit et intrusum declaravit, ac inter dictum numerum sacerdotum portiones massae communis dividi mandavit. Cum vero dicti sacerdotes ad numerum viginti praefinitum reducti fuissent, si deinde unum vel plures mori contingeret, tunc in mortuorum loca alius vel alii sacerdotes expectantes, ut supranumerarii, qui ecclesiae praedictae in minoribus et in sacris ordinibus inserviissent, et ab eorum origine parochiani dictae parochiae extitissent, dictaeque ecclesiae parochiali ab Ordinario adscripti fuissent, quique in ordine seniores essent, ipso iure ipsoque facto, ad portionem vacantem seu portiones vacantes admittendos et recipiendos esse mandavit, et aliàs prout in ipsius Audoeni episcopi seu eius vicarii decreto plenius dicitur contineri.

Capitulum huiusmodi reductionem confirmari petit. § 2. Cum autem Capitulum et clerus praedicti pro maiori dicti decreti firmitate, et limitationis seu reductionis numeri sacerdotum huiusmodi robore, cupiant illa nostrae confirmationis apostolicae praesidio communiri, nobisque humiliter supplicari fecerint, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Clemens. § 3. Nos igitur litterarum dictae congregationis, necnon decreti praedictorum tenores praesentibus pro expressis ha-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

bentes, ipsosque Capitulum et clerum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac singulares illorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie, absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, reductionem et limitationem numeri viginti sacerdotum in praedicta ecclesia, ac alia in praedicto decreto contenta, et inde sequuta quaecumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque apostolicae confirmationis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 4. Decernentes praemissa omnia et singula perpetuo firma et valida fore, ac praedictum numerum viginti, cum ad illum redacti fuerint dicti sacerdotes, nullo unquam tempore quovis praetextu augeri posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Cassanensi episcopo praemissorum exequutio committitur.

§ 5. Quocirca venerabili fratri episcopo Cassanensi per praesentes committimus et mandamus, ut praemissa omnia et singula firmiter perpetuo observari curet et faciat.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem ecclesiae Sancti Iuliani iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die x maii MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 10 maii 1597, pont. an. VI.

CLVII.

Statuitur poenas maleficiorum in civitate Bononiensi deponendas esse tantum penes depositarios Rev. Camerae Apostolicae, qui pecunias solvant descriptas in tabella quae inseritur [1].

Dilectis filiis haeredibus quondam Antoniae Mariae et Ioannis Baptistae de Scappis Bononiensibus modernis et pro tempore existentibus Camerae nostrae Apostolicae in civitate Bononiensi depositariis

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Poenae maleficiorum non deponebantur penes depositarios Camerae Apostolicae.

§ 1. Cum, sicut accepimus, poenae maleficiorum civitatis nostrae Bononiensis, contra formam constitutionis felicis recordationis Sixti Papae V, praedecessoris nostri, disponentis quod pecuniae huiusmodi poenarum nonnisi in manibus Camerae Apostolicae depositariorum solvi possint, in manus diversarum particularium personarum deveniant, in magnum Camerae nostrae Apostolicae et vestrum etiam praeiudicium.

Mandatum ministris iustitiae in civitate Bononiensi ut eas ad formam constitutionis Sixti Quinti penes dictos depositarios deponi satagant sub poenis hic expressis.

§ 2. Nos praemissis opportuno remedio occurrere volentes, ac praedictae constitutionis tenorem praesentibus pro expresso habentes, eidemque constitutioni inhaerentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, dilectis filiis nostro et Sedis Apostolicae nunc et pro tempore exi-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

stenti in dicta civitate Bononiensi legato, seu eius vicelegato ac gubernatori, et aliis quibuscumque officialibus et iustitiae ministris praecipimus ac mandamus, ut poenas huiusmodi maleficiorum, posthac in manibus vestris, et pro tempore existentium dictae Camerae in civitate Bononiensi depositariorum dumtaxat integre persolvi curent et faciant, nec illas ad manus cuiuscumque alterius personae, quovis praetextu, causa et occasione devenire permittant aut faciant, alioquin contra ipsos per Cameram Apostolicam ad restitutionem earum pecuniarum, quas ad aliorum manus devenire fecerint seu permiserint, sub poenis in dicta constitutione Sixti V contentis, procedi possit.

Solutiones per dictos depositarios ex huiusmodi pecuniis faciendae.

§ 3. Praeterea vobis committimus et mandamus, ut ex eisdem pecuniis et aliis ad Cameram nostram spectantibus, quae ad manus vestras pro tempore devenerint, solutiones ordinarias et extraordinarias, iuxta tabulam a nobis subscriptam, cuius tenorem inferius describi voluimus, quolibet mense, et infra annum, etiam ad simplicia legati seu vicelegati, aut gubernatoris praedicti pro tempore existentis mandata, faciatis, quas in vestris computis, per eamdem Cameram eiusque ministros vobis bonas fieri volumus et mandamus, declarantes sic nostrae mentis et voluntatis existere; ac ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam dictae Camerae praesidentes, clericos ac thesaurarium nostrum generalem, sanctaeque Romanae Ecclesiae camerarium, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Tabula autem solutionum faciendarum haec est, videlicet:

Tavola de' pagamenti ordinarii ed estraordinarii che doveranno fare i depositarii della Camera Apostolica in Bologna ogni mese e fra l'anno, conforme a detta tavola, e per semplici mandati di legati, vicelegati o governatori di Bologna *pro tempore*.

All' Illustr. e Rev. sig. Legato di Bologna, ogni principio di mese si debbano pagare per sua provisione dal depositario della Rev. Camera, lire 850 e la decima di tutto quello che si sarà incamerato il mese innanzi.

Al medico del Torrone il mese lire 30.

Al mastro delle Poste il mese lire 21.5.

Al Monaldino Cancellario a conto di sua provisione, e per carta ed inchiostro per la Segreteria del vicelegato e per la cancellaria, il mese lire 21.5.

Al capellano del Torrone il mese lire 20.

Al barbiero del Torrone il mese lire 8.

Al guardaroba di Palazzo il mese lire 8. 10.

Allo spazzatore dell'appartamento di sopra del Palazzo il mese lire 4.

Per cera, che si abbrugia per servizio della cappella di Palazzo ogni mese lire 8.

E parimente al cappellano del Torrone per quella che si abbrucia per la cappella di detto Torrone il mese lire 3.

Alli due sottoauditori del Torrone per loro provisione ordinaria per ciascuno lire 21. 5.

Infra l'anno.

Ad ogni Natale per distribuzione in elemosina scudi 100 da bolognini 83 lo scudo, lire 415.

Il medesimo a Pasqua di Resurrezione lire 415.

Di ogni giustiziato si pagano al Bargello scudi 5, al detto il viaggio e spese di condurre sino ad Imola li destinati alla galera, secondo il solito.

Al guardiano del Torrone si pagano li pasti che si danno ai poveri carcerati, quali nelle visite si rilassano *gratis*, o contro de' quali si eseguisce qualche giustizia secondo il solito: si pagano altri mandati straordinarii, che d'ordine dei Signori Padroni si rimettono a Roma, o si vanno a levare ai confini: e spedizioni de' corrieri, staffette per servizio del Governo, e che sieno per servizio di Nostro Signore, ed altri mandati per varie occorrenze per servizio della giustizia, e non altrimenti.

Sine mandato thesaurarii Camerae Apostolicae aliae solutiones fieri nequeunt.

§ 4. Ultra supradictas vero solutiones, alia mandata quaecumque, nisi de expresso ordine thesaurarii nostri generalis per vos persolvi nolumus; et si forte per vos, sine huiusmodi ordine persolvantur, vobis in eadem Camera bonas nequaquam fieri debere decernimus. Mandamus etiam ut illi omnes, quibus aliquae pecuniae poenarum et condemnationum maleficiorum persolutae fuerint, infra unum mensem ab intimatione praesentium illis faciendam computandum, eorum rationes et computa ad Cameram Apostolicam transmittere, eaque iurare teneantur, alioquin contra eos rigorose procedi possit, super quo illis speciale praeceptum per vicelegatum dictae civitatis fieri mandamus.

Praesentes litterae in libris cancellariae Bononiensis registrandae.

§ 5. Praeterea, tam praesentes quam praedictam tabulam manu nostra subscriptam, in libris cancellariae Bononiensis registrari, et postea vobis consignari, et apud vos remanere debere mandamus; vos vero ad easdem praesentes et praedictam tabulam, prima vice, qua rationes et computa in Camera Apostolica exhibueritis, in eadem Camera praesentari et registrari facere teneamini.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae civitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die x maii MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 10 maii 1597, pontif. an. VI.

CLVIII.

Committitur collectori Portugalliae ut confirmet concordiam initam inter Philippum regem et Congregationem Beatae Mariae de Alcobatia, Ordinis Cisterciensis, Portugalliae, et praesertim assignationem pensionis perpetuae D cruciatorum capellae regiae Ulixbonensi super fructibus quorumdam monasteriorum eiusdem Congregationis [1].

Dilecto filio magistro Ferdinando Tabernae in utraque Signatura nostra referendario spoliorum ac iurium Camerae nostrae Apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Romani Pontificis providentia circumspecta ecclesiarum et monasteriorum quorumlibet commodis, quantum cum Domino potest, consulere studet, et ideo quaecumque pro similium monasteriorum utilitate inter eorum superiores et catholicos reges concordata sunt et transacta, apostolicae auctoritatis praesidio communire non respuit.

Exorta controversia inter Philippum regem et abbatem generalem Congregationis de Alcobatia super iure patronatus super nonnulla monasteria;

§ 1. Nuper siquidem charissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici, ac dilectorum filiorum abbatis generalis et totius Congregationis Beatae Mariae de Alcobatia, Ordinis Cisterciensis, nominibus nobis expositum fuit quod cum alias inter dictum Philippum regem, seu eius regiam

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

coronam Portugalliae praetendentes iuspatronatus in Sanctae Mariae *de Aguiar* et Sancti Petri *das Aguias* dioecesis Lamacensis, et Sancti Christophori *de la Foes* et Beatae Mariae *de Maceiradas* Vicensis dioecesis, et eiusdem Beatae Mariae *de Fiaes* Bracharensis dioecesis eiusdem Congregationis ex privilegio apostolico sibi competere, vel fundatione aut dotatione ex una, et ipsos abbatem generalem et Congregationem praetendentes eadem monasteria libera esse, et ad ipsius Ordinis electionem spectare, prout alia monasteria reformata, quorum monasteriorum reformatorum possessionem habebant, eo quod clarae memoriae reges Portugalliae ipsius Philippi antecessores iuripatronatus eorumdem supradictorum monasteriorum ad praedicti Ordinis favorem libere cesserant, ex alia partibus, controversia maximo cum eiusdem Congregationis dispendio et incommodo verterit; tandem pro bono pacis ad evitandos diuturnos litium, quae subsequi potuissent, anfractus et dubios eventus, et graviores sumptus in prosequutione litium necessario faciendos, ad transactionem et concordiam sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito, Philippus rex, per dilectum filium Laurentium Monzam Homem eius assistentem ad hoc cum sufficienti facultate deputatum, ac abbas generalis praedictus, nomine et auctoritate ad hoc sibi nominatim facta totius Congregationis praedictae, devenerunt, et super ea instrumentum celebrarunt, quod dilecti filii abbates et conventus singulorum monasteriorum praedictorum per alia instrumenta, ac idem Philippus rex per suas litteras respective approbarunt et ratum habuerunt, prout in eisdem instrumentis et provisione regali, quorum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius dicitur contineri, statuentes, ordinantes et inter se concordantes, sub nostro tamen et Apostolicae Sedis beneplacito, quod abbas generalis praedictus, suo et suorum successorum, nec non dictorum monasteriorum abbatum nomine, consentiebat, quod ex redditibus praedictorum monasteriorum quingenti cruciati in perpetuam annuam pensionem regiae capellae Ulixbonensi applicarentur, centum videlicet cruciati pro unoquoque ex monasteriis praedictis; quoniam vero Congregatio duo ex dictis monasteriis adhuc non possidebat (eo quod in alio S. Petri *das Aguias* nuncupato esset perpetuus commendatarius, in alio vero S. Mariae *de Fiaes* appellato perpetuus abbas), solutio pensionis istorum duorum monasteriorum non inciperet, nisi postquam illa vacarent, et Congregatio Sanctae Mariae *de Alcobatia* praedicta in ipsorum et illorum fructuum possessione existeret, aliorum vero trium monasteriorum pensionis solutio a die Nativitatis Domini anni nonagesimi quinti principium daturae inciperet, ut commode huiusmodi pensio responderet fructibus colligendis a die sancti Ioannis Baptistae praeteriti anni MDXCIV, quae eodemmet die sancti Ioannis anni MDXCV compleretur. Deinceps vero praedicta pensio eodem modo per duas aequales solutiones praestaretur a die videlicet Nativitatis S. Ioannis cum hac conditione, quod pensio ipsa esset libera et exempta ab omnibus oneribus et subsidiis; atque ad omnia abbas generalis praedictus, suo et suorum successorum, ac praelatorum, et conventuum dictorum monasteriorum nomine, consensum praestitit, promisitque se intra mensem, a die celebratae concordiae huiusmodi computando, omnium abbatum et conventuum istorum quinque monasteriorum consensum; praedictus vero doctor Laurentius Monzam, nomine Philippi regis praedicti, tamquam eius assistens

Transactio inter partes inita est;

Conventumque ut abbas generalis annuam pensionem quingentorum cruciatorum regiae capellae Ulixbonensi persolveret.

asserebat, quod dictus rex tam suo, quam regum suorum successorum nomine de-
Philippus vero iurepatronatus super quinque monasteria cederet.
sistebat ab omnibus iure, actione et praetentione, quam modo aliquo habebat aut habere poterat, tam ratione litterarum apostolicarum quam aliqua alia in iuribus patronatus et iure praesentandi abbates in praedictis quinque monasteriis, et in unoquoque illorum, cui iuri cedebat, renunciabat, illudque donabat, et totum in abbatem generalem, Ordinem et Congregationem praedictos ita transferebat, ut ex tunc in perpetuum praedicta quinque monasteria essent libera et exempta ab omni onere, subiectione iurispatronatus et praesentandi, praedictusque Ordo ad illa suos praelatos eligere libere posset et valeret, sicut in caeteris praedictae Congregationis monasteriis facere solebat: et quod ad hunc effectum, et ut ea omnia praedicta modo et forma aliorum reformarentur, cedebat, donabat et transferebat iuspatronatus huiusmodi, cum declaratione, quod idem Laurentius Monzam abbati generali praedicto, et aliis ipsius Ordinis et Congregationis patribus daret unam provisionem Philippi regis praedictis, per quam ipse, sicut inter ipsos abbatem generalem et Laurentium praedictum erat concordatum, approbaret, confirmaret et ratum haberet: quam quidem provisionem Laurentius ipse intra mensem a die, qua sibi abbatum et conventuum monasteriorum praedictorum consensus daretur, computandum, dare promisit, ac alias tam ipse, quam abbas generalis praedictus fecerunt, statuerunt, ordinarunt et concordarunt, prout in instrumento desuper confecto latius dicitur contineri.

§ 2. Quibus omnibus cum omnium et
Partes concordiam ratificarunt.
singulorum abbatum et conventuum monasteriorum praedictorum expressus accederet consensus, sicut per abbatem generalem praedictum promissum fuerat, idem Philippus rex per suas speciales litteras in forma provisionis et mandati, omnia et singula, quae inter abbatem generalem et Laurentium eius assistentem praedictos transacta et concordata fuerant, ut praefertur, similiter approbavit et ex certa scientia confirmavit, eo modo et forma, ac cum omnibus clausulis et conditionibus, quibus per praedictos transacta et concordata fuerant, declaravit, statuit et ordinavit, prout in ipsis litteris latius etiam continetur.

Pontificiam confirmationem petunt.

§ 3. Cum autem tam Philippus rex, quam generalis et alii abbates Congregationis et monasteriorum praedictorum respective, atque adeo universa Congregatio praedicta cupiant concordiam et transactionem, ac instrumenta et litteras praedictas apostolicae auctoritatis munimine roborari; nobis propterea Philippus rex per eius coronae Portugalliae in Romana Curia agentem, generalis vero et alii abbates et Congregatio praedicti per eorum similiter in Romana Curia procuratorem generalem humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Clemens collectori spoliorum committit ut, re inspecta, concordiam confirmet.

§ 4. Nos igitur controversias omnes super praemissis exortas perpetuo extinguentes, nec non generalem et alios abbates, ac singulares eiusdem Congregationis personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, tibi per praesentes mandamus, ut si per diligentem informationem praemissa veritate niti repereris (super quo tuam conscientiam oneramus), praedictas transactionem et concordiam, in-

strumenta et litteras, omniaque et singula in illis contenta, salvis infrascriptis, et dummodo tamen pensio D ducatorum non excedat quartam partem fructuum monasteriorum praedictorum, auctoritate apostolica, perpetuo confirmes et approbes, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicias, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, suppleas, ac tam Philippum regem eiusque successores Portugalliae et Algarbiorum reges, quam abbates et conventus, ac universam Congregationem praedictos ad omnium et singulorum praemissorum, prout eos respective concernunt, observationem ex nunc perpetuo teneri et obligatos fore, nec ab iis quovis praetextu, causa, vel occasione quoquomodo resilire posse; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernas.

Iniungit Philippo regi ut Congregationem de Alcobatia immittat in possessionem monasteriorum hic indicatorum, cum primum vacaverint.

§ 5. Volumus etiam ut cum primum monasteria Beatae Mariae *de Fiaes* Bracharensis et S. Petri *das Aguias* Lamacensis per obitum abbatum et commendatariorum perpetuorum ea ad praesens obtinentium, respective vacaverint, idem Philippus, vel eius successor Portugalliae et Algarbiorum rex, praedictam Congregationem in eorumdem monasteriorum, et cuiuscumque illorum respective possessionem (itaut deinceps in perpetuum per abbates triennales eiusdem Congregationis professos, prout alia ipsius Congregationis monasteria, regantur) immittere, ipsaque monasteria ipsi Congregationi libera tradere teneantur, alioquin praesentes nullae sint.

Derogat contrariis.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis et, si opus sit, regula nostra de praestando consensu in pensionibus, ac Ordinis et Congregationis, ac singulorum monasteriorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum cuivis, seu quibusvis ex praedictis, aut aliis quibuscumque personis, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, et cum quibusvis clausulis et decretis quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, *etc.*, specialis, specifica, et de verbo ad verbum expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis, et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, supendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Assignat tempus solvendae pensionis.

§ 7. Volumus autem quatenus dicta concordia per te, ut praefertur, confirmetur, ut dicta Congregatio pensionem praedictam, nomine illorum monasteriorum, in quorum possessione existit, a die confirmationis per te faciendae, ratione vero aliorum monasteriorum, a die habitae post eamdem confirmationem possessionis tantum, et non alias, solvere teneatur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIV maii MDXCVII pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 24 maii 1597, pontif. an. VI.

CLIX.

Prohibet quominus aliquo titulo insigniti possint eligi ad magistratum et dignitates civitatis Bononiensis [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Paterna de nostris et S. R. E. subditis cura et sollicitudo a nobis exigit, ut quae ad ipsorum pacem et quietem pertinent, quaeque ad civitatum nobis et Sedi Apostolicae subiectarum, prosperum regimen conferunt, ea, matura consultatione adhibita, quam primum statuamus, et statuta ab omnibus, quorum interest, diligenter observari mandemus.

Delectus personarum ad officia quam sit necessarius. § 1. Cum itaque ad communis boni et publicae tranquillitatis in civitate nostra Bononiensi conservationem, quae ex prudenti officialium delectu, atque ex recta et aequabili magistratuum administratione pendet, plurimum intersit ut cives ad reformatorum status libertatis et regiminis eiusdem civitatis munus, quod praecipuum existit, quodque assiduam et diligentem operam requirit, necnon ad alia magistratuum dictae civitatis illiusque locorum ac terrarum officia ibidem imposterum assumendi a caeteris omnibus, tam suarum quam alienarum rerum, curis, quibus quandoque implicantur, prorsus liberi sint atque immunes (quo commodius et expeditius in commissorum sibi munerum tractatione, summa cum animorum concordia ad publicam utilitatem

Decretum, de quo in rubrica. versentur); motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, omnes et singulos cives dictae civitatis, tam originarios quam ex privilegio, etiam in forma amplissima obtento vel obtinendo, qui marchionatus, ducatus vel principatus titulo et nomine censentur seu decorati sunt, aut posthac censebuntur sive decorabuntur, etiamsi marchionatus, ducatus vel principatus, quos obtinent, seu in futurum obtinebunt, extra dictae civitatis districtum, in locis nobis et Sedi Apostolicae mediate seu immediate subiectis, aut alibi ubicumque existant, seu in futurum existent, ac etiamsi marchionatuum, ducatuum et principatuum nomina et titulos a Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, seu etiam forsan a nobis impetraverint et obtinuerint, aut deinceps impetraturi et obtenturi sint, necnon eos quoque, qui comitatus seu baronias, aut alias temporales iurisdictiones extra tamen S. R. E. Status seu ditionis temporalis fines obtinent, seu obtinebunt, aut quibuscumque principibus, etiam imperatori, regibus, rebuspublicis, ducibus et alio quocumque titulo etiam speciali nota digno insignitis inserviunt, aut inservient, vel ab iis dignitates gradusve, aut annuas pensiones super fructibus ecclesiasticis ad eorum nominationem sibi apostolica auctoritate reservatas, obtinent seu obtinebunt, vel salaria et stipendia quovis modo ab eisdem recipiunt, sive imposterum recipient, aut in eorum curiis, dominiis et ditionibus officia, munera vel magistratus exercent, aut posthac exercebunt, etiamsi cum nostra et Sedis Apostolicae licentia, praedictas dignitates et gradus, necnon pensionum reservationes ab eadem Sede seu a nobis iam obtinuerint, vel deinceps obtenturi sint, ac etiamsi alia praedicta cum eadem licentia fecerint, posthac ad reformatorum status libertatis et regiminis munus, necnon ad vexilliferatus, antianorum tribunatus plebis, seu confaloneriatus populi, aut quoscumque alios eiusdem civitatis magistratus, necnon ad

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

capitaneatus et potestatis locorum, seu terrarum territorii dictae civitatis, officia utilia nuncupata nominari, per scrutinia eligi, et electos confirmari, in imbursationibus, ut vocant, de novo faciendis imposterum poni, vel imbursari, extrahi, seu alias deputari et assumi nullo modo posse; durante vero imbursatione illorum videlicet officialium, qui imbursari consueverunt, iam facta, siquos ex supradictis per praesentem nostram Constitutionem ab huiusmodi muneribus et officiis exclusis hactenus forsan in ea positis vel imbursatis, extrahi contigerit, eorum nomina statim atque extracta fuerint, lacerari seu aboleri, et eorum loco alios non exclusos extrahi debere, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo statuimus atque decernimus.

Titulo aliquo insigniti ad officia hic expressa inhabilitantur.

§ 2. Necnon eosdem marchiones, duces et principes, ac etiam comites et alios superius expressos ad reformatoris status libertatis et regiminis dictae civitatis munus, ac caeteros magistratus, aliaque officia et munera eiusdem civitatis imposterum obtinenda prorsus inhabilitamus ac inhabiles et incapaces facimus et declaramus.

Legato, vicelegato, *etc.*, committit praesentis decreti exequutionem.

§ 3. Quocirca dilectis filiis nostro et Sedis Apostolicae in eadem civitate Bononiensis de latere legato, seu eius vicelegato, aut gubernatori nunc et pro tempore existenti, in virtute sanctae obedientiae iniungimus, omnibus vero, et singulis reformatoribus eiusdem status libertatis ac regimini dictae civitatis praesentibus et futuris, sub privationis dicti officii reformatoris, necnon magistratuum, dignitatum et officiorum per eos quovis modo obtentorum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, ac pecuniariis nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio declarandis, et ipso facto incurrendis, aliisque etiam inferius describendis poenis, districte praecipimus ne aliquos marchiones, duces, principes, aut etiam comites, vel alios superius expressos et inferius exprimendos ad reformatoris eiusdem status libertatis et regiminis dictae civitatis munus, cum pro tempore vacaverit, nec non ad caeteros magistratus, aliaque munera et officia supradicta, cum de illis provisio facienda erit, posthac nobis, seu Romano Pontifici pro tempore existenti, nominare, seu ipsi respective eligere, confirmare, imbursare, extrahere, aut alias deputare, assumere, recipere, vel admittere possint et debeant seu, quovis colore vel praetextu, audeant vel praesumant.

Praesens constitutio in qualibet electione officialium legenda.

§ 4. Caeterum, ut praesens nostra constitutio perpetuis futuris temporibus ad plenam eorum, ad quos spectat, notitiam deducatur, et ab omnibus inviolabiliter observetur, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, statuimus et ordinamus, necnon reformatoribus eiusdem status libertatis, ac vexillifero iustitiae, et antianis dictae civitatis nunc et pro tempore existentibus, sub eisdem poenis, mandamus ut praesentes nostras litteras priusquam novi reformatores, nec non etiam vexillifer et antiani, ac praefati magistratus et officiales (cum nimirum officium reformatoris vacaverit, vel cum aliorum magistratuum et officialium provisio facienda erit) statutis et praefixis temporibus de more nominentur, eligantur, imbursentur et extrahantur respective, toties quoties nominationes, electiones, imbursationes, seu extractiones fient, in loco ad hoc solito et consueto, alta et intelligibili voce legi, et omnibus similiter, ad quos pertinet, insinuari cum effectu faciant.

Et examinandum an electi sint in ea comprachensi.

§ 5. Ac insuper in quacumque nominatione, electione, imbursatione, extractione et assumptione ad huiusmodi magistratus, munera et officia pro tempore

facienda diligenter inquirant, an personae per ipsos tunc nominandae, eligendae, imbursandae, extrahendae et assumendae, in praesenti nostra constitutione compraehensae sint, et ad dictum reformatoris officium, atque ad caeteros magistratus, aliaque munera et officia dictae civitatis obtinenda, habiles et capaces existant, nec ne.

Electiones, si secus fiant, cassantur.

§ 6. Et nihilominus nominationes, electiones, confirmationes, scrutinia, imbursationes, extractiones, seu alias deputationes et admissiones ad reformatoris eiusdem status libertatis officium, et caeteros magistratus, aliaque munera, et officia dictae civitatis, de quibuscumque personis contra praesentis nostrae constitutionis tenorem et forman faciendas, ex nunc, prout ex tunc, si et postquam factae fuerint, et e contra, revocamus, annullamus, cassamus et irritamus, ac revocatas, nullas, cassas et irritas esse et fore, ac pro talibus ab omnibus haberi, censeri et reputari.

Poenae contra inobedientes.

§ 7. Omnes vero et singulos reformatores eiusdem status libertatis, ipsumque adeo regimen dictae civitatis quascumque personas, in praesenti nostra constitutione exclusas, aliquo tempore et quovis modo nominantes, eligentes, seu extrahentes, ultra poenas supranominatas, etiam facultate et potestate nominandi, eligendi, imbursandi et extrahendi, ac alias deputandi et assumendi, si quam singuli aut omnes simul forsan habent, eo ipso perpetuo privamus, ac privatos fore decernimus.

Cives qui officiorum obtinendorum sunt capaces, si aliquem titulum postea obtinuerint, ad ea inhabiles declarantur.

§ 8. Insuper eos etiam cives, qui reformatoris eiusdem status libertatis officium, aut aliquos magistratus vel munera, et officia praedicta nunc obtinent, aut imposterum obtinebunt, si marchionatus, ducatus et principatus, tam in Statu temporali Sanctae Romanae Ecclesiae, quam extra illum, aut etiamsi comitatus, vel aliam temporalem iurisdictionem extra dictam ditionem ecclesiasticam, et quod in familia sua iam sint, aut ad eos quocumque iure pertineant, deinceps acceptaverint, assequuti fuerint, seu alias quovis modo habuerint, quive aliquibus ex dictis principibus inservierint, vel ab eis dignitates, gradusve, aut pensiones super fructibus ecclesiasticis ad eorum nominationem obtinuerint, sive ab illis salaria vel stipendia quomodolibet receperint, aut in eorum curiis, dominiis et ditionibus officia, munera vel magistratus exercuerint, ut praefertur, eo ipso reformatoris eiusdem status libertatis officio, caeterisque magistratibus, muneribus et officiis obtentis privamus, ac ad alios, vel alia deinceps obtinenda, sicut caeteros superius nominatos, perpetuo pariter inhabilitamus, ac privatos et inhabiles fore et esse statuimus.

Prout etiam qui ea aliquo modo procuraverint.

§ 9. Praeterea, ut de caetero reformatoris eiusdem status libertatis officium, vel caeteri magistratus, aliaque munera et officia eiusdem civitatis personis virtute praeditis, et meritis ac fide erga Apostolicam Sedem praestantibus, ut par est, deferantur, et ut omnis ambitionis occasio in iis procurandis et obtinendis intercludatur, quoscumque alios cives dictae civitatis, qui pro eiusdem reformatoris officio, et caeteris magistratibus, aliisque muneribus et officiis superius expressis a nobis, ac dicta Sede obtinendis, sive alias adipiscendis, ad principum quorumcumque imperiali, regali aut quacumque alia dignitate fulgentium, saecularium, patrocinia et favores confugerint, vel iis sponte delatis, aut ab aliis, ipsis insciis, procuratis, usi fuerint, tam ad ea, quae tunc petierint, quam ad caeteros magistratus, aliaque munera, et officia dictae civitatis imposterum obtinenda, perpetuo pariter inhabilitamus, ac inhabiles et incapaces facimus, ac pro inha-

bilibus et incapacibus ab omnibus haberi et reputari.

Clausulae pro huiusce constitutionis firmitate.

§ 10. Praesentes quoque litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel quovis alio defectu notari vel impugnari, aut infringi, retractari vel revocari; nec non iisdem praesentibus derogari nullo modo posse, ac concessas pro tempore derogationes, nullas et invalidas, ac nullius roboris, vel momenti similiter fore et esse, nec cuiquam suffragari, ac subreptitias, et obreptitias, et contra mentem nostram, ac Romani Pontificis pro tempore existentis semper extortas fuisse; sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem civitatis Bononiae, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoquoque, indultis et litteris ipsi civitati, reformatoribus eiusdem status libertatis et regimini dictae civitatis, ac forsan ipsis marchionibus, ducibus et principibus, comitibus, baronibus et aliis praefatis, et quibuscumque personis in genere vel in specie, ac sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro expressis, et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 12. Volumus autem ut praesentium transumptis etiam impressis manu notarii publici, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDXCVII, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 23 iulii 1597, pont. an. VI.

CLX.

Confirmatio donationis cuiusdam annui redditus ab episcopo Seguntino factae domui Matritensi FF. Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum provinciae Castellae, ad effectum duos presbyteros in oppido Algerii sustentandi, cum aliis conditionibus ab eodem episcopo appositis[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Quam gratum sit Deo opus Redemptionis.

Ex omnibus christianae charitatis officiis, quibus aeterna salus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori nostro Iesu Christo vel maxime placere credimus, per quae infelices captivi in suis necessitatibus, et spiritualibus et temporalibus, adiuvantur. Quare nos ea, quae propterea pie facta et ordinata fuisse di-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

cuntur, ut firma et illibata persistant, libenter approbamus.

Seguntinus episcopus quemdam annuum redditum fratribus Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum provinciae Castellae tradit pro captivis redimendis;

§ 1. Nuper siquidem ad nos perlatum est, quod venerabilis frater Laurentius, episcopus Seguntinus, animadvertens multos christifideles ex omni natione captivos in oppido Algerii et aliis Africae partibus, sub potestate Turcarum, Maurorum et aliorum infidelium existere, ac multa spiritualia et temporalia pati detrimenta; et si in illis partibus adessent nonnulli sacerdotes, qui eosdem captivos et verbo et opere consolarentur, hi viam veritatis retinentes, nec propter longam consuetudinem, nec vitae acerbitatem, qua diris ibi cruciatibus conteruntur, in infidelitatis errores prolaberentur; quibus causis dictus Laurentius episcopus, permotus et adductus, et praemissis prospicere anxie procurans, dotavit seu instituit unam perpetuam memoriam redditu annuo ducentorum et quinque millium morapetinorum monetae Hispaniarum, quos ad rationem viginti millium pro quolibet millenario a charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum rege catholico super redditibus gabellae civitatis Cordubensis emit, cum facultate redimendi, ac pacto, quod Laurentius episcopus percipiat dictos redditus quolibet anno, incipiendo a die prima mensis ianuarii anni a nativit. Domini MDXCV, et quod possit illos in vita vel mortis articulo transferre, cedere et dare cuicumque maluerit pio operi vel particulari personae, prout in instrumento privilegii regii desuper sub datum Madriti, videlicet XI mensis octobris, anni a nativitate Domini MDXCIV, vel alia veriori data plenius continetur, ac utendo praedicta facultate et licentia, dictos annuos redditus transtulit, cessit, dedit, donavit et assignavit in proprietate ac in possessione Ordini et religioni fratrum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, provinciae Castellae, et signanter ac in specie fratribus domus oppidi Madriti, dicti Ordinis, Toletanae dioecesis, ad effectum, ut illos expendant modo et forma infrascriptis.

Sequentes addit conditiones; ut duo presbyteri semper Algerii commorentur, qui captivis sacramenta administrent.

§ 2. In primis, ut religio et Ordo Sanctissimae Trinitatis huiusmodi debeat et teneatur in perpetuum habere et retinere duos professores dicti Ordinis, et in presbyteratus ordine constitutos, in dicto oppido Algerii in Africa, seu Mauritania, seu aliis illarum partium infidelium locis assidue commorantes, qui sint probatae vitae et conversationis, viri periti seu theologi, et ad praedicandum verbum Dei, confessionesque peccatorum christifidelium audiendas, aliaque sacramenta ecclesiastica ministranda, uti idonei et sufficientes tam a superioribus dicti Ordinis, quam ab episcopis dioecesanis, in quorum civitatibus seu dioecesibus, tempore eorum missionis, degerint, approbati fuerint, et hos ultra illos fratres, quos vocant redemptores, et quos eadem religio ad illas partes pro negotio redemptionis captivorum destinare solet. Utque dicti duo fratres teneantur et debeant confessiones sacramentales omnium et quorumcumque utriusque sexus christifidelium in illis partibus in misera servitute detentorum, ac in futurum detinendorum [1], et tam in eorum vita, quam in mortis articulo sacramenta ecclesiastica ministrare, eosdemque in sancta fide catholica et apostolica, ac in christiana pietate instruere et erudire, seu continere et conservare, et vacillantes confovere et confirmare, lapsos reducere et ad eamdem fidem revocare, ac societates et confraternitates, videlicet Sanctissimi Nominis Iesu Christi et Rosarii Beatissimae semper Virginis Dei Genetricis, ubi commode poterunt, instituere et erigere. Ac ut, etiamsi praedicti fratres redemptores

1 Deest forte *audire* (R.T.).

ad partes Hispaniarum revertantur, ipsi nihilominus fratres ad hoc speciale opus missi, in illis partibus remanere et assidue diversari teneantur, ac ut commendent praedictis captivis et detentis christifidelibus, ut aliquas preces seu orationes pro dicto Laurentio episcopo, vel post eius obitum, pro eius anima, recitent seu effundant ad Dominum. Et propterea dicta religio, ex praedictis redditibus ducentorum et quinque millium morapetinorum percipiat et habeat quolibet anno in perpetuum trecentos ducatos monetae Hispaniarum, ita tamen, quod si aliquando dicta religio voluerit dictis duobus fratribus committere negotium redemptionis captivorum, id facere possit; nec non ut residuum dictorum ducentorum et quinque millium morapetinorum, quod remanebit, deductis praedictis trecentis ducatis, illud habeat et percipiat dicta religio, illudque modo et forma infrascriptis expendere teneatur, videlicet: quod domus dicti oppidi Madriti, quolibet anno habeat et percipiat decem mille morapetinos pro labore et cura, quam habere debet exigendi et recuperandi dictos redditus annuos ducentorum et quinque millium morapetinorum, illosque custodiendi in una capsa vel theca, quae habeat tres claves (quarum una penes superiorem dictae domus, altera vero penes unum fratrem nominandum et ad id deputandum per caeteros fratres dictae domus tertia vero penes administratorem praesentem, vel in futurum ab ipso Philippo rege, vel in eius corona successore nominandum pro negotio redemptionis captivorum existere et custodiri debeant); alii vero duodecim mille morapetini quolibet anno deservire debeant, videlicet decem mille pro salario dicti administratoris, et bis mille pro mercede notarii illius temporis, quo se in recipiendis et solidandis, seu liquidandis computis istius pii operis, consumpserint, et quod nihil possint recipere, si prius dictas rationes et computa non receperint et solidaverint, seu liquidaverint. Et ut melius pium hoc opus exequatur et adimpleatur, ex tunc illud posuit sub protectione et manutentione dicti Philippi regis, ut ipse mandet et faciat illud exequi, ac computa praedicta recipi, liquidari seu solidari, ut praefertur, et reliqua ad exequutionem, firmitatem, validitatem et perpetuitatem dicti pii operis et dotationis necessaria et opportuna. Praeterea ut reliquas pecunias remanentes usque ad integram summam dictorum reddituum ducentorum et quinque millium morapetinorum, deductis praedictis ducentis ducatis, et praedictis viginti duobus millibus morapetinis, dicti duo fratres, qui pro exequutione dotationis et donationis huiusmodi pro tempore assidue residere tenentur apud dictum oppidum Algerii et partes infidelium, in subveniendis necessitatibus dictorum captivorum fidelium aegrotantium, et aliorum extremam seu urgentem necessitatem habentium, habito respectu solius maioris necessitatis, expendere debeant: utque similiter ipsi fratres, ex praedictis pecuniis, expendere teneantur totum illud, quod opus fuerit expendi pro solvenda mercede seu lucro iudaeis, vel aliis infidelibus quibuscumque, qui a Turcis et aliis piratis emerint captivos pueros et puellas christianos, illosque dictis religiosis vel redemptoribus, occasione seu ratione alicuius mercedis vel lucri, secreto revendere solent; quos pueros et puellas captivos a praedictis infidelibus eorum dominis alias haberi seu redimi non possent. Ac ut ultra praedictos annuos redditus ducentorum et quinque millium morapetinorum, dicti fratres, durante vita dicti Laurentii episcopi, habeant quolibet anno alios trecentos ducatos monetae Hispaniarum, quos expendere te-

Et hac de causa eidem Ordini tercentos ducatos assignat.

Applicatio aliarum summarum in alios pios usus.

Administrator huius legati ab Hispaniarum rege nominandus.

Summa in captivorum subsidium expendenda.

neantur et debeant in redemptionem huiusmodi puerorum captivorum minoris aetatis, quos praedicto vel alio modo redimere potuerint, animadvertentes semper redimere illos qui in maiori periculo extiterint, ut a christiana fide non deficiant, et quod in hac redemptione puerorum captivorum exponantur dicti trecenti ducati pro alimentis dictorum duorum fratrum ut supra relictorum, pro illo tempore, quo dicti fratres apud Algerium, vel alium Africae locum in praedicto ministerio non fuerint, vel illa pars, quae decurrerit pro rata illius temporis, quo ibidem commorari desierint. Quodque in praedicta redemptione puerorum, expendatur etiam id quod supererit ex relictis ad subveniendum necessitatibus captivorum, si quid aliquando supererit. Ad haec, quod supradicta domus oppidi Madriti teneatur et debeat reddere rationes dicto administratori nominato et nominando ab ipso rege, de dictis trecentis ducatis assignatis pro alendis praedictis duobus fratribus, qui apud infideles commorari debent, ac etiam de pecuniis illis supra deputatis ad subveniendum necessitatibus captivorum. Quodque dicti duo fratres seu religiosi teneantur ad id ex illis partibus mittere veram relationem et certam fidem seu attestationem, quod dictas pecunias exposuerint in necessitates dictorum captivorum; necnon, quod si dictum residuum non sufficiat ad redimendum unum captivum, possit illud cum quolibet alio pretio coniungi, et poni pro redemptione dictorum puerorum captivorum minoris aetatis. Praeterea, quia intentio dicti Laurentii episcopi est quod dicti captivi habeant et recipiant huiusmodi beneficium cum illa maiori commoditate, qua fieri possit, voluit et ordinavit quod dicta religio habeat et percipiat dictos redditus, illosque distribuat modo et forma et illis conditionibus superius et inferius expressis; interim et quoad apud dictum Algerii oppidum non erit aliqua domus aut conventus, quovis alio nomine nuncupata, sive congregatio aliquorum presbyterorum et clericorum saecularium, seu quorumvis Ordinum regularium, in qua ab infidelibus commorari permittantur, qui etiam ab eisdem infidelibus permittantur docere praedictam fidem catholicam, ac sacramenta ecclesiastica ipsis captivis ministrare: nam cum primum huiusmodi domus aut conventus, seu congregatio presbyterorum et clericorum dictum officium facere et institutum servare et implere permissa fuerit, dictus Laurentius episcopus voluit et ordinavit, quod tunc dicta religio Sanctissimae Trinitatis dictos redditus ducentorum et quinque millium morapetinorum, deductis prius ex illis salariis, sive mercedibus supradictis administratoris et notarii praedicti, teneantur et debeant realiter et cum effectu dare, tradere et consignare praedictae domui aut conventui, seu congregationi, si omnes redditus praedicti fuerint necessarii ad sustentationem et ministerium praedictorum presbyterorum et clericorum saecularium, seu regularium in domo, conventu, seu congregatione praedicta existentium, vel etiam partem illam, quae ad eorumdem huiusmodi sustentationem et ministerium fuerit necessaria, ut praefertur, qui quidem facere debeant et teneantur omnia et singula, quae a praedictis fratribus seu religiosis Sanctissimae Trinitatis fieri et exerceri debere superius dictum est: ac etiam praedictum residuum in huiusmodi necessitatibus dictorum captivorum et aegrotantium, ac pro redimendis pueris praedictis expendere et erogare debeant; et ita fiat et observetur, sive huiusmodi domus, conventus, aut congregatio ad tempus, sive in perpetuum apud praedictum Algerii oppidum

Redemptio puerorum per eos facienda.

Ratio administratori reddenda.

Usque dum hic ordo domum aliquam Algerii obtineat, summam hic expressam alteri congregationi, quae ibi domum habeat, debet solvere.

esse permittatur, vel illius presbyteris seu clericis saecularibus vel regularibus in ea degere, et praemissa facere concessum seu permissum fuerit, ipsis dedit et donavit id quod supererit ex redditibus praedictis ducentorum et quinque millium morapetinorum, illosque de manibus dicti administratoris et conventus Sanctissimae Trinitatis Madriti quolibet anno habeant et recipiant ad effectum superius declaratum: ac quod dicti administrator et conventus studeant eosdem redditus ad partes illas, cum maiori illa commoditate et minori impensa qua possint, remittere et destinare. Quod si aliquod dubium oriatur, illud praedictus administrator nominatus a rege declarare possit, ac id quod declaraverit, observetur, ac eius conscientiam gravabit, ut semper arbitret et declarare teneatur id quod fuerit utilius ipsis captivis et huius pii operis perpetuitati. Ac ut in eventum, in quem praedictum Algerium de manibus infidelium eriperetur, ita quod de caetero captivi fideles ibidem non detineantur, non propterea hoc pium opus cessare debeat, quinimmo praedicta Religio debeat exercere praedictum ministerium in alio Africae loco, in quo fuerint redemptores dictorum captivorum, et quod in dicto loco teneatur observare omnes illas conditiones, quas superius dictum est observari debere apud ipsum Algerium, ac ibidem distribuere omnes illos redditus, quos distribuere debent apud Algerium supradictum, observando omnia ad unguem, prout per praesentes dispositum est fieri debere apud dictum Algerii oppidum, et quod in dicto loco faciendum aut distribuendum erit, fiat et distribuatur sub dispositione et ordinatione dicti administratoris: et si in dicto aut alio huiusmodi Africae loco, in quo infideles detinuerint captivos praedictos, fuerit aliqua alia domus, conventus, aut aliqua congregatio presbyterorum et clericorum, seu religiosorum virorum, tam saecularium quam regularium, ut praemittitur, in perpetuum vel ad tempus, trium vel plurium personarum ad docendam fidem catholicam et sacramenta ecclesiastica ministranda dictis captivis, tunc et eo casu, redditus huius pii operis, aut pars illa, quae necessaria fuerit, ad illorum sustentationem et ministerium erogentur et expendantur, ac reliquum, quod applicatum est ad subveniendum necessitatibus captivorum, illud presbyteri et clerici, seu viri religiosi saeculares vel regulares praedicti recipiant, et in praedictas necessitates erogare et expendere teneantur: qui, quoad hoc, de huiusmodi administratione acceptis et expensis, subventionibus factis et erogatis, supradicto administratori rationes seu computa reddere, et quidquid ab illo ordinatum fuerit, pro huius pii operis observantia et perpetuitate, illud implere, servare et exequi teneantur et debeant eodem modo, quo dicti religiosi Sanctissimae Trinitatis facere et exequi, toto illo tempore, quo hoc pium opus sub eorum potestate extiterit, tenentur et debent. Praeterea, quod in domo dicti oppidi Madriti sit una capsa aut theca superius dicta, in qua semper sint et custodiantur privilegium regium originale dictorum reddituum, et unum instrumentum authenticum dictarum capitulationum, tractatuum et scripturarum per domum huiusmodi faciendarum, et praesentes litterae nostrae et aliae quaecumque litterae apostolicae etiam in forma brevis confectae tam confirmationis et approbationis huius institutionis et dotationis, quam aliarum quarumcumque gratiarum et indulgentiarum in favorem illius concedendarum, et liber reddituum huiusmodi et alii libri, in quibus scribantur rationes et computa dicti operis pii tam acceptorum, quam expensorum praedi-

Si Algerium in potestatem christianorum venerit, eadem summa alibi in Africa pro eodem opere Redemptionis insumenda.

Capsa Madriti construenda, in qua instrumenta omnia ad praesens institutum pertinentia conserventur.

ctorum et rerum, in quibus fuerint consumpti et distributi, et id quod ex redditibus praedictis quolibet anno supererit, ponatur et describatur cum redditu anni sequentis, et semper appareat et manifeste constet de expensis et erogationibus factis et de redditibus, qui in praedicto pio opere remanent et supersunt, et liber in quo describantur captivi qui fuerunt redempti, cum nota eorum nominum, cognominum et patriae, et pretium pro quo quilibet eorum fuerit redemptus, ut de qualibet re habeatur certa notitia, ut aequum est. Insuper quod in camera ministri regularis dictae domus oppidi Madriti sit una tabula, in qua sit descriptum summarium et relatio huius pii operis, ac quod in dicta camera etiam existat et collocetur dicta capsa sive theca instrumentorum, privilegiorum, litterarum, scripturarum et librorum praedictorum, ut melius omnia custodiantur et conserventur. Ac quod quandocumque ex dicta capsa sive theca sit extrahenda aliqua scriptura, prius describatur in libro commodatorum, quae scriptura sit, et quis illam perceperit et extraxerit, et ad quem effectum, ut isto modo non amittatur, et illius debita restitutio fieri possit. Necnon, ut hoc pium opus debitae exequutioni mandetur et perpetuo conservetur et manuteneatur, ut oportuerit, ad servitium Omnipotentis Dei et salutem animarum, dictus Laurentius episcopus illud posuit sub protectione regis Hispaniarum, et petiit ab administratore deputato et nominato, ac in futurum nominando et deputando a praedicto rege, pro negotiis redemptionis captivorum, ut opus istud recipiat et teneat sub sua administratione, et quolibet anno inquirat et intelligat, si hoc pium opus adimpletur iuxta praesentem ordinationem et dispositionem, et illud quod non fuerit exequutum, faciat exequi et provideat, ut nullus sit defectus, ac computa et rationes petat et recipiat a domo Sanctissimae Trinitatis dicti oppidi Madriti, quomodo et in quibus rebus fuerint dicti redditus expensi et erogati, ad quae omnia dictus Laurentius episcopus dedit et concessit omnem facultatem et auctoritatem dicto administratori, et pro labore illi reliquit praedictos duodecim mille morapetinos, quos percipiat, postquam dicta computa receperit et solidaverit, gratificando notario de duobus mille morapetinis ex ipsis duodecim mille pro mercede eiusdem notarii, per cuius acta, computa et rationes receperit et solidaverit; et quod dictus administrator non solum exacte recipiat dicta computa de receptis, habitis et consumptis, verum etiam principaliter inquirat, qualiter dicti fratres Sanctissimae Trinitatis faciunt id quod eis incumbit, mittendo illos religiosos sacerdotes, quos mittere tenentur, ad Algerium vel alium Africae locum, et qualiter praedictae personae missae ibidem impleant suum ministerium; et quod praedictus administrator providcat in una ex qualibet ex praedictis rebus id quod iudicaverit magis expedire, ut istud pium opus debitae exequutioni mandetur, et quod arbitratus fuerit in praemissis magis expedire, in libro decretorum seu alio describatur. Ac quod captivi, in quorum redemptionem praedicta pecunia exponi debet modo et forma praedictis, sint et esse debeant pueri vel puellae: verum si pro redimendis aliquibus captivis, qui non erunt parvae aetatis, concurrat maior et urgentior necessitas spiritualis, quod tunc in eorum redemptione exponatur dicta quantitas et semper praeferantur captivi ex dioecesi Seguntina aliis captivis et post hos captivi naturales ex ducatu de Feria, vel ex marchionatu de Priego, qui sunt status et dominia genitorum dicti Laurentii episcopi, et deficientibus captivis ex dictis locis et

Totum pium opus Hispaniarum regi commendatur.

Qui captivi in hoc pio opere caeteris praeferendi sint.

dominiis, redimantur in toto vel in parte captivi naturales ex regno Castellae, et illi qui fuerint vassalli dicti regis praeferantur aliis ex dicto regno non vassallis.

Iniunctum onus petendi pontificiam confirmationem.

Ac quod pro maiori firmitate praedictorum tam dictus Laurentius episcopus, quam fratres Sanctissimae Trinitatis petere et obtinere debeant confirmationem perpetuam et irrevocabilem huius pii operis ab hac S. Sede Apostolica, et aliquas gratias et facultates spirituales pro praedictis fratribus et captivis, sumptibus et expensis dicti Laurentii episcopi, non autem dictae religionis, ad quod idem Laurentius episcopus ex tunc se obtulit et obligavit; necnon quod eodem modo in his, in quibus pro maiori perpetuitate et exequutione huiusmodi pii operis erit necessaria approbatio regia, eodem modo utraque pars illam coniunctim petere debeant expensis dicti Laurentii episcopi in necessariis, dummodo impetretur et fiat durante vita dicti Laurentii episcopi.

Ex eadem pecunia emenda sacra suppellectilia ad celebrationem missae, *etc.*, necessaria.

Praeterea ex pecunia superius deputata ad effectum, ut per manus praedictorum fratrum in Algerio vel alio Africae loco assistentium, ut praefertur, in rebus superius specificatis, distribui debet, possint emi aliqua paramenta, seu ornamenta ecclesiastica et sacra vasa et calices necessaria ad celebrationem divinorum apud Algerium seu alium Africae locum, ut supra; et licet saepedictus Laurentius episcopus pro nunc competenter providit paramenta et calices necessarios, ut melius prospiciatur necessitatibus praedictis, quibus nunc aliter prospici non potest, voluit et ordinavit quod, occurrente aliqua necessitate dictorum paramentorum, praedicti fratres eleemosynas a piis christifidelibus petant, et de illis provideant necessitatibus altaris. Ad haec, si dictus Philippus rex aut eius in regno successores redemerint et retroemerint dictos redditus ducentorum et quinque millium morapetinorum dotationis istius operis, tunc et eo casu, dictus administrator a rege nominatus, et dictus minister domus oppidi de Madrid huiusmodi, recipiant sortem principalem, seu pretium capitale dictae retrovenditionis, illudque deponere teneantur in aliquo loco, donec et quousque inveniatur aliqua alia res aequivalens et similis, aut in iuribus regalibus, aut in aliis redditibus, qui tantumdem reddant atque respondeant, et quod administrator et Religio praedicti, pro zelo et charitate animarum captivorum, cum omni diligentia et celeritate perquirere et indagare teneantur praedictam rem similem et aequivalentem, in qua dictum pretium reinvestiatur, ne huiusmodi pium opus cesset, etiam illud in quo reinvestitur, recipiat praedicta Religio seu conventus, praecedente eorum obligatione omnium in praemissis contentorum, ad quorum observantiam se obligare teneantur per scripturam firmam et validam cum omnibus requisitis et conditionibus de iure necessariis, cum licentia superioris, et tractatibus etiam de eiusdem superioris licentia factis, et reliquis pro firmiori validitate praemissorum de iure requisitis.

Conditiones servandae pro fundi perpetuitate.

Et si infideles propter odium quod habent contra fidem catholicam et apostolicam, vel alias, aliquando vendere vel permutare christianos captivos praedictos recusaverint, illos transportando ad partes remotiores Africae, seu Barbariae, ut eos facilius a sancta fide christiana apostatare et avertere, ac ad id compellere possint (quod Deus avertat), tunc et eo casu, quia cessabit commercium et negotiatio redemptionis captivorum, quod dicta religio Sanctissimae Trinitatis iuxta suum institutum facere tenetur, ac etiam cessabit hoc pium opus, quod in dicto commercio fundatur; quod in tam miserabili eventu et successu praedicti redditus du-

Cessante Redemptione captivorum eadem summa in alia pia opera insumenda,

Quae hic aliquo modo numerantur.

centorum et quinque millium morapetinorum deservire et converti debeant pro dote alterius pii operis, quod in quadam scriptura per dictum Laurentium episcopum facta et subscripta in forma iuridica et authentica ordinatum et dispositum erit, vel in favorem et dotem virginum orphanarum, seu capellaniarum, seu aliorum piorum operum in dicta scriptura expressorum, vel exprimendorum, et cum conditionibus ibidem expressis; necnon, quod futuris temporibus expedire poterit, ut aliquid addi vel minui, aut magis particularizari debeat in pertinentibus ad firmitatem et stabilitatem huius pii operis, vel ad pinguiorem, aut commodiorem subventionem et auxilium dictorum captivorum, et ad superius disposita, citra tamen substantiae donationis, et dotationis huiusmodi mutationem vel alterationem; voluit idem Laurentius episcopus, quod illud quod ipse, eius vita durante, et dicta religio, necnon, post eius obitum, dictus administrator et religio praedicta iudicaverint mutare de rebus in praesentibus contentis, citra tamen substantiae huiusmodi pii operis dotationis et fundationis factae in favorem dictae religionis, mutationem et alterationem, talis mutatio subeat eamdem vim, valorem et firmitatem, quas haberet si praesentibus esset inserta, ac ex nunc, prout ex tunc, et e contra pro inserta habuit, et ei dedit omne robur quod de iure potuit, et voluit quod scripturae per ipsum et dictam religionem, post eius vitam faciendae et desuper conficiendae, sint et custodiantur in praedicta capsa seu theca simul cum praesentibus litteris ac privilegio regio, et ordinationibus et mandatis per dictum administratorem tempore receptionis computorum in exequutionem huius pii operis et in utilitatem captivorum faciendis. Ac ut dictus administrator informatus quo tempore anni melius possit recipere dictas rationes et computa, et dicti fratres plenius possint scire id, quod apud Algerium, seu alium Africae locum, ut praefertur, factum fuerit in exequutionem praedictorum, tunc decernat et significet dies, in quibus, quolibet anno, sine defectu recipiat dicta computa; quod si illis diebus occurrat aliquod praecisum impedimentum, recipiat dicta computa et rationes diebus proxime sequentibus, et non impeditis, ita quod nullus annus integer transeat, quin in eo praedicta computa et rationes recipiantur et revideantur. Postremo, quod dictus Laurentius episcopus declarat facere dictam donationem et dotationem dicti Ordini Sanctissimae Trinitatis in domo dicti oppidi de Madrid, hac adiecta conditione, quod teneantur se obligare, per obligationem de iure validam, adimplere conditiones et omnia in scriptura dictae dotationis contenta et ordinata, et non alias; et quod praedicta obligatio, quam religio et domus huiusmodi facere debent circa acceptationem donationis huiusmodi, sit in omnibus et per omnia iuridica et legalis, cum licentia eorum superiorum, ad se obligandum adimplere praedicta, et ad faciendum tractatus et conventiones, et iurare praedictam obligationem, et cum omnibus a iure requisitis ad validitatem et firmitatem obligationis monasteriorum et conventuum, quodque religio et conventus huiusmodi se obligant non minuere in toto nec in parte aliqua dictos redditus, sed illos integros manutenere et conservare eo modo, quo illos recipiunt, sed illos possint permutare cum aliis annuis redditibus, qui existant in loco viciniore dicto oppido de Madrito, dummodo redditus et alia bona cum quibus fieri contigerit huiusmodi permutatio, sint in quantitate, qualitate et securitate meliores et utiliores, vel saltem aequiva-

Ordo Redemptionis captivorum debet se obligare pro executione omnium quae a fundatore statuta sunt.

lentes praedictis annuis redditibus regiis, quos recipiunt; et quod praedicta permutatio fiat de consensu et approbatione et satisfactione dicti administratoris, et quod pro evictione, praedicta religio obliget redditus dictae domus seu conventus de Madrid, qui, si non sufficiant, obligare teneantur insimul redditus alterius monasterii seu conventus, ut latius constare dicitur per publicum instrumentum, per saepedictum Laurentium episcopum factum, rogatum et stipulatum in civitate Seguntina IX mensis iulii, anno a Nativitate Domini MDXCV, vel alia veriori data, per acta dilecti filii Iuliani de Villarurde scribae et notarii publici dictae civitatis.

Superiores Ordinis praedicta omnia acceptant,

§ 3. Cum autem scripturam dictae dotationis et donationis, capitula, conditiones et pacta praedicta in ea contenta, minister et fratres dictae domus oppidi de Madrito, praecedente licentia vicarii generalis dictae religionis, et praecedentibus tractatibus capitularibus dictorum fratrum et conventus, habita per eos plena notitia contentorum in dicto instrumento, acceptaverint et approbaverint, et pro illorum observatione, manutentione et conservatione dictam domum et eius bona praesentia et futura obligaverint, prout in instrumento publico desuper confecto in dicta domo et in eius capitulo, et loco capitulari sub die VII augusti dicti anni, vel alio veriori die per acta dilecti filii Gundisalvi Fernandez notarii dicti oppidi latius asseritur contineri, pro parte Laurentii episcopi ac ministri, et fratrum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus praemissis robur apostolicae confirmationis adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Et PP. supplicant pro eorumdem confirmatione.

§ 4. Nos Laurentium episcopum, et ministros, et fratres praedictos, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, nec non instrumentorum et scripturarum huiusmodi tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula capitula, conventiones, pacta, conditiones et instrumenta praedicta, ac in eis contenta quaecumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper intervenerint in eisdem, supplemus. Sicque per quoscumque iudices ordinarios aut delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Confirmat Clemens.

Statuit autem computa reddenda esse coram administratore et vicario generali archiepiscopi Toletani.

§ 5. Volumus autem et statuimus, ut in reddendis seu recipiendis et solidandis computis et rationibus dicti pii operis, simul cum administratore praedicto pro venerabili fratre archiepiscopo Toletano Ordinario, semper intervenire debeat eius in spiritualibus vicarius generalis in ipso oppido Madriti residens, sive alia persona ab eodem archiepiscopo pro tempore deputanda.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac domus et Ordinis praedictorum iuramento, con-

firmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis addit.

§ 6. Volumus etiam quod praesentium transumptis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dicti Laurentii episcopi, vel alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXIX iulii MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 29 iulii 1597, pontif. an. VI.

CLXI.

Quando S. R. E. cardinales diaconi, ad ordinem presbyteratus transeuntes, locum obtineant ante illos cardinales presbyteros, qui post eos ad cardinalatum assumpti fuerunt.

Declaratio quoad diaconos praesentes.

§ 1. Sanctissimus D. N. D. Clemens Papa VIII decrevit, ut qui in praesenti cardinales diaconi existunt, si in ordine diaconatus per integrum decennium a die eorum promotionis ad cardinalatum perseverarint, transeuntes ad ordinem presbyteratus, locum obtinere valeant ante omnes illos cardinales presbyteros, qui post illos ad cardinalatum assumpti fuerint; dummodo decem saltem cardinales diaconi in eodem ordine remaneant.

Declaratio quoad diaconos futuros.

§ 2. In posterum vero cardinales diaconi promovendi, eodem privilegio potiantur, uno hoc excepto, quod ipsis decennii tempus, non a die quo ad cardinalatum evecti fuerint, sed a die quo ad ordinem presbyteratus promoveri potuerint, currere incipiat.

Actum Romae apud S. Marcum, die lunae decima octava augusti, millesimo quingentesimo nonagesimo septimo. In Consistorio secreto.

Die 18 augusti 1597, pontif. an. VI.

CLXII.

Unio medietatis fructuum praeposituraе ecclesiae Hildesheimensis mensae episcopali, cum confirmatione iuris eligendi praepositum Capitulo, quatenus illi competat, vel accedat nova concessio; qui quidem electus a Sede Apostolica provisionem intra sex menses debeat obtinere [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito, in his nostrae auctoritatis partes libenter interponimus, per quae ecclesiarum praesertim cathedralium, eorumque praesulum commodis, simulque catholicae religionis conservationi et augmento consuli, ac alias eiusdem religionis cultui in Domino expedire conspicimus.

Causae faciendae unionis.

§ 1. Sane cum, sicut accepimus, mensa episcopalis Hildesheimensis exiles admo-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dum nunc fructus percipiat, cum eius bona pro maiori parte ab aliis occupata reperiantur, et ad illius praesulis pro tempore existentis sustentationem, seu subventionem aliquam inter venerabilem fratrem Ernestum modernum episcopum Hildesheimensem, et dilectos filios capitulum ecclesiae Hildescheimensis sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito conventum fuerit, quod medietas fructuum praepositurae eiusdem ecclesiae, quae inibi dignitas post pontificalem maior existit, et quam Capitulum huiusmodi electivam esse asserunt, cum primum per cessum vel decessum moderni praepositi, aut aliam quamcumque illius dimissionem vel amissionem vacare contingeret, eidem mensae, donec bona occupata recuperarentur, applicari debeant, reliqui vero fructus praedicti futuro praeposito liberi remaneant; ipsi vero Capitulo ius aut consuetudo eligendi praepositum de gremio Capituli praedicti (qui tamen pro tempore electus praepositurae praedictae provisionem a Sede Apostolica impetrare teneatur) ab eadem Sede innovetur seu de novo concedatur. Ex quibus tum ipsius praesulis subventioni consuleretur, tum etiam prospiceretur ut praepositura praedicta personae catholicae, ac de statu ipsius informatae conferretur; cumque tam episcopus quam Capitulum praedicti nobis humiliter supplicari fecerint, ut in praemissis eiusdem ecclesiae statui opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Unio, de qua in rubrica.

§ 2. Nos, qui de cunctarum ecclesiarum ac de cathedralium insignium, earum praecipue quae faucibus haereticorum expositae sunt, statu prospere dirigendo, sollicitis studiis assidue cogitamus, quique, inter alia, voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem etiam alterius beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset; eorumdem episcopi et Capituli votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsumque episcopum ac Capituli huiusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, medietatem seu aliam partem inter episcopum et Capitulum praedictos, ut praefertur, conventam omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum quorumcumque dictae praepositurae, qui, ut asserunt, valorem annuum noningentorum ducatorum auri de Camera, secundum communem extimationem, non excedunt, dictae mensae, cuius fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores, praesentibus pro expressis haberi volumus, ex nunc prout ex tunc, et e contra, cum primum praepositurum praedictam per cessum vel decessum, aut quamcumque dimissionem aut amissionem moderni praepositi vacare contigerit, donec ipsius mensae episcopalis bona, ut praefertur, occupata, aut eorum maior pars recuperata fuerit, ita quod liceat moderno, aut pro tempore existenti episcopo Hildesheimensi cum primum dicta praepositura, ut praefertur, vacaverit, fructuum, reddituum, proventuum, iurium et obventionum, ac emolumentorum praedictorum medietatem, ut praefertur, conventam propria auctoritate libere percipere, exigere et

levare, ac in suos et dictae mensae usus et utilitatem convertere, auctoritate apostolica, tenore praesentium, unimus, annectimus et incorporamus.

Facultas Capitulo praepositum eligendi;

§ 3. Praeterea Capitulo et canonicis praedictis ius seu consuetudinem praepositum eiusdem ecclesiae, quandocumque dictam praeposituram, praemissis aut aliis quibuscumque modis, vacare contigerit, de ipsorum gremio eligendi, quatenus eis competat, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo confirmamus et approbamus; et nihilominus quatenus Capitulum et canonici praedicti nullum ius aut consuetudinem eligendi praedictum praepositum legitime habeant, illis ius praepositum, de gremio tamen Capituli huiusmodi, idoneum et catholicum ad praeposituram praedictam quandocumque et quomodocumque, praeterquam infrascripto modo, et quotiescumque pro tempore vacaverit, eligendi perpetuo pariter concedimus et tribuimus.

Qui tamen praepositus intra sex menses pontificiam provisionem debeat obtinere.

§ 4. Volumus tamen, ut praepositus pro tempore electus huiusmodi, intra sex menses a die suae electionis computandos, praeposituae praedictae provisionem a Sede Apostolica impetrare omnino teneatur; alioquin, dictis sex mensibus elapsis, electio praedicta nulla sit, ac eadem praepositura vacet eo ipso, possitque de ea per Sedem Apostolicam dumtaxat libere disponi, nisi praepositus electus huiusmodi, legitimo impedimento detentus, de huiusmodi impedimento nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis datario constare fecerit, aut ipsi petenti provisionem huiusmodi, et coram dicto datario protestanti, quod per eum non stet, contigerit illam sibi denegari.

Clausulae.

§ 5. Decernentes praesentes litteras de nullitates vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu, etiam ex eo, quod dictus praepositus, aut alii quicumque interesse habentes vocati et auditi non fuerint, notari, redargui, impugnari, in ius vel controversiam vocari, aut contra illas aliquod gratiae vel iustitiae remedium impetrari, vel alias quomodolibet infringi, suspendi, limitari, retractari, vel revocari nullatenus posse, sed semper validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores harum litterarum deputati.

§ 6. Quocirca dilectis filiis causarum Camerae Apostolicae generali auditori, et Hildesheimensibus ac Padebornensibus officialibus, et eorum cuilibet per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte tam episcopi quam Capituli praedictorum fuerint requisiti, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra illos praemissorum eorumdem effectu, prout ad quemlibet eorum spectat pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet, eisque auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestantes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII,

praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis extra suam civitatem vel dioecesim auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, nec non ecclesiae praedictae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis vel consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis ecclesiae, praesuli et Capitulo praedictis, ac aliis quibuscumque in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

In casu resignationis praeposituraе, provisio spectat omnino ad Pontificem.

§ 8. Volumus autem, et apostolica auctoritate decernimus, quod quotiescumque praepositura praedicta, per resignationem in manibus nostris, seu pro tempore existentis Romani Pontificis vacare contigerit, Capitulum[1] praedicti ab electione novi praepositi abstineant, sed eadem praepositura per Sedem Apostolicam dumtaxat conferri et de ea provideri libere possit; quodque praepositus pro tempore existens in civitate Hildesheimensi continuo residere, ac iuramentum per praepositos dictae ecclesiae praestari solitum, praestare teneatur.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXII augusti MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 22 augusti 1597, pontif. an. VI.

CLXIII.

Committitur episcopo Monasteriensi, ut canonicatum et praebendam collegiatae ecclesiae S. Mauritii extra muros monasterienses vacantes supprimat et uniat decanatui eiusdem ecclesiae[1].

1 Addendum forsitan *et Canonici* (R.T.).

Venerabili fratri episcopo, seu dilecto filio officiali Monasteriensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, seu dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa faciendae unionis.

§ 1. Expositum nobis nuper fuit, pro parte dilectorum filiorum Capituli et canonicorum collegiatae ecclesiae S. Mauritii prope et extra muros Monasterienses, quod in dicta ecclesia, ultra praeposituram et decanatum, undecim canonicatus et praebendae, ac plura alia beneficia reperiuntur, quibus omnibus, excepto decanatu, de condignis redditibus pro qualitate loci provisum est; decanatus vero, qui inibi secunda dignitas existit, et cui cura iurisdictionalis imminet animarum, fructus adeo tenues sunt, ut valorem decem ducatorum auri de Camera annuatim non excedant; hincque provenit, ut decanus hactenus frequentius apud ecclesiam praedictam residere non potuerit, sed alibi domicilium quaerere coactus fuerit, quod decori eiusdem ecclesiae plurimum detrahit. Cui incommodo Capitulum et canonici praedicti occurri posse censentes, si canonicatus et praebenda eiusdem ecclesiae nunc per obitum quondam Bernardi Schencking dum viveret eiusdem ecclesiae canonici extra Romanam Curiam de mense aprilis proxime praeterito defuncti (quorum collatio ad ipsos Capitulum et canonicos ex antiqua et hactenus inviolabiliter observata consuetudine, ut asseritur, spectat), vacantes perpetuo supprimerentur, eorumque fructus dicto decanatui unirentur, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super hoc opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 2. Nos igitur, qui dudum inter alia

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Commissio, de qua in rubrica.

voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum etiam annuum valorem alterius beneficii, cui aliud uniri peteretur, quodque commissio semper fieret ad partes, vocatis quorum interesset, decanatus, nec non canonicatus et praebendae praedictorum veros annuos valores, praesentibus pro expressis habentes, ac decanum et singulares eiusdem Capituli personas huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, frater episcope, seu discretioni tuae fili officialis, per praesentes committimus et mandamus, ut vocatis vocandis de praemissis te diligenter informes, iisque veritate niti compertis, canonicatum et praebendam, ut praefertur, aut alias quovis modo, quem praesentibus pro expresso haberi volumus, vacantes, etiamsi eorum collatio iuxta Lateranensis Concilii decreta, ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, et super ipsis canonicatu et praebenda inter aliquos lis (cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso) pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in ea alicui specialiter ius quaesitum, auctoritate apostolica, perpetuo supprimas et extinguas; ac ipsorum fructus, redditus et proventus, iura, obventiones, emolumenta et bona quaecumque, praedicto decanatui (ita ut liceat moderno et pro tempore existenti decano, illorum corporalem, realem et actualem possessionem propria auctoritate apprehendere et perpetuo retinere, ac fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta huiusmodi percipere, exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere, alicuius licentia desuper minime requisita, auctoritate praedicta) perpetuo unias et incorpores.

Ratificatio cum clausulis.

§ 3. Nos enim suppressionem, extinctionem ac unionem et incorporationem per te vigore praesentium faciendas, si et postquam factae fuerint, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, perpetuo confirmamus et approbamus, ac semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter observari, neque decanum et Capitulum praedictos super praemissis per quoscumque quavis etiam apostolica praedicta, vel ordinaria auctoritate, quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri posse aut debere; sicque in praemissis ab omnibus censeri et ita per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere, necnon quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, et aliis quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac dictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de canonicatu et praebenda huiusmodi speciales vel generales dictae Sedis, aut legatorum

litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem, ac inde sequuta quaecumque ad huiusmodi canonicatum et praebendam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quo ad assequutionem beneficiorum aliorum praeiudicium generari, et quibusvis aliis privilegiis, indultis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXVI augusti MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 26 augusti 1597, pontif. an. VI.

CLXIV.

Confirmatio privilegiorum pro tempore existentis archiepiscopi Avenionensis.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis apostolicae servitutis debito, circa statum quarumlibet ecclesiarum, et praesertim metropolitanarum insignium, illisque praesidentium personarum, et earum iurium et privilegiorum conservationem, sollicite vigilare tenemur; ac propterea his, quae per praedecessores nostros et alios provide concessa sunt, ut firma perpetuo et illibata persistant, apostolici muniminis firmitatem libenter adiicimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Proœmium.

§ 1. Sane, sicut accepimus, dudum felicis recordationis Paulus Papa III, praedecessor noster, sibi pro parte bonae memoriae Alexandri, tunc S. Laurentii in Damaso diaconi cardinalis Farnesii, S. R. E. vicecancellarii et ecclesiae Avenionensis in temporalibus et spiritualibus administratoris, exposito, quod cum recolendae mem. Adrianus IV et Innocentius etiam IV, Romani Pontifices praedecessores nostri, tunc sui, et plures Sedis Apostolicae de latere legati, nec non clarae memoriae Fridericus Romanorum imperator et quondam Vilhelmus Forcorcherii et Alphonsus Pictavensis, nec non Carolus Andegavensis et Provinciae comites, et alii imperatores, reges et principes catholici dictae ecclesiae Avenionensi, ac illius antistiti pro tempore existenti, diversa privilegia, praeeminentias, immunitates, exemptiones, gratias, libertates, praerogativas, concessiones et indulta, prout in eorum apostolicis et patentibus litteris, ac publicis instrumentis desuper confectis, plenius continetur, fecissent, concessissent et donassent; cumque recolendae memoriae Iulius Papa II, etiam praedecessor noster, antea in minoribus constitutus, quadraginta quinque annis vel circa, eidem ecclesiae Avenionensi praefuisset, et etiam Sedis Apostolicae de latere legati munere in civitate Avenionensi et comitatu Venaissino functus fuisset, ac etiam ante illum plures in civitate et comitatu praedictis, Apostolicae Sedis de latere legati, dictae ecclesiae Avenionensi praefuissent, et dum legati simulque praesulis muneribus fungerentur, pluribus facultatibus, gratiis et indultis praedictae ecclesiae Avenionensis archiepiscopis pro tempore existentibus, per praedictos et alios Romanos Pontifices ac principes concessis, usi fuissent, nec satis constaret, an ea tamquam archiepiscopi, aut tamquam dictae Sedis legati gessissent; ne ullo tempore de facultatibus, gratiis et indultis, aliisque concessionibus, libertatibus et prae- Paulus III a suis antecessoribus privilegia archiepiscopis Avenionensibus concessa confirmat.

rogativis dictis archiepiscopis competentibus, propterea dubitari posset; ac pro maiori eorum validitate praedictus Alexander cardinalis et administrator cupiebat, privilegia, praeeminentias, immunitates, exemptiones, gratias, libertates, praerogativas, concessiones et indulta huiusmodi apostolicae approbationis munimine roborari, supplicationibus ipsius Alexandri cardinalis et administratoris super hoc sibi humiliter porrectis inclinatus, privilegia, praeeminentias, immunitates, exemptiones, gratias, libertates, praerogativas, concessiones et indulta praedicta, ac prout illa concernebant, confectas litteras desuper apostolicas, nec non omnia et singula in illis, ac instrumentis, actis et documentis huiusmodi contenta et inde sequuta quaecumque, ex certa eius scientia, auctoritate apostolica, approbavit et confirmavit; ac omnes et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem, supplevit et illis perpetuae robur firmatis adiecit, eaque omnia et singula perpetuae firmitatis robur obtinere et inviolabiliter observari debere; nec non eidem Alexandro cardinali et administratori, ac pro tempore existenti archiepiscopo Avenionensi suffragari, ipsosque Alexandrum cardinalem et administratorem, ac pro tempore existentes archiepiscopos Avenionensis, illis omnibus et singulis uti et gaudere, nec desuper per pro tempore existentes dictae Sedis legatos et vicarios, seu quosvis alios, quavis auctoritate, praeeminentia et superioritate fungentes, molestari, perturbari, impediri aut inquietari, vel eis in aliquo praeiudicari posse, seu debere decrevit et alias, prout in praedicti Pauli praedecessoris desuper confectis litteris, etiam plenius continetur.

Eadem a Clemente confirmat.

§ 2. Cum autem, sicut nobis innotuit, dilectus filius noster Franciscus Maria, tituli Sancti Bartholomaei in insula, eiusdem S. R. E. praesbyter cardinalis de Avenione nuncupati et ecclesiae praedictae Avenionensis ex concessione seu dispensatione apostolica, praesul, cupiat privilegia et indulta huiusmodi, pro illorum firmiori subsistentia, nostro et apostolico munimine roborari.

ri petit Franciscus Maria cardinalis Avenionensis.

Confirmat Clemens.

§ 3. Nos, qui in supremo militantis ecclesiae solio, divina dispensatione, constituti, ad ecclesiarum et eis praesidentium personarum huiusmodi statum feliciter dirigendum, et ut non solum in suis iurisdictionibus non graventur, sed etiam ut prospera, auctore Domino, iugiter suscipiant incrementa, libenter attendimus, singularum litterarum et instrumentorum ac aliorum actorum et documentorum desuper confectorum tenores, ac si de verbo ad verbum hic insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio, non ad ipsius Francisci Mariae cardinalis, aut alterius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, praeeminentias, immunitates, exemptiones, gratias, libertates, praerogativas, concessiones et indulta huiusmodi, illorumque vim, formam, continentiam, tenorem, datam et effectus, quatenus tamen sacris Concilii Tridentini decretis non adversentur, ac in usu sint, et non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus compraehensa, tenore praesentium, apostolica auctoritate, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, aliosque etiam substantiales defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, eaque valida et efficacia fore et esse, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, ac robore et viribus subsistere,

et ab omnibus, quos concernunt et concernent in futurum, inviolabiliter observari debere, nec non dicto Francisco Mariae cardinali, ac pro tempore existenti archiepiscopo Avenionensi suffragari, eosque illis frui, uti et gaudere posse et debere, nec super illis, tam in iudicio quam extra iudicium, etiam in foro conscientiae a pro tempore existente nostro, et Sedis Apostolicae de latere legato Avenionensi seu eius vicelegato, aut vicario, et quovis alio molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus posse; sicque et non aliter ab omnibus et singulis censeri, et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, ac eosdem S. R. Ecclesiae cardinales, et praedictum Avenionensem et alios de latere legatos, ac etiam palatii nostri auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, nec non quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Eidem archiepiscopo asseritur omnimoda iurisdictio super castris hic recensitis.

§ 4. Caeterum, quia, sicut etiam accepimus, loca Bituritarum, ac Castrinovi, Carcernerii, et Gigoniani Avenionensis dioecesis, illorumque universitates et homines sub dicto comitatu, et sub legatione Avenionensi, in temporalibus minime compraehenduntur, nec compraehensa sunt, sed archiepiscopo Avenionensi pro tempore existenti, etiam in temporalibus subiecta existunt, et ad mensam archiepiscopalem pleno iure spectant; et nihilominus nunc, et pro tempore existens noster et Sedis Apostolicae de latere legatus Avenionensis, illiusque vicelegatus et vicarius, aliique forsan illius officiales, praetextu eorum iurisdictionis, interdum in ea et eos aliquam iurisdictionem temporalem exercuerunt, et exercere potuisse ac posse praetendunt; et propterea nonnullae controversiae inter eumdem legatum, illius vicelegatum et archiepiscopum praedictum nuper ortae sunt, ac de caetero oriri possent; nos ad illa removenda et evitanda, et alias pro bono pacis, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo statuimus, decernimus et declaramus, quod de caetero perpetuis futuris temporibus, nunc et pro tempore existens noster et eiusdem Sedis de latere legatus Avenionensis, illiusque vicelegatus ac vicarius, et alii illius officiales in causis appellationum, quae ad forum temporale dictorum locorum spectant, et a iudicibus ac commissariis pro tempore existentis archiepiscopi interponuntur, se intromittere, et in dictis locis officiales temporales creare aut destituere, taleas et collectas imponere, seu impositas approbare, gratiam super delictis commissis facere, mulctas indicere, et bona fisco applicare et incorporare, prohibitiones et bannimenta ne frumenta extrahantur promulgare, contravenientes punire, subsidia, si quae tempore belli exercitibus sint praestanda, indicere, aut quamvis aliam iurisdictionem, quae temporale dominium concernat, exercere non possint neque debeant, nisi aliter fuerit, expressis verbis et in individuo, a nobis et successoribus nostris specialiter concessum et ordinatum, sed praemissa omnia praedictus Franciscus Maria cardinalis, et pro tempore existens archiepiscopus Avenionensis gerere, exercere et exequi possit et debeat.

Legato vero illud ius quod ad Pontificem de iure spectat.

§ 5. Dictusque legatus Avenionensis illiusque vicelegatus, ac vicarius, aliique eius officiales praedicti, beneficia ecclesiastica in mensibus nobis et successoribus nostris reservatis et affectis pro tempore vacantibus, iuxta eius facultates, conferre, et in beneficialibus ac matrimonialibus causis se intromittere, et earum appellationes admittere, iudices de-

legare, aliaque, quae ad forum nostrum spirituale spectant et pertinent, facere et exequi possit et debeat.

Clausulae ad praesentium litterarum firmitatem.

§ 6. Praesentes quoque nostrae litterae ex quibusvis causis, de subreptionis, obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quovis alio defectu notari, seu impugnari, aut alias quomodolibet infringi vel retractari, seu invalidari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque iuris et facti, vel iustitiae, aut gratiae remedium impetrari, vel concedi non possint, et ita per eosdem iudices, commissarios, S. R. E. cardinales, etiam legatos de latere, ac praedicti palatii auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari pariter decernimus.

Exequutores earumdem deputati.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus Cavallicensi, Carpenctoratensi et Vasionensi episcopis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Francisci Mariae cardinalis, aut pro tempore existentis archiepiscopi Avenionensis desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant, auctoritate nostra, praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ipsumque Franciscum Mariam cardinalem, et pro tempore existentem archiepiscopum Avenionensem illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque, contra earumdem praesentium tenorem, quomodolibet molestari; contradictores quoslibet et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus bonae memoriae Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur expresse ne quis extra suam civitatem et dioecesim, ultra unam diaetam, ad iudicium advocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati, extra civitatem vel dioecesim in quibus deputati fuerunt; contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant, et de duabus in concilio generali edita, dummodo non ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium trahatur, et aliis apostolicis constitutionibus, etiam dictae ecclesiae Avenionensi iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi aut excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die III septembris MDXCVII, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 3 septembr. 1597, pont. an. VI[1].

1 Die X eiusdem mensis et anni Clemens Papa modum praefinivit, quo inquirendum sit in eos, qui Ordini Fratrum Praedicatorum nomen dare volunt, suis litteris, quibus est initium: *In his*, etc. Eas tamen omisi, quia referuntur in Bullario, quod ad usum eiusdem Ordinis edidit cl. vir Fr. Antoninus Bremond, qui summa prudentia, nec satis umquam rependendo beneficio praeest et quidem tom. VI, pag. 225. Atque utinam aliquando opportuna mihi sese praebeat occasio aliqualem illi grati animi mei aeternae summorum beneficiorum, quibus me cumulavit, memoriae significationem praeferendi. Ita Cocquelinius scribebat. (R.T.).

CLXV.

Confirmatio et extensio constitutionum editarum contra extrahentes de Statu Ecclesiastico animalia, fruges et frumenta etiam ex bonis ecclesiasticis collecta, et contra mercantes vel retinentes in dicto Statu sal exterum, baronesque ab eorum subditis ementes frumentum ultra usum unius anni.

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Frumenti penuriam, non tam Dei iudicio a quo iuste pro peccatis nostris affligimur, quam hominum avaritia ac detestabili frumentario quaestu in locis, maxime ditioni nostrae temporali subiectis, invalescentem, eiusque pretium hoc praecipue anno falsis rumoribus, ac diversis artibus nimis adauctum conspicientes, in hoc unum praecipue incumbendum duximus, ut subditi nostri, ac pauperes huius almae Urbis nostrae, quos paterna charitate complectimur, quantum in nobis erit, ab ista annonae caritate releventur.

Abusus extrahendi frumenta ex Statu Ecclesiastico; § 1. Intelligentes itaque, non sine animi nostri maxima perturbatione, quod quamplures, tam ex ipsismet subditis quam alii, propriae salutis penitus immemores, non obstantibus tot constitutionibus per praedecessores nostros, et praesertim felicis recordationis Gregorium XIII super prohibitione extrahendi frumenta et alia blada extra Statum Ecclesiasticum editis, ac poenis in eis contentis, in dies maximam frumenti quantitatem extra dictum Statum nobis immediate subiectum, et ad ea loca, in quibus pretium adauctum esse audiunt, vel per seipsos comportant, vel his, qui illud exportaturi sunt, scienter vendunt; et non solum propria ipsorum frumenta bladaque, quae ex praediis suis, propriaque industria et arte colligunt, verum etiam quae ab aliis, et praesertim pauperibus rusticis, operariis et agricolis, ac etiam subditis, si barones sint, vili pretio, ex negociatione compararunt et congesserunt.

Vel ea abscondendi sub spe caritatis; § 2. Alii vero frumenta praedicta, et si non extrahunt, ita in horreis et foveis recondunt, ac conclusa supprimunt, ut quam Dei benignitas aliquando populis fertilitatem anni benigni concedit, ipsi avare et sordide perturbare et vitiare non erubescunt, poenas et censuras in constitutione per felicis recordationis Clementem VII et Pium PP. V, praedecessores nostros, desuper editis temere incurrentes.

Vel exterum sal mercandi. § 3. Alii autem, sumpta occasione quod, aliquibus ab hinc annis, ob devastationem salinarum Cerviensium ministri Camerae, ut necessariam salis quantitatem populis nostri Status subministrarent, illud ab exteris regionibus convehi fecerunt, credentes ad instar Camerae idem sibi licere in praeiudicium Camerae nostrae, et animarum suarum perniciem, dictum sal exterum et mercari et vendere, eoque uti temere audent, nulla habita ratione poenarum in constitutione per felicis recordationis Gregorium XIII, praedecessorem nostrum, contra inobedientes in huiusmodi materia inflictarum.

Ad eos tollendos Clemens renovat constitutiones praedecessorum suorum, poenasque in eis contentas, excommunicatione excepta. § 4. Ut his igitur malis radicitus evellendis nova remedia adhibeantur, quos charitatis vinculo potius quam poenarum severitate in officio huc usque continere frustra studuimus, indignationis nostrae, ac legum, magistratuum severitas, iustitiaequae gladius, ac debitas luendi poenas timor exterreat, ac penitus ab his cohibeat, hac praesenti et perpetuo valitura constitutione, omnes et singulas constitutiones a Gregorio XIII, Pio IV, Pio V, Clemente VII, et quibusvis aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, suo

cuiusque tempore, super manutentione annonae, contra extrahentes frumenta, blada, legumina et omnes alios cuiusvis generis commeatus, ac mercantes sal exterum, et alios supra nominatos, et infra dicendos editis, poenasque etiam privationis feudorum, ac confiscationis aliorum quorumcumque bonorum, quoad domicellos et barones, et amissionis frumenti, bladarum, salis et animalium, ac scutorum quinque pro qualibet salma dicti frumenti, ac duorum pro quolibet capite animalium, quoad omnes, cum omnibus aliis et singulis in eis contentis, quoad ea quae praesentibus non adversentur, et excepta excommunicationis sententia, quae cum ad medelam et salutem inventa sit, ne animarum perniciem et interitum afferat, tam ex supra expressis casibus, quam in emendo frumenta et alia ultra usum, consulto tollendam et submovendam duximus, ex certa scientia nostra approbantes et innovantes, illarumque omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis haberi volentes.

Aliasque poenas infligit.

§ 5. Universis et singulis tenore praesentium interdicimus, ne sub indignationis nostrae, et sub iam dictis poenis, nempe quoad barones, domicellos, feudatarios et subditos nostros, quacumque etiam ducali dignitate fulgentes, privationis feudorum, ac confiscationis aliorum bonorum et rerum quarumcumque; quo vero ad alias privatas personas cuiusvis status, gradus, ordinis et conditionis, ultra amissionis frumentorum, bladarum, leguminum et animalium illa quomodolibet deferentium, necnon quinque scutorum pro qualibet salma et duorum scutorum pro quolibet capite animalis, triremium pro prima vice ad decennium, ac deinde sub capitis, sive extremi supplicii, et confiscationis omnium bonorum, ipso facto et absque alia declaratione, incurrendis poenis, triticum, ordeum, legumina etiam, ac omnis generis frumenta, fruges et animalia, etiam ex bonis ecclesiasticis collecta a terris et locis dicti Status nostri ecclesiastici, absque expressa nostra, et a nobis obtenta in scriptis manu nostra, seu successorum nostrorum solum signata licentia, extrahere, seu extrahi facere, vel extrahentibus vendere, neve dictum sal exterum undecumque intra ecclesiasticae nostrae ditionis temporalis fines comportare, aut vendere, vel quoquo modo mercari, retinere, vel eo uti audeant vel praesumant.

Baronibus prohibet frumenta, ultra usum anni a vassallis emere, etiam sub poena capitis.

§ 6. Baronibus autem, ducibus aut domicellis praedictis, ne ab eorum subditis, per se ipsos vel per interpositam personam, frumenta et blada, vel legumina, praeterquam pro suo suarumque familiarum unius dumtaxat anni usu emant, sub iam dictis omnibus, ac etiam capitis, poenis, statuimus atque decernimus.

Camerario et praefecto annonae iurisdictionem in contravenientes concedit.

§ 7. Mandantes dilectis filiis nostro et S. R. E. camerario et annonae praefecto, quatenus contra praedictos delinquentes, seu in flagranti fuerint reperti, sive ad curiam denunciati fuerint, vel alias etiam secreto delati, ex officio ad exequutionem praedictarum poenarum irremissibiliter procedant et procedi mandent et faciant, et quoties opus fuerit, bona confiscata et feuda devoluta declarent, eaque fisco et Camerae nostrae actualiter incorporari faciant.

Clausulae derogatoriae.

§ 8. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die decimatertia septembris, millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 13 septembris 1597, pontif. an. VI.

CLXVI.

Leges servandae in concedenda laurea doctoratus Anglis catholicis, qui in seminariis operam studiis navant [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis officii nobis, divina disponente clementia, commissi ratio nos admonet, ut eorum honori et dignitati libenter consulamus, qui non solum inter pravos eorum patriae errores ab haeresis labe se se immunes conservare studeant, sed etiam, nullis vitae periculis deterriti, totis viribus patriam a pravis haeresum erroribus revocare contendunt.

Angli in academiis ad gradus promovebantur, nulla aetatis et meritorum habita ratione.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, postquam in Angliae regno, haereticis illius tyrannis iubentibus, haereses impune grassari, ac fides catholica palam impugnari, et in eiusdem fidei catholicae cultores immaniter saeviri caeptum est, apud catholicos Anglos, qui gravibus persequutionum procellis cedentes, ad alia catholicorum regna confugerunt, ille irrepserit abusus, quod nimirum iuvenes nonnulli Anglicani, praeter leges et consuetudines olim celeberrimarum Angliae universitatum, Oxoniensis et Cantabrigensis, doctoratus gradum apud exteras nationes, nulla fere aetatis, morum, aut studiorum habita ratione, precibus, seu pretio quodammodo sibi comparent: cumque ex hac iuvenilis praesumptionis licentia et temeritate, non solum huiusmodi gradus, qui magni olim apud Anglos honoris et praecipuae dignitatis loco erat, plurimisque privilegiis fulgebat, contemni et flocci fieri caeperit, sed eo pacto sacerdotibus etiam antiquioribus, gravioribus et doctioribus, qui in Anglicana vinea strenue laborant, non exigua irrogari soleat iniuria, dum aetate iuvenes, omni genere meritorum inferiores, ipsis provectioribus et veteranis quasi militibus, ob huiusmodi doctoratus gradum, praecedere contendunt.

Clemens statuit Anglos ad gradus promoveri non posse, nisi de licentia rectoris seminarii in quo fuerint, et protectoris regni.

§ 2. Ad has igitur offensionum ac dissensionum occasiones tollendas, nos, motu proprio, et ex certa scientia, ac mera deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut nullus e natione Anglicana in posterum, donec apud Anglos haeretici praevaluerint, quousque regnum illud ad Sedis Apostolicae obedientiam ac unionem reductum fuerit, doctoratus gradum in sacra theologia, vel altero iuris suscipiat, nisi post cursum ordinarium quatuor annorum in eadem scientia ac professione absolutum, alios adhuc quatuor annos ad minimum, ad solidanda, perpolienda ac perficienda haec eadem studia, et quo maturior, doctior graviorque quilibet evadat, antequam ad doctoratus gradum ascendere possit, expectet; neque tunc quoque, nisi cum approbatione in scriptis superioris collegii seu seminarii, in quo quisquam studuerit, atque educatus fuerit, atque Anglicanae nationis apud nos et Apostolicam Sedem protectoris, vel personae, quae illius vices ac facultates ad hoc ipsum habuerit, in partibus, ubi quis promoveri voluerit, huiusmodi gradum accipere possit.

Si quis in pluribus fuerit seminariis testimonium producat rectoris illius Seminarii, in quo ultimo fuit.

§ 3. Si vero contigerit, ut saepe solet, eum, qui huiusmodi gradum suscipere voluerit, in diversis vixisse seminariis Anglicanae nationis, approbatio a rectore seu superiore illius collegii, in quo ultimo studiorum causa vixit, haberi debeat; qui rector seu superior, aliorum quoque rectorum, sub quibusvis ante ipse graduandus vixerit, indicia tam de moribus quam de scientia illius exquirat, atque de omnibus praedictum protectorem, aut eum, qui eius vices habuerit, certiorem faciant, auctoritate apostolica

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus.

Conceditur protectori facultas cum aliquibus dispensandi

§ 4. Verum, cum casus aliquis extraordinarius intervenerit, vel necessitas vel personae dignitas, vel alia iusta causa, quae, dictorum superiorum ac protectoris iudicio, super his dispensationem mereatur, praedicto protectori nunc et pro tempore existenti, raro tamen, super his dispensandi facultatem concedimus et impertimur.

Poenae contra inobedientes.

§ 5. Decernentes, si quis deinceps, infra statutum hic tempus, vel sine superiorum suorum ac protectoris aut vicem eius gerentis facultate, doctoratus gradum, ubicumque locorum et gentium, suscipere praesumpserit, huiusmodi gradum nullum esse et fore, neque ipsum doctorem appellari, aut ulla doctoris dignitate vel privilegio gaudere unquam posse; perinde ac si ad dictum gradum promotus non fuisset, ac praeterea excommunicationis poenam, cuius absolutionem nobis et Sedi Apostolicae specialiter reservamus, incurrere.

Clausulae pro huius constitutionis firmitate.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 7. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et cuiuscumque universitatis studii generalis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem universitatibus, earumque rectoribus, et quibusvis personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 8. Volumus autem ut praesentium transumptis, *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XVIII septemb. MDXCVII, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 18 septembris 1597, pont. an. VI.

CLXVII.

Institutio trium novitiatuum vel seminariorum in tribus monasteriis Ordinis Sancti Basilii in Italia, cum assignatione subventionis per commendatarios ipsorum monasteriorum eis annuatim praestandae.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Trium novitiatuum institutio pro novitiis Ordinis S. Basilii in Italia.

Cum ad sublevandum Ordinem S. Basilii, tria eiusdem Ordinis seminaria, seu tres novitiatus, in quibus adolescentes et novitii litteris graecis et latinis operam dent, unum videlicet in Sicilia, et in monasterio magno nuncupato S. Salvatoris Messanensis dicti Ordinis, alterum vero in regno Neapolitano, et tertium in monasterio Cryptae Ferratae in agro romano, nullius dioecesis, seu in monasterio in Urbe propediem erigendo, institui valde expediat.

Assignatio annui subsidii eis a monasteriorum commendatariis dicti Ordinis praestandi.

§ 1. Nos, quibus summopere cordi est, modis omnibus, Deo iuvante, efficere ut eius Ordinis religiosi in dies optatos et felices in viis Domini progressus faciant, atque uberes in ecclesia Dei fructus, more maiorum suorum, et praecipue sancti

eorum patris et patriarchae Basilii proferant, omnibus et singulis commendatariis quorumcumque monasteriorum, prioratuum et aliorum regularium locorum dicti Ordinis in Sicilia, Calabria, et Italiae partibus (in quibus nimirum seminaria ecclesiastica latina non sunt, seu etiamsi erecta sint, iis per dictos commendatarios portio aliqua actu non persolvitur) consistentium, quavis illi dignitate, auctoritate et conditione, etiam cardinalatus honore praefulgeant, in virtute sanctae obedientiae, harum tenore, praecipimus et mandamus, ut eam omnem ratam portionem vel pecuniam, quam ipsi ratione commendarum, monasteriorum, prioratuum et locorum huiusmodi, seminariis ecclesiasticis latinis pro quolibet centenario singulis annis persolvere tenerentur, quatenus ibidem seminaria latina huiusmodi non sint, aut ipsi dictis seminariis latinis contributionem aliquam actu non persolvant, de caetero perpetuis futuris temporibus, procuratori seu procuratoribus dictorum seminariorum seu novitiatuum a dilecto filio Theodoro moderno, ac pro tempore existente abbati generali Congregationis Italiae Ordinis praefati, seu a capitulo generali eiusdem Ordinis pro tempore deputatis et deputandis, pro substentatione et manutentione dictorum seminariorum seu novitiatuum Ordinis huiusmodi, ad omnem illius vel illorum requisitionem, ac omni et quacumque excusatione, mora et dilatione postpositis, persolvere debeant et teneantur. Quos commendatarios a solutione ratae seu portionis, vel pecuniae huiusmodi eisdem seminariis latinis in posterum facienda, perpetuo eximimus et liberamus. Nec non procuratori seu procuratoribus sic, ut praemittitur, deputatis, aut deputandis eam omnem ratam, seu portionem, vel pecuniam ab ipsis commendatariis, seu eorum affictuariis propria auctoritate exigendi, levandi, ac in usus dictorum seminariorum seu novitiatuum convertendi, licentiam et auctoritatem per praesentes tribuimus et impertimur.

Commendatarii ratam pecuniae pro seminariorum huiusmodi substentatione persolvere debent

§ 2. Quoniam vero extant quaedam beneficia simplicia ecclesiastica, regularia sive saecularia, tam in Siciliae quam in Calabriae provinciis, quae ad capituli seu conventus monachorum dicti monasterii S. Salvatoris liberam collationem seu provisionem spectant et pertinent, quorum quidem aliqua tantum nunc reperiuntur unita, seu applicata seminario seu novitiatui eiusdem monasterii, caetera vero cum vacant, a dicto capitulo et conventu libere conferuntur, idcirco nos eorumdem beneficiorum non unitorum qualitates, situationes, confines, vocabula, invocationes verosque annuos valores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illa omnia et singula, cum primum per cessum vel decessum, aut alias quovis modo vacaverint, dummodo dictorum beneficiorum collatio seu provisio ad praedictum capitulum seu conventum monachorum dicti monasterii Sancti Salvatoris libere spectet et pertineat, praedicto seminario seu novitiatui perpetuo annectimus, unimus et incorporamus.

Applicatio beneficiorum spectantium ad collationem conventus et capituli S. Salvatoris pro novitiatu S. Salvatoris.

§ 3. Et eorum, quae hactenus unita, applicata, seu incorporata sunt, unionem, applicationem et incorporationem, eadem auctoritate nostra, confirmamus et approbamus.

Approbatio unionis et applicationis iam factae.

§ 4. Ita quod procuratori dicti novitiatus liceat propria auctoritate eorumdem beneficiorum, et illorum bonorum ac illis annexorum possessionem, seu quasi, ex nunc prout ex tunc, cum, ut praefertur, vacaverint, dicti seminarii aut novitiatus nomine libere apprehendere, et cum unioni locus factus fuerit, eorum fructus, redditus et proventus propria auctoritate perpetuo exigere, percipere et

Facultas procuratoris dicti novitiatus possessionem dictorum beneficiorum capiendi, et eorum fructus exigendi propria auctoritate

levare, ac in seminarii seu novitiatus huiusmodi usus et utilitatem convertere, alicuius licentia super hoc minime requisita.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Decernentes unionem, annexionem et incorporationem, aliaque praemissa, perpetuo valida et efficacia fore et esse, nec per quascumque nostras et pro tempore existentium Romanorum Pontificum, etiam in crastinum assumptionis ad apostolatus apicem editas et edendas constitutiones et regulas, etiam unionum effectu non unitarum revocatorias, revocari aut sub iis compraehendi. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus nostra de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et exprimendo vero valore, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasteriorum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis iu contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus.

Exemplorum fides.

§ 7. Volumus autem, quod praesentium transumptis, manu alicuius, notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die decima octobris millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 10 octobris 1597, pont. an. VI.

CLXVIII.

Confirmatio erectionis trium capellaniarum ab Anna Iagellonia et Sigismundo III Poloniae rege in ecclesia Sancti Nicolai civitatis Barensis fundatarum pro anima Bonae reginae Poloniae et Bari ducissae [1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romani Pontificis consueta benignitas iis, quae ad divini cultus augmentum per personas quascumque, praesertim regali dignitate fulgentes, ordinata et transactione statuta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum christianorum regum preces id exposcunt, apostolicae firmitatis robur adiicit, et alias desuper disponi, prout eorumdem regum vota requirunt, et ipse prospicit in Domino salubriter expedire.

Bonae reginae Anna Iagellonia monumentum erigit in ecclesia Barensi;

§ 1. Sane charissimus in Christo filius noster Sigismundus tertius Poloniae et Svetiae rex illustris nobis nuper exponi fecit, quod cum alias clarae memoriae Bona de Vicecomitibus, dum viveret, regina Poloniae et ducissa Bari, in regno Neapolitano, vitae suae diem clausisset extremum, similis memoriae Anna Iagellonia, etiam dum viveret regina Poloniae eius filia, curavit corpus dictae Bonae

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

eius matris sepeliri in ecclesia S. Nicolai civitatis Barensis, ac ibidem etiam sepulturam marmoream erexit cum sedilibus marmoreis pro canonicis, totamque capellam principalem auro et picturis exornavit, aliis etiam adhibitis ornamentis ad maximum dictae ecclesiae decorem et splendorem, regia magnificentia dignissimum, facta impensa tresdecim millium ducatorum et ultra; et insuper ordinavit, ut emerentur census perpetui pro tribus capellanis, quorum singuli duas missas in hebdomada pro anima dictae Bonae reginae ad altare maius dictae ecclesiae, e regione dictae sepulturae situm, celebrare tenerentur.

Ibique tres erigi capellanias mandat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicta Anna regina in vivis esse defierit ante factam supradictae suae voluntatis et ordinationis exequutionem, et dictus Sigismundus rex, eius nepos ac haeres, et donatarius omnium bonorum et iurium, quae in praefato regno Neapolitano dicta Anna regina possidebat, volens piam intentionem ipsius Annae reginae ad effectum deducere, per suos ministros transegerit cum dilectis filiis syndicis et communitate dictae civitatis, ut acciperent tres mille et sexcentos ducatos currentes neapolitanos, cum pacto de retrovendendo, et ex illis solverent in singulos annos dictis tribus capellanis ad rationem ducatorum septem pro quolibet centenario, cum supradicto onere duarum missarum, pro singulis in hebdomada pro anima dicta Bonae reginae; cupiatque dictorum capellanorum deputationem ad sui nutum fieri; nobis propterea humiliter supplicari fecerit, quatenus sibi in praemissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Sigismundus Poloniae rex, ut hoc exequatur transigit cum syndicis barensibus super fundo huiusmodi capellaniarum,

Idque auctoritate pontificia petit confirmari.

§ 3. Nos igitur, qui singulorum votis, praesertim ad honorem Dei tendentibus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuimus, eumdem Sigismundum regem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, nec non a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat, absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fundationem et dotationem per dictam Annam reginam, ut praemittitur, factas et inde sequutas quaecumque, ac (prout illa concernunt) omnia et singula in publicis desuper confectis instrumentis contenta, apostolica auctoritate, tenore earumdem praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque plenariae et inviolabilis firmitatis apostolicae robur adiicimus, necnon omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, dicta auctoritate, supplemus.

Clemens confirmat.

§ 4. Praeterea eisdem Sigismundo regi, ac suis successoribus quibuscumque in perpetuum, ut per se, vel procuratores suos pro celebratione missarum supradictarum tres sacerdotes dictae ecclesiae canonicos, toties quoties sibi videbitur, eligere et deputare, et deinde ad suum et successorum suorum nutum amovere, ac eorum loco alios substituere, quibus de censu annuo sic instituto, pro rata temporis et servitii per eos praestiti, responderi debeat, libere et licite possit et valeat, eadem apostolica auctoritate, perpetuo concedimus et indulgemus.

Sigismundo regi et successoribus ius tribuit capellanos deputandi.

§ 5. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, etiam palatii apostolici causarum auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac ir-

Clausulae pro huiusmodi rerum firmitate.

ritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contingerit decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque, et synonodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XV octobris MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 15 octobris 1597, pontif. an. VI.

CLXIX.

Mandatum de immittendo Cameram Apostolicam in possessionem civitatis et ducatus Ferrariensis, iuxta sententiam prolatam contra Caesarem Estensem[1].

Dilecto filio magistro Horatio Spinolae in utraque signatura nostra referendario, in civitate nostra Bononiensi vicelegato

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Recenset Caesarem Estensem monitum fuisse de devolutione ducatus Ferrariensis ad Cameram Apostolicam;

§ 1. Cum nos nuper per similes nostras in forma brevis litteras, sub datum die IV mensis novembris proxime praeteriti, Caesarem Estensem monuerimus, quatenus infra certum tunc expressum terminum, dudum elapsum, sub poenis in iisdem litteris contentis et comminatis, deberet a quibuscumque iactationibus, molestationibus et impedimentis, nobis et S. R. E. ac Sedi et Camerae Apostolicae in et super civitate et ducatu Ferrariae, illiusque comitatu et districtu, aliisque civitatibus, terris, castris et locis dudum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris bonae memoriae Alphonsi Ferrariae ducis, nuper defuncti, antecessoribus, sub pactis et conditionibus in investituris factis contentis, in feudum datis seu concessis, per obitum dicti Alphonsi ducis sine liberis et descendentibus defuncti, ob lineam finitam, seu ob alias etiam causas, una cum omnibus eorum territoriis, districtibus, iurisdictionibus, fortalitiis, membris, pertinentiis et iuribus universis apertis, et ad nos et Romanam Ecclesiam Sedemque, et Cameram Apostolicam reversis et devolutis, quovis praetextu, causa et quaesito colore illatis et inferri comminatis, re ipsa et cum effectu cessasse et destitisse, ipsamque S. R. E. ac Sedem, et Cameram Apostolicam, dicto ducatu, et aliis praedictis, illorumque pleno iure, dominio ac fructuum et proventuum perceptione, liberaque, quieta et pacifica possessione uti, frui et gaudere permisisse, cum inhibitione, et aliis clausulis in dictis nostris litteris latius contentis et expressis, ipsisque nostris litteris, iuxta illarum formam et tenorem legitime exequutis, lectis et intimatis, et in actis dilecti filii Lucii Caldarini dictae nostrae Camerae Apostolicae notarii per dilectos etiam filios magistrum Paulum Æmilium Zacchiam, notarium nostrum, et dictae nostrae Camerae commissarium, et Pompeium Molellam, fisci nostri procuratorem generalem, reproductis, et per nos legitime contra dictum Caesarem decreto processu per nostram audientiam litterarum contradictarum, et in causa et causis huiusmodi, ac dicto Caesare per eamdem audientiam citato, productis coram nobis per dictos commissarium et procuratorem fiscalem nonnullis iuribus et scripturis ad causam et causas huiusmodi facientibus, datisque nonnullis articulis, et super illis pluribus testibus examinatis, et ad quamplures actus et terminos iudiciales processo; tandem die

Eique fuisse iuridice intimatum ut a iactationibus desisteret.

Deinde productis iuribus, citatoque Caesare,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

datae praesentium ad eorumdem commissarii et procuratoris fiscalis instantiam, eodem Caesare per dictam audientiam citato, comparentibusque coram nobis eisdem commissario et procuratore fiscali, et in causa et causis huiusmodi concludi et pronunciari, et definitivam sententiam desuper ferri, debita cum instantia, postulantibus; nos volentes ius suum unicuique tribui, visis videndis, consideratis considerandis, ac servatis servandis, in causa et causis huiusmodi concludendum et pronunciandum fore et esse duximus, ac conclusimus et pronunciavimus, prout in caedula manu nostra subscripta, tenoris sequentis, videlicet:

Deventum fuit ad devolutionis sententiam cum mandato, *etc.*

Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam ferimus in his scriptis in causa et causis, quae coram nobis, inter dilectos filios magistrum Paulum Æmilium Zacchiam, notarium nostrum, et Camerae nostrae Apostolicae generalem commissarium, ac Pompeium Molellam, fisci nostri procuratorem generalem, ex una, et Caesarem Estensem, de et super aperitione, reversione et devolutione civitatis et ducatus Ferrariae, illiusque comitatus et districtus, aliarumque civitatum, terrarum, castrorum et locorum, dudum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in feudum datorum, seu concessorum, eorumque territoriis, districtibus, iurisdictionibus, fortalitiis, membris, pertinentiis et iuribus universis, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, et illorum occasione versae fuerunt et vertuntur, partibus ex altera; dicimus, pronunciamus, sententiamus, decernimus et declaramus dictam civitatem et ducatum Ferrariae, illiusque comitatum et districtum, aliasque civitates, terras, castra et loca praedicta cum eorum territoriis, districtibus, iurisdictionibus, fortalitiis, membris, pertinentiis ac iuribus quibuscumque fuisse et esse aperta, et ad S. R. E. Sedemque et Cameram Apostolicam reversa et devoluta, ac S. R. E. Sedique et Camerae praedictis incorporata, dictumque Caesarem ab occupatione et detentione dictae civitatis, ducatus, civitatum, terrarum, castrorum, locorum et aliorum supradictorum amovendum, eiiciendum et expellendum, Sedemque et Cameram praedictam, et pro ea dictos Paulum Æmilium commissarium, et Pompeium procuratorem fisci nostri, seu substituendos ab eis respective in possessionem dictae civitatis, ducatus, civitatum, terrarum, castrorum, locorum et aliorum supradictorum immittendos et inducendos, et seu associandos fore et esse, prout dictum Caesarem amovemus, eiicimus et expellimus, et respective dictam Sedem et Cameram, et pro ea dictos Paulum Æmilium et Pompeium, seu substituendos ab eis, respective immittimus, inducimus et seu associamus, inducique, immitti et seu associari mandamus; iactationes quoque, molestationes, oppositiones, perturbationes, vexationes, occupationes et impedimenta quaecumque per dictum Caesarem S. R. E. Sedique et Camerae Apostolicae de et super praedictis omnibus et singulis, et illorum occasione, quomodolibet factas, praestitas et illatas, factaque, praestita et illata fuisse et esse temerarias, illicitas, indebitas et iniustas, temerariaque, illicita, indebita et iniusta, et de facto praesumptas et praesumpta, illasque et illa dicto Caesari fecisse et facere minime licuisse nec licere. Et propterea eidem Caesari in et super omnibus et singulis praemissis perpetuum silentium imponendum fore et esse, ac imponimus, mandataque de immittendo, et seu de associando, ac alia quaecumque desuper necessaria et opportuna de-

Caesaris remotione praemissa, in ducatus possessionem eadem C. A. immitti debet.

cernenda et relaxanda fore et esse, prout decernimus et relaxamus, eumdemque Caesarem in omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus per eum perceptis, et usque in diem liberae traditionis, seu relaxationis dictae civitatis, ducatus, civitatum, terrarum, castrorum, locorum et aliorum supradictorum in exequutione liquidandis, ac in omnibus et singulis expensis hac de causa pro parte S. R. E. ac Sedis et Camerae Apostolicae factis, condemnandum fore et esse, prout condemnamus; quorum fructuum liquidationem et expensarum taxationem nobis reservamus; et ita dicimus, pronunciamus, decernimus, sententiamus et declaramus, praemisso et omni alio meliori modo, *etc.* Ita pronunciamus. Nos Clemens Papa VIII.

Ministri Camerae Apostolicae petunt relaxari mandatum de immittendo, seu associando.

§ 2. Cum autem post praeinsertae sententiae publicationem fuerimus ad ulteriorem dictorum commissarii et procuratoris fiscalis instantiam debite requisiti quatenus mandatum de immittendo, et seu associando in praeinserta nostra licentia decretum et relaxatum, de novo decernere et relaxare dignaremur.

Relaxat Clemens.

§ 3. Nos iustitiae complementum desiderantes, dictum mandatum de immittendo, et seu associando per nos, ut praefertur, in praeinserta sententia decretum et relaxatum, de novo decernendum et relaxandum fore et esse duximus, ac decrevimus et relaxavimus, prout, tenore praesentium, decernimus et relaxamus.

Vicelegato Bononiensi executionem huiusce mandati committit.

§ 4. Quocirca tibi, cuius fides, integritas et erga Sedem et Camerám praedictas fidelitas et devotio satis nobis perspecta existit, auctoritate apostolica, tenore praesentium, committimus et districte praecipiendo mandamus quatenus, statim atque per commissarium et procuratorem fiscalem, seu ab eis substitutos vel substitutum praedictos, fueris requisitus, per te, vel alium seu alios, dictos commissarium et procuratorem fiscalem, seu ab eis substitutos vel substitutum, pro S. R. E. Sedeque et Camera Apostolica in realem, actualem et corporalem possessionem civitatis et ducatus Ferrariae, illiusque comitatus et districtus, aliarumque civitatum, terrarum, castrorum et locorum praedictorum, eorumque territoriorum, districtuum, iurisdictionum, fortalitiorum, membrorum, pertinentiarum et iurium quorumcumque, iuxta formam praeinsertae nostrae sententiae, inducas et immittas, et seu associes, eosque sic immissos et inductos, et seu associatos, conserves et defendas; eumdemque Caesarem ab illorum occupatione et detentione amoveas, eiicias et expellas, ac dictam Sedem et Cameram Apostolicam, et pro ea dictos commissarium et procuratorem fiscalem, vel ab eis substitutos, vel substituendos praedictos, in possessionem huiusmodi immitti, induci, et seu associari, ac immissos et inductos, et seu associatos defendi et conservari, et supradictum Caesarem amoveri, eiici et expelli respective facias et mandes; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die II decembris MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 2 decembris 1597, pont. an. VI.

CLXX.

Mandatum de intimando Caesari Estensi sententiam, qua declaratur civitatem et ducatum Ferrariae devolutum fuisse ad Sanctam Romanam Ecclesiam Sedemque et Cameram Apostolicam [1].

Dilectis filiis magistro Fabritio Verospio utriusque signaturae nostrae referendario et litterarum contradictarum audientiae

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

nostrae auditori, necnon abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, scholasticis et cantoribus, tam metropolitanarum et cathedralium, quam collegiatarum canonicis, parochialiumque ecclesiarum rectoribus caeterisque presbyteris, clericis, notariis et tabellionibus publicis ac cursoribus nostris quibuscumque in hac alma Urbe, ac per civitates et dioeceses Bononiensem et Cerviensem, ac alias ubilibet constitutis

Clemens Papa VIII.

Dilecti fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa pendente inter R. Cam. Ap. et Caesarem Estensem super devolutione ducatus Ferrariensis ad eamdem Cameram;

§ 1. Cum nos heri, die II decembris in causa et causis coram nobis inter dilectos filios Paulum Æmilium Zacchiam, notarium nostrum et Camerae nostrae Apostolicae commissarium, et Pompeium Molellam, fisci nostri procuratorem generales ex una, et Caesarem Estensem, de et super aperitione, reversione et devolutione civitatis et ducatus Ferrariae, illiusque comitatus et districtus, aliarumque civitatum, terrarum, castrorum et locorum dudum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in feudum datorum, seu concessorum, eorumque territoriorum, districtuum, iurisdictionum, fortalitiorum, membrorum, pertinentiarum et iurium universorum, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, et illorum occasione vertentibus, partibus ex altera, concluserimus et pronunciaverimus, prout in caedula manu nostra subscripta, tenoris sequentis, videlicet:

Clemens Ferrariae ducatum definit devolutum esse ad S. R. E. et Cameram Apostol.

§ 2. Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes per hanc nostram definitivam sententiam, quam ferimus in his scriptis in causa et causis, quae coram nobis, inter dilectos filios magistrum Paulum Æmilium Zacchiam, notarium nostrum, et Camerae nostrae Apostolicae commissarium, ac Pompeium Molellam, fisci nostri procuratorem generalem, ex una, et Caesarem Estensem, de et super aperitione, reversione et devolutione civitatis et ducatus Ferrariae, illiusque comitatus et districtus, aliarumque civitatum, terrarum, castrorum et locorum, dudum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris in feudum datorum, seu concessorum, eorumque territoriis, districtibus, iurisdictionibus, fortalitiis, membris, pertinentiis et iuribus universis, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, et illorum occasione versae fuerunt et vertuntur, partibus ex altera; dicimus, pronunciamus, sententiamus, decernimus et declaramus dictam civitatem et ducatum Ferrariae, illiusque comitatum et districtum, aliasque civitates, terras, castra et loca praedicta cum eorum territoriis, districtibus, iurisdictionibus, fortalitiis, membris, pertinentiis et iuribus quibuscumque fuisse et esse aperta, et ad S. R. E. Sedemque et Cameram Apostolicam reversa et devoluta, ac S. R. E. Sedique et Camerae praedictis incorporata, dictumque Caesarem ab occupatione et detentione dictae civitatis, ducatus, civitatum, terrarum, castrorum, locorum et aliorum supradictorum amovendum, eiiciendum et expellendum, Sedemque et Cameram praedictam, et pro ea dictos Paulum Æmilium commissarium, et Pompeium procuratorem fisci nostri, seu substituendos ab eis, respective in possessionem dictae civitatis, ducatus, civitatum, terrarum, castrorum, locorum et aliorum supradictorum immittendos et inducendos, et seu associandos fore et esse, prout dictum Caesarem amovemus, eiicimus et expellimus, et respective dictam Sedem et Cameram, et pro ea dictum Paulum Æmilium et Pompeium, seu substituendos ab eis respective immittimus, indu-

Praevia Caesaris Estensis remotione in dicti ducatus possessionem eamdem Cameram esse immittendam.

cimus et seu associamus, inducique, immitti et seu associari mandamus, iactactiones quoque, molestationes, oppositiones, perturbationes, vexationes, occupationes et impedimenta quaecumque per dictum Caesarem S. R. E. Sedique et Camerae Apostolicae de et super praedictis omnibus et singulis, et illorum occasione quomodolibet factas, praestitas et illatas, factaque, praestita et illata fuisse et esse temerarias, illicitas, indebitas et iniustas, temerariaque, illicita, indebita et iniusta, et de facto praesumptas et praesumpta, illasque et illa dicto Caesari fecisse et facere minime licuisse nec licere.

Perpetuumque super his silentium dicto Caesari imponit.

§ 3. Et propterea eidem Caesari in et super omnibus et singulis praemissis perpetuum silentium imponendum fore et esse, ac imponimus, mandataque de immittendo, et seu de associando, et alia quaecumque desuper necessaria et opportuna decernenda et relaxanda fore et esse, prout decernimus et relaxamus, eumdemque Caesarem in omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus per eum perceptis, et usque in diem liberae traditionis, seu relaxationis dictae civitatis, ducatus, civitatum, terrarum, castrorum, locorum et aliorum supradictorum in exequutione liquidandis, et in omnibus et singulis expensis hac de causa pro parte Sanctae Romanae Ecclesiae, ac Sedis et Camerae Apostolicae factis, condemnandum fore et esse, prout condemnamus; quorum fructuum liquidationem, et expensarum taxationem nobis reservamus; et ita dicimus, pronunciamus, decernimus, sententiamus et declaramus, praemisso et omni alio meliori modo, *etc.* Ita pronunciamus. Nos Clemens Papa VIII.

Eumque damnat in refectione expensarum.

Dicta sententia ei mandat intimari,

§ 4. Ne autem dictus Caesar, et seu alii sua quomodolibet interesse putantes, aliquam praeinsertae sententiae ignorantiam praetendere, aut ullo umquam tempore, quovis praetextu et quaesito colore, allegare, seu se excusare possent, pro parte et ad instantiam dictorum commissarii et procuratoris fiscalis debite requisiti, vobis omnibus et singulis supradictis, et vestrum cuilibet insolidum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, quatenus statim atque fueritis requisiti, seu aliquis vestrum fuerit requisitus, ex parte et auctoritate nostra praedicta, praeinsertam sententiam, per nos, ut praefertur, latam et promulgatam, ac omnia et singula in ea contenta, dicto Caesari Estensi ex adverso principali, omnibusque aliis et singulis, ut praefertur, sua quomodolibet interesse putantes, praesentes nostras litteras per edictum in hac alma Urbe nostra in Lateranensis et Principis Apostolorum basilicarum, et Cancellariae Apostolicae valvis, et in acie Campi Florae, ac etiam in metropolitanae Bononiensis, et cathedralis Cerviensis ecclesiarum valvis, respective, more solito, legendo et publicando, ac ibidem affigendo, et per aliquod temporis spatium affixas dimittendo, illisque postea inde detractis, earum exempla in eisdem locis pariter affixa relinquendo, et in dicta nostra audientia litterarum contradictarum etiam more solito legendo, intimetis, insinuetis et notificetis, et ad illorum et uniuscuiusque eorum notitiam deducatis et deduci faciatis et mandetis, prout nos, earumdem praesentium tenore, praeinsertam sententiam, ac in ea descripta omnia et singula dicto Caesari Estensi, ac omnibus et singulis aliis praedictis intimamus, insinuamus et notificamus, ac ad eorum et cuiuslibet ipsorum notitiam deducimus, et deduci volumus et mandamus per praesentes.

Servata forma consueta publicationis.

Sententiae publicatio obligationem inducit.

§ 5. Decernentes huiusmodi praeinsertae sententiae intimationem, insinuationem et notificationem, ac publicationem,

eumdem Caesarem et alios praedictos perinde arctare, afficere et obligare, ac si illis, et cuilibet eorum personaliter intimatae fuissent.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac stylo palatii, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die III decembris MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 3 decembris 1597, pontif. an. VI.

CLXXI.

Declaratur archiepiscopum Bracharensem posse suos comprovinciales episcopos cogere ut sibi, eorum civitates ingredienti, processionaliter et cum toto clero, servata forma Pontificalis Romani, obviam eant, pro prima tantum vice [1].

Venerabili fratri Augustino archiepiscopo Bracharensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae faciendae declarationis.

§ 1. Fraternitatis tuae nomine expositum nobis nuper fuit, quod licet alias in Pontificali Romano praescribatur peculiaris forma, qua praelatus loci debeat recipere processionaliter praelatum ingredientem, ac ex ea expresse colligatur episcopos suffraganeos teneri obviam ire processionaliter metropolitano suo eorum civitates ingredienti, et sic fuisse olim in sacro palatii apostolici auditorio anno MDXXXVIII iudicatum, archiepiscopum Hidruntinum iuste coegisse episcopum Liciensem eius suffraganeum, ut sibi ingredienti in dioecesim Liciensem obviaret processionaliter iuxta formam Pontificalis; tamen, quia nonnulli adhuc dubitant de intelligentia verborum dicti Pontificalis, nobis humiliter per dilectum filium Simonem Dabreu, tuum in Romana Curia procuratorem, supplicari fecisti, ut in praemissis, opportuna declaratione, de apostolica benignitate, providere dignaremur.

Declaratio, de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur, ad quos ex pastoralis officii debito, ac suprema in Dei ecclesia auctoritate circa coeremonias ac ritus ecclesiasticos dubia declarare, ac orientes inter praelatos controversias extinguere, metropolitanorumque iura ac praeeminentias tueri spectat, tuis in hac parte supplicationibus inclinati; de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Congregationi Sacrorum Rituum praepositorum consilio, quibus negocium hoc examinandum commisimus, declaramus, ingrediente metropolitano urbem sui episcopi comprovincialis, ipsum episcopum comprovincialem eidem metropolitano, prima vice tantum, processionaliter et cum toto clero obviam ire, servata in omnibus forma in praedicto Pontificali Romano praescripta, teneri et obligatum existere, et ad hoc ab ipso metropolitano cogi posse, ac sub dicta forma in Pontificali praescripta huiusmodi casum comprehendi, quando metropolitanus sui comprovincialis episcopi civitatem ingreditur, tenerique ex praecepto episcopos comprovinciales tibi, ac aliis archiepiscopis Bracharensibus pro tempore existentibus eorum civitates ingredientibus, pro prima vice tantum, processionaliter, servata in omnibus forma in Pontificali praescripta, obviam ire, eosdem autem ac quoscumque alios inobedientes, recusantesque facere censuris ac aliis poenis, secundum iuris formam, a te caeterisque archiepiscopis districte compellendos esse.

Clausulae pro huiusce declarationis firmitate.

§ 3. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordina-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

rios aut delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam sacri palatii apostolici causarum auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, auctoritate apostolica praesentium, decernimus et declaramus.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quarumvis ecclesiarum cathedralium etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, individua et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso inserti, et forma in illis tradita observata foret, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Vel si episcopis comprovincialibus praedictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX decembris MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 19 decembris 1597, pont. an. VI.

CLXXII.

Confirmatio et innovatio gratiarum et privilegiorum omnium, etiam per viam communicationis, concessorum Ordinibus tam Fratrum Minorum Regularis Observantiae, quam S. Clarae et Tertii Ordinis de Poenitentia Sancti Francisci, in communione et sub tribus votis essentialibus viventium, in his quae Concilio Tridentino et decretis Fratrum Reformatorum non adversantur [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ordinis Fratrum Minorum de Observantia commendatio.

Ratio pastoralis officii nostri exigit atque efflagitat, ut quorum religionem ac virtutem Sedi Apostolicae totique Ecclesiae non modo illustrem et praeclaram, sed utilem etiam ac necessariam esse animadvertimus, eosdem nostris et eiusdem Sedis Apostolicae honoribus, ac beneficiis libenter prosequamur. Cum vero ex bonis et commodis spiritualibus Ordinum Mendicantium, ea longe lateque pateant, semperque patuerint, quae a sacro Ordine Fratrum Minorum de Observantia, ab ipsis fundatae religionis initiis, in omnes christianae reipublicae provincias profluxerunt, quotidieque profluunt et promanant, faciendum nobis esse statuimus, ut in eodem Ordine, nostris et Sedis Apostolicae gratiis atque muneribus honestando, nihil Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum benignitati ac studio concedamus.

Plurimarum gratiarum et in-

§ 1. Cum igitur pro parte dilecti filii Ioannis Baptistae Moles, commissarii ge-

1 Huiusmodi confirmationes plerique praedecessores et signanter Clemens VII, Paulus IV, Gregorius XIII et Sixtus V ediderunt, sed illis consulto praetermissis, hanc posui uti pleniorem. Regulam vero et alia de Ordine S. Francisci vide in constitut. LXVII, Honorii III: *Solet*, tom. III, pag. 394.

dultorum a multis Rom. Pontif. concessio.

neralis in Romana Curia ultramontanae familiae praedicti Ordinis de Observantia, nobis expositum fuerit, ex ipsius Sedis benigna dignatione provenire, ut Romanus Pontifex quandoque praedecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innovet, ac apostolica auctoritate innovata et restaurata muniat et fulciat, et in pristinum statum reponat ac reducat, nec non propterea nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri quasdam gratias, concessiones, indulgentias et peccatorum remissiones, absolutiones etiam plenarias, libertates, praerogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, multaque alia privilegia et indulta, tam praedictis Fratrum Minoribus, quam Sanctae Clarae ac Tertio de Poenitentia nuncupatis Ordinibus, illorumque superioribus, fratribus, monialibus et sororibus, ac utriusque sexus personis et monasteriis, domibus, ecclesiis et locis quibuscumque dictorum Ordinum nunc et pro tempore existentibus, in genere vel in specie, etiam per modum communicationis, sive extensionis privilegiorum aliis Ordinibus, eorumque domibus et ecclesiis, et utriusque sexus personis Ordinum Mendicantium et non Mendicantium existentibus concessorum, concesserunt, aut iam concessa confirmarunt et approbarunt, prout in singulis concessionibus, declarationibus et litteris eorumdem praedecessorum expeditis plenius dicitur contineri.

Generalis commissarii pro eorum confirmatione petitio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, illa quae saepius apostolica auctoritate praedicta munita existunt, maiorem obtineant roboris firmitatem, pro parte praedicti Ioannis Baptistae Moles, nobis fuit humiliter supplicatum, ut praedictis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis et indultis, pro illorum observantia nostrae approbationis robur adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Huius Pontificis approbatio, in his quae Concilii Tridentini vel Fratrum Reformatorum decretis non adversantur.

§ 3. Nos igitur, qui omnium votis, praesertimque illorum, qui sub suavi religionis iugo, divinis laudibus et christianae religionis augmento incumbentium personarum tranquillitati et commoditati consulunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, huiusmodi supplicationibus inclinati, quaecumque praemissa ac omnia et singula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias et indulta spiritualia et temporalia, etiam per modum communicationis et extensionis inter se, et cum aliis Ordinibus Mendicantibus et non Mendicantibus, eiusdem Fratrum Minorum Regularis Observantiae et S. Clarae et de Poenitentia Tertio Ordinibus, etiam in Congregatione sub trium votorum substantialium professione, et eorumdem superiorum Ordinis Minorum Regularis Observantiae huiusmodi obedientia degentibus, ipsorumque superiorum fratribus, monialibus, sororibus, ac utriusque sexus etiam singularibus personis, nec non monasteriis, domibus, ecclesiis et locis quibuscumque in genere et in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivae vocis oraculo, ut praefertur, aut alias per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem praedictam sub quacumque forma et expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, nec non omnibus et singulis in eis forsan contentis clausulis, decretis et declarationibus quibuscumque, ac singulas desuper etiam pluribus vicibus confectas litteras, et in eis contenta et inde sequuta

quaecumque, illorum omnium tenores et formas, datas, effectus et decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum inserrentur et in his essent inserta, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, dicta auctoritate apostolica, tenore praesentium, ex certa scientia (in his omnibus, in quibus decretis Concilii Tridentini non adversentur, salvis etiam decretis a nobis in favorem Fratrum Reformatorum concessis) approbamus et confirmamus ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, et firmiter observari, nec non Ordinibus Fratrum Minorum Regularis Observantiae et Sanctae Clarae, ac Tertio de Poenitentia nuncupatis, etiam in Congregatione sub obedientia Fratrum Minorum de Observantia huiusmodi degentibus superioribus, fratribus, monialibus, etiam tertiariis nuncupatis sororibus, personis, monasteriis, domibus et ecclesiis et locis praedictis, etiam per modum communicationis et extensionis huiusmodi suffragari, illisque frui, uti et gaudere, quando et quoties opus fuerit, posse et debere, in iudicio et extra, ac etiam in foro conscientiae, in omnibus et per omnia, ac si specialiter et expresse eisdem Fratrum Minorum et Sanctae Clarae, et Tertio de Poenitentia Ordinibus per nos concessa fuissent, decernimus. Supplentes omnes et singulos iuris et facti, ac solemnitatum, etiam de iuris necessitate, aut alias quomodolibet requisitarum, forsan omissarum et alios quoscumque defectus, siqui forsan intervenerint in eisdem.

Executorum huius constitutionis deputatio

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus Mantuae et Toy episcopis, ac dilecto filio causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium seu alios, faciant auctoritate nostra praesentes litteras et in eis contenta quaecumque plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui et gaudere. Non permittentes quemquam desuper, contra praesentium tenorem, sub quovis praetextu et causa, etiam defectu intentionis nostrae, per quoscumque quomodolibet indebite molestari; quinimmo quicquid in contrarium attentari vel fieri continget, omnia semper in pristinum reponi. Contradictores quoslibet et rebelles, etiam per quascumque, de quibus eis videbitur, censuras et poenas ecclesiasticas, et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione quacumque postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, ac S. R. E. cardinales, nec non sacri palatii apostolici causarum auditores, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et diffiniri debere.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii PapaeVIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis praesentium vigore ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis constitutionibus, ac provincialibus et capitularibus statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam in forma brevis per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos et Sedem praedictam, etiam motu proprio, ac scientia et potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, etiam privilegiorum eorum revocativis, restrictivis, reservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliis-

que efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis quomodolibet, etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret (etiam quod in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo et forma derogari posset), tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, motu, scientia et auctoritate similibus derogamus. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Verum quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca, in quibus forte opus esset, deferri, volumus et pariter apostolica auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, manu alicuius ex secretariis cuiusvis praedictorum praelatorum generalium, ac Romanae Curiae commissarii et suorum successorum, aut notarii publici subscriptis, et sigillo officii alterius eorumdem, aut alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, seu curiae ecclesiasticae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesima decembris MDXCVII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 20 decembr. 1597, pontif. an. VI.

CLXXIII.

Poenae contra Caesarem Estensem eique faventes, si post lapsum terminorum, qui hic assignantur, quominus Ferrariae ducatum ad Camerae Apostolicae possessionem deveniat, impediverint, formaque praesentes litteras publicandi [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Procemium.

Ex ore sedentis in throno bis acutus gladius procedit et obvia quaeque metit: hic est gladius Salomonis, qui secat utrinque. Nos qui Christi veri Salomonis personam, licet immeriti, divina providentia sustinemus, eiusque vicem gerimus, qui *iudicat orbem terrae in aequitate et populos in iustitia,* cum de Romanae Ecclesiae iuribus vel tuendis, vel recuperandis coram nobis agitur, rectissimam tenemur proferre sententiam, qua, sublatis omnibus impedimentis, eidem Ecclesiae, quod suum est, omnino restituatur, et contra iustitiam nemini prorsus parcatur: sicut enim aliena nec invadimus, nec cupimus, ita propria Ecclesiae bona usque ad sanguinem tueri parati sumus. Atque ea sane in re nullum nobis, aut nostris commodum, vel lucrum quaerimus; hoc enim Christi et eiusdem Ecclesiae causa libenter omnibus concessuri essemus: sed Romanae Ecclesiae nos debitores agnoscimus, ut eam curae nostrae commissam defendamus, et ab iniustis oppressionibus vindicemus; ne si in his defecerimus, haec omnia Deus in districto iudicio de manibus nostris requirat. Neque vero precibus, aut aliquo amore vel odio, ullove humano affectu (in quo divinam gratiam agnoscimus) ad haec inducimur, sed zelus domus Dei, antiqua

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

consuetudo, sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum observantia, vis iuris iurandi et sollicitudo, quam circumferimus omnium ecclesiarum et in primis Romanae Ecclesiae, cuius privilegia in Beato Petro suscepta sunt divinitus et in hunc usque diem derivata, nos accendunt, et silere ac desides esse nequaquam permittunt; quinimmo ad clamandum impellunt, ut vocis apostolicae sonus in omnem terram egrediatur, ut clamor patris a filiis audiatur, ut denique ad compeditorum gemitus cunctorum corda fidelium excitentur. Cum enim malorum omnium radix cupiditas ita perditorum hominum animos occupavit, ut iuris ordine contempto, ecclesiasticas ditiones, quas invaserint, vi atque armis retinere, atque ad propriam commoditatem transferre moliantur, neque contra ipsos ullus exequutioni locus sit, ad apostolicae etiam potestatis officium pertinet, eos, tanquam hominum societate indignos, anathematis mucrone percutere, et a sacramentorum participatione et communione fidelium praecidere, ut qui canonum et iudicii auctoritatem spernunt, divinae saltem indignationis, atque aeterni supplicii poenas perhorrescant. Quod si gravissima apostolici muneris administratio facile nos per se ipsa quotidie hortatur, ut pro conservatione caeterarum rerum ecclesiasticarum, eam, quam tenemur, curam adhibeamus; praecipue tamen quodam iure admonemur, ut ditionum ad Romanam Ecclesiam pertinentium, quarum custodes et administratores constituit nos Deus, ac praesertim civitatis et ducatus Ferrariensis (a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris populi peculiaris et antiquae acquisitionis sanctae matris Romanae Ecclesiae merito appellati) defensionem, prompto ac forti animo suscipiamus, eorumdem Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo, qui totam illam ditionem ingenti sumptu ac labore conservarunt, et saepe ab occupatoribus, spiritualium ac temporalium armorum praesidiis, vindicarunt. Testis est Deus: nos plane dolentes et invitos eam deliberationem inituros; pastoralis siquidem officii et ecclesiasticae disciplinae curis vacare maluissemus, quam severioribus iudiciis incumbere, aut cum quoquam bello decertare. Verum, quia nemini inferimus, sed illatam Ecclesiae dumtaxat iniuriam propulsamus, sicuti ex rerum gestarum serie perspicitur; si spiritualia arma minus profecerint, tunc, ut bonorum ecclesiasticorum invasores agnoscant Deum non modo montium sed etiam vallium Deum esse, et nos puniendi vim ac potestatem tum spiritualem tum temporalem habere, armis etiam ac militibus, qui in dies parantur, iuste utemur.

Omnium malorum radix cupiditas.

§ 1. Sane cum superioribus mensibus Alphonsus Estensis, ultimus Ferrariae dux, rebus fuisset humanis exemptus, cumque, eo sine liberis et descendentibus defuncto, civitas et ducatus Ferrariae, illiusque comitatus et districtus, ac aliae civitates, terrae, castra et loca (quae dudum a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ipsius Alphonsi ducis antecessoribus sub pactis et conditionibus in investituris factis contentis, in feudum concessa fuerunt) ob lineam finitam, seu ob alias etiam causas, una cum omnibus eorum territoriis, districtibus, iurisdictionibus, fortalitiis, membris, pertinentiis et iuribus universis aperta et ad nos ac Romanam Ecclesiam Sedemque et Cameram Apostolicam reversa, seu alias legitime devoluta extitissent; nobis, non sine magna admiratione et animi dolore, innotuit, Caesarem Estensem, quem alioqui, quamdiu a recto iustitiae tramite non deflexit, ob Estensis familiae nobilitatem, paterne dileximus, et omnibus charitatis of-

Post mortem Alphonsi ducis devolutum ad Cameram Apostolicam Ferrariae ducatum Caesar Estensis occupat.

ficiis prosequuti sumus, aperitionis, reversionis, devolutionis ac iurium S. R. E. Sedisque et Camerae praedictarum nulla habita ratione, nobisque et eadem Sede, de praedicti Alphonsi obitu tum etiam non admonitis, civitatem ducatumque Ferrariae et alias civitates, terras, castra et loca cum omnibus eorum territoriis, districtibus, iurisdictionibus, fortalitiis, membris, pertinentiis et iuribus praedictis statim de facto invadere atque occupare in nostrum Romanaeque Ecclesiae ac Sedis et Camerae praedictae praeiudicium et contemptum praesumpsisse.

Post admonitionem seriam ut ab huiusmodi occupatione desisteret, Clemens arma parat.

§ 2. Et licet etiam ab ipso Alphonsi obitu, pro iurium dictae Romanae Ecclesiae, Sedisque et Camerae praefatae defensione, vim vi repellere, et iniustis illius armis iuxta nostra ac dictae Romanae Ecclesiae arma opponere, ipsamque adeo civitatem ducatumque Ferrariensem, ac caetera loca praedicta re ipsa vindicare merito potuissemus, benignius tamen secum agentes, forma prius ac iuris ordine servato, contra ipsum experiri, atque agere, nec non connivere aliquandiu maluimus, si forte resipuisset et ad cor reversus, quod iniuste detinebat, restituisset: interim tamen validum tum peditum, tum equitum exercitum in Stato nostro Ecclesiastico conflari et apparari iussimus, ne si ille postea, finito civili iudicio, nostra benignitate abuteretur, ipsi in eiusdem civitatis ducatusque recuperatione ulterius impediremur, aut certe retardaremur.

Monitus postea Caesar ut intra quindecim dies ducatum restitueret et ab omni molestia cessaret;

§ 3. Atque hoc certe consilio nos, ad quos tantummodo huiusmodi causae cognitio et definitio, praesertim ex investiturarum forma et tenore, spectat ac pertinet, tunc eumdem Caesarem monendum et requirendum duximus, ut infra quindecim tunc proximorum dierum spatium (quorum quinque pro primo, quinque pro secundo et reliquos quinque pro tertio ultimo et peremptorio termino et monitione canonica illi assignavimus) sub excommunicationis anathematis, maledictionis, privationis dignitatum, dominiorum, feudorum, honorum, inhabilitatis, ac rebellionis et laesae maiestatis criminis, in primo capite poenis, deberet a quibuscumque iactationibus, molestationibus, vexationibus et impedimentis nobis, ac Romanae Ecclesiae, nec non Sedi et Camerae praedictis super ducatu, civitatibus, terris et castris, et aliis locis praedictis, quovis praetextu, causa et quaesito colore, illatis et inferri comminatis, re ipsa et cum effectu cessasse et destitisse; ipsamque Romanam Ecclesiam, ac Sedem et Cameram Apostolicam dicto ducatu et aliis praedictis, illorumque pleno iure, dominio ac fructuum et proventuum perceptione, liberaque, quieta et pacifica possessione uti, frui et gaudere permisisse; eidemque Caesari districte praecipiendo mandavimus et inhibuimus ne, sub eisdem poenis, auderet seu praesumeret, quovis praetextu et quaesito colore, possessionem ducatus, civitatum, terrarum, castrorum et aliorum praedictorum per se, vel alium occupare, aut quovis modo in iis se ingerere, intrudere et intromittere, et quatenus illorum possessionem occupasset, seu quovis modo in ea se ingessisset, intrusisset seu intromisisset, ut infra dictorum quindecim dierum spatium (quos etiam pro terminis et monitione canonica, ut supra, assignavimus) omnium et singulorum supradictorum possessionem vacuam, liberam et expeditam nobis ac Romanae Ecclesiae, Sedique et Camerae praedictis realiter et cum effectu dimisisse et ab omni occupatione, ingestione, intrusione, intromissione et molestatione abstinuisse et recessisse deberet: et si ipse Caesar, ut supra, monitus in praemissis sentiret se gravatum, eumdem etiam peremptorie citavimus, quatenus decima

Si vero aliquid contra hanc sententiam opponere arbitraretur, nihilominus in iudicio compareret.

quinta die post exequutionem litterarum nostrarum desuper confectarum, si iuridica esset, sive prima die iuridica post eam sequenti, legitime compareret coram nobis per se, vel eius legitimum procuratorem, ad videndum in huiusmodi causa ad omnes et singulos actus et terminos necessarios, usque ad definitivam sententiam inclusive, etiam lite non contestata, procedi, aliaque fieri super his necessaria, seu quomodolibet opportuna: certiorem facientes eumdem Caesarem sic monitum et citatum, sive ipse comparuisset, sive non, nos nihilominus ad haec et alia, quae iustitia suaderet, eius absentia seu contumacia non obstante, processuros fuisse.

Citatur itaque ad comparendum.

§ 4. Et ut huiusmodi nostra monitio, requisitio, inhibitio et citatio ad dicti Caesaris notitiam, quacumque ratione fieri posset, ac alias omni meliori modo deduceretur, eumdem Caesarem, seu eius procuratorem in Romana Curia residentem, seu forsan in libris Camerae descriptum, personaliter, vel si ipsius Caesaris procurator a Romana Curia abesset, domi eius solitae habitationis, cum dimissione caedulae; quatenus autem nullus illius procurator constitutus et descriptus fuisset, tunc (iuxta dictorum capitulorum et conventionum inter Romanos Pontifices praedecessores nostros et eiusdem Alphonsi antecessores initarum formam ac tenorem) ipsum Caesarem, per officium seu audientiam contradictarum moneri, requiri et citari mandavimus.

Litterae apostolicae desuper expeditae sunt et publicatae.

§ 5. Et nihilominus, ne ipse Caesar aliquam praemissorum ignorantiam praetendere, aut ullo unquam tempore vel quovis quaesito colore, seu praetextu allegare, seu alias se excusare posset nostras super praemissis expeditas litteras in forma brevis, tam in alma Urbe nostra, in Lateranensis et Principis Apostolorum Basilicarum et Cancellariae Apostolicae valvis, ac in acie Campi Florae, per aliquem ex cursoribus nostris, quam etiam in metropolitanae Bononiensis et cathedralis Cerviensis ecclesiarum valvis, more solito legi et publicari, ac ibi affigi et per aliquod temporis spatium affixas dimitti, illisque postea inde detractis, earum exempla in eisdem locis pariter affixa relinqui similiter voluimus et mandavimus: decernentes ut monitio, requisitio, inhibitio, citatio, seu ipsarum litterarum publicatio, ut praefertur, factae et exequutae eumdem Caesarem perinde arctarent et obligarent, ac si illi personaliter intimatae fuissent, prout in nostris sub die quarta novembris proxime praeteriti.

Eo non comparente, examinatis tamen de iure examinandis, per sententiam definitum fuit dictum ducatum ad Cameram Apostolicam esse devolutum, ab eo Caesarem expellendum esse; in eiusque possessionem Cameram immittendam.

§ 6. Et deinde litteris praedictis, illarum forma superius expressa servata, legitime intimatis et publicatis, cum intra prefixum terminum nec ipse Caesar, nec aliquis eius procurator comparuisset, immo ille in sua pertinacia persisteret, licet dictarum litterarum plenam et indubitatam notitiam habuisset (quemadmodum ex procuratorio suo mandato authentico in actis causae huiusmodi postea producto manifeste apparet); nos in causa et causis huiusmodi ad ulteriora procedendum duximus, ac examinatis, ad nostri et Camerae praedictae commissarii ac fisci nostri procuratoris generalium instantiam, pluribus testibus super incumbentibus, nonnullisque iuribus productis, servatisque servandis, tandem diffinitivam protulimus sententiam, qua diximus, pronunciavimus, sententiavimus, decrevimus et declaravimus dictam civitatem et ducatum Ferrariensem, illiusque comitatum et districtum, aliasque civitates, terras, castra et loca praedicta, cum eorum territoriis, districtibus, iurisdictionibus, fortalitiis, membris, pertinentiis ac iuribus quibuscumque fuisse et esse aperta, et ad ipsam Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram Aposto-

licam reversa et devoluta, ac Romanae Ecclesiae, Sedique et Camerae praedictis incorporata, dictumque Caesarem ab occupatione et detentione civitatis, ducatus, et aliarum civitatum, terrarum, castrorum, locorum et aliorum supradictorum, amovendum, eiiciendum et expellendum, Sedemque et Cameram praedictas, et pro eis dilectos filios magistrum Paulum Æmilium Zacchiam, nostrum et dictae Sedis notarium de numero participantium, ac dictae Camerae commissarium, nec non Pompeium Molellam, utriusque iuris doctorem, nostri fisci procuratores generales, seu ab illis respective substituendos in possessionem civitatis et ducatus Ferrariae, aliarumque civitatum, terrarum, castrorum, locorum et aliorum supradictorum immittendos et inducendos, seu associandos fore et esse, prout dictum Caesarem amovimus, eiecimus ac expulimus, et respective dictam Sedem et Cameram, ac pro eis dictos Paulum Emilium et Pompeium, seu substituendos ab eis respective immisimus, induximus, seu associavimus, inducique, immitti, seu associari mandavimus. Iactationes quoque, molestationes, oppositiones, perturbationes, vexationes, occupationes et impedimenta quaecumque per dictum Caesarem Romanae Ecclesiae, Sedique et Camerae praedictis, in et super praemissis omnibus et singulis, et illorum occasione quomodolibet factas, praestitas et illatas, factaque, praestita et illata fuisse et esse temerarias, illicitas, indebitas et iniustas, ac temeraria, illicita, indebita et iniuxta, ac de facto praesumptas et praesumpta, illasque, et illa dicto Caesari fecisse et facere minime licuisse, nec licere; et propterea eidem Cesari super omnibus et singulis praemissis perpetuum silentium imponendum fore et esse, prout imposuimus, ac mandata de immittendo, seu de associando, et alia quaecumque desuper necessaria et opportuna decernenda et relaxanda fore, prout decrevimus et relaxavimus; eumdemque Caesarem in omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus per eum perceptis, et usque in diem liberae traditionis, seu relaxationis dictae civitatis et ducatus Ferrariae, aliarumque civitatum, terrarum, castrorum, locorum et aliorum supradictorum in exequutione liquidandis, ac in omnibus et singulis expensis, hac de causa pro parte S. R. E. ac Sedis et Camerae Apostolicae factis condemnandum fore et esse, prout condemnavimus, dictorumque fructuum liquidationem et expensarum taxationem nobis reservavimus, prout in sententia per nos lata, et manu nostra subscripta, ac per dilectum filium Lutium Calderinum Camerae Apostolicae notarium lecta et publicata.

Data commissio vicelegato Bononiensi praedicta exequendi.

§ 7. Et deinde dilecto filio magistro Horatio Spinulae, in utraque signatura nostra referendario, in civitate nostra Bononiensi vicelegato, dedimus in mandatis, ut statim atque per praedictos commissarium et procuratorem fiscalem, seu ab eis substitutos vel substituendos foret requisitus, per se, vel alium, seu alios dictos commissarium et procuratorem fiscalem, seu ab eis substitutos vel substituendos, pro Sancta Romana Ecclesia, Sedeque et Camera Apostolica in realem, actualem et corporalem possessionem civitatis et ducatus Ferrariae, illiusque comitatus et districtus, aliarumque civitatum, terrarum, castrorum et locorum praedictorum, eorumque iurisdictionum, fortalitiorum, membrorum, pertinentiarum et iurium quorumcumque, iuxta formam praedictae sententiae induceret et immitteret, seu associaret, eosque sic immissos et inductos, seu associatos, conservaret et defenderet, eumdemque Caesarem ab illorum occupatione et detentione amoveret, eiiceret et expelleret,

ac dictam Sedem et Cameram Apostolicam, et pro eis dictos commissarium et procuratorem fiscalem, vel ab eis substitutos vel substituendos praedictos in possessionem huiusmodi immitti, induci, seu associari, ac immissos et inductos, seu associatos defendi et conservari, et supradictum Caesarem amoveri, eiici et expelli respective faceret et mandaret, prout in aliis nostris, etiam in forma brevis, die II decembris expeditis litteris.

Expeditum deinde mandatum de intimando, *etc.*

§ 8. Et successive dilectis etiam filiis magistro Fabritio Verospio, utriusque signaturae nostrae referendario, et litterarum contradictoriarum audientiae nostrae auditori, necnon abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, scholasticis, cantoribus (tam metropolitanae et cathedralium, quam collegiatarum) canonicis, parochialiumque ecclesiarum rectoribus, caeterisque presbyteris, clericis, notariis et tabellionibus publicis, et cursoribus nostris quibuscumque in hac alma Urbe, ac per civitates et dioecesis Bononiensis et Cerviensis, ac alias ubicumque constitutis, et cuilibet eorum praecepimus et mandavimus, quatenus statim atque forent requisiti, seu aliquis eorum foret requisitus, ex parte et auctoritate nostra, sententiam per nos, ut praefertur, latam et promulgatam, ac omnia et singula in ea contenta dicto Caesari, omnibusque aliis et singulis sua quomodolibet interesse putantibus, nostras litteras per edictum in hac alma Urbe nostra in Lateranensis et Principis Apostolorum basilicarum, et Cancellariae Apostolicae valvis, et in acie Campi Florae, ac etiam in metropolitanae Bononiensis et cathedralis Cerviensis ecclesiarum valvis respective, more solito legendo et publicando, ac ibidem affigendo, et per aliquod temporis spatium affixas dimittendo, illisque postea inde detractis, earum exempla in eisdem locis pariter affixa relinquendo, et in dicta nostra audientia litterarum contradictoriarum, etiam more solito legendo, intimarent et notificarent, ac ad illorum et uniuscuiusque ipsorum notitiam deducerent, et deduci facerent et mandarent, prout nos praedictam sententiam, et in ea descripta omnia et singula dicto Caesari, ac omnibus et singulis aliis praedictis intimavimus, insinuavimus et notificavimus, ac ad eorum et cuiuslibet ipsorum notitiam deduximus, et deduci voluimus et mandavimus. Decernentes huiusmodi intimationem, insinuationem et notificationem, ac publicationem, eumdem Caesarem et alios praedictos perinde arctare, afficere et obligare, ac si illis et cuilibet eorum personaliter intimatae fuissent, prout in aliis, etiam in forma brevis, die III eiusdem mensis decembris, expeditis litteris plenius continetur.

Caesar vero, his spretis, ducatum retinet et munit, contra conditiones appositas in instrumentis investiturarum poenamque excommunicationis in bulla *Coenae* subit.

§ 9. Cum autem praedictus Caesar monitioni, requisitioni, citationi et inhibitioni nostris supradictis parere, ac civitatem et ducatum Ferrariae, aliasque civitates, terras, castra, loca, fortalitia, membra, iurisdictiones, caeteraque supradicta ab ipso de facto occupata, nobis et Romanae Ecclesiae, et Sedi et Camerae praedictis libera restituere et dimittere distulerit, quinimmo civitates, terras, castra, loca, fortalia, et alia praefata militibus, atque armis diligentius instruxerit, commeatum comportaverit, Ferrariensis ditionis fines, qua maxime Statum nostrum (immediate nobis, et Sedi ac Camerae praedictae subiectum) pertingunt, praesidiis firmaverit, atque etiam aggeribus et vallo de novo communiverit; quod ex forma et tenore investiturarum etiam legitimis et veris ducibus minime licuisset; praeterea per productionem et exhibitionem cuiusdam scripturae in procuratorio mandato superius dicto insertae, pro declinatione videlicet iudicii nostri, in huiusmodi causa inter alia aliquos iudi-

ces sibi confidentes per nos deputari, etiam contra capitulorum et conventionum inter Romanos Pontifices praedecessores initarum continentiam et tenorem institerit, ut iura sua coram eis probare posset, quae tamen apud nos et Sedem Apostolicam nunquam legitime probavit; et denique processum, sententiam, mandata et monita nostra praedicta neglexerit, in grave animae suae detrimentum, in divinae maiestatis offensionem, ac nostrum et Apostolicae Sedis contemptum, perniciosumque exemplum, et christianorum omnium scandalum manifestum, excommunicationis maioris anathematis, maledictionis, aliarumque censurarum poenas ecclesiasticas, contra civitatum, terrarum, locorum, bonorum et iurium Sanctae Romanae Ecclesiae invasores et occupatores per diversas Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, ac per litteras die *Coenae Domini* singulis annis legi solitas, et per sacros canones generalium conciliorum, ac praesertim oecumenici generalis Concilii Tridentini decreta, nec non etiam litteras monitoriales, inhibitorias et citatorias supradictas inflictas damnabiliter incurrendo.

Arcet legatum Bononiensem a capienda huius ducatus possessione.

§ 10. Cumque haec omnia, tum ex praefati Honorati dictae civitatis nostrae Bononiensis vicelegati, authentico testimonio et fide digna relatione, qui nobis nuper significavit civitatis ducatusque Ferrariae, caeterarumque civitatum, terrarum, castrorum, locorum, fortalitiorum, membrorum, iurisdictionum aliorumque supradictorum realem et actualem possessionem, prout illi in mandatis dederimus, eo quod loca supradicta eiusdem Caesaris arcta militum custodia et praesidiis, armisque septa sint ac munita, adeout nusquam tutus ad illa pateat accessus, et propterea alicui exequutioni locus non sit, capi et appraehendi minime potuisse nec posse; tum etiam ex ipsa facti permanentis evidentia clariora nunc et notiora existant, quam ut cuiusquam attestatione aut probatione amplius indigeant, ac denique nulla tergiversatione aut excusatione caelari possint.

Falsitas assertionum Caesaris ipsa confessione Alphonsi ducis evincitur.

§ 11. Cumque etiam a veritate omnino sit alienum, et nullo prorsus nitatur fundamento id quod dictus Caesar, ut se aliquo pacto tueatur, passim, sicut accepimus, iactat, se nimirum in linea antecessorum dicti Alphonsi ducis, atque in investituris de terris, castris et locis praedictis a Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris ipsius Alphonsi ducis antecessoribus factis comprehensum esse: id sane ita esse, praeter alia, apud omnes certa, indubitata, quamcumque praesumptionem et praetensam suam probationem penitus excludentia, et ex investituris ipsis resultantia, ac omnibus plane cognita, perspecta, atque notoria, firmo etiam argumento est ipsius Alphonsi ducis confessio ac testificatio. Is enim omni liberos suscipiendi spe iam pridem destitutus, hac ipsa de re, dum viveret, cum Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, crebris litteris et oratoribus missis, egit; eoque consilio, annis proxime elapsis, ad Urbem se contulit, ac novissime etiam a nobis per litteras et nuntios suppliciter petiit ut investiturae dictae civitatis et ducatus Ferrariensis aliarumque civitatum et locorum praedictorum prorogatio sibi pro personis nominandis concederetur. Qua in re etiam regum et christianorum principum commendatione et precibus usus fuit, licet omnium animis, ac voluntatibus pertentatis, rebusque diu multumque perpensis ac deliberatis, ob multas, et illas quidem gravissimas et iustissimas causas, nihil tandem obtinuerit. Id vero idem Alphonsus procul dubio sibi tentandum numquam existimasset, si dictus Caesar in praedictis investituris com-

praehensus fuisset, et nisi pro certo habuisset, se absque liberis ac descendentibus defuncto, quod tandem evenit, lineam quoque ac stirpem suam desituram. Ex quo facile etiam perspicitur eiusdem Caesaris non modo iniusta dictae civitatis et ducatus, caeterarumque civitatum et locorum occupatio, sed etiam manifesta et plena inanis consilii iactantia in titulo et nomine ducis civitatis Ferrariensis et eiusdem ducatus insignibus de facto sibi asciscendis, quae tum apud suos, tum apud plerosque principes viros, uti audivimus, passim usurpavit.

Clemens eum invasorem declarat;

§ 12. Nos igitur, quibus nullo pacto ferendum est ut nostra, et Sanctae Romanae Ecclesiae, Sedisque et Camerae Apostolicae iura a quoquam violentur, vel indebite occupentur, minime connivendum, aut diutius dissimulandum esse duximus; et quia hactenus humanis remediis utentes parum profecimus, ad divina praesidia, preces nimirum, recurrimus, quas in hac alma Urbe nostra, universo clero et populo ad primarias basilicas et ecclesias indiximus, ut Deus ac Pater misericordiarum mentem eiusdem Caesaris luce divinae gratiae illustraret. Verum cum ille adhuc in sua animi duritie persistat, ad arma spiritualia deveniendum duximus, si forte etiam ecclesiae timeat iudicium, cui parere tenetur, ne si demum non paruerit, ipsam obligationis suae sententiam et alia quoque culpa, idest ex inobedientia, mereatur atque augeat. Habita igitur prius super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus diligenti ac matura deliberatione, et de illorum unanimi consilio pariter et assensu, et omnium ac singulorum investiturarum, necnon monitorii, processus, sententiae, mandati de immittendo in possessionem, ac intimationis praedictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, et omnes ac singulos iuris et facti et quarumcumque solemnitatum, etiam substantialium omissiones et defectus, si quae vel qui forsan intervenerint in praemissis, stante huiusmodi occupationis et impedimenti notorietate, de qua nobis constitit et constat, ac ex certa nostra scientia, auctoritate apostolica, etiam de potestatis plenitudine supplentes, et eamdem occupationem, ac impedimentum notorium, et facti permanentis existere, et nulla iuris solemnitate, aut ulterioris probationis adminiculo indigere declarantes; sicque per quoscumque iudices, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari, interpretari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentatum forsan est hactenus, vel imposterum contingerit attentari, decernentes: attento quod, ut supradictum fuit, contra ipsum Caesarem reum, nec personalis exequutio fieri potuit, et stante etiam eiusdem vera erga nos contumacia, propter certam ipsius praemissorum scientiam, de qua in procuratorio mandato supradicto in actis causae huiusmodi producto, ut supradictum est, constat: cum Iesu Christi vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobisque in Beati Petri Apostolorum Principis persona sit dictum: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis*, praedictum Caesarem civitatis et ducatus nostrorum Ferrariae, illiusque comitatus et districtus, aliarumque civitatum, terrarum, castrorum et locorum praedicti Alphonsi ducis antecessoribus in feudum per Romanos Pontifices, praedecessores nostros, concessum una cum omnibus eorum territoriis, districtibus, iurisdictionibus, fortalitiis, membris, pertinentiis et iuribus universis invasorem et occupatorem ma-

nifestum, necnon illicitum detentorem, ac nostrum et Sanctae Romanae Ecclesiae, Sedisque et Camerae praedictae rebellem et hostem, maioris excommunicationis, anathematis et maledictionis sententiam, atque alias censuras ecclesiasticas per supradictorum Romanorum Pontificum constitutiones ac litteras die *Coenae Domini* legi solitas, necnon etiam sacros canones generalium conciliorum, et praesertim oecumenici generalis Concilii Tridentini decreta, et praeterea rebellionis laesae maiestatis criminis in primo capite, et alias poenas, etiam per nostras monitoriales, inhibitorias et citatorias supradictas inflictas ipso facto incurrisse, eumque propterea omnibus et singulis gratiis, titulis, honoribus, praerogativis, dignitatibus, privilegiis, favoribus, facultatibus, etiam gabellas seu collectas imponendi et exigendi, indultis, tolerantiis, remissionibus, libertatibus, immunitatibus, iurisdictionibus, necnon etiam omnibus et quibuscumque aliis in hunc usque diem obtentis concessionibus et locationibus, ac praeterea civitatibus, ac earum terris, castris, oppidis, fortalitiis et locis, iuribus, iurisdictionibus, et ulterius bonis quibuslibet tam allodialibus et emphiteuticis, quam etiam feudalibus, caeterisque quibuscumque per eum ante praemissa forsan a quibuscumque ecclesiis, vel ab eis quomodolibet dependentibus, hactenus habitis, seu quovis modo possessis, ac in quibus et ad quae ius sibi quomodolibet competebat et competit; ac insuper eiusdem Caesaris filios, fratres, omnesque alios illius consanguineos, affines, proximos, aut illi quovis gradu coniunctos in praemissis, seu eorum aliquibus, vel ad illa quomodolibet ius habentes et habere praetendentes (quorum omnium et singulorum nomina et qualitates, praesentibus pro sufficienter expressis haberi volumus) ac omnium eorum filios, posteros et successores quoscumque propter praemissa, illis omnibus et singulis, ac omni in illis successionis iure in perpetuum privatos, incapaces, atque indignos ad illa et quaelibet alia similia vel dissimilia imposterum obtinenda, et ad omnes actus legitimos exercendos inhabiles, et a praedictis privationis, incapacitatis et inhabilitationis poenis neminem, et supradictis etiam praetextu minoris aetatis, aut sexus excusari, seque ab illis eximere, aut tueri posse quominus propter praemissa ab huiusmodi successione penitus exclusi sint et esse censeantur, de simili fratrum consilio et assensu, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ex certa nostra scientia, auctoritate apostolica, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Rebellem quoque et crimine laesae maiestatis reum, nec non excommunicatum.

Eiusque successoribus nullum super iis, quae ille occupavit, ius competere.

§ 13. Et nihilominus sententiando in eumdem Caesarem excommunicationis maioris, anathematis maledictionisque sententiam, ipso iure, ut praefertur, incursam, de consilio et assensu similibus, promulgamus, eumque excommunicatum, anathematizatum et maledictum per praesentes denunciamus. A qua excommunicationis, anathematis et maledictionis sententia, praeterquam in mortis articulo constitutus (nec etiam tunc, nisi prius praedicta indebite occupata cum effectu nobis et Romanae Ecclesiae, ac Sedi et Camerae praedictae restituerit) ab alio praeterquam a nobis, seu a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam motu proprio et consistorialiter, praetextu cuiuscumque indulti, privilegii, aut facultatis cuivis personae, quantumvis ad imperatoris, regum, vel aliorum principum christianorum instantiam concessae aut concedendae, et licet speciali nota dignae, vel alterius cuiuscumque gratiae et indulgentiae, absolutionis beneficium obtinere nequeat; ac ipsum Caesarem civitatibus, terris, castris, oppidis, for-

Nonnisi in articulo mortis, et restitutis quae occupavit, absolvi posse decernit.

talitiis et locis, iuribus, iurisdictionibus et bonis quibuslibet ecclesiasticis, emphyteuticis, etiam feudalibus, a quibusvis ecclesiis obtentis, caeterisque quibuscumque; ac etiam allodialibus, aliisque in quibusvis locis, terris et dominiis existentibus, et ad eum spectantibus et pertinentibus supradictis, et similiter perpetuo privamus, et privatum esse decernimus, ipsasque civitates, terras, castra, oppida, fortalitia, loca caeteraque bona ecclesiastica, emphyteutica et feudalia a quibusvis ecclesiis per eum obtenta, ad ecclesias et eorum directos dominos devolutas ac devoluta, et reversas ac reversa, allodialia vero confiscata et fisco incorporata respective fore et esse; reliqua vero supradicta occupantium, ut infra, licite fieri decernimus et declaramus.

Subditi omnes a iureiurandi et fidelitatis lege solvantur.

§ 14. Omnes praeterea communitates et universitates, ac particulares etiam personas tam saeculares, quam ecclesiasticas cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, ordinis, dignitatis et praeeminentiae fuerint, civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, fortalitiorum et locorum supradictorum, illorumque incolas et habitatores, necnon etiam gubernatores, praefectos, praetores, potestates, rectores, locatenentes, substitutos, vicarios, universosque ministros et officiales; arcium praeterea et fortalitiorum custodes et castellanos, a quocumque fidelitatis iuramento, aut promissione ipsi Caesari quomodolibet praestitis, penitus absolvimus et liberamus.

Eius consanguineis terminus duodecim dierum ad ea, quae die recensentur, exequenda assignandus.

§ 15. Ac insuper omnes et singulos supradictos, necnon eiusdem Caesaris filios, fratres, consanguineos, agnatos, affines, proximos, ut illis quovis gradu coniunctos supradictos, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis infrascriptis (quas contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrere volumus), tenore praesentium, requirimus et monemus, eisdemque districte praecipiendo mandamus quatenus, omni allegatione cessante, et comparitionibus, instantiis, oppositionibus, exceptionibus, replicationibus, dilationibus, recusationibus, subterfugiis, protestationibus et frivolis appellationibus ad praemissorum excusationem inducendam, vel infrascriptorum exequutionem impediendam vel differendam, etiam ad nos et Sedem praedictam, ac etiam a processu et sententia praedictis, ipsius Caesaris, vel cuiusvis alterius nomine forsan interpositis, seu quomodolibet factis, seu imposterum interponendis et faciendis (quas ex nunc prout ex tunc, nullas et de facto interpositas et factas fore nunciamus) omnino reiectis atque sublatis, infra duodecim dierum spatium, postquam praesentes litterae fuerint publicatae, quorum quatuor pro primo, quatuor pro secundo et reliquos quatuor dies pro tertio et ultimo ac peremptorio termino et monitione canonica eis omnibus et eorum singulis assignamus, in civitatibus, terris, castris, oppidis, locis, fortalitiis et aliis supradictis se de caetero non ingerant, nec in illa intromittant, ac illarum civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum et locorum supradictorum, quae ad nos et ad Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram praedictam reversa et devoluta, ut praefertur, sunt, possessionem realem, actualem, vacuam et expeditam nobis et Romanae Ecclesiae, Sedique et Camerae praedictae dimitti et relaxari curent, et cum effectu faciant, seque ab omni ipsius Caesaris subiectione, obedientia atque adhaerentia prorsus eximant et subtrahant, ipsumque Caesarem pro suo duce, domino, aut superiore non habeant, nec talem appellent, aut inscribant, vel ducalia eius insignia publice aut privatim exponant, nec eidem de redditibus, aut

iuribus ducalibus aliquid solvant vel praestent; sed qui nobis et Romanae Ecclesiae, Sedique et Camerae praedictae in temporalibus subiecti sunt, nos et ipsam Romanam Ecclesiam Sedemque et Cameram praedictam tantummodo, ac pro tempore existentem Romanum Pontificem immediatum dominum et superiorem, ut tenentur agnoscant et revereantur, nobisque et eidem Ecclesiae, Sedique et Camerae praedictae de emolumentis ac iuribus praedictis omnino respondeant. Qui vero ecclesiis, vel aliis subiecti sunt, ipsis ecclesiis, vel eorum dominis directis, iura et emolumenta debita persolvant, et nisi Caesar et alii privati supradicti ex ipsis civitatibus, terris, castris et locis praedictis discesserint, eos personaliter detentos et captos ad nos transmittant, vel saltem ex eisdem locis vi atque armis, ubi opus fuerit, eiiciant et expellant, alioquin, lapsis duodecim diebus huiusmodi, ultra Caesarem, etiam alios supradictos privatos, et alios quoscumque ipsius Caesaris fautores, consultores, adhaerentes, conversantes, complices et sequaces, et quemlibet eorum, ac si nominatim singuli praesentibus essent expressi, necnon singulares quoque personas dictarum communitatum et universitatum, ac illarum incolas, habitatores et alios supradictos universos, qui praesentibus nostris requisitioni, monitioni et mandato minime paruerint, aut ne illis pareatur, seu ut pareri differatur, consuluerint, suaserint, fecerint, dixerint, vel procuraverint, seu alias directe vel indirecte, tacite vel expresse, praemissorum exequutionem impediverint, vel quovis modo in hoc culpabiles fuerint, supradictam excommunicationis maioris sententiam, quam de eorumdem fratrum consilio pariter et assensu, ex nunc prout ex tunc, et e contra, in illos et quemlibet eorum in his scriptis promulgamus, incurrant eo ipso, a qua, praeterquam in mortis articulo similiter constituti, nisi a nobis vel a Romano Pontifice pro tempore existente (etiam cuiuscumque indulti, privilegii vel facultatis cuivis personae, ut supra dictum est, pro tempore concessae praetextu) gratiam, vel absolutionis beneficium nequeant obtinere; itaut siquem eorum in mortis articulo constitutum absolvi contingat, qui postmodum convaluerit in eamdem excommunicationis sententiam rursus incidat et relabatur eo ipso, nisi post convalescentiam, requisitioni, monitioni et mandato nostris praedictis paruerit cum effectu.

Sub poenis hic expressis.

§ 16. Et si Caesar, per tres dies post publicationem praesentium, caeteri vero moniti et excommunicati praedicti, per alios etiam tres dies post lapsum dictorum duodecim dierum eis praefixorum immediate sequentes, respective excommunicationis sententiam animo (quod absit) sustinuerint indurato, nos sententiam ipsam aggravamus, ac ex nunc prout ex tunc, civitates, terras, castra, oppida et loca supradicta, omnesque et singulas in illis existentes ecclesias, monasteria, oratoria, capellas ac religiosa et pia loca quaecumque, de eorumdem fratrum consilio similiter et assensu, praedicta auctoritate, ecclesiastico subiicimus interdicto, itaut, illo durante, in illis nec publice nec privatim missarum solemnia, aliaque divina officia celebrentur, praeterquam in casibus a iure permissis, et in illis etiam non nisi ianuis clausis, ac excommunicatis et interdictis prorsus exclusis, etiam praetextu quarumcumque concessionum, privilegiorum ac indultorum apostolicorum, quibuscumque praelatis, aut aliis personis ecclesiasticis tam saecularibus, quam quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, aut Institutorum regularibus, et ipsismet civitatibus, terris,

Qui si, transacto termino, contumaces fuerint, Ecclesiae omnes eiusdem ducatus ecclesiastico interdicto supponuntur.

castris, oppidis et locis, eorumque dominiis, ecclesiis, monasteriis, oratoriis, capellis, ac religiosis, et piis locis, ac particularibus etiam personis, ac quibuscumque aliis in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis concessorum, quae omnia et singula, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes ad hunc effectum, et quoad loca et personas interdictas praedictas, suspendimus et nulli suffragari volumus.

Poenae contra ecclesiasticos huiusmodi interdictum violantes.

§ 17. Si quis autem sacerdos, tam saecularis quam cuiuscumque Ordinis vel instituti regularis, etsi patriarchali, archiepiscopali, episcopali, vel quavis alia dignitate ecclesiastica insignitus fuerit, salutis propriae immemor, interdictum huiusmodi violare praesumpserit, missarum solemnia, vel alia divina officia in eisdem locis, et coram personis interdictis celebrando, seu verius, quantum in eo fuerit, ecclesias et eadem pia loca profanando, praeter alias poenas canonicas contra tales editas, quibus non immerito subiacebit, eo ipso, sententiam excommunicationis et suspensionis a divinis respective incurrat; caeteri vero clerici praedictum interdictum temere violantes ultra huiusmodi poenas canonicas, alias etiam arbitrio nostro corporales se noverint incursuros. Et nihilominus, auctoritate apostolica, districtius inhibemus, ne quis ex supradictis praedicto Caesari aliisque excommunicatis praedictis missas et divina officia celebrare, ecclesiastica sacramenta administrare, vel etiam verbum Dei intra loca interdicta praedicare praesumat. Quicumque autem contra inhibitionem huiusmodi venire tentaverit, praeter alias poenas canonicas, quas incurrat, ut dictum est, episcopi suspensionis a divinis et pontificalium exercitio, necnon interdicti ingressus ecclesiae, fructuumque mensae episcopalis perceptione, alii vero excommunicationis sententiam incurrant eo ipso. Et ulterius ministrantes et praedicantes, ut praefertur, omnibus officiis et beneficiis privati sint, et sacris ordinibus ipso facto, sine alia declaratione, et absque spe alicuius restitutionis a Sede Apostolica obtinendae suspendi, liberumque sit iis, ad quos dignitatum et beneficiorum huiusmodi dispositio, seu quaevis ordinatio quocumque iure pertinet, ad illas procedere.

Reaggravatio poenarum contra contumaces, si qui post haec fuerint.

§ 18. Si vero dicti moniti, excommunicati et interdicti, per alios tres dies immediate sequentes resipiscere, ac ad cor reverti, ac nostris mandatis praedictis obtemperare distulerint, et in sua maluerint cordis duritie et perversa obstinatione persistere, eos et quemlibet eorum reaggravationis, anathematis et maledictionis, ac damnationis telo perstringimus, et omnium ecclesiasticarum poenarum vinculis legatos, censurarumque laqueis irretitos esse pronunciamus, nec non reos criminis laesae maiestatis, et ab omnibus dictae Romanae Ecclesiae fidelibus et devotis, cum eorum bonis perpetuo diffidatos, dicta auctoritate et potestatis plenitudine declaramus. Ac generaliter civitates, terras, oppida, castra et loca quaecumque, ad quae aliquem eorumdem excommunicatorum declinare contigerit, quamdiu ibidem permanserit, ac triduo post recessum eiusdem, simili interdicto subiicimus; necnon monitos, excommunicatos, aggravatos, anathematizatos et maledictos praedictos dignitatibus et honoribus, in quibus constituti existunt, tam ipsos quam civitates, terras, castra, oppida et loca praedicta omnibus immunitatibus, privilegiis, facultatibus, etiam collectandi seu gabellas imponendi, et collectas ac gabellas impositas exigendi, et indultis, etiam studii generalis, concessionibus, gratiis et dignitatibus et honoribus, quibus utuntur et

gaudent, seu muniti sunt, necnon bonis omnibus, quae in feudum, vel in emphyteusim, seu alias a praedicta Romana, seu aliis ecclesiis, monasteriis et locis ecclesiasticis obtinent, penitus privamus, dictaque bona feudalia, vel emphyteutica, et alia ab ecclesiis obtenta, ut de aliis supradictum est, ad dominos suos reverti debere, ita ut de illis libere possint disponere, decernimus. Et si aliqui ex monitis, excommunicatis, aggravatis, reaggravatis et anathematizatis et maledictis clerici saeculares vel regulares cuiuscumque Ordinis et instituti, vel alias religiosi, etiam praelati, superiores, administratores, seu rectores ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, vel collegiorum extiterint, et in quibusvis etiam cathedralibus et metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, dignitates, seu canonicatus et praebendas, aut parochiales ecclesias, vel earum perpetuas vicarias obtinuerint, seu alias beneficiati quoquo modo, et in sacris ordinibus constituti fuerint, ac etiam patriarchali, archiepiscopali, episcopali, vel alia dignitate ecclesiastica, ut praefertur, praefulserint, illos praelaturis, administrationibus, regiminibus praedictis, ac omnibus et singulis dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et praebendis, aliisque beneficiis et titulis, pensionibus et redditibus ecclesiasticis, ac etiam patriarchalibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, etiam absque alia declaratione aut solemnitate, et sine ulla spe restitutionis ad illa, ut praefertur, similiter privamus, ac privatos esse per praesentes statuimus atque decernimus, quodque de ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, canonicatibus, aliisque beneficiis praedictis possit et debeat per Sedem praedictam dumtaxat, non autem per alios similiter, libere disponi atque provideri.

Etiamsi fuerint in ecclesiasticis dignitatibus constituti, prout hic fuse dicitur.

§ 19. Insuper cathedralium et aliarum ecclesiarum huiusmodi episcopis, administratoribus, vel praelatis, ac etiam canonicis et Capitulis, ac parochialium ecclesiarum rectoribus, abbatibus quoque, prioribus, monachis etiam Cisterciensis, Cluniacensis, Praemonstratensis, aliarumque congregationum, ac etiam fratrum Praedicatorum, Minorum et Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, et aliorum quorumcumque Mendicantium, ac quorumvis institutorum religiosis, ac aliis personis ecclesiasticis saecularibus vel regularibus, ac etiam scholaribus ibidem studii causa degentibus (episcoporum vicariis civitatum earumdem aliorumque Ordinariorum solum exceptis) praecipimus et mandamus, ut infra tres dies ultimo dictos ex civitatibus praedictis, illarumque dioecesibus sub praedictis poenis, etiam ipso facto per eos, ut praefertur, incurrendis, omnino discedant, exeant, nec ad easdem civitates et dioeceses revertantur, donec moniti, excommunicati, aggravati, reaggravati, anathematizati et maledicti praedicti nostris mandatis supradictis in omnibus obtemperaverint, ac a censuris huiusmodi absolutionis beneficium, ac interdicti relaxationem per satisfactionem condignam meruerint obtinere.

Ecclesiasticis iniungitur, ut a terris ecclesiastico suppositis interdicto discedant.

§ 20. Concedimus tamen ut in cathedralibus, et aliis collegiatis et non collegiatis ecclesiis, et domibus regularium, pro custodia ipsarum ecclesiarum vel domorum duo vel tres conversi et illiterati, vel clerici in minoribus ordinibus constituti, et in ecclesiis parochialibus, vel aliis, in quibus exercetur cura animarum, pro ministrandis Baptismate parvulorum, Poenitentia morientium et aliis sacramentis ecclesiasticis, quae tempore interdicti ministrari permittuntur, aliqui presbyteri et sacerdotes, vel alii ad exercitium curae animarum deputati ibidem licite valeant remanere. Quod si prae-

Qui possint ad ecclesiarum custodiam et servitium remanere.

missa facere distulerint, ultra supradictas poenas sciant, nos eorum cathedrales ecclesias pontificalis dignitatis honore privaturos, et ipsas aliis ecclesiis, arbitrio nostro eligendis et nominandis, omnino subiecturos, ac ad graviores alias poenas, tam spirituales quam temporales, contra eorum singulos respective irremissibiliter processuros.

Aliae poenae contra contumaces.

§ 21. Praeterea, ut quos iuris ratio a malo non revocat, iudicii severitas coerceat, supradictos monitos, excommunicatos, aggravatos, reaggravatos, anathematizatos et maledictos, nisi saniora consilia susceperint, et quamdiu in dicta malitia perduraverint, simili modo decernimus, infames esse, nec ad dignitates, honores et officia aspirare, aut ascendere, testimonium perhibere, testamenta et codicillos condere, alicuius successionem ex testamento, vel ab intestato acquirere, legata vel donationes capere, compromissum in se suscipere, de instrumentis, si notarii fuerint, rogari, neque credita ab eorum debitoribus exigere ullo modo posse, nullos eis in quocumque negocio respondere, sed ipsos ad respondendum aliis teneri, neque causas ad eorum notitiam perferri debere, ipsos nec ad regimen, nec ad iudicium assumi, nec aliam iurisdictionem exercere posse, et si exercuerint, illorum sententias irritas esse, nullosque processus existere, neminem eis in quocumque iudicio patrocinium praestare, nec ipsos ad patrocinandum pro aliis admitti, contractus in ipsorum favorem initos nullius esse roboris vel momenti, nullo ipsos iuramento vel pacto obligari, ipsos vero omnibus obligari posse, et cum licite se obligaverint; ad ea quae promiserint, omnino teneri, filios quoque, nepotes et descendentes eorum usque ad quartam generationem tam ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, canonicatibus et praebendis, aliisque beneficiis ecclesiasticis saecularibus, et quorumvis Ordinum regularibus, quam etiam honoribus, dignitatibus et officiis saecularibus, si quae obtinent, ipso iure privatos, et de caetero ad similia et ecclesiasticos ordines inhabiles penitus existere.

Principes christiani, respublicae, communitates monentur ne ullum foedus cum Caesare et aliis excommunicatis ineant, aut eis auxilio sint.

§ 22. Praeterea charissimos in Christo filios Romanorum regem illustrem in imperatorem electum, et alios christianos reges, etiam speciali nota dignos, respublicas, principatus ac dilectos filios nobiles viros duces, principes, marchiones, comites, barones et quavis alia mundana dignitate et potestate fungentes, in quibuscumque mundi partibus existentes, quantumvis liberos et exemptos (quos ecclesiasticae libertatis vindices et iurium ecclesiae, praesertim Romanae, propugnatores esse decet) per viscera Domini nostri Iesu Christi paterne hortamur, et in Domino monemus, ac eisdem omnibus et singulis, nec non communitatibus ac universitatibus, quamcumque potentiam et dominium obtinentibus, per praesentes iniungimus et inhibemus, ne cum praedicto Caesare, aliisque supradictis monitis, excommunicatis, aggravatis, reaggravatis, anathematizatis et maledictis, maxime ad impediendam recuperationem civitatis et ducatus Ferrariensis, eiusque comitatus et districtus, ac aliarum civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, locorum eorumque territoriorum, districtuum, iurisdictionum, fortalitiorum, membrorum, iurium et pertinentiarum, aliorumque praedictorum, ad nos et Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram praedictas devolutorum, et per eumdem Caesarem occupatorum, quovis quaesito colore, ingenio vel praetextu, publice vel occulte, directe seu indirecte, per se vel alios, foedera vel societates pactionesve quocumque modo ineant, aut illorum protectionem, defensionem, patrocinium vel

tutelam suscipiant, vel alias nobis, vel eiusdem Romanae Ecclesiae, Sedisque et Camerae praedictae ministris, officialibus, seu agentibus, nec non ducibus armorum, capitaneis, ac militibus dictam recuperationem procurantibus, se opponant, aut impedimentum aliquod inferant, vel ipsi Caesari, et aliis supradictis in praemissis quocumque alio modo, cogitato vel inexcogitato, palam vel secreto, similiter per se vel per alios consensum, auxilium, consilium vel favorem praestent. Et quatenus iam foedera, societates, aut pactiones aliquas in praeiudicium nostrum, Romanaeque Ecclesiae et Sedis, ac Camerae praedictae iniverint, concluserint, seu iam Caesaris et aliorum praedictorum in praemissis protectionem, defensionem, patrocinium, vel tutelam susceperint, vel suscipere promiserint, etiamsi dicta foedera, societates, pactiones, protectiones, patrocinia et promissiones aliquarum forsan poenarum adiectione munitae, ac iuramento vallatae sint, ne similiter illas et illa continuent, prosequantur, aut quoquo modo adimpleant vel observent. Nos enim illa omnia et singula ipsorum tenores praesentibus pro expressis habentes, tanquam iniusta, illicita et iniqua, et contra nostrum et S. R. E. Sedisque et Camerae Apostolicae statum, et adversus immunitatem et libertatem ecclesiasticam inita, facta et suscepta, una cum iuramentis praestitis nulla et irrita esse, et non tenere, nullisque viribus subsistere et nemini, quominus censuras praedictas incurrant, impedimento esse, aut excusationem afferre posse declaramus, et nihilominus pro maiori supradictorum cautela dicta iuramenta forsan praestita, quatenus opus sit, tenore praesentium, eisdem remittimus et relaxamus.

Prohibetur quominus quis sub stipendiis

§ 23. Caeteris praeterea principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, domicellis, feudatariis, vassallis et aliis quibuscumque in temporalibus nobis et Romanae Ecclesiae, Sedique et Camerae praedictae, mediate vel immediate quomodolibet subiectis, vel alias non subiectis similiter districte praecipiendo mandamus, ne de caetero stipendia praedicti Caesaris, aut ei directe vel indirecte, publice vel occulte, quovis modo, ut praefertur, adhaerentium, consentientium, auxiliantium, consulentium, vel faventium contra nos et Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram praedictam capere, seu sub illorum nominibus et insignibus militare, vel alias illis se ipsos, personasque suas, vel suos milites, aut subditos et sequaces locare, aut eidem aliquod auxilium, opem vel favorem, ut praefertur, per se vel alios quoquomodo praestare audeant. Quinimmo, si qui cum eisdem nunc sunt, aut eorum stipendia recipiunt, vel sub ipsorum nominibus et insignibus militant (cum in quacumque obligatione reverentia, fides et obedientia S. R. E. ac Romano Pontifici debita, semper salva atque excepta sit et esse intelligatur, nec ulla promissionis aut obligationis formula contra praedictam Romanam Ecclesiam, ipsumque Romanum Pontificem quemquam obliget, aut quovis modo arctet vel adstringat, et quaecumque promissio, atque obligatio contra dictam Ecclesiam Romanumque Pontificem, ut praefertur facta et concepta eo ipso nulla invalida et irrita existat, et nullius sit roboris ac momenti) ut infra octo dies post publicationem praesentium immediate sequentes, ab ipso Caesare eique adhaerentibus, consentientibus, auxiliantibus, consulentibus, vel faventibus huiusmodi, eorumque servitiis, stipendiis et insignibus omnino recedant, pariter iniungimus atque praecipimus.

Caesaris atque illi adhaerentium militent.

Poenae contra inobedientes.

§ 24. In omnes vero et singulos ex eis, qui contra mandatum nostrum huiusmodi facere, vel etiam venire tentaverint, seu

quoquo modo praesumpserint per se, vel alios directe vel indirecte, similis excommunicationis ac anathematis, maledictionis et privationis, ac inhabilitationis, nec non in civitates, terras, dominia et loca eorum, si quae tunc eos habere et obtinere contigerit, interdicti, ac in eos, eorumque descendentes, privationis dignitatum, dominiorum, feudorum et honorum, ac privilegiorum et gratiarum, ac inhabilitatis ad ea et alia imposterum obtinenda, nec non dominiorum et bonorum confiscationis sententias, censuras et poenas, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, simili modo in his scriptis ferimus atque promulgamus, eosque illas, absque alia ulteriori monitione, incurrere volumus eo ipso, a quibus non possint, nisi a nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existenti, praeterquam in mortis articulo, ut supra dictum est, absolutionis beneficium obtinere.

Admonentur quoque Principes omnes, ut contra Caesarem, si contumax sit, suis armis insurgant.

§ 25. Caeterum si moniti, excommunicati, aggravati, reaggravati, anathematizati, maledicti, privati, ac inhabilitati praedicti, suae salutis prorsus immemores, obstinata animi duritie, supradicta bona occupata, omnino restituere, et monitioni et mandato nostris praedictis adhuc obtemperare distulerint, ex nunc, prout ex tunc, ipsum Romanorum regem in imperatorem electum, aliosque omnes christianos reges, respublicas, duces, principes, marchiones, comites, barones, nec non easdem communitates et universitates, quamcumque potestatem et dominium habentes, et quoscumque alios terrarum dominos et armorum duces et capitaneos quorumcumque fidelium stipendiis militantes, et alias quascumque personas terra marique iurisdictionem habentes, per praesentes similiter in Domino hortamur, monemus, eosque et quemlibet ipsorum requirimus, et eorum cuilibet in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, quatenus contra eosdem Caesarem et alios monitos, excommunicatos, aggravatos, reaggravatos, anathematizatos, maledictos, privatos et inhabilitatos huiusmodi, adhuc contumaces et non parentes, ac in sua perfidia et obstinatione persistentes, pro nostrorum, et Sanctae Romanae Ecclesiae, Sedisque et Camerae praedictae iurium tuitione, ac pro eiusdem Romanae Ecclesiae dignitate atque honore, vi et armis statim insurgant, eosque aggrediantur, persequantur et debellent, ac ut nos, Romanamque Ecclesiam, Sedemque et Cameram praedictam, nec non pro tempore existentem Romanum Pontificem immediatum dominum et superiorem civitatis et ducatus Ferrariae, illiusque comitatus et districtus, aliarumque civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, fortalitiorum et locorum praedictorum agnoscant, et ad nostram et eiusdem Romanae Ecclesiae, Sedisque et Camerae obedientiam redeant, cogant et compellant; ac demum dictum Caesarem ex praedictis ducatu, civitatibus, terris, castris, oppidis, fortalitiis et locis praedictis penitus eiiciant atque expellant. Ac etiam pro graviori ipsorum monitorum, excommunicatorum, aggravatorum, anathematizatorum, maledictorum, privatorum et inhabilitatorum poena, quoscumque excommunicatos etiam dictarum civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum supradictorum, quorum communitates, universitates, et incolae praedictum Caesarem in eorum ducem, superiorem ac dominum agnoscere, et ei obtemperare praesumpserint, ipsumque in civitatibus, terris, oppidis, castris, fortalitiis et locis huiusmodi moram trahere seu consistere permiserint, in quibuscumque locis eos invenerint, appraehendant et capiant, atque appraehensos et captos teneant, eorumque merces, pecunias, animalia, suppellectilia, nomina

debitorum, res et bona universa, in quibuscumque etiam locis ea invenerint, similiter capiant, illaque propria efficiant, ac in suos usus et utilitatem convertant. Nos enim, auctoritate et potestatis plenitudine praemissis, armorum ducibus, capitaneis, militibus et aliis quibuscumque contra ipsum Caesarem arma sumentibus et aliquorum ex supradictis, qui eidem Caesari obedientiam praestiterint, eumque in ducem, superiorem et dominum agnoverint, res et bona, aut personas capientibus, universas merces, pecunias, suppellectilia et immobilia, ubique locorum et gentium, etiam extra civitates, terras, oppida, castra, fortalitia et loca praedicta eidem Caesari obtemperantia, existentia, per eos, ut praefertur, capta, appropriamus et applicamus, ac illa ad eosdem capientes pleno iure pertinere volumus et mandamus; civitates vero, terras, oppida, castra, fortalitia et loca praedicta, si ab eis capiantur, illis in praedam damus et concedimus: personas autem supradictas excommunicatas, anathematizatas et maledictas quas ubique locorum et gentium capi contigerit, servos et mancipia capientium fieri decernimus.

Gratiae spirituales concessae iis, qui Caesaris conatibus se opposuerint.

§ 26. Caeterum eisdem, qui contra ipsum Caesarem et alios supradictos armis, ut praefertur, se opposuerint, et pro defensione et recuperatione civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, fortalitiorum et locorum ducatus huiusmodi, ad dictam Romanam Ecclesiam et Apostolicam Sedem devolutorum opem, auxilium, consilium, vel favorem quovis modo praestiterint, praeter praemissa, nostram et apostolicam benedictionem impertimur; necnon eisdem, si vere poenitentes et confessi, ac Sacra Communione refecti fuerint, vel etiam, cum id commode facere non potuerint, si saltem firmum debito tempore confitendi et sacrosanctum Eucharistiae sacramentum devote sumendi propositum habuerint, et pro celeri ac felici recuperatione dictae civitatis ac ducatus Ferrariensis, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Poenae spirituales contra ei auxilium praestantes, *etc.*

§ 27. Caeterum cum non solum delinquentes, sed etiam ipsi assensum vel auxilium praebentes in crimine pari poena plectendos canonica condemnet auctoritas, eos favere delinquentibus interpretans, qui manifestum facinus permittunt; si qui reges, respublicae, duces, principes, marchiones, comites, barones quantumvis liberi et exempti, necnon si quae aliae communitates et universitates quamcumque potestatem et dominium habentes, tam in Italia quam extra Italiam, ubique locorum et gentium constitutae; necnon si qui etiam armorum duces, capitanei, praefecti militum, ipsique milites et aliae quaecumque particulares personae, quarum omnium et singularum nomina, cognomina, gradus et qualitates, ac si hic in specie et singillatim inserta essent, praesentibus pro expressis haberi volumus, per se, vel alium, seu alios publice vel occulte, directe seu indirecte, quovis quaesito colore et praetexto, eidem Caesari et aliis monitis, excommunicatis, anathematizatis, maledictis, privatis et inhabilitatis ad impediendam recuperationem civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, arcium, fortalitiorum et locorum ad nos, Romanamque Ecclesiam, Sedemque et Cameram praedictam devolutorum praedictorum milites, equos, naves, triremes et alia navigii genera, arma, munimentave militaria, pecunias, aut commeatum concedere, tradere et ministrare, seu consensum, auxilium, consilium, vel favorem quovis modo praebere praesumpserint, aut eorum militibus, armigeris, le-

Quae distincte singulis pro qualitate criminis et participationis infliguntur.

gionariis et stipendiariis, necnon auxiliariis copiis, etiam externis et alienigenis, et aliis quibuscumque, iter, seu transitum per eorum loca et ditiones concesserint et permiserint, quicumque ii fuerint, et quantumvis excelsa, et regali, et imperiali dignitate praefulserint, etiam quod speciali nota indigeant, nec sub generali expressione veniant, ipsi quoque excommunicationis maioris et maledictionis aeternae vinculo ligati, et censuris ecclesiasticis innodati, divinoque percussi anathemate sint eo ipso, nec de salute animae aliquid unquam sperent aut praesumant, nisi ante finem vitae poenitentiam agentes, praevia condigna satisfactione, Apostolicae Sedis gremio benigne recepti, et fidelium unitati fuerint gratiose restituti, prout ex nunc illos et quemlibet eorum censuris omnibus praedictis innodamus, et anathemate percutimus; nec non ultra alias poenas a sacris canonibus et apostolicis constitutionibus inflictas, eos, si ecclesiastici fuerint, quacumque dignitate, quantumvis speciali nota digna praefulgeant; si vero laici, eorum filios et descendentes usque ad quartam generationem quoscumque qualibet huiusmodi dignitate ecclesiastica, ac ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, pensionibus et beneficiis, et redditibus ecclesiasticis quantumvis speciali nota dignis, ex nunc, prout ex tunc perpetuo privamus, ac ad illa et alia imposterum obtinenda prorsus inhabilitamus. Et ulterius in eorum regnis, provinciis, civitatibus et locis quibuscumque sacramentorum et divinorum officiorum, et humani comercii usum, ut de aliis civitatibus et locis superius expressis dictum est, et infra etiam dicetur, interdicimus, illorum praeterea singularibus personis, nisi se correxerint et a praemissis abstinuerint divinam praedicimus ultionem.

§ 28. Demum supradictis omnibus et singulis excommunicatis, anathematizatis et maledictis, et cuicumque illorum, nomina et cognomina ipsorum, ac si hic in specie inserta essent, praesentibus pro expressis similiter, ut supradictum est, habentes, communionem, participationem, commercium quorumlibet christifidelium interdicimus et prohibemus; ipsisque christifidelibus iniungimus, ut ipsos excommunicatos, anathematizatos et maledictos evitent, et faciant, quantum in eis est, ab aliis evitari, nec ad eos aut aliquem ipsorum frumentum, segetes, blada, panem, vinum, carnem, aut aliud quodcumque commeatus et cibarii genus, vel etiam pecunias, pannos, vestes, aliasve res et merces deferre, portare, vel eis vendere, aut alio quocumque modo tradere, vel in eos transferre, aut vicissim ab illis emere, vel quoquo modo recipere praesumant, nec etiam permittant, ut haec ab aliis fiant, alioquin ipsos quoque secus facientes, singulares nimirum personas, paribus excommunicationis, anathematis et maledictionis, civitates vero, terras, castra et loca, quorum domini, vel communitates, et universitates contra fecerint, ecclesiastici interdicti vinculis, ut supradictum est, innodamus, ac simili modo illis communionem, participationem et commercium aliorum fidelium interdicimus. Significantes nihilominus illis universis, nos, in eventum in quem aliqui ipsorum contra praemissa aliquid fecerint, statim ad particularem, ac specialem supradictarum censurarum et interdicti, aliarumque poenarum pronunciationem et promulgationem contra quemlibet ipsorum nominatim et irremissibiliter processuros.

Admonentur christifideles ut evitent excommunicatos.

§ 29. Ut autem praemissa omnibus magis innotescant, universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis aliisque patriarchalium, metropolitanarum, et aliarum ca-

Forma publicandi praesentem constitutionem.

thedralium et collegiatarum ecclesiarum praelatis, Capitulis, et personis aliis ecclesiasticis, et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, necnon quorumcumque institutorum religiosis, exemptis et non exemptis, in quibuscumque locis et praesertim in Italia constitutis, in virtute sanctae obedientiae similiter districte praecipiendo mandamus, quatenus ipsi et quilibet eorum, postquam praesentes ad eorum notitiam quovis modo pervenerint, sub similibus censuris et poenis per eos, et singulares personas eorumdem capitulorum et conventuum eo ipso incurrendis, supradictum Caesarem, nec non alios monitos, excommunicatos, aggravatos, reaggravatos, anathematizatos, interdictos, privatos et inhabilitatos praedictos, si decursis eis assignatis terminis praedictis respective, praemissa, prout ad eorum quemlibet pertinent, non adimpleverint, in eorum quisque ecclesiis, dominicis et aliis festivis diebus, cum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, cum crucis vexillo, pulsatis campanis, accensis candelis, ac demum extinctis, et in terram proiectis et conculcatis, cum trina lapidum proiectione, aliisque in talibus servari solitis coeremoniis, excommunicatos et aliis censuris praedictis irretitos, publicent, nuncient et faciant, ac mandent ab aliis publicari, ac nunciari, ac ab omnibus arctius evitari; nec non omnibus aliis christifidelibus, ut eos evitent, et pari modo sub praedictis censuris et poenis praesentes litteras, vel earum transumptum sub infrascripta forma factum, infra terminum trium dierum in ecclesiis, monasteriis, conventibus et aliis eorum locis publicari et affigi faciant, et eisdem monitis et excommunicatis propter eorum contumaciam cuncta necessaria, ut praefertur, denegent ministrari, donec corde compuncti, spiritum assumentes consilii sanioris, nostris monitionibus et mandatis praedictis in omnibus obtemperaverint, et meruerint a censuris et poenis praedictis absolutionis et restitutionis beneficium, ac integram a nobis et Sede praedicta gratiam obtinere.

Modus excommunicationem et ea irretitos publice denuntiandi.

§ 30. Excommunicamus quoque, et censuris praedictis innodamus omnes et singulos supranominatos, cuiuscumque status, dignitatis, gradus, ordinis et conditionis et praeeminentiae extiterint, etiamsi imperiali, regali, aut alia quacumque dignitate praefulserint, qui quominus praesentes litterae nostrae, vel earum transumpta, copiae, seu exemplaria, in suis dominiis, civitatibus, terris et locis legi, affigi, aut publicari, ac illa ad omnium notitiam deduci possint in causa fuerint, vel aliquid propterea fecerint, vel fieri quoquo modo mandaverint, atque ecclesiis, monasteriis, conventibus, et aliis quibusvis locis, in quibus fuerit denegatum per illorum praesules, praelatos et personas, litteras ipsas publicari, omnia privilegia, indulta, immunitates et gratias a Sede praedicta concessas tollimus, adimimus et revocamus, illaque ablata, adempta et revocata esse statuimus atque decernimus.

Excommunicantur impedientes publicationem praesentium.

Preces ad Deum porrigendae, ne sinat quemquam in has spirituales poenas incidere.

§ 31. Caeterum, ne hac in re aliquid quod ad paterni nostri officii munus pertineat, praetermittamus, aut a nobis desiderari aliquo pacto patiamur, volumus, ac supradictarum civitatum, terrarum, oppidorum, castrorum, et locorum episcopis, aliisque ordinariis, necnon parochis, rectoribus, et aliis curam animarum habentibus, ac verbi Dei concionatoribus, religiosis, theologis et confessoribus, caeterisque personis totius cleri, tam saecularis, quam cuiusvis ordinis et instituti regularis, quos zelum Dei, et salutis animarum habere decet, in virtute sanctae obedientiae iniungimus, ut duodecim dierum et aliorum praedicto-

rum monitis primodictis praefixorum spatio adhuc durante, ipso nimirum intermedio tempore, antequam excommunicationis poenam ob inobedientiam incurrant, assiduis orationibus summo spiritus fervore clament ad Dominum, ne patiatur dictum Caesarem, et qui eum sequuntur, in profundum malorum venire, et ipsum ultionum Dominum contemnere, in cuius manus incidere horribile est, sed illuminet oculos eorum ne obdormiant in morte; tum omnes privatim et publice admoneant, quam metuenda res sit excommunicatio, qua impii et obdurati, ac inobedientes ab ecclesia catholica, quae est corpus Christi, separantur, et a fidelium consortio, et sanctorum communione arcentur longissime, ac propterea pareant mandatis Ecclesiae neve ullis humanis rationibus, tantam animarum suarum perniciem patiantur. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua*[1]? Alioquin eos, qui in cordis duritia et inobedientia permanserint, maledictos et execrabiles fore comminentur, et cum Iuda proditore, et cum diabolo et angelis eius rebellibus partem habituros in igne et cruciatibus sempiternis.

Fides praesentium transumptis danda.

§ 32. Postremo, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca deferri, in quibus earum publicatio necessaria foret, volumus et, praedicta auctoritate, decernimus, ut earum transumptis, etiam impressis, et in italicum seu quodvis aliud idioma fideliter conversis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem omnino fides habeatur, quae praesentibus ipsis, si forent exhibitae vel ostensae, haberetur.

1 *Matth.* XVI, 26. (R.T.)

Publicatio praesentis constitutionis.

§ 33. Et nihilominus, ne quis aliquam praemissorum ignorantiam praetendere, aut ullo unquam tempore illam allegare, seu se excusare possit, easdem praesentes litteras in loco solito palatii nostri apostolici apud Sanctum Petrum, ubi litterae processus Romanorum Pontificum die *Coenae Domini* publicari solent, praesentibus S. R. E. cardinalibus, ac aliorum fidelium multitudine copiosa, fecimus publicari, et praeterea tam in Urbe nostra, in Lateranensi et Principis Apostolorum de Urbe basilicarum, et in Cancellariae nostrae Apostolicae valvis, ac in acie Campi Florae, per aliquem ex cursoribus nostris, quam etiam in metropolitanae Bononiensi et cathedralis Cerviensis ecclesiarum valvis, more solito legi et publicari, ac ibi affigi, et per aliquod temporis spatium affixas dimitti, eisque postea inde detractis, earum exempla in eisdem locis pariter affixa relinqui volumus et mandamus. Decernentes publicationem et affixionem huiusmodi Caesarem et alios monitos, excommunicatos, aggravatos, reaggravatos, anathematizatos, maledictos, privatos et inhabilitatos, ac caeteros quoscumque in eisdem praesentibus litteris quomodolibet compraehensos perinde arctare et afficere, ac si litterae praedictae illis et singulis eorum personaliter notificatae, exhibitae et intimatae fuissent.

Contrariorum derogatio.

§ 34. Non obstantibus praemissis, et quibuscumque apostolicis, necnon in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus seu specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis privilegiis, indultis et litteris apostolicis cuicumque praedictorum in praesentibus litteris compraehensorum, nec non Mendicantium, ac Cisterciensis, Cluniacensis, Praemonstratensis, et aliis cuiusvis Ordinis et instituti regularibus, etiam *Maremagnum* et *Bulla Aurea*,

vel alias quomodolibet nuncupatis, caeterisque religiosis personis et clericis saecularibus, necnon ipsis regnis, dominiis, rebuspublicis, ducatibus, principatibus, civitatibus, terris et locis, caeterisque aliis quibuscumque sub quavis forma vel expressione verborum, ac sub quibusvis tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis, ac irritantibus et aliis decretis in contrarium praemissorom quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Ac etiamsi Caesari, nec non caeteris omnibus et singulis praedictis, etiam patriarchis, archiepiscopis, episcopis, nec non etiamsi ipsis imperatori, regibus, rebuspublicis, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, feudatariis, castellanis, civibus, incolis, et habitatoribus, et aliis praedictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis specialibus vel generalibus quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda esset in eisdem praesentibus litteris mentio specialis. Quae omnia et singula, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, quoad hoc nolumus cuiquam aliquatenus suffragari, illisque omnibus et singulis ad eorumdem praesentium effectum, harum serie, specialiter et expresse ac latissime derogamus et derogatum esse volumus et decernimus;

§ 35. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum suppletionis, declarationum, decretorum, promulgationum, denunciationum, privationum, absolutionum, liberationum, remissionum, relaxationum, requisitionum, monitionum, mandatorum, aggravationum, subiectionum, perstrictionis, pronunciationis, interdictorum, prohibitionum, suspensionum, statutorum, praeceptorum, voluntatum, hortationum, iniunctionis, inhibitionum, cassationis, revocationis, irritationis, appropriationis, applicationis, dati, concessionum, innodationum, percussionis, inhabilitationis, expositionis, excommunicationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum. Clausulae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, undecimo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 22 decembr. 1597, pontif. an. VI.

✠ **Ego Clemens catholicae Ecclesiae episcopus.** PP. Cardinaliumque subscriptiones.

Protector noster aspice Deus.

† . . . . . .

† Ego Innicus episcopus Portuensis, card. de Aragona.

† Ego Ptolomaeus episcopus Tusculanus, card. Alexandrinus.

† Ego Ludovicus episcopus Sabinensis, card. Madrutius.

† Ego Iulius Antonius episcopus, card. Praenestinus et S. Severinae.

† Ego Hieronymus, tit. S. Mariae Transtyberim, card. Rusticuccius.

† Ego Hieronymus, tit. S. Priscae, card. Simoncellus.

† Ego Petrus, tit. S. Laurentii in Lucina, card. Deza.

† . . . . . .
† . . . . . .
† . . . . . .
† . . . . . .
† Ego Antonius Maria, card. Salviatus, tit. S. Mariae de Pace.
† Ego Augustinus, tit. S. Martini, presbyter card. de Verona.
† . . . . . .
† Ego Simeon, tit. S. Hieronymi, card. de Terranova.
† Ego Scipio, tit. S. Salvatoris in Lauro, card. Lancellottus.
† Ego Henricus, tit. S. Pudentianae, cardin. Caietanus, S. R. E. Camerarius.
† Ego Dominicus, tit. S. Chrisogoni, presbyter card. Pinellus.
† Ego Fr. Hieronymus Bernerius, tit. S. Mariae super Minervam, presbyter, card. Asculan.
† . . . . . .
† Ego Antonius, tit. S. Stephani in Monte Coelio card. Saulius.
† . . . . . .
† . . . . . .
† Ego Marianus Perbenedictus, tit. Sanctorum Petri et Marcellini, presbyter card. de Camerino.
† Ego Fr. Gregorius, tit. S. Augustini, presbyter card. de Montelparo.
† Ego Paulus, tit. S. Caeciliae, presbyter card. Sfondratus.
† Ego Benedictus, tit. S. Marcelli, presbyter card. Iustinianus.
† Ego Augustinus, tit. Ss. Ioannis et Pauli, card. Cusanus.
† Ego Franciscus Maria, tit. S. Mariae in Aracoeli, card. a Monte.
† Ego Octavius, tit. S. Alexii, presbyter card. Paravicinus.
† Ego Hieronymus, tit. S. Pancratii, presbyter card. Matthaeius.
† Ego Octavius, tit. S. Mariae de Populo, presbyter card. Aquaviva.
† Ego Flaminius, tit. S. Honuphrii, presbyter card. Platus.
† Ego Federicus, tit. S. Mariae Angelorum, presbyter card. Borromaeus.
† Ego Lutius, tit. Ss. Quirici et Iulittae, presbyter card. Saxus.
† Ego Guido, tit. S. Petri in Monte Aureo, presbyter card. Pepolus.
† . . . . . .
† . . . . . .
† . . . . . .
† . . . . . .
† Ego Franciscus, tit. S. Martini in Montibus, presbyter card. Cornelius.
† . . . . . .
† . . . . . .
† Ego Camillus, tit. S. Eusebii, presbyter card. Burghesius.
† Ego Caesar Baronius, tit. Ss. Nerei et Achillei, card. bibliothecarius.
† Ego Laurentius, tit. Laurentii in Pane et Perna, presbyter cardin. Blanchettus.
† Ego Franciscus, tit. S. Silvestri, presbyter card. de Avila.
† Ego Ferdinandus, tit. S. Blasii de Annulo, presbyter card. de Gevara.
† Ego Franciscus, tit. S. Thomae in Parione, card. Mantica.
† Ego Pompeius, tit. S. Balbinae, presbyter card. Arigonus.
† . . . . . .
† Ego Franciscus card. Sfortia S. Mariae in Via lata.
† . . . . . .
† Ego Alexander, S. Laurentii in Damaso S. R. E. Vice-Cancellarius, diaconus card. Montaltus.
† Ego Ascanius, S. Mariae in Cosmedin, diaconus card. Columna.
† . . . . . .
† Ego Odoardus, S. Eustachii, diaconus cardinalis Farnesius.
† Ego Antonius, Ss. Quatuor Coronatorum, card. Facchenettus.

† . . . . . .

† Ego Cynthius, diaconus cardinalis Sancti Georgii.

† Ego Bartholomaeus, S. Mariae in Porticu, card. Caesius.

† Ego Andreas, S. Mariae in Domnica, diac. card. Perettus.

† . . . . . .

CLXXIV.

Confirmatio erectionis Congregationis Doctrinae Christianae in civitate Avenionensi; cum facultatum et indulgentiarum nonnullarum concessione [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Exposcit debitum nostri pastoralis officii, ut in eam curam nostrae sollicitudinis partes intendamus, per quam christifidelibus ad christianam doctrinam addiscendam via faciliter aperitur, ita ut in ipsis huiusmodi doctrina imbutis in dies crescat divinorum observantia praeceptorum.

Congregatio Doctrinae Christianae Avenione auctoritate archiepiscopi et vicelegati instituta.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli pii christifideles Avenione commorantes pio aliis christifidelibus in his, quae ad salutem sunt, iuvandi desiderio ducti, et considerantes in his haereticorum et schismaticorum tenebris non solum pueros teneros in doctrina christiana educandos, sed et homines provectos et natu maiores huiusmodi doctrinae christianae rudes in illa instruendos esse, ab anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, auctoritate venerabilis fratris Ioannis Francisci episcopi Cavallicensis, tunc in civitate nostra praedicta Avenionensi vicelegati, ut pro huiusmodi exercitio vacarent, et in vinea Domini fructus aliquos producerent, quamdam inter se Congregationem, ad christianam doctrinam rudes edocendum, instituerunt, cuius congregationis fideles postea dilecti filii nostri Francisci Mariae Sancti Bartholomaei in insula presbyteri cardinalis, tuncque ecclesiae Avenionensis, ex concessione et dispensatione apostolica praesulis, ope et favore adiuti, in ecclesia Sanctae Praxedis Avenionensis et aliis quibusdam locis comitatus Venaissini hucusque opus huiusmodi continuarunt, et adhuc magno cum fructu in illo perseverant.

Card. Avenionensis eam apostolica auctoritate confirmari petit.

§ 2. Cum autem, sicut idem Franciscus Maria cardinalis nobis nuper exposuit, messis multa sit, operarii vero pauci, sintque ad tantum opus peragendum plures et diversae personae, et aliqui redditus annui, pro earum sustentatione, necessarii, ipsaque Congregatio nullos omnino redditus habeat; eleemosynae autem, refrigescente charitate, ita rarae sint, ut vix ad trium vel quatuor sustentationem sufficere possint, et ideo si auctoritate apostolica huiusmodi Congregatio perpetuo instituetur (in quam homines in timore Domini emeriti, tum ecclesiastici tum laici, in continentia vitam suam ducere proponentes, qui huic exercitio singulis festivis et dominicis et aliis, si opus esset, diebus invigilarent, reciperentur), et hoc profecto pio operi praedicto admodum consultum esset: quare idem Franciscus Maria cardinalis nobis humiliter supplicavit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Clemens,

§ 3. Nos, qui piis operibus nostri favoris praesidium libenter impertimur, singulares dictae Congregationis personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, congregationem praedictam, ut praefertur, erectam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, seu quatenus rite erecta non fuerit, de novo unam Congregationem Doctrinae Christianae nuncupandam in civitate praedicta Avenionensi, in quam cuiusvis status et conditionis, probatae tamen vitae homines, dummodo in continentia vivendi firmum propositum habuerint, recipi possint, qui singulis festis Dominicis ac aliis, cum opus fuerit, diebus in ecclesia Sancti Ioannis Veteris nuncupati civitatis nostrae Avenionensis ad hoc opus per nos institutam et designatam, aut aliis ecclesiis, seu locis per loci Ordinarium ad hoc designandis, pueros ac alios cuiusvis aetatis christianae doctrinae ignaros congregari faciant, ibique eosdem bonis moribus et sana huiusmodi doctrina imbuant, ac in articulis fidei instruant, eosque in viam mandatorum Domini et Ecclesiae dirigant et confirment.

Variasque congregatis huiusmodi concedit facultates,

§ 4. Presbyteri vero, a locorum Ordinariis ad id approbati, confessiones audire, verbum Dei praedicare et sacrosanctum Eucharistiae sacramentum christifidelibus vere poenitentibus et confessis administrare possint; quaestus vero ex laicorum praedictorum labore et industria provenientes cum caeterorum redditibus, tum ex clericorum eorumdem beneficiis ecclesiasticis ac patrimoniis, si quae habeant, provenientibus in arca communi reponantur, ut exinde habeant quo sustentari possint; eliganturque in huiusmodi Congregatione unus ex dictis presbyteris, qui caput et superior sit, cuique reliqui obedire teneantur tam in dicta Congregatione Avenionensi, quam aliis locis quibuslibet vicinis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, erigimus et instituimus, ac ecclesiasticis et aliis nunc et pro tempore existentibus dictae Congregationis personis quaecumque statuta et ordinationes (licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et decretis Concilii Tridentini non contraria, ac prosperum dictae Congregationis statum concernentia, ab Ordinario loci postea approbanda) condendi et condita, quando expediens fuerit, de dicti Ordinarii licentia mutandi, aliaque ad id necessaria et opportuna faciendi licentiam et facultatem tribuimus.

Et privilegia gratiasque spirituales.

§ 5. Ut autem dictae nunc et pro tempore existentes huius Congregationis personae piis operibus promptius vacare studeant, et christifideles ad dictam Congregationem ingrediendum magis invitentur, quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se ulterius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui dictam Congregationem pro tempore ingredientur, die eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi, sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam, et in cuiuslibet eorum mortis articulo (si pariter vere poenitentes et confessi, sacraque Communione refecti fuerint, vel quatenus id facere nequiverint, saltem vere contriti nomen Iesu ore vel corde devote invocaverint) etiam plenariam, ac tam ipsis iam descriptis et in dicta Congregatione describendis, quam aliis utriusque sexus christifidelibus etiam vere poenitentibus et confessis, ac sanctissima Communione refectis, qui praedictae Congregationis ecclesiam vel capellam in festo Annunciationis Beatae Mariae Virginis, a primis vesperis usque ad occasum solis eiusdem festi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione,

ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem nunc et pro tempore existentibus in dicta Congregatione descriptis utriusque sexus christifidelibus, qui dictam ecclesiam in secundo Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Omnium Sanctorum et Epiphaniae Domini festivitatibus a primis vesperis usque ad occasum solis festivitatum huiusmodi pie visitaverint, et ibi, ut praefertur, oraverint, septem annos et totidem quadragenas: quoties vero doctrinam christianam, ut praefertur, docuerint, aut missis et aliis divinis officiis in dicta Congregatione pro tempore celebrandis et recitandis, seu Congregationibus publicis vel privatis eiusdem Congregationis ubivis faciendis, interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem cum inimicis propriis vel alterius composuerint, seu componi fecerint vel procuraverint; nec non etiam qui corpora defunctorum, tam in Congregatione descriptorum quam aliorum, ad sepulchrum associaverint, et per quascumque per ipsam Congregationem processiones de licentia Ordinarii faciendas, dictumque sanctissimum Eucharistiae sacramentum tam in processionibus, quam ad infirmos, aut alias ubicumque et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut campanae ad id signo dato, semel *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam* dixerint, aut etiam quinquies *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam* pro animabus defunctorum in dicta Congregatione descriptorum christifidelium recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint et ignorantes praecepta ea, quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum sexaginta dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus pro descriptis in Congregatione praedicta perpetuo, pro non descriptis vero christifidelibus ad decennium dumtaxat valituris.

Stati dies, quibus indulgentiae ac peccatorum remissiones lucrari possunt.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris, millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 decembris 1597, pontif. an. VI.

CLXXV.

Confirmatio erectionis hospitalis senum et bibliothecae pro instructione cleri per archiepiscopum Capuanum factae[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem ea suae confirmationis robore libenter communire, quae ad pauperum senum sustentationem et subventionem, ac earum personarum ecclesiasticarum, quae litterarum studiis operam navare cupiunt, commoditatem per pios ecclesiarum praelatos instituta sunt, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Archiepiscopus Capuanus domum pro pauperum senum hospitio et bibliothecam pro Cleri sui instructione parat.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, venerabilis frater Caesar Costa, archiepiscopus Capuanus, ad pauperum senum subventionem unum hospitale pro senibus pauperibus in civitate Capuana instituere intendat, et ad hunc effectum quemdam locum, ad hoc aptum et commodum, pretio mille et centum ducatorum monetae illarum partium proprio aere iam emerit: cumque praeterea apud eius ecclesiam Capuanam unam bibliothecam publicam pro ipsius ecclesiae et ecclesiasticarum personarum servitio et commoditate pari-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

ter erigere, eidemque bibliothecae suos libros universos donare proposuerit, et ad hunc etiam effectum unam domum assignaverit, et pro illius fabrica quadringentos ducatos similes donaverit; cupiat autem, pro hospitalis et bibliothecae huiusmodi firmiori stabilitate, institutionem et erectionem huiusmodi apostolicae confirmationis praesidio communiri.

Et utramque pontificia auctoritate petit confirmari.

§ 2. Propterea nobis eiusdem Caesaris archiepiscopi nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Clemens.

§ 3. Nos igitur eiusdem Caesaris archiepiscopi piis votis favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, institutionem et erectionem hospitalis et bibliothecae praedictorum, si et postquam factae fuerint, auctoritate apostolica tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac perpetuae firmitatis apostolicae munimine roboramus.

Et libros ex bibliotheca distrahi vetat sub excommunicationis poena.

§ 4. Praeterea pro diuturniori bibliothecae praedictae conservatione, quoscumque libros in eadem bibliotheca per dictum Caesarem archiepiscopum collocandos et eidem applicandos ex illa nullo tempore quovis praetextu, causa vel occasione, etiam per archiepiscopos pro tempore existentes, extrahi posse perpetuo prohibemus; et ipsis archiepiscopis sub suspensionis a divinis et interdicti ingressus ecclesiae, caeteris vero quibuscumque personis tam laicis quam clericis cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et dignitatis fuerint, sub excommunicationis maioris poenis, ne libros huiusmodi e dicta bibliotheca, ulla occasione vel praetextu, aut etiam temporis spatio, extrahere praesumant, perpetuo pariter interdicimus et inhibemus.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores, praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Obstantia tollit.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxx decembris, millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 30 decembris 1597, pontif. an. VI.

CLXXVI.

Praecipitur archiepiscopo Elborensi ne novos christianos, qui originem a Iudaeis vel haereticis trahunt, iuxta sententiam Congregationis Concilii constitutionemque Bonifacii VIII, a sacris ordinibus excludat [1].

Venerabili fratri archiepiscopo Elborensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Cum ex iniuncto nobis apostolicae servitutis officio christifidelibus omnibus aeque debitores simus, nullamque apud Deum adesse personarum acceptionem plane sentiamus, id circumspecta ratione providere tenemur, ut ius suum unicuique tribuatur.

Causae faciendi mandati.

§ 1. Nuper siquidem ad nos perlatum est, quod licet semel atque iterum in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Tridentini Concilii inter-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

pretum post maturam praehabitam disputationem, resolutum fuerit, quod licet ex sacri Tridentini Concilii praecepto, cap. VII, sess. XXIII, teneatur episcopus ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem investigare et examinare diligenter, eos tamen, qui originem a Iudaeis ducunt, quique ab haereticis descendunt (per paternam lineam nimirum ultra secundum, et per maternam ultra primum gradum) ab ordinatione excludere minime deberent; quin neque etiam eos, qui filii vel nepotes eorum essent, quos licet haeretici fuerint, constat tamen emendatos esse, et unitati corporique Ecclesiae restitutos, quod nimirum susceperint pro admissa culpa ad mandatum Ecclesiae poenitentiam, quam aut perfecerunt, aut ei perficiendae insistunt, vel certe quod eam percipere sunt parati, iuxta constitutionem felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, quae incipit: *Statutum:* id tamen intelligendum esset, ubi apostolico aliquo privilegio, aut confirmatione contrarium cautum non sit, et nisi aliud canonicum obsistat impedimentum; nihilominus tu, licet alias de hac re monitus, tales personas ad sacros ordines, quod egre tulimus, admittere recusas.

Mandatum. de quo in rubrica.

§ 2. Proinde nos, qui ea, quae per apostolicas sanctiones provide cauta sunt, sarta tecta conservare, scandalis, quae inde provenire possent, obviam ire satagimus, fraternitati tuae per praesentes, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrii nostri poenis, districte praecipimus et mandamus, ut iuxta dictae Congregationis sententiam, ac dicti Bonifacii praedecessoris constitutionem, supradictas personas quascumque ab haereticis per paternam lineam ultra secundum, et per maternam ultra primum gradum, vel a Iudaeis originem trahentes, ac etiam filios et nepotes haereticorum, quos emendatos et unitati Ecclesiae restitutos esse constat (alioquin tamen idoneas, nec ubi aliud canonicum obsistat impedimentum), a sacris ordinibus imposterum minime excludas, sed illos, sine aliqua personarum acceptione, libenter ad huiusmodi ordines promoveas et promoveri cures.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis, ac caeteris in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XI ianuarii MDXCVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 11 ianuarii 1598, pontif. an. VI.

CLXXVII.

Collegium Ordinis Fratrum Praedicatorum civitatis Angelorum in Indiis Orientalibus provinciae Mexicanae, sub invocatione S. Ludovici, in publicam universitatem erigitur, eique privilegia, caeteris universitatibus studiorum generalium concedi solita, conceduntur [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sedes Apostolica benigna studiosorum fautrix et adiutrix, ad ipsorum studiosorum commoda libenter prospicit, eaque gratiose concedit, per quae ipsi laborum suorum optatum fructum consequi valeant.

Causae erigendae huius universitatis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in civitate Angelorum Tlaxcallensis dioecesis

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

in Indiis Orientalibus, unum collegium Ordinis Praedicatorum sub invocatione Sancti Ludovici erectum et institutum existat, in quo a patribus eiusdem Ordinis, viris scientia et doctrina praestantibus, diversarum lectiones scientiarum quotidie habentur, quarum audiendarum causa frequens scholarium, etiam saecularium tum civitatis tum aliorum vicinorum locorum, numerus illuc accedere solet; cumque in illis partibus nulla hucusque erecta sit studii generalis universitas, in qua scientiae publice doceri et in iis gradus consueti studiosis conferri possint.

Erectio de qua in rubrica.

§ 2. Nos collegium praedictum eiusque religiosos et personas specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac rectorem et singulares eiusdem collegii personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus etiam venerabilis fratris Michaelis episcopi Albanensis cardinalis Alexandrini Ordinis Praedicatorum protectoris, nec non dilecti filii Augustini Davila Padilla, procuratoris generalis provinciae Mexicanae, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, collegium praedictum in universitatem studii generalis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Concessio privilegiorum.

§ 3. Illique sic erectae et institutae, ac illius pro tempore rectori, magistris, professoribus, scholasticis et aliis quibuscumque personis, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praerogativis, honoribus, praeeminentiis, favoribus et facultatibus, etiam circa doctores in artibus philosophiae, scientiaque civili et utroque iure ac medicina, et notarios creandos, aliosque studiorum gradus conferendos et aliis quibuslibet, quibus aliae similium studiorum generalium universitates ubivis locorum et gentium institutae, illorumque rectores, magistri, professores, scholastici et aliae personae de iure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet, tam ex apostolica quam imperiali seu regali auctoritatibus utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, atque uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt, pariformiter et aeque principaliter uti, frui, potiri et gaudere possint, valeant et debeant: utque in ipsa universitate pro tempore ad gradus quoscumque promoti, pari auctoritate, facultate et dignitate praefulgeant, iisdemque privilegiis, gratiis, honoribus et praerogativis perfruantur, atque alii in aliis universitatibus promoti, ita ut nulla inter eos fiat differentia, nec fictio locum habeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus; ipsiusque universitatis rectori et administratoribus ut pro ipsius universitatis felici regimine quaecumque statuta licita, et honesta, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis conformia, condere valeant, facultatem impertimur.

Tlaxcanensis episcopus perpetuus huius universitatis cancellarius atque praefectus.

§ 4. Eidem autem academiae venerabilem fratrem modernum et pro tempore existentem episcopum Tlaxcallensem loci Ordinarium perpetuo praeficimus, ipsumque episcopum in eiusdem academiae perpetuum cancellarium constituimus et deputamus. Utque eadem academia, eiusque lectores, officiales et scholares universi, eidem episcopo Tlaxcallensi, tanquam eorum praefecto et cancellario perpetuo subesse ac parere, et in omnibus obedientiam praestare debeant et teneantur, ipsius collegii gubernium, cura et administratio ad dictum episcopum Tlaxcallensem privative, quoad dictos successores perpetuo spectet et pertineat. Idem vero episcopus et

eius in dicta administratione successores in primis teneantur omni studio curare, ut in eadem academia catholica religio et obedientia Sedis Apostolicae conserventur, et cum expressa hac conditione, privilegia et gratias supradictas, et non alias, nec alio modo nos concessisse declaramus.

Clausulae.

§ 5. Sicque in praemissis omnibus per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus et synodalibus, ac provincialibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque universitatum studiorum generalium, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodocumque concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XI ianuarii MDXCVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 11 ianuarii 1598, pontif. an. VII.

CLXXVIII.

Ratificatio conventionum inter cardinalem Aldobrandinum, nomine Sedis Apostolicae, et ducissam Urbini procuratorio nomine Caesaris Estensis initarum, super restitutione ducatus Ferrariensis [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

Sancta Romana Ecclesia, quae inter disciplinam et misericordiam quasi regina sedet, circumstante exercitu in virga regiminis, est etiam moerentium consolatrix in ministerio pietatis. Sicut enim reos et contumaces iusta animadversione coercendo vino utitur districtionis; ita quoque, eisdem resipiscentibus et ad cor redeuntibus ignoscendo, oleum adhibet lenitatis, atque eo pacto se modo malorum severam ultricem, modo clementem ac piam matrem bonorum ostendit. Ac nos quidem in excelso iustitiae throno, licet nullis nostris meritis, sed solum divina disponente clementia constituti, hoc sane consilio, quemadmodum cum opus fuit, bonorum eiusdem Ecclesiae occupatores iustis poenis affecimus, ita eosdem, cordis duritia deposita, ad restitutionem promptos non solum benigne absolvere, sed quaecumque cum ipsis nostro ac Sedis et Camerae Apostolicae nomine propterea tractata et conclusa sunt, ut perpetuo firma et rata existant, Apostolicae confirmationis robore communire parati sumus.

Caesar Estensis Ferrariae ducatum Romanae Ecclesiae reddere statuit,

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius noster Petrus S. Nicolai in Carcere diaconus cardinalis Aldobrandinus nuncupatus, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, et totius Status et exercitus nostri ecclesiastici generalis superintendens a nobis specialiter cum amplissima facultate deputatus, novissime per litteras suas significavit, postquam nimirum diebus proxime elapsis litteras nostras super declaratione et promulgatione censurarum et aliarum poenarum contra dilectum filium nobilem virum Caesarem Estensem, ob ipsius non paritionem sententiae nostrae, super devolutione ad eamdem Romanam Ecclesiam, Sedemque et Cameram praedictam civitatis et ducatus Ferrariensis, illiusque comitatus et districtus, alio-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

rumque locorum tunc expressorum, undecimo kal. ianuarii, pontificatus nostri anno sexto, publicavimus; idem Caesar tamquam obedientiae filius in eiusdem Ecclesiae et Sedis Apostolicae fide et devotione perseverare cupiens, sanioribusque consiliis, sicut in Domino optabamus, susceptis, quod Dei et Romanae Ecclesiae est, Deo et eidem Ecclesiae reddere decreverit, ac propterea dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Lucretiam Estensem, Urbini ducissam, ad praedictum Petrum cardinalem cum sufficienti mandato miserit, ut videlicet liberam et pacificam dictae civitatis et ducatus Ferrariensis cum eius pertinentiis pro Romana Ecclesia, Sede et Camera praedictis a nobis petitam restitutionem stabiliret, et ut ipsius Caesaris aliorumque in praedictis litteris nostris compraehensorum absolutionem a nobis et eadem Sede benigne reportaret.

Et Urbini ducissam delegat ad petendam absolutionem.

§ 2. Cumque dicta Lucretia ducissa, vigore dicti mandati, post maturam deliberationem cum praedicto Petro cardinali habitam, tandem benedicente Domino restitutionem praedictam cum eodem Petro cardinali, sufficienti pariter ad hoc facultate illi per nos attributa suffulto, cum nonnullis conventionibus, pactis et capitulis concluserit sub infrascripta forma, videlicet:

Ducissa Urbini restituit et cum card. Aldobrandino legato apostolico sequentes paciscitur conditiones.

In nomine Domini. Amen. Praesenti publico instrumento cunctis pateat evidenter et sit notum, quod anno a nativitate eiusdem Domini millesimo quingentesimo nonagesimo octavo, indictione undecima, die vero duodecima mensis ianuarii, pontificatus Sanctissimi Domini nostri Domini Clementis divina providentia PP. VIII, anno sexto, volentes illustrissimus et reverendissimus D. Petrus S. Nicolai in Carcere, miseratione divina, diaconus S. R. E. cardinalis Aldobrandinus, totius Status et exercitus ecclesiastici generalis superintendens Sanctissimi Domini nostri et Sanctae Sedis, et eiusdem Rev. Camerae Apostolicae nomine, hoc negotium agens de eiusdem Sanctissimi Domini nostri PP. mandato, et illius vivae vocis oraculo sibi, ut asseruit, facto et vigore brevium praedicti Sanctissimi Domini nostri, de quibus constat in actis mei Ludovici Martini Camerae Apostolicae notarii infrascripti, quorum quidem brevium copia collationata in secretaria provinciae Romandiolae dabitur et dimittetur, et pro ipsa Sancta Sede et Camera promittens de rato, ut infra, ex una, et serenissima Madama Lucretia Estensis, ducissa Urbini, procuratrix D. Don Caesaris Estensis, habens ab eodem mandatum sufficiens et habile, rogatum per Dominum Franciscum Rondonum, alterum ex nobis notariis infrascriptis, similiter in praesenti instrumento registratum, pro altera parte, devenire ad compositionem, transactionem, concordiam et pacta inter praedictum illustrissimum et reverendissimum Dominum Cardinalem nomine praedicto, ut supra, et praedictam serenissimam Dominam dicto nomine tractata, et Dei optimi maximi gratia feliciter conclusa, super restitutione petita nomine dictae S. Sedis ducatus Ferrariae, et aliorum locorum, de quibus in infrascriptis pactis fit mentio; idcirco in nostrorum notariorum in solidum rogatorum, et testium infrascriptorum praesentia, praesentes et personaliter constituti praedictus illustrissimus et reverendissimus D. cardinalis nomine praedicto obligando praelibatum Sanctissimum D. nostrum PP. eiusque successores, et etiam Sanctam Sedem et Rev. Cameram Apostolicam, omniaque et singula eorumdem bona omnia mobilia et immobilia, praesentia et futura, ubicumque existentia, et praedicta serenissima Domina dicto nomine agens, procuratorio nomine ante dicto, obligando ipsum Dominum Don Caesarem, et eius bona omnia praesentia

Tenor instrumenti.

et futura, et alia quaecumque mobilia et immobilia ubicumque existentia per se et suos haeredes et successores sponte, et ex eorum certis scientiis, ac deliberatis voluntatibus, omni meliori, validiori et efficaciori modo, via, iure, causa et forma, quibus magis et melius potuerunt, et possunt, per hoc publicum et solemne documentum; et pro exequutione et conclusione dicti tractatus et accordii convenerunt, declararunt, relaxarunt, composuerunt, transegerunt et pacti sunt, et promiserunt, solemni stipulatione interveniente, hinc inde sibi invicem, et vicissim praesentibus, stipulantibus et recipientibus pro se ipsis et suis successoribus et haeredibus respective, in omnibus et per omnia, prout conventum et explicatum est in capitulis infrascriptis, tenoris, de quo infra, videlicet:

Excommunicationem papa abolet.

I. Che il sig. Don Cesare sia assoluto in forma amplissima da tutte le censure, pene, interessi e danni, nelli quali fosse incorso per la sentenza, o per scomunica publicata contra di lui, e rimesso nel suo stato pristino egli e i descendenti, ed altri suoi, non altrimente che se non fosse stato nè scomunicato, nè condennato, relasciando però egli il possesso del ducato di Ferrara con tutte le sue pertinenze di Cento, e della Pieve, e de' luoghi di Romagna.

Absolutio a poenis.

II. Che similmente siano assoluti e liberati i fautori, ministri, consiglieri, complici, familiari, seguaci, e tutti li altri che fossero caduti in qualsivoglia pena, anche da quella nella quale è dichiarato esser incorso il sig. Don Cesare, ancorchè si fossero acquistate ragioni ad altri, e restituiti nel suo pristino stato in forma amplissima; e di più il popolo, tutti i suoi giudici ed officiali siano assoluti, e tutte le predette cose se intendano non solo di quelli che fossero già incorsi, ma anco che incorressero in censure e pene pendenti; e conclusa la transazione che Sua Santità si degni pigliar sotto la protezione della Sede Apostolica il sig. Don Cesare e i suoi successori, e di promettergli che essa non lascierà molestare li suoi Stati imperiali da chi si sia.

Facultas extrahendi bona mobilia.

III. Che sia permesso al signore Don Cesare di portare e mandare fuori di Ferrara nelli Stati suoi imperiali, liberamente e senza alcuno impedimento, tutte le sue gioie, ori, argenti, ed altre cose preziose, i sali che si trova averci, i suoi grani, biade, farine ed altri mobili semoventi siano di qualunque qualità, ed il medesimo si conceda a tutti quelli che andassero con lui, o lo seguitassero poi, anche che di loro bisognasse farne espressa menzione, e possa anco mandare nelli detti suoi Stati tutte le scritture del suo archivio ed i libri di camera, da vedersi con l'intervento di chi sarà deputato dall'illustrissimo signore cardinale Aldobrandino, per aversi sua signoria illustrissima a ritenere quelle scritture che si troveranno appartenere alla Sede Apostolica ed alle ragioni della Camera di Ferrara. E di più possa mandarvi la metà dell'artiglieria e munizioni di guerra che sono in Ferrara e nelli altri luoghi che si rilasciaranno, rilasciando l'altra metà alla Sede Apostolica, e se ne faccia la divisione da due deputati, uno per parte.

Possessiones ipsi reservatae.

IV. Che al signore Don Cesare ed a' suoi eredi e successori rimangano tutte le sue terre, prati, valli e possessioni, case ed ostarie, ed il molino di Lugo e Bagnacavallo, che godeva innanzi la morte del signore Duca Alfonso, di gloriosa memoria, e similmente tutte quelle allodiali che gli sono pervenute per lo testamento del detto signore Duca, li quali tutti abbia e possa godere con i privilegi, immunità e libertà che godeva esso signore, ed ha goduto prima anche egli respettivamente, e ciò se gli abbia da osservare inviolabil-

mente, e tutti li beni, che non hanno annessa giurisdizione, s'intendano allodiali, salve le ragioni degli altri che pretendessero in essi, e similmente gli rimangano tutti i casamenti, stalle, cantine, granari ed ogni altra sorte di edifici e fabbriche che sono fuori del castello di Ferrara e sue fosse, e di più tutti li giardini ed orti che godeva il predetto signore Duca, eccettuatene però quelle parti che sono su i terrazzi della città; e volendo la Camera Apostolica comprare da lui tutti gli edifici, fabbriche, orti e giardini, sia obbligato venderli per il giusto prezzo.

Ius creditus exigendi ei reservatum.

V. Che possa riscuotere *more Camerae* tutti li crediti che egli si trovarà avere in Ferrara e ne' luoghi che si lascieranno, contratti sino al dì della sua uscita anco come erede del signore Duca predetto: e perchè possono nascervi dubbi e differenze con i debitori, possa il signore Don Cesare nominare uno o più giudici in qualunque instanza per tutte le suddette cause da deputarsi nella città di Ferrara da nostro Signore, o dal signor cardinale Aldobrandino, o altri ministri della Sede Apostolica, i quali abbiano a terminare per giustizia dette cause, e quanto alli altri crediti che contraerà per li suddetti beni, che li restino, abbia parimente sempre privilegio di esigere *more Camerae*, ma con la giurisdizione e autorità di giudici ordinari di Ferrara, della qual città, ed altri luoghi suddetti l'entrate siano tutte di qualsivoglia qualità del signore Don Cesare sino al dì della sua uscita.

Iuspatronatus praepositurae Pomposae.

VI. Rimangano ancora a lui ed a' suoi eredi e successori, così universali come singolari, solamente il iuspadronato della prepositura di Pomposa e quello della pieve del Bondeno con tutte le loro pertinenze, ed inoltre abbia e li resti il diretto dominio e ragioni che si trova avere presentemente sopra i beni allodiali di qualunque qualità, siccome erede del signor duca Alfonso, felice memoria, e come a nome suo proprio con li suoi emolumenti ed onoranze.

Possessiones nonnullae in territorio Carpii.

VII. Che Sua Santità faccia dare con effetto liberamente, e senza alcun pagamento, al signore Don Cesare, o a' suoi eredi tutte le possessioni della Lame del Carpigiano con le loro case ed edifici che ebbe già il vescovo di Bologna, e possede presentemente l'arcivescovo di Bologna, per la transazione e convenzione fatta già sopra Cento e la Pieve fra il duca Alfonso, di felice memoria, ed il detto vescovo di quel tempo, e tutto si faccia in forma amplissima *etiam* in ogni altro modo migliore.

Stata quantitas salis duci assignata.

VIII. Che la Camera Apostolica dia ogni anno al signor Don Cesare, suoi eredi e successori, quindici mila sacca di sale nei magazzini di Cervia per il medesimo prezzo, peso, misura e maniera che dava al duca Alfonso II, e possa il signor Don Cesare levarlo da Cervia e transitarlo liberamente per il Po e ducato di Ferrara senza pagamento di dazio alcuno, e detto sale si dia di terzaria in terzaria, cioè ogni quattro mesi la rata, cominciando dal primo giorno di questo mese di gennaro.

Honores atque praerogativae.

IX. Che il detto signor Don Cesare ritenga li gradi, luoghi, sessioni, prerogative e preeminenzie per gratia speciale di Sua Santità, che havevano i prencipi di Este, mentre possedevano il ducato di Ferrara.

Bona redimenda.

X. Che per li beni precariati dell'abbadia di Nonantula, Sua Santità si degni concedere alla città di Modena e a quei di Nonantula una bolla graziosa conforme alla Bonifaciana, o almeno conceda di poterli appropriare con liberarli della detta badia a cinque per cento del valore di essi da estimarsi da' periti.

Carpensis civitas.

XI. Che in grazia del signor Don Cesare faccia Carpi città.

XII. Che l' illustrissimo e reverendis-

Dies rata pro possessione capienda.

simo signor cardinale Aldobrandino non possa, nè altri per la Sede Apostolica, entrare in Ferrara prima del giorno 29 del presente mese, nel qual tempo sarà partito il signor Don Cesare, e restandovi delle sue robe dette di sopra, possa egli mandarle anco poi liberamente nei Stati suddetti, e similmente non entri prima nel Ferrarese nè nelli altri luoghi che si relasciaranno gente armata.

Immunitas pro incolis.

XIII. Che sua signoria illustrissima e altri per la Sede Apostolica, passato che sarà il suddetto termine, entri nella città pacificamente, e provegga che alcuno, sia di che qualità o condizione si voglia, non riceva danno.

Privilegium pro discedentibus.

XIV. Che a quelli, i quali vorranno andare col signor Don Cesare, o seguitarlo poi, e a loro, e suoi eredi e successori sia conceduto il godere i suoi beni mobili, immobili e semoventi, e haverne le loro rendite liberamente come se abitassero, nè possano essere in alcun tempo astretti ad abitare in Ferrara, nè altrove, ancorchè avessero beni nello Stato Ecclesiastico, permettendosi però loro in praticare, conversare e trafficare liberamente.

Partes contrahentes observantiam praemissorum promittunt.

Quae Capitula, et quae omnia et singula supradicta, et in praesenti instrumento contenta partes praedictae obligantes, ut supra, promiserunt sibi invicem mutuo et vicissim praesentibus et stipulantibus, ut supra, attendere, observare, adimplere et exequi in omnibus et per omnia, prout in eis continetur, omni iuris et facti exemptione remota, et quocumque impedimento cessante, etiam iis de quibus necesse esset hic fieri specialis, et individua mentio, etiam talibus quae invalidarent vel invalidare possent praesens instrumentum tam respectu Sedis Apostolicae, quam praedicti domini Don Caesaris; quod instrumentum praelibatus illustrissimus D. cardinalis, ut supra, agens virtute dictorum Brevium et facultatum, et omni meliori modo quo potuit, promisit praedictae serenissimae Dominae, ut supra, stipulanti, quod Sanctissimus D. noster, auctoritate pontificia et consistorialiter, et de plenitudine potestatis, ac omni alio meliori modo convalidabit, illudque ratificabit in omnibus et per omnia in plenissima forma infra duodecim dies proximos, et praedictae serenissimae D. ut supra stipulanti de praedictis verbum et fidem dedit. Hoc etiam pacto inter dictas partes, qua supra, stipulatione hinc inde interveniente expresso, convento et adiecto, quod dictus D. Don Caesar teneatur et debeat ratificare omnia et singula in praesenti instrumento contenta statim habita convalidatione et ratificatione praedicta a SS.mo D. N. Papa infra tempus habile; et hoc quia inter eos sic actum, dictum et conventum fuit, qua supradicta stipulatione inter eos praecedente et interveniente, et nihilominus renunciarunt dictae partes exceptioni non facti, et non celebrati praesentis instrumenti, rei non sic gestae, forique privilegio, et omni aliae exceptioni, sive iuris beneficio, et statutorum illi auxilii sibi ipsi aut cuilibet earum competenti et competituro, promittentes sibi invicem mutuo et vicissim praesentibus et stipulantibus, ut supra, a se promissa attendere et observare specialiter Romae, Ferrariae, Bononiae et generaliter in omni alio loco, terra, castro, foro et iurisdictione etiam praedictis quantumcumque distantibus, et in praedictis locis, et quomodolibet[1] eorum conveniri posse voluerunt, nulla fori vel feriarum exceptione obstante, diebus feriatis et non feriatis, feriis aliquibus alicuius conditionis praesentibus et futuris non obstantibus. Quibus ex nunc, prout ex tunc sponte renunciaverunt expresse; et si partes non attenderent et non observa-

Ratificatio huius instrumenti etiam a d. Caesare facienda.

1 Forte *quemlibet* (R.T.).

rent a se ut supra praemissa, voluerunt licere parti servanti, et suis, ut supra, sua auctoritate propria, et sine requisitione alicuius iudicis, ingredi, stare et apprehendere tenutam et corporalem possessionem bonorum omnium et singulorum praedicti a se promissa non observantis, et suorum ut supra ubicumque, et de quibus pars a se promissa observans magis et melius dicta bona eligere voluerit, vel sui ut supra voluerint, et ea bona vendere, donare, alienare, vel penes se iusto pretio retinere tanquam sua bona propria iusto pretio empta et acquisita usque ad integram solutionem et satisfactionem totius tunc sibi debiti, suorumque damnorum, interesse et expensarum litis et extra. Quae damna, interesse et expensas sibi ipsis invicem reficere et restituere promiserunt, et de iis stare et credere suis nudo et simplici verbo, absque onere sui sacramenti, vel alia iuris aut testium probatione, remotis etiam in quocumque casu quibuscumque appellationibus et nullitatis dictionibus, et praemissis non contrafacere, dicere, vel venire per se, vel alium, seu alios sub poena, solemni stipulatione praemissa, scutorum mille auri, et obligatione antedicta. Qua poena soluta, vel non, supradicta omnia et singula sint nihilominus perpetuo firma. Et ita tactis per dictum illustrissimum et reverendissimum D. cardinalem pectore, more illustrissimorum et reverendissimorum DD. S. R. E. cardinalium, et per dictam serenissimam Dominam Ducissam scripturis sacrosanctis, ad sancta Dei Evangelia in manibus nostrorum infrascriptorum notariorum in solidum rogatorum dictis nominibus in animas suorum principalium respective iurarunt. Acta et celebrata fuere supradicta omnia et singula in civitate Faventiae, in palatio dominorum antianorum dictae civitatis, praesentibus ibidem perillustri et reverendissimo D. Hieronymo Mattiuccio, archiepiscopo Ragusinensi, illustri et rev. D. Erminio de Valentibus de Trevio Spoletanensis dioecesis, illustrissimo equite D. Camillo Evalengo, nobili Ferrariensi, et illustrissimo D. Leandro Grilenzono, collaterali in civitate Ferrariae, nobili Mutinensi, testibus ad praemissa omnia et singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis.

Poena partis non observantis praescriptas instrumento conditiones.

Tenor vero supradicti mandati procurae serenissimae D. ducissae de verbo ad verbum sequitur, prout infra, videlicet.

Mandatum procurae Caesaris Estensis favore Ducissae Urbini, de quo supra.

In Christi nomine, amen. Anno Eiusdem nativitatis millesimo quingentesimo nonagesimo octavo, indictione II, die nona mensis ianuarii, Ferrariae in castro ducali, in camerino solitae residentiae infrascripti domini D. Caesaris, praesentibus testibus vocatis et rogatis, illustrissimo D. Hercule Estensi Musto, illustrissimo D. Ioanne Baptista Laderchio et illustrissimo D. Marco Antonio Riccio, dominus D. Caesar Estensis quondam D. Don Alphonsi, sponte, et ex certa eius animi scientia, et omni meliori modo, via, iure, causa et forma, quibus magis et melius potuit et potest, non revocando propter hoc aliquem alium suum procuratorem per eum hactenus constitutum, sed potius confirmando, fecit, constituit, creavit et solemniter ordinavit suam veram, legitimam actricem, factricem, procuratricem, negociorumque infrascriptorum suorum gestricem, et quidquid melius dici, censeri et esse possit, serenissimam madamam Lucretiam Estensem ducissam Urbini absentem tamquam praesentem, specialiter et expresse, ad nomen ipsius D. constituentis, et pro eo componendum, transigendum et concordandum, et quamcumque compositionem, transactionem et concordiam faciendum, ineundum et firmandum cum illustrissimo et reverendissimo cardinali Aldo-

brandino, et alio quocumque, nomine Sanctae Sedis et Camerae Apostolicae, in et super tractatu ipsius compositionis tractatae et tractandae cum praedicto illustrissimo et reverendissimo D. cardinali nomine praedicto, super restitutione civitatis Ferrariae et aliorum locorum dependentium et connexorum, et qui ab ipsis partibus nominabuntur in capitulis transactionis in et per modum, et cum illis pactis, modis, formis, capitulis, promissionibus et obligationibus, quibus eius celsitudini videbitur et placuerit, et generaliter ad omnia alia et singula dicenda, facienda, gerenda, exercenda et procuranda, quae in praedictis et circa praedicta quomodolibet necessaria erunt et opportuna, et quae ipsemet constituens facere posset, si praesens esset, etiamsi talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus sit expressum ; dans praedictus dominus constituens praedictae serenissimae D. procuratrici, licet absenti, plenum, liberum, generale et speciale mandatum in plena, libera, generali et speciali administratione in praedictis omnibus et singulis et quolibet praedictorum, promittens quod dictus D. constituens dictae serenissimae D. procuratrici licet absenti, et mihi notario infrascripto uti publicae personae stipulanti et recipienti nominibus, et vice omnium et singulorum, quorum interest, intererit, aut in futurum interesse posset, seu poterit, se ipsum firmum, ratum et gratum perpetuo habiturum omne id, et quidquid quod per dictam serenissimam procuratricem actum, dictum, gestum et procuratum fuerit, sub hypotheca et obligatione omnium et singulorum sui et bonorum suorum praesentium et futurorum. Ego Franciscus quondam D. Baptistae Rondoni, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius, et civis Ferrariensis supradictis interfui, et ea rogatus scripsi, et subinde exemplari, et in hanc publicam formam redigi feci cum signo et nomine meo solitis. Loco ✝ signi predicti D. Notarii cum litteris legalizatis hic insertis. Et Ego Ludovicus Martini, Camerae Apostolicae notarius, qui de supradicto instrumento compositionis et transactionis in solidum una cum infrascripto D. Francisco rogatus fui, et de illo notam sumpsi, ideo hoc praesens publicum instrumentum subscripsi, signavi et publicavi in fidem praemissorum requisitus. Ego Franciscus Rondonus, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius, et civis Ferrariensis deputatus ab illustrissimo e reverendissimo D. cardinali Bandino in provincia Romandiolae de latere legato apostolico, prout de huiusmodi deputatione constat in actis supradicti D. Ludovici, supradictis interfui et rogatus subscripsi una cum supradicto D. Ludovico, *etc.* In praemissorum fidem hic me subscripsi cum signo et nomine meis. Nos Octavius cardinalis Bandinus, provinciae Romandiolae et Exarcatus Ravennae de latere legatus, universis et singulis praesentes visuris attestamur, supradictos DD. Ludovicum et Franciscum fuisse et esse legales et authenticos notarios, eorumque scripturis publicis in iudicio et extra adhibitam fuisse et esse fidem. In quorum, *etc.*, praesentes fieri per notarium provincialem secretarium subscribi, et sigillo nostro muniri fecimus. Datum Faventiae, die XIII ianuari MDXCVIII. Ego Mercurius Sebastianus, secretarius, in fidem subscripsi.

Extensio ipsius supradicti mandati.

§ 3. Cumque praedictae conventiones, pacta et capitula, ut praefertur, inita ad eiusdem Romanae Ecclesiae, Sedisque et Camerae praedictae utilitatem maxime pertineant, ipseque Caesar se eo pacto nostra et Apostolicae Sedis gratia et clementia dignum reddiderit ; nos de omni-

Clemens pacta omnia rata habet et confirmat.

bus et singulis nunciis, supradicto procurationis mandato, colloquiis, consultationibus, promissionibus facultatibus et deliberationibus, super praemissis, tam a dicto Caesare, et eius nomine a Lucretia ducissa praedicta, quam ab eodem Petro cardinali habitis plene, integre et sufficienter informati, ac praedictarum nostrarum litterarum declarationis et promulgationis censurarum contra dictum Caesarem, ut praefertur, expeditarum, tenorem praesentibus pro expresso habentes, habita prius super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in consistorio nostro secreto consultatione et deliberatione matura, de eorum consilio et unanimi assensu, conventiones, pacta et capitula praeinserta, omniaque in illis expressa et contenta, quae in universis et singulis eorum praesentibus hic pro repetitis et singillatim narratis haberi volumus in omnibus et per omnia, iuxta illorum continentiam et tenorem, nihil penitus addito, sublato, vel ulla ex parte detracto, aut immutato, ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac omni meliori modo, acceptamus, omologamus et ratificamus, illaque acceptata, omologata, rata, ac grata habemus, validamus et confirmamus, necnon omnes et singulos tam iuris, quam facti, ac solemnitatum, etiam substantialium, ac quarumcumque inhabilitatum ad quovis actus iuridicos faciendos iuxta formam praedictarum nostrarum litterarum, etiam ob censuras et poenas praedictas incursas contractarum, et ad praemissa consequenda, et respective facienda forsan obstantes, aliosque defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus, ac ipsas conventiones, pacta et capitula eamdem vim et efficaciam, idemque robur omnino habere et obtinere volumus, decernimus et declaramus, quam et quod haberent et obtinerent, si nos ipsi, de simili fratrum consilio et assensu, illa cum praedicto Caesare nominatim et in specie, etiam a principio, et priusquam dictae nostrae litterae emanassent, inivissemus, nosque ipsos, ac successores nostros Romanos Pontifices, Sedemque et Cameram praedictas, illorumque bona omnia pro eorum observantia, iuxta praedictorum capitulorum formam, specialiter obligamus et hypothecamus, super quibus omnibus et singulis, seu ipsorum aliquibus, etiam quascumque particulares concessiones, seu expeditiones in forma solita cum clausulis et decretis necessariis et opportunis, simul, vel ad praesentem, prout eidem Caesari magis placuerit, et expediens esse videbitur nos facturos in verbo Romani Pontifici pollicemur.

Pontificis approbatio et promissiones.

§ 4. Et ulterius pro praemissorum, ex parte nostra, Sedisque et Camerae praedictae exequutione, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate, ex illa nobis sicut ligandi ita et solvendi a Domino attributa potestate confisi, de simili fratrum nostrorum consilio et assensu, tam praedictum Caesarem ex nunc, prout ex tunc, facta per ipsum reali, actuali et libera restitutione dictae civitatis et ducatus Ferrariensis cum omnibus suis pertinentiis ac aliis, iuxta eamdem omnium et singulorum capitulorum praedictorum continentiam et tenorem, quam etiam fautores, ministros, consiliarios, complices, familiares, sequaces, populum, iudices, officiales, aliosque in poenas, ac etiam in eamdem, in quam idem Caesar incidisse declaratus fuit, hactenus quomodolibet incursos, et in praedictis nostris litteris comprehensos, etiam quod aliquod ius aliis fuerit acquisitum, iuxta dictorum capitulorum formam, quorum omnium et singulorum nomina, cognomina, gradus, qualitates et circumstantias

Caesarem, eiusque fautores ab excommunicatione et caeteris poenis tam spiritualibus quam temporalibus absolvit.

praesentibus etiam pro expressis haberi volumus, a maioris excommunicationis, anathematis, maledictionis sententia ac aliis censuris ecclesiasticis, per quascumque Romanorum Pontificum constitutiones, ac litteras die *Coenae Domini* legi solitas, nec non etiam sacros canones generalium conciliorum, ac praesertim oecumenici generalis Concilii Tridentini decreta, ac etiam rebellionis, laesae maiestatis criminis in primo capite, nec non privationis gratiarum, titulorum, honorum, praerogativarum, dignitatum, privilegiorum, favorum, facultatum quarumcumque, indultorum, tolerantiarum, remissionum, libertatum, immunitatum, iurisdictionum et bonorum quorumlibet tam allodialium et emphyteuticorum, quam etiam feudalium, caeterorumque quorumcumque per eum ante praemissa forsan a quibuscumque ecclesiis, vel ab eis quomodolibet dependentibus habitorum, seu quovis modo possessorum, ac in quibus, et ad quae ius sibi quomodolibet competebat, eumdem Caesarem, et alios praedictos vigore sententiae, ac litterarum nostrarum praedictarum super declaratione et promulgatione earumdem censurarum respective incursis, et contra eos per nos inflictis et pronunciatis, auctoritate, potestatis plenitudine et tenore praedictis, gratiose absolvimus et liberamus, ac censuras et poenas huiusmodi illis et cuilibet eorum remittimus et condonamus, illosque universos et singulos unitati et communioni aliorum christifidelium plenarie restituimus, et cum personis ecclesiasticis super irregularitate contracta, eo quod censuris praedictis ligati se in divinis, non tamen in contemptum clavium, immiscuerint, dispensamus, fructusque propterea male perceptos illis condonamus, ac interdictum in Ferrariensi et aliis civitatibus, terris et locis in dictis nostris litteris expressis per nos appositum, remittimus et relaxamus, nec non praedictum Caesarem eiusque filios, fratres, consanguineos, proximos, affines, coniunctos, fautores, consultores, adhaerentes, conversantes, complices et sequaces, et quemlibet eorum, acsi nominatim singuli praesentibus essent expressi, ad primaevam formam, gradus, honores ac successiones, dignitates et beneficia, aliaque bona tam in nostris litteris, quam in conventionibus, capitulis et pactis supradictis expressa et comprehensa, ac alias in pristinum, et eum in quo ante praemissa quomodolibet erant statum plenissime, in omnibus et per omnia, restituimus, reponimus et plenarie reintegramus, perinde acsi sententia et litterae nostrae praedictae nunquam emanassent, et censurae ac poenae inflictae non fuissent.

Committit cardinali Aldobrandino ut ducatus Ferrariensis realem apprehendat possessionem.

§ 5. Quocirca eidem Petro cardinali per apostolica scripta mandamus, ut nostro atque Ecclesiae, Sedis et Camerae praedictarum nomine civitatis et ducatus Ferrariensis, ac terrarum, castrorum, oppidorum, nec non arcium et fortalitiorum, ac locorum quorumcumque praedictorum possessionem realem et corporalem (iuxta praedictorum capitulorum et conventionum continentiam et tenorem) apprehendat, ac a dilectis filiis communitatibus, universitatibus et hominibus civitatis Ferrariensis et aliorum locorum supradictorum, fidelitatis iuramentum recipiat, atque ipsa capitula et conventiones in omnibus et per omnia observet, et observari curet et faciat. Non obstantibus litteris nostris praedictis, ac regula nostra de non tollendo iure quaesito, quatenus opus sit, aliisve quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Iniungit absolvendis, ut imponendam a confessario poeni-

§ 6. Volumus autem ut tam Caesar, quam alii quicumque, vigore praesentium, a censuris et poenis praedictis absoluti, poeni-

tentiam adimpleant.

tentiam, quam confessor idoneus, et ex approbatis ab Ordinario per eorum quemlibet eligendus, illis ob praemissa iniunxerit, adimplere et exequi omnino teneantur, et quilibet ipsorum teneatur.

Clausulae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae acceptationis, omologationis, ratificationis, rehabilitationis, validationis, confirmationis, approbationis, suppletionis, voluntatum, decreti, declarationis, obligationis, hypothecationis, pollicitationis, absolutionis, liberationis, remissionum, condonationis, restitutionum, dispensationis, relaxationis, repositionis, reintegrationis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, quartodecimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 19 ianuarii 1598, pont. an. VII.

PP. et Cardinalium subscriptiones.

✠ **Ego Clemens catholicae Ecclesiae episcopus.**

Protector noster aspice Deus.

† . . . . . .

† . . . . . .

† Ego Petrus, episcopus Tusculan., card. Comensis.

† . . . . . .

† . . . . . .

† Iulius Antonius episcopus, card. Praenestinus S. Severinae.

† Ego Hieronymus card. Rusticuccius.

† . . . . . .

† P. card. Deza, tit. S. Laurentii.

† Antonius Maria card. Salviatus, tit. S. Mariae de Pace.

† Ego Antonius, tit. S. Mariae, cardinalis Verona.

† Ego Simeon, tit. S. Hieronymi Illyricorum, card. de Terranova.

† . . . . . .

† Ego Dominicus, tit. S. Chrisogoni, card. Pinellus, S. Mariae Maioris archipresbyter.

† Ego Fr. Hieronymus, tit. S. Mariae supra Minervam, card. Asculanus.

† . . . . . .

† Ego Antonius card. Saulus, tit. S. Stephani in Monte Coelio.

† Ego Marianus, tit. Ss. Marcellini et Petri, presbyter card. de Camerino.

† Ego Fr. Gregorius, tit. S. Augustini, card. de Montelio.

† Ego Paulus, tit. S. Caeciliae, presbyter card. Sfondratus.

† Ego Benedictus, tit. S. Marcelli, presbyter card. Iustinianus.

† Ego Augustinus, tit. Ss. Ioannis et Pauli, presbyter card. Cusanus.

† Ego Franciscus Maria, tit. S. Mariae in Aracoeli, card. a Monte.

† Ego Octavius, tit. S. Alexii, presbyter card. Paravicinus.

† Ego Hieronymus, tit. S. Pancratii, presbyter card. Matthaeius.

† Ego Octavius, S. Mariae de Populo, card. de Aquaviva.

† Ego Flaminius, tit. S. Honuphrii, presbyter card. Platus.

† Ego Federicus, S. Mariae in Termis, presbyter card. Borromaeus.

† Ego Iulius, tit. Ss. Quirici et Iulittae, presbyter card. Saxus.

† Ego Guido, tit. S. Petri in Monte Aureo, presbyter card. Pepolus.

† Ego Franciscus, tit. S. Martini in Montibus, presbyter card. Cornelius.

† Ego Camillus, tit. S. Eusebii, presbyter card. Burghesius.

† Ego Caesar, tit. Ss. Martyrum Nerei et Achillei, presbyter card. Baronius.

† Ego Laurentius, tit. S. Laurentii in Pane et Perna, presbyter card. Blanchettus.

† Ego Franciscus, tit. S. Silvestri, presbyter card. de Avila.

† Ego Ferdinandus, tit. S. Blasii, presbyter card. de Quevara.

† Ego Franciscus, tit. S. Thomae in Parione, presbyter card. Mantica.

† Ego Pompeius, tit. S. Balbinae, presbyter card. Arigonius.

† . . . . . .

† . . . . . .

† . . . . . .

† . . . . . .

† . . . . . .

† . . . . . .

† . . . . . .

† . . . . . .

† . . . . . .

† . . . . . .

† . . . . . .

† Ego Franciscus, card. Sfortia, S. Mariae in Via lata.

† . . . . . .

† Ego Ascanius, S. Mariae in Cosmedin, diaconus card. Columna.

† . . . . . .

† Ego Odoardus, card. Farnesius, diaconus S. Eustachii.

† Ego Antonius Fachenettus, diac. card. Ss. Quatuor Coronatorum.

† . . . . . .

† Ego Cinthius, diaconus card. S. Georgii.

† Ego Bartolomaeus, card. Caesius, diaconus S. Mariae in Porticu.

† Ego Andreas, tit. S. Mariae in Domnica, diaconus card. Perettus.

† . . . . . .

† . . . . . .

CLXXIX.

Acceptatio devolutionis ducatus Ferrariae mox recuperati, eiusque et reddituum incorporatio Reverendae Camerae Apostolicae.

Sanctissimus in Christo Pater et Dominus noster Dominus Clemens, divina providentia Papa VIII.

Ferrariae ducatus ad R. Cameram Apostolicam devolutus post obitum Alphonsi ducis, iuxta tenorem investiturarum.

§ 1. Quoniam per obitum Alphonsi Estensis Ferrariae ducis, ducatus et status Ferrariae, cum omnibus civitatibus, terris, castris, fortalitiis, portubus, locis, membris, iurisdictionibus, iuribus, ac aliis annexis et connexis, de quibus a Sede Apostolica, et suis praedecessoribus Romanis Pontificibus, idem Alphonsus, sive eius antecessores, investiti fuerunt, seu alias quomodolibet illos et illa a Sede praefata tenuerunt et habuerunt, ad eamdem Sedem et Cameram suam Apostolicam, tum ex forma investiturarum seu aliarum concessionum de eis factarum, tum vigore constitutionis felicis recordationis Pii Papae V praedecessoris editae sub die IV kalend. aprilis, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, pontificatus sui anno secundo, reversi et reversa, et devoluti ac devoluta existunt, et utile eorum dominium cum directo consolidatum est, etiam absque aliqua alia ulteriori acceptatione, declaratione ac possessionis apprehensione, et alias, iuxta praefatam constitutionem Pii V, ad quam in omnibus et per omnia, et in omnibus eius partibus relationem haberi voluit.

Huiusmodi devolutionem acceptat Clemens.

§ 2. Nihilominus, pro potiori cautela, et iura iuribus addendo, et constitutioni inhaerendo, de venerabilium fratrum suorum S. R. E. cardinalium consilio pariter et assensu, statum et ducatum praedictum cum omnibus civitatibus, terris, castris, fortalitiis, fortubus, locis, mem-

bris et aliis annexis et connexis, per obitum praefati ducis Alphonsi, seu alias ad eamdem Sedem devolutum et devoluta, et utile illorum dominium cum directo consolidatum esse declaravit, et huiusmodi reversionem, devolutionem et utilis cum directo dominio consolidationem acceptavit, ipsum ducatum et statum Ferrariae, cum omnibus supradictis, Sedi Apostolicae et Camerae reversum, unitum et incorporatum esse ac censeri decrevit et declaravit omni meliori modo.

Et dictum ducatum C. A. unit subiicitque constitutioni Pii V de non alienandis.

§ 3. Et quatenus opus sit, eumdem ducatum et statum, de novo eidem Sedi et Camerae univit et incorporavit, et dispositioni constitutionis praefatae Pii V subiacuisse et subiacere similiter decrevit et declaravit, Deoque Omnipotenti, Beatae Virgini, ac Ss. Apostolis Petro et Paulo perpetuo tribuit et dedicavit.

Die XIX ianuarii MDXCVIII, apud S. Petrum, in Consistorio secreto, Romae.

Dat. die 19 ianuarii 1598, pontif. an. VI.

Sequitur alia itidem declaratio et applicatio.

Sanctissimus in Christo Pater et D. N. D. Clemens, divina providentia, Papa VIII.

Idem Pontifex Deo agit gratias de recuperatione dicti ducatus.

§ 4. Dixit ducatum et statum Ferrariae iam fuisse recuperatum, idque sola Dei Omnipotentis misericordia factum esse, et propterea Illi ingentes esse gratias agendas, praesertim cum id, absque ulla sanguinis effusione, contigerit.

Iteratoque illum Cam. Apost. unit cum suis.

§ 5. Et iterato, ut magis enixam et exploratam eius voluntatem ostendat, iura iuribus addendo, ducatum et statum praefatum, omnesque illorum redditus, eidem Sedi et Camerae Apostolicae univit et incorporavit, et dispositioni constitutionis Pii V editae sub dat. IV kalen. aprilis, pontificatus sui anno secundo, subiacuisse et subiacere similiter decrevit, Deoque Omnipotenti, B. Mariae Virgini et Ss. Apostolis Petro et Paulo, quorum ope id factum fuit, perpetuo addixit et consecravit.

Romae apud S. Petrum, die undecima februarii, millesimo quingentesimo nonagesimo octavo.

Dat. die 11 februarii 1598, pontif. an. VII.

CLXXX.

Cardinali Aldobrandino in civitate et ducatu Ferrariensi de latere legato, ut facilius civitàtem et ducatum praedictos a gubernio ducali, ad normam regiminis aliarum provinciarum Status Ecclesiastici redigere possit, amplissimae facultates conceduntur [1].

Dilecto filio nostro Petro S. Nicolai in Carcere diacono cardinali Aldobrandino nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepoti, in universa Italia ac in civitate et ducatu nostris Ferrariensibus nostro et Apostolicae Sedis de latere legato

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili noster,

salutem et apostolicam benedictionem.

Cardinali legato amplissimas facultates concedit.

§ 1. Quoniam in regimine civitatis et ducatus nostrorum Ferrariensium, per nos singulari tuae fidei atque prudentiae nuper commisso, propter diversitatem gubernii ducalis, sub quo dicta civitas hactenus recta fuit, et ecclesiastici, sub quo deinceps erit, multa contingere possunt, quae in facultatibus legationis civitatis et ducatus praedictorum, ac in aliis facultatibus pridem tibi per nos concessis, non sunt expressa, ac speciali nota digna essent; nos ne propterea ducatus et civitas praedicti aliquod patiantur detrimentum, sed ut tu omnia, quae ad prosperum ac felix regimen illorum pertinent,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dirigere, statuere et de novo etiam in casibus in quibus oportebit, et tu expedire iudicaveris, ordinare possis, opportune providere volentes, ultra quascumque alias facultates supradictas (quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, quasque semper salvas et illaesas esse volumus) circumspectioni tuae, cuius singulari prudentiae, fidei et diligentiae gravissimis in negotiis toties probatae plane confidere, ac omnia tuto committere et credere possumus, modum et statum officiorum magistratuum tam optimatuum, quam populi et gubernii temporalis, ac etiam custodiae, militiarumque et praesidiorum tam civitatis Ferrariae, quam aliarum civitatum, oppidorum, terrarum, castrorum et locorum eiusdem ducatus, prout tibi videbitur, immutare ac renovare, ac ad formam et methodum regiminis et gubernii aliarum provinciarum, terrarum et locorum eiusdem Status nostri Ecclesiastici redigere, seu alias iuxta tuam prudentiam et arbitrii tui voluntatem tam praemissa, quam etiam redditus et proventus Camerae nostrae Apostolicae, eorumque exactiones disponere et ordinare, ac quaecumque statuta, ordinationes et constitutiones, circa praemissa et alia quaecumque, prout tu magis expedire iudicaveris, condere, publicare et observari facere, nec non omnia et singula ad statum, gubernium, regimen et administrationem civitatis et ducatus, ac singulorum oppidorum, terrarum et locorum, atque custodiam arcium et fortalitiorum, nec non populorum pacem et quietem, et annonae abundantiam spectantia, ac tam gratiam quam iustitiam concernentia, etiamsi talia forent, quae sub generali verborum significatione non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, ac speciali nota dignae essent, facere, gerere, ordinare, statuere, mandare et exequi facere, perinde in omnibus et per omnia possis, valeas ac debeas, ac nos ipsi facere, gerere, ordinare, statuere, mandare et exequi facere possemus, plenissimam, amplissimam et absolutam facultatem, potestatem et auctoritatem, apostolica auctoritate, praesentium tenore, concedimus et impartimur.

Spondetque se confirmaturum, quae confirmatione indigebunt

§ 2. Et nihilominus si aliqua per te fieri, statui et ordinari contigerit, quae tibi sub huiusmodi generali facultate minime compraehendi videbuntur, ea nos, prout tu ad nos retuleris, nominatim omnia confirmabimus et approbabimus.

Facultatem comites creandi dat.

§ 3. Praeterea ut in huius tui regiminis initio erga illos, qui se in nos et Apostolicam Sedem devotos et fideles exhibuerunt, nostra et eiusdem Sedis beneficientiam magis ostendere, teque gratum et benevolum, ut decet, reddere possis, facultatem creandi aliquos laicos nobiles, usque ad numerum quindecim, in palatii et aulae Lateranensis comites, et Auratae Militiae equites, per alias nostras litteras tibi concessam, usque ad quemcumque numerum tibi benevisum, auctoritate et tenore praedictis, extendimus et amplianus.

Obstantia tollit

§ 4 Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX ianuarii MDXCVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 20 ianuarii 1598, pontif. an. VI.

CLXXXI.

Indultum Philippo II Portugalliae regi subdelegandi iudicem conservatorem in causis spectantibus ad militias Iesu Christi, S. Iacobi de Spatha et S. Benedicti de Avis in eodem Portugalliae regno[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Portugalliae et Algarbiorum regi catholico militiarum Iesu Christi, S. Iacobi de Spatha, et S. Benedicti de Avis regnorum Portugalliae perpetuo administratori, apostolica auctoritate deputato,

Clemens Papa VIII.

Charissime in Christo fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae concedendae facultatis, de qua in rubrica.

§ 1. Maiestatis tuae, ac dilectorum filiorum priorum, maiorum commendatorum, maiorum praeceptorum, fratrum, equitum, militum et aliarum dignitatum, ac personarum militiarum Iesu Christi, S. Iacobi de Spata et S. Benedicti de Avis regnorum Portugalliae nominibus nobis nuper expositum fuit, quod cum ex Romanorum Pontificum indultis et concessionibus, in regali curia quidam iudex conservator generalis ad universitatem causarum praedictorum Ordinum a regibus Portugalliae eorumdem administratoribus deputari et mutari, ac alium, toties quoties opus est, nominari et subrogari consueverit, et maiestas tua, iuxta dicta indulta et concessiones huiusmodi, deputationes saepius fecerit et faciat. Verum quia aliquando contingit, praedictum iudicem conservatorem, aut infirmum existere, aut ab aliquibus suspectum allegari, aut alio impedimento detineri, nec propter loci distantiam, et tuam a dicto regno absentiam huiusmodi substitutio et subrogatio, quando opus est et res ita exigit, per eamdem maiestatem tuam fieri posset; et propterea, causis huiusmodi suspensis remanentibus, militiae ac priores, commendatores, praeceptores, fratres, equites, milites et aliae dignitates, ac personae praedictae in eorum iuribus, ac tam in spiritualibus, quam temporalibus interim detrimenta patiuntur; cupis propterea, pro celeri causarum expeditione, et praedictarum personarum indemnitate, per nos, ut infra indulgeri: quare nobis eisdem nominibus fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio facultatis.

§ 2. Nos igitur quorumcumque privilegiorum, indultorum, conservatoriarum et litterarum apostolicarum praedictis militiis et prioribus, commendatoribus, praeceptoribus, fratribus, equitibus, militibus, dignitatibus et personis concessarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, maiestati tuae, ut quandocumque praedictum iudicem conservatorem ad universitatem causarum a te vel successoribus tuis pro tempore deputandum, dummodo tibi ex indulto Sedis Apostolicae praemissa faciendi facultas suppetat, infirmitate, aut alio impedimento detineri, aut suspectum allegari contigerit, tu vel, te absente, consilium praedictorum ordinum militiarum, vulgo mensae conscientiae et ordinum nuncupatum, quod in eodem regno ad praedictarum militiarum gubernationem auctoritate apostolica est institutum, alium vel alios ad expeditionem causarum earumdem motarum, et pro tempore movendarum, cum eadem facultate et auctoritate quam ipse iudex conservator deputatus habet, subdelegare, aut ipsemet iudex conservator ex indulto tuo ad earumdem causarum expeditionem per alium seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus ipse conservator et iudex est deputatus, iuxta privilegia, indulta, conservatorias et litteras praedictas, procedere libere et licite possit et valeat; perinde ac si in praedictis privilegiis, indultis, conservatoriis et litteris praedictis hoc expresse nominatim concessum extitisset, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo facultatem concedimus et indulgemus.

§ 3. Non obstantibus felicis recorda-

Derogatio contrariorum.

tionis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem, vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant; et de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur (quodque subdelegati pro tempore huiusmodi non sint de personis, quae deputari possunt in conservatores), privilegiis quoque, indultis, ac litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIV ianuarii MDXCVIII, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 24 ianuarii 1598, pontif. an. VII.

CLXXXII.

Indultum procuratoribus ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum regnorum Castellae et Legionis, apud Sanctam Sedem et Matriti, percipiendi fructus et distributiones quotidianas suorum canonicatuum et praebendarum, etiam per sex menses post completam procurationem [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Dilectis filiis congregationi generali procuratorum seu deputatorum Capitulorum tam cathedralium, quam metropolitanarum ecclesiarum regnorum Castellae et Legionis ad oppidum de Madrid aut alio convocatis et pro tempore convocandis

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii,

salutem et apostolicam benedictionem.

Petitio procuratorum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecistis, vobis, ecclesiarum vestrarum negotiis, quae in dies occurrunt, tractandis admodum expedire, procuratores generales apud nos et Sedem Apostolicam, et in curia catholici Hispaniarum regis habere de gremio ecclesiarum vestrarum, seu etiam quarumcumque regnorum praedictorum collegiatarum per vos, seu maiori vestrum parte, aut generali congregatione huiusmodi absoluta, per ecclesiam Toletanensem et commissarios (a vobis deputatos seu deputandos) eligendos, utque id cum maiori eiusdem generalis procuratoris commodo fiat, nobis humiliter supplicari fecistis, quatenus procuratoribus praedictis, nunc et pro tempore existentibus, omnes et singulos fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque in quibusvis rebus consistentia, nec non distributiones etiam quotidianas, etiam manuales solis praesentibus et actu residentibus dari solitas pro tempore, quoad apud nos et Sedem Apostolicam, et curiam regis praedicti ad huiusmodi negocia resederit, et quoad procuratorem apud Sedem Apostolicam commoraturum, etiam per sex menses post completum eius procurationis officium concedere, aliasque in praemissis opportune de benignitate apostolica consulere dignaremur.

Concessio de qua in rubrica.

§ 2. Nos igitur supplicationibus huiusmodi inclinati, ac commoditati eorumdem pro tempore existentis procuratoris

providere volentes, illi concedimus et indulgemus quatenus, durante deputatione huiusmodi, ad residendum in ecclesiis, in quibus ipse canonicatus, et praebendas, ac dignitates et officia, aliave beneficia obtinuerit, dummodo tamen dignitates ipsae in cathaedralibus et metropolitanis ecclesiis actu post pontificales maiores non sint, ac canonicatus et praebendae huiusmodi doctorales, magistrales, aut poenitentiarii, seu de lectura minime nuncupentur (quos pro tempore obtinentes in similes procuratores deputari nolumus), a quoquam nullo modo cogi aut compelli possint, et nihilominus omnes et singulos, ac quoscumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, ac undequaque provenientia, et in quibuscumque rebus et frugibus consistentia, necnon distributiones etiam quotidianas, ac etiam eas quae dumtaxat solis praesentibus, ac diurnis et nocturnis horis canonicis, et aliis divinis officiis personaliter interessentibus, ac dictae ecclesiae actu et realiter inservientibus dari et concedi solent, manuales et quocumque alio nomine et vocabulo nuncupentur, etiamsi in illis primam, et eam quam vocant, rigorosam residentiam non fecerint, pariformiter et perinde ac si inibi praesentes, et in illis per se ipsos etiam quotidie horis tam diurnis quam nocturnis, aliisque personaliter inservirent, et divinis officiis supradictis interessent, actuque inservirent.

Mandatum thesaurariis ecclesiarum fructus canonicatuum procuratoribus persolvendi.

§ 3. Mandantes in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, nec non excommunicationis latae sententiae eo ipso incurrendis poenis, dilectis filiis decanis, archidiaconis, prioribus, praepositis, cantoribus, scholasticis, canonicis et capitulis, ac thesaurariis, sive depositariis ecclesiarum, in quibus dignitates, canonicatus, et praebendae, ac beneficia huiusmodi fuerint, aliisque personis ecclesiasticis, quacumque praefulgeant dignitate, quatenus praedictos fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta, distributiones etiam manuales, ac alia iura praedicta dignitatum, canonicatuum et praebendarum, ac officiorum, aliorumque beneficiorum huiusmodi procuratoribus praedictis nunc et pro tempore, ut praefertur, existentibus, etiam quoad procuratorem apud Sedem Apostolicam commoraturum per sex menses post completam et finitam eius deputationem, prout ipsis, si apud ecclesias huiusmodi personaliter resideret, et horis praedictis et aliis divinis officiis personaliter interesset, darentur, realiter et cum effectu consignent et praestent, ac ab iis, ad quos spectat et spectabit in futurum, praestari et consignari faciant.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, ac ecclesiarum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam illis, eorumque praesulibus et capitulis, aliisque superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis, etiamsi in illis caveatur expresse, quod nulli fructus alicui, nisi personaliter residenti, dentur. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma

ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum praesentibus exprimerentur, pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nos enim procuratoribus ipsis sic deputatis, vel pro tempore deputandis, iuramenta de observandis statutis et consuetudinibus supradictis per eos iam forsan praestita et praestanda, auctoritate et tenore praemissis, relaxamus, ipsosque ob illorum non observationem periurii reatum, aut censuras, vel poenas ecclesiasticas incurrere non posse, neque debere; ac si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Exequutores huiusce concessionis designati.

§ 5. Quocirca dilectis filiis causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, ac nostro et Apostolicae Sedis in Hispaniarum regnis nuncio, et eiusdem Status Ecclesiastici commissariis pro tempore existentibus per praesentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios procuratoribus praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra eos praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium tenorem, pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari: contradictores quoslibet et praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione posposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Aliae derogationes.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus praedictis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si decanis et Capitulis praedictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVIII febr. MDXCVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 28 februarii 1598, pontif. an. VII.

CLXXXIII.

Beatum Gherardum Sagredum martyrem, ex Ordine sancti Benedicti, Martyrologio Romano adscribi posse concedit [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quae ad beatorum martyrum venerationem augendam pertinent, ea libenter concedimus, prout piorum vota exposcunt, ac alias in Domino salubriter conspicimus expedire.

Concessio de qua in rubrica.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, beatus Gherardus Sagredus, Ordinis sancti Benedicti, ex nobilitate Venetorum primus et unicus martyr, in dicta civitate

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Venetiarum in magna veneratione habeatur; nos, ut fidelium devotio erga dictum beatum martyrem magis in dies augeatur, supplicationibus dilecti filii Bernardi Sagredi, procuratoris sancti Marci, nomine, super hoc nobis humiliter porrectis, inclinati, ac de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregationis sacrorum rituum sententia, ac supplicationibus dilectorum filiorum Augustini sancti Marci Veronensis, et Caesaris sanctorum martyrum Nerei et Achillei titulorum Baronio nuncupatorum, Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, ipsum beatum Gherardum in *Martyrologio Romano* adscribi et inseri posse, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Obstantium derogatio.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die x martii MDXCVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 10 martii 1598, pontif. an. VII.

CLXXXIV.

Confirmatio libertatum et privilegiorum alias patronis hospitalis de Utrera, Hispalensis dioecesis, per diversos Romanos Pontifices concessorum, cum declaratione quod administratores dicti hospitalis non possint cogi ab archiepiscopo eiusque officialibus ad reddendam rationem [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito, ea quae a Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, ad hospitalium et piorum locorum conservationem et commodum concessa sunt et approbata, ut firmius perpetuo subsistant, apostolicae confirmationis robore communimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Leo X hoc hospitale Romanae Ecclesiae immediate subiectum voluit.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, felicis recordationis Leo X, certis tunc expressis causis, adductus, in limine fundationis hospitalis sub invocatione Resurrectionis Redemptoris Domini nostri Iesu Christi oppidi de Utrera, Hispalensis dioecesis, ipsum hospitale illiusque bona a pro tempore existentis archiepiscopi Hispalensibus, eiusque vicariorum et aliorum officialium generalium, et aliorum quorumcumque superiorum, etiam subsidii iudicum iurisdictione, dominio et superioritate, ac a quocumque subsidio perpetuo exemerit et liberaverit, ac Sedi Apostolicae immediate subiecerit, ipseque, et deinde piae memoriae Paulus Papa III et Pius Papa IV, praedecessores nostri, nonnullas libertates, exemptiones, gratias, immunitates, privilegia, seu indulta eidem hospitali, seu illius patronis, rectoribus, ac capellanis seu ministris concesserint et appprobaverint.

Aliique Pontifices alia ei privilegia concessere.

Eadem confirmat Clemens.

§ 2. Nos eorum omnium, ac desuper confectarum litterarum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis ac insertis habentes, supplicationibus dilectorum filiorum modernorum patronorum, seu rectorum dicti hospitalis hac in parte inclinati, supradictam exemptionem et liberationem a iurisdictione, dominio et superioritate archiepiscopi Hispalensis, eiusque vicariorum, et aliorum officialium generalium et aliorum supradictorum, quatenus in limine fundationis, ut praefertur, exemptio et liberatio concessa sint, et sacri Concilii Tridentini decretis non repugnent, necnon omnes et

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

singulas libertates, gratias, immunitates, exemptiones, sive privilegia, aut indulta dicto hospitali, ac illius patronis, seu rectoribus et capellanis, sive ministris per dictos praedecessores concessa et approbata, ac litteras eorumdem praedecessorum desuper expeditas, omniaque in illis contenta, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac illis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quàm facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Declarat eius administratores ab archiepiscopo cogi non posse ad rationes reddendas.

§ 3. Necnon, de sententia venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium decretorum Concilii Tridentini interpretum, harum serie, decernimus, dictum archiepiscopum, seu officiales non posse cogere administratores dicti hospitalis ex cap. IX, sess. XXII dicti Concilii ad reddendam sibi rationem administrationis bonorum dicti hospitalis, nec ipsum hospitale, illiusque bona, et officiales, capellanos, et alias personas sub dicto capite ullatenus comprehendi; inhibentes propterea eidem archiepiscopo, ac vicario, seu officialibus, ac superioribus et subsidii iudicibus praefatis, ne administratores, seu rectores, aut patronos, nec non capellanos, seu ministros praedictos desuper quoquo modo molestare, perturbare, seu inquietare audeant vel praesumant.

Clausulae.

§ 4. Ac decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores huiusce constitutionis deputat

§ 5. Quocirca dilectis filiis nunc et pro tempore existentibus Sancti Iacobi de Spatha Hispalensis, et Sancti Dominici oppidi civitatis nuncupatae de Xirex, Hispalensis dioecesis, prioribus ac praeceptori, seu commendatori Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, oppidi et dioecesis huiusmodi, per praesentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte patronorum, seu rectorum dicti hospitalis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos praemissis omnibus et singulis pacifice frui et gaudere; nec permittant ipsum hospitale, eiusque bona desuper ab eodem archiepiscopo, seu vicariis, aut officialibus huiusmodi, vel quibusvis aliis subsidii iudicibus desuper molestari aut perturbari. Contradictores quoslibet ac rebelles et praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, similiter praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et contrariis quibuscumque. Aut

si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVIII martii MDXCVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 28 martii 1598, pontif. an. VII.

CLXXXV.

Declarat Papam Romae esse eligendum, si ipse extra Urbem decesserit [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Humanae vitae quotidianis periculis obnoxia imbecillitas, et gravissimi oneris, quod iamdiu, divina disponente clementia, sustinemus, magnitudo nos admonet, ut non solum ea, quae praesens rerum ac temporum ratio postulat, sollicite ac diligenter curemus, verum etiam ut praecipuis ac difficillimis rebus, quae humanitus evenire possunt, mature ac prudenter consulamus.

Cum alias statutum fuerit Pontificem eligendum esse, ubi audientia litterarum apostolicarum fuerit.

§ 1. Cum itaque nuper, sicut Domino placuit, singulari et expresso divinae ipsius benignitatis praesidio ac munere, civitatem et ducatum nostrum Ferrariensem ad nos, et Romanam Ecclesiam devolutum, tuto ac pacifice pro eadem Ecclesia recuperaverimus, et hoc tempore quibusdam gravibus et necessariis causis adducti, superna favente gratia, una cum plerisque venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, et cum nonnullis nostris et Romanae Curiae officialibus, ad eamdem civitatem accedere, et in ea atque etiam in civitate nostra Bononiae, ac forsan in nonnullis aliis temporalis ditionis ecclesiasticae civitatibus, prout expedire iudicabimus, aliquot mensium spatio, brevi tamen, uti in Domino confidimus, ad almam Urbem nostram reversuri, commorari deliberaverimus, rerum gerendarum, et opportuni boni occasionem, pro officii nostri munere, et subditorum ac gregis commissi utilitate praetermittere minime volentes, et praeterea diei mortis incertitudinem, et ipsam moriendi necessitatem provida meditatione considerantes, certum aliquod, et apostolica auctoritate firmum circa locum electionis futuri Romani Pontificis, si forte divinae voluntati (e cuius nutu mors et vita nostra pendent) placuerit ut, antequam ad eamdem almam Urbem nostram revertamur, diem supremum claudamus, difficultatibus, quae ea in re suboriri possent, sublatis, decernere et stabilire statuimus. Licet enim ab aliquibus felicis recordationis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, et praesertim Gregorio X in Lugdunensi, et Clemente V in Viennensi Conciliis constitutum sit, electionem futuri Romani Pontificis in civitate vel loco extra Urbem, ubi Pontificem pro tempore existentem decedere contigerit, si modo ibi causarum et litterarum apostolicarum audientia fuerit, fieri debere: quia tamen, sicut accepimus, a nonnullis fortasse nimium curiosis in dubium revocari posse asseritur, an per huiusmodi constitutiones, si interim nos ab eadem urbe Roma cum Curia absentes universae carnis viam ingressuri essemus, circa locum celebrandae electionis praedictae pro conditione huius temporis, et propter futuram etiam aliquorum nostrorum et Romanae Curiae officialium absentiam, nisi huic dubitationi aliqua nostra declaratione occurratur, omni ex parte satis provisum sit; nos qui in eadem alma urbe Roma causarum et litterarum apostolicarum au-

Clemens post sui discessum huiusmodi audientiam Romae esse declarat.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dientiam propterea relinquimus, illamque relinquere tenore praesentium declaramus, idcirco videlicet, ut si ante nostrum reditum in Domino obdormierimus, electio futuri Romani Pontificis in ipsa urbe Roma, non autem in civitate Ferrariae vel Bononiae, neque alibi, ubi tempore obitus nostri cum nostra Curia erimus, celebrari debeat, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in consistorio nostro secreto matura deliberatione et diligenti examine, de ipsorum consilio et unanimi assensu, causarum et litterarum apostolicarum audientiam, etiam post nostrum discessum, in eadem urbe Roma remanere, nec per aliquorum officialium et dictae audientiae, quos nobiscum forsan adducturi sumus, absentiam, ipsam causarum et litterarum apostolicarum audientiam alibi, quam in urbe Roma esse, dici aut censeri posse.

Clausulae.

§ 2. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Futuri Pontificis electionem Romae faciendam esse statuit.

§ 3. Et successive futuri Romani Pontificis electionem in eadem urbe Roma, in palatio nostro apostolico, apud sanctum Petrum, et non in civitate Ferrariae aut Bononiae, vel alibi, ubi forsan obiierimus celebrari debere: constitutiones autem felicis recordationis Alexandri Papae III, quae incipit: *Licet de vitanda*, et praedictas Gregorii Papae X in Lugdunensi, quae incipit: *Ubi periculum*, et Clementis Papae V in Viennensi Conciliis, quae incipit: *Ne Romani*, nec non Pii Papae IV, praedecessorum nostrorum, quae incipit: *In eligendis*, circa electionem Romani Pontificis hactenus editas, quarum omnium tenores, praesentibus pro expressis et ad verbum insertis haberi volumus, quoad reliqua omnia et singula in eis contenta, et iuxta earum declarationes et usum in suo robore permanere, et respective ab eisdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, aliisque omnibus, ad quos spectant, inviolabiliter observari debere, auctoritate nostra apostolica, tenore praesentium, statuimus, decernimus, praecipimus et ordinamus.

Quamcumque electionem, si alibi fiat, irritat.

§ 4. Caeterum electionem, si alibi contra praesentium nostrarum litterarum tenorem per eosdem cardinales fiat, nullam et irritam fore, ipsosque cardinales ad aliam electionem in ipsa urbe Roma, iuxta earumdem praesentium formam, procedere debere, et per eos in praemissis, aut contra ea nullatenus dispensari, vel aliquid statui et definiri posse etiam decernimus.

Novendialia peragi et conclave Romae haberi vult.

§ 5. Volumus insuper et mandamus, ut tunc, cum certus nuntius mortis nostrae Romam advenerit, seu allatus fuerit, aut eiusdem mortis notitia habita fuerit, statim cardinales in Urbe praesentes novendiales exequias pro anima nostra de more inchoare et celebrare, ac conclave, et caetera necessaria et consueta parari facere, atque alios cardinales absentes, iuxta memoratas constitutiones Gregorii X et Pii IV, per decem dies a die dicti nuntii, seu certae notitiae expectare; ipsis vero decem diebus elapsis, sequenti die, sive cardinales absentes venerint sive non, qui praesentes fuerint, missam de Spiritu Sancto celebrare, et statim conclave ingredi, et sine mora ad electionis negotium procedere, atque alia in dictis constitutionibus expressa facere et exequi omnino teneantur.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus

Derogat contrariis.

sit, praedictis Gregorii X et Clementis V, atque aliis quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Clausulae poenales.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hac paginam nostrorum declarationis, statuti, decretorum, praecepti, ordinationis, voluntatum et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo octavo, tertio kalendas aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 30 martii 1598, pont. an. VII.

CLXXXVI.

Commissio collectori spoliorum Portugalliae examinandi et decidendi causas vertentes inter archiepiscopum Elborensem et militias Iesu Christi, Sancti Iacobi de Spatha, et de Avis super iure visitandi, etc. [1].

Venerabili fratri episcopo Targensi, seu dilecto filio nostro et Camerae Apostolicae generali collectori in regnis Portugalliae et Algarbiorum

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, seu dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Ad Romani Pontificis munus maxime pertinet, periculosis christifidelium differentiis et scandalis, maximè inter ecclesiasticas et militares personas, pendentibus, quantum in Domino potest, obviare.

§ 1. Cum itaque nuper ad nos perlatum fuisset, inter venerabilem fratrem archiepiscopum Elborensem, eiusque officiales, visitatores et ministros ex una parte, et conservatores, iudices, praelatos, commendatores maiores, et alios praeceptores, priores, beneficiatos, equites, milites, fratres, caeterasque dignitates, personas et officiales, ac ministros militaris ordinis de Avis[1] gravissimas dissensiones, litigia, censuras, poenas, incarcerationes, sacrilegia et alia forsan indigniora existere, quibus in universo Portugalliae regno universalia et continua scandala emanabant, ex eo quod praedictus archiepiscopus et eius officiales, ac visitatores, praetextu decretorum seu declarationum sacri Concilii Tridentini forsan vel litterarum apostolicarum, iurisdictionem ordinariam exercitantium, aut aliarum quarumcumque praedictas ecclesias, commendas, fabricas, ac personas visitare, reparare et castigare intendebant, tamquam si non essent exemptae, sed suae iurisdictioni subiectae, et praecipue circa novam ecclesiam in oppido de Borba ex redditibus ipsius commendae fabricandam, aliisque diversis causis, litigiis, pendentiis et emergentiis maxime molestabant. Contra vero praedictae militares personae se, et ecclesias, ac bona sua nullo modo a praedicto archiepiscopo et eius ministris, quacumque ex causa, visitari posse nec debere praetendebant, quia non solum ex variis Romanorum Pontificum privilegiis, et antiquissimis stabilimentis, apostolica auctoritate confirmatis aut approbatis, sed etiam ex antiquissimis compositionibus, concordiis et contractibus, ac consuetudinibus, seu possessionibus omnimoda personarum ac ecclesiarum praedictae militiae visitatio ac dispositio ad regem catholicum, tamquam eiusdem perpetuum administratorem, eiusque successores pro tempore existentes pertinebat, ac pro-

Orta controversia inter archiepiscopum Elborensem et militiam S. Benedicti de Avis super iure visitandi, *etc.*,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Deest forte *ex alia* (R.T.).

pterea in praedicto regno ac regia curia non solum sit quidam iudex ac generalis conservator ad universitate causarum huius militiae, et aliarum apostolica auctoritate fungens, sed etiam insigne tribunal seu congregatio, vulgo mensa conscientiae et ordinum nuncupatum, eadem apostolica auctoritate fundatum, ad quod gravissimi et doctissimi viri deputantur ad omnimodam praedictae militiae de Avis, caeterarumque eiusdem regni militiarum gubernationem, iuxtaque antiquissima stabilimenta, possessiones et consuetudines tam in Portugalliae, quam in Castellae et Legionis, caeterisque Hispaniarum regnis, quorum privilegiis et possessionibus militiae Portugalliae per apostolica indulta fruuntur, per praelatos, seu personas ipsarum militiarum ab ipso rege magno magistro, seu administratore nominatas, generalis visitatio fieri solebat, ad omnium personarum ecclesiasticarum, commendarum, iurium spiritualium et temporalium, fabricarum caeterarumque rerum omnimodam dispositionem, correctionem, reparationem: nec propterea praedictus arhiepiscopus, eiusque ministri circa huiusmodi militiam sese intromittere poterant, cum praeter rationem sit, ut quis super aliqua causa ad duplex iudicium trahatur, aut super uno delicto duplici poena puniatur.

Clemens huiusmodi causae cognitionem Ferdinando Tabernae collectori spoliorum commiserat.

§ 2. Nos tantis scandalis obviare volentes, per litteras nostras in forma brevis, quarum tenorem hic pro expresso haberi volumus, omnes et quascumque ex utraque parte personas a quibuscumque censuris et poenis absolventes, ac super irregularitatibus dispensantes, et fructus forsan male perceptos condonantes, dilecto filio magistro Ferdinando Taberna tunc spoliorum et iurium Camerae Apostolicae in regno Portugalliae collectori generali commisimus ut, partibus auditis, causam et causas huiusmodi cum omnibus earum dependentibus, emergentibus, annexis et connexis ad se avocaret ac, appellatione remota, sine debito terminaret.

Eo autem in Italiam revertente episcopo Targensi committit ut huiusmodi controversiam suspensam declaret, quousque illuc novus collector perveniat,

§ 3. Cum vero dictus Ferdinandus collector de licentia nostra in Italiam propediem reversurus sit, causas autem praedictas, quae maximi ponderis et momenti in illis partibus sunt, non solum hactenus terminare, sed nec etiam forte incipere potuerit; quinimmo etiam inter ipsum archiepiscopum, et alias regnorum Portugalliae militiae Domini nostri Iesu Christi, et S. Iacobi aliae lites et differentiae eadem de causa suscitatae sint; nos statum et merita causae et causarum huiusmodi, ac nomina et cognomina iudicum et collitigantium, necnon litterarum nostrarum praedictarum tenores, praesentibus pro expressis habentes, et causas quascumque in statu et terminis, in quibus reperiuntur, ad nos, harum serie, a quibuscumque iudicibus avocantes, fraternitati tuae, frater episcope, per praesentes committimus et mandamus, ut ad evitanda scandala, quae ex praemissis provenire possent, si praedictus Ferdinandus, antequam eius in munere collectoris successor eo advenerit, ex regnis Portugalliae discesserit, litium et differentiarum huiusmodi effectum et prosequutionem, auctoritate nostra, suspendas, ac utrique parti ne interim, donec dictus novus collector isthuc pervenerit, in causis huiusmodi ad aliquos actus procedere, aut aliquid attentare praesumant, eadem auctoritate inhibeas, ac partes praedictas et quamlibet earum personam a censuris et poenis ecclesiasticis hinc inde promulgatis et latis, plenarie absolvas.

Atque novo collectori causae eiusdem exa-

§ 4. Tibi vero, fili collector, ut in causa et causis huiusmodi tam quoad militiam de Avis, quam etiam quoad militias Do-

men et decisionem demandat.

mini nostri Iesu Christi, et S. Iacobi de Spatha, inter easdem militias et earum commendatores, praeceptores, milites, fratres et alias quascumque personas, et praedictum archiepiscopum, eiusque ministros et officiales quoscumque, eisdem modo et forma, et cum eisdem facultatibus cum quibus dictus Ferdinandus, tuus in eodem munere antecessor, procedere poterat, iuxta litteras nostras praedictas ei directas, in omnibus et per omnia procedere possis et debeas, perinde ac si litterae praedictae tibi nominatim directae fuissent. Et nihilominus causam et causas huiusmodi in eisdem statu et terminis, in quibus reperiuntur, cum omnibus illarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali audiendas, cognoscendas et fine debito terminandas, iuxta earumdem litterarum dicto Ferdinando directarum seriem, et cum facultatibus omnibus in eisdem litteris contentis, committimus et mandamus. Ac praeterea quod non solum ex archiviis Portugalliae, sed etiam omnium conventuum militiarum totius Hispaniae scripturas et documenta ad hanc causam facientia extrahere et compulsare, ac in omnibus illis partibus testes etiam examinare valeas, facultatem impertimur.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus quibuscumque litteris apostolicis, aut decretis, vel decisionibus, aut constitutionibus, seu quibuscumque aliis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expresse habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ac omnibus illis, quae in praedictis litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Utrique alias concedit facultates.

§ 6. Praeterea tam tibi, frater episcope, quam tibi, fili collector, ut omnes utriusque partis personas, ministros et officiales a quibuscumque poenis et censuris, necnon delictis in utroque foro absolvere, et cum eisdem super irregularitate praemissorum occasione, et quia forsan censuris ecclesiasticis innodati, missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, per eos contracta dispensare, et cuilibet eorum fructus beneficiorum, aut commendarum per eos obtentorum indebite forsan perceptos condonare valeas, facultatem impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die III aprilis MDXCVIII, pontificatus anno VII.

Dat. die 3 aprilis 1598, pontif. an. VII.

CLXXXVII.

Iurisdictio et facultates S. R. E. cardinalis de latere legati in alma Urbe dimissi, ob discessum Summi Pontificis Ferrariam versus, et ad alia loca Status Ecclesiastici.

Venerabili fratri nostro Innico episcopo Portuensi, S. R. E. cardinali de Aragona nuncupati, in alma Urbe nostra, nostro et Apostolicae Sedis de latere legato

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Licet potestatis plenitudo desuper nobis commissa sit, et universi gregis Dominici, divina disponente clementia, curam habeamus, finem tamen humanae possibilitatis excedere non valentes, considerantesque quod circa singula per nosmetipsos apostolicae servitutis debitum absolvere non possumus, nonnumquam aliquos, et praecipue S. R. E. cardinales, in sollicitudinis nostrae partem

assumimus, ut, ipsis vices nostras supplentibus, ministerium nobis desuper commissum, favente pietate superna, facilius et salubrius exequamur. Et quamvis ad cunctorum christifidelium provincias, civitates et loca paternum studium et diligentiam adhibeamus, ad almam Urbem tamen nostram aciem nostrae considerationis paternis affectibus dirigentes, illam, cives, incolas et habitatores eiusdem, tamquam peculiares filios et devotos, diligentiori cura intuemur, et super eorum felici regimine pacifico et tranquillo, ut praeserventur a noxiis, et optatis perfruantur incrementis, specialiter providere desideramus.

Clemens profecturus Ferrariam et ad alia loca Status, legatum Romae reliquit Innicum Avalos S. R. E. cardinalem,

§ 1. Cum itaque ex gravissimis et urgentibus causis animum nostrum moventibus, ad civitatem et ducatum nostros Ferrariensem, ac alias provincias, civitates et loca temporalis ditionis ecclesiasticae (dimissis in eadem Urbe palatii nostri et Curiae Camerae Apostolicae causarum audientiis, necnon gubernatore, locumtenente et senatore, et Dataria, seu vicecamerario, aut vicario, seu eius et Cancellaria nostra, cum plumbo, capella, et eiusdem Cancellariae et aliis Curiae Romanae officialibus) nos conferre intendamus; nos interim bono et felici Urbis et Romanae Curiae praedictarum regimini providere volentes, et ad te potissimum, quem etiam in magnis et arduis Sacrosanctae Romanae Ecclesiae negociis versatum, eximia probitate et fidelitate, rerumque gerendarum experientia, praecipua prudentia ac integritate comprobatum habemus, mentem nostram convertentes, ac sperantes quod ea, quae tibi duxerimus committenda, gratia tibi assistente divina, circumspecte, prudenter, iuste et fideliter exequeris; te in Urbe praedicta, eiusque territorio, et districtu, ac civitatibus, terris et locis illi adiacentibus, nostrum, et dictae Sedis legatum de latere, necnon omnium tribunalium et officialium, ac ministrorum etiam iustitiae, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, generalem et specialem superintendentem, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium, usque ad beneplacitum, vel ad eamdem Urbem reditum nostrum dumtaxat, creamus, constituimus et etiam deputamus.

Cum potestate almam Urbem et degentes in ea etiam exemptos gubernandi

§ 2. Dantes tibi harum serie pariter et concedentes plenam, liberam et omnimodam potestatem, et facultatem, ac auctoritatem Urbem, civitates, et loca praedicta cum eorum territoriis, districtibus et pertinentiis, necnon personas, cives, habitatores etiam curiales, et ipsam Romanam Curiam sequentes, seu ad eamdem undecumque venientes, dum in ea fuerint, seu in ea degerint, et incolas eiusdem, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae, dignitatis etiam pontificalis fuerint, ac eiusdem Romanae Curiae officiales existant, etiamsi se exemptos a quocumque legationis officio praetenderent, nostro et dictae Romanae Ecclesiae nomine gubernandi, regendi et administrandi, ac prout coelestis gratiae infusio et tua prudentia persuadebunt, reformandi et corrigendi, occupata recuperandi, necnon illa et alia deformata in pristinum et debitum statum reducendi.

Causas criminales, via appellationis et recursus cognoscendi.

§ 3. Causas civiles et criminales, ecclesiasticas et spirituales, etiam beneficiales, ac matrimoniales, et profanas, ad forum ecclesiasticum et saeculare quocumque iure spectantes, ac mixtas, intra terminos tuae legationis, et vicariatus huiusmodi, per viam appellationum quarumcumque, vel recursus, una cum negocio principali coniunctim vel divisim, vel alias, prout tibi visum fuerit, ac cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et

connexis, per te, vel alium, seu alios audiendi, cognoscendi, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu, ut praefertur, et cum reiteratione terminorum ex stylo curiae, seu natura observari consuetorum, ac etiam cum illorum omissione, illasque decidendi et terminandi.

Quascumque sententias exequendi.

§ 4. Et quascumque sententias per te, seu etiam alios iudices quoscumque latas, tam in Romana Curia quam extra eam, etiamsi in rem transiverint iudicatam, exequutioni debitae, cum decreto litterarum exequutorialium, seu mandati exequutivi, et cum invocatione brachii saecularis demandandi. Dictarum causarum cognitionem, terminationem et exequutionem in casibus recursus, prout expedire iudicaveris, suspendendi.

Curiales et officiales coercendi.

§ 5. Ac etiam in ipsa Urbe, quamdiu ab ea absentes fuerimus, in quoscumque curiales, et ipsam Curiam sequentes, et officiales quoscumque ipsius Curiae nostrae, ac quaecumque Urbis tribunalia, et ipsorum officiorum et tribunalium praesidentes cuiuscumque dignitatis, status, ordinis et conditionis fuerint, omnimodam iurisdictionem, et generalem ac specialem superintendentiam exercendi.

Discordias componendi.

§ 6. Necnon etiam inter comites, et barones, et milites, dominos temporales et nobiles, et personas alias saeculares et ecclesiasticas, necnon communitates, et universitates, et populos, ac omnes alios saeculares discordes et differentes Urbis, terrarum, locorum et districtus praedictorum pacem et concordiam faciendi, et inter eos pro huiusmodi pace et concordia inducias indicendi, ipsosque ad eas et ipsarum observantiam, quibuscumque poenis, districtionibus et censuris, prout tibi videbitur, compellendi. Concordes in pace, et charitatis vinculo confovendi et confirmandi.

§ 7. Rebelles et delinquentes, ac eiusdem Romanae Ecclesiae hostes, censuris et poenis tam ecclesiasticis, quam aliis etiam pecuniariis et corporis afflictivis coercendi et corrigendi, ac ad nostram et dictae Romanae Ecclesiae unitatem reducendi. Ac praeterea pro bannitorum et perditorum hominum profligatione et extirpatione, tibi non solum in Urbe et districtu praedictis, sed etiam in provinciis nostris adiacentibus Patrimonii, Campaniae et Maritimae, ac illarum civitatibus, terris et locis quibuscumque nostras vices et voces, ac omnimodam facultatem, potestatem, auctoritatem et arbitrium contra quoscumque bannitos, facinorosos, eorumque receptatores, fautores, complices et sequaces, necnon contra communitates, universitates, ac civitates, terras et castra inter terminos tuae legationis et vicariatus huiusmodi, et alios cuiuscumque praeeminentiae, vel dignitatis existant, barones, feudatarios, duces et quavis auctoritate fungentes, etiam extraiudicialiter, ac manu regia, et secundum voluntatem, beneplacitum, dispositionem ac arbitrium tuum, appellatione, recursu et reclamatione quibuscumque remotis et reiectis, procedendi ad capturam, torturam, etiam nulla indiciorum decreta capi, aut aliquo praefixo termino ad defensiones faciendas, illosque omnes et singulos puniendi, tam in rebus et bonis, quam in personis, etiam usque ad poenam ultimi supplicii inclusive. Ac sententias quascumque corporales et ultimi supplicii, etiam in contumaciam, legitimis indiciis non praecedentibus, a quibusvis iudicibus latas statim exequendi. Domos, vineas, possessiones, arces, fortalitia, moenia et alia quaevis bona rebellium et delinquentium devastandi, demoliendi ac publicandi. Coniunctos, affines et consanguineos delinquentium et aliorum praedictorum ad illorum redemptionem cogendi. Praeci-

Rebelles bannitos atque delinquentes puniendi.

piendi communitatibus, domicellis, baronibus et particularibus personis, ut homines et animalia, et alia necessaria pro bannitorum profligatione et aliis necessitatibus, sine aliqua mercede, accommodent. Ac praeterea quoscumque alios delinquentes poenis pecuniariis, exilii et relegationis ac etiam ultimi supplicii puniendi, ac puniri mandandi et faciendi; atque sub eisdem poenis ac privationibus praecipiendi capitaneis, ductoribus, officialibus, et omnibus militibus, tam legionariis quam etiam stipendiariis, ad omnem requisitionem tuam, seu a te deputatorum, sine aliqua mercede, ad arma capiendum et ad loca ipsis imperata accedendum, pugnandum, loca invadendum, renitentes occidendum, qui sine licentia recedere non possint. Et in eventum, quod dicti sicarii, banniti, et delinquentes, vel alii inobedientes in alia civitate et castro, seu fortalitio, et alio quovis loco, mediate vel immediate Sedi Apostolicae subiecto, reperiantur, si communitates, universitates, barones et alii, ad quos spectabit, eosdem sicarios et inobedientes, et alios quoscumque etiam non culpabiles, ad omnem tuam requisitionem seu tuorum officialium, vinctos in tuis vel eorumdem officialium manibus tradere recusaverint, et non restituerint, tormentis bellicis moenia civitatis, oppidi, et fortalitii huiusmodi quatiendi, expugnandi, et usque ad demolitionem violenter ingrediendi, etiamsi homicidia et mortes non culpabilium accidentaliter inde sequuta sint, sine ullo tam spiritualium, quam temporalium poenarum incursu. Necnon tibi, tuisque ministris, officialibus et militibus, in omnes armatos et conventiculas, nisi statim se in dictorum ministrorum manibus dedant, impetum faciendi, et contra resistentes praedictos, seu fugientes archibusia exonerandi, nec propterea de morte sequuta teneantur. Novas quoque taleas et nominationes pro bannitorum et facinorosorum extirpatione, expensis Camerae Apostolicae, ad tuum libitum imponendi. Quoscumque etiam principes, duces, barones, civitates, castra, communitates et universitates, ausu temerario, conatibus tuis quocumque modo se opponentes, anathematis gladio feriendi, illos invadendi, exercitum cogendi, ac contra eos, ut publicos hostes, pugnandi; ducatibus, principatibus, baroniis et feudis, privilegiis, ac bonis illos perpetuo privandi, spoliandi, eorumque civitates, castra, loca et feuda quaecumque Camerae nostrae Apostolicae perpetuo uniendi, et applicandi, et incorporandi ipso facto absque alia iudicis declaratione. Necnon cum quibusvis principibus vicinis et longinquis super remissionibus bannitorum et aliorum delinquentium hinc inde conventiones faciendi; quae postquam facta fuerint, a nobis, et Sede Apostolica approbata censeantur, prout ex nunc approbamus. Atque a communitatibus et universitatibus quarumcumque civitatum, et locorum frumentum, vinum, stramina et alia victui necessaria arbitrio tuo subministrari faciendi. Atque omnia et quaecumque delicta contra quascumque personas, tam ecclesiasticas quam saeculares, commissa, etiam in crimine laesae maiestatis, exceptis tamen contentis, iuxta dispositionem iuris communis in primo capite, sequuta vel non sequuta condemnatione notoria vel occulta, etiam eorum quibus taleae et nominationes impositae fuerunt, etiam elapso anno remittendi. Non obstantibus felicis recordationis Pii Papae V, et aliis constitutionibus Summorum Pontificum praedecessorum nostrorum de bannitis loquentibus, quibus ad tuum libitum derogare possis, ipsosque delinquentes ad suum statum et honorem restituendi, in omnibus casibus gra-

Casus poenarum applicandarum aliquibus fusc recensentur.

Taleae pro bannitis extirpandis ponendae.

Non obstantibus constitutionibus Ss. Pontificum praedecessorum.

tiandi et componendi, etiamsi sint rebelles et diffidati (imposito tamen illis, donec pacem habuerint, arbitrio tuo, exilio a loco commissi delicti); ac salvosconductus ad libitum praedictis concedendi, atque omnia alia in praemissis omnibus et singulis, ac circa ea necessaria et opportuna, ac tibi benevisa, etiam speciali nota digna, quae nos ipsi facere possemus, faciendi, mandandi et exequendi, apostolica auctoritate, tenore praesentium, damus, tradimus, atque concedimus. Volumus autem, et apostolica auctoritate decernimus, quod praemissorum occasione, irregularitatis labem sive notam minime incurras, nec incurrere censearis.

Clausula contrariorum sublativa.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus et ordinationibus, ac quorumcumque civitatum, terrarum et locorum, communitatum et universitatum statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibuscumque personis, etiam pontificali, ducali, et quavis alia dignitate praeditis ac fulgentibus, quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, ad effectum praesentium, specialiter et expresse, motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Facultates conferendi nonnulla beneficia.

§ 9. Caeterum, ut erga personas nostri et Apostolicae Sedis devotas, te gratiosum ac liberalem valeas exhibere, tibi, ut quaecumque beneficia ecclesiastica simplicia dumtaxat, ac personalem residentiam non requirentia (quorum fructus, redditus et proventus, secundum communem aestimationem, verum annuum valorem vigintiquatuor ducatorum auri de Camera non excedant) in alma Urbe nostra, et in illius districtu, durante tua legatione huiusmodi, vacatura (illis, quae ad collationem alicuius ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, respectu episcopatuum, titulorum, seu diaconiarum, aut etiam indultorum, vel alias quocumque modo pertinent, dumtaxat exceptis), quorum collatio et provisio dispositioni apostolicae specialiter, vel alias ex quacumque causa, etiam de necessitate exprimenda, praeterquam ratione familiaritatis nostrae, aut cardinalium viventium, generaliter reservata, seu ex quavis generali reservatione affecta fuerint, quibusvis personis idoneis, quibus tibi videbitur, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque, invicem tamen compatibilia beneficia ecclesiastica, obtinentibus et expectantibus, auctoritate apostolica conferre, et de illis providere pariter, libere et licite possis et valeas, facultatem et auctoritatem similiter concedimus et indulgemus. Decernentes collationes, provisiones et alias dispositiones per te de huiusmodi beneficiis facienda perinde validas, firmas, et efficaces fore et esse, ac si nobis ipsis factae forent.

Clausula sublata.

§ 10. Sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et inter-

pretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus

§ 11. Non obstantibus praemissis, ac nostrae cancellariae regulis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac basilicarum et ecclesiarum quarumcumque, in quibus beneficia huiusmodi forsan fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III aprilis, millesimo quingentesimo nonagesimo octavo, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 3 aprilis 1598, pontif. an. VII.

CLXXXVIII.

Declaratio quod officiales et curiales, tam sequentes Pontificem in suo ab Urbe discessu, quam in ea remanentes, sint vere curiales, eorumque gaudeant praerogativis, et beneficia eorumdem Sedi Apostolicae remaneant affecta.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Clemens ab Urbe discessurus,

Cum ob nonnullas graves et urgentes causas ad civitatem et ducatum nostrum Ferrariensem cum plerisque S. R. E. cardinalibus, et nonnullis nostris, et Romanae Curiae officialibus prope diem, annuente Domino, nos conferre, ac ibidem et in aliis forsan temporalis ditionis ecclesiasticae locis per aliquot menses commorari statuerimus: cumque in alma Urbe nostra causarum et litterarum audientiam, nec non etiam Cancellariam nostram Apostolicam relinquamus, et praeterea diversi eiusdem S. R. E. cardinales, aliique Romanae Curiae officiales in eadem Urbe remaneant: nos, ne propterea dubitatio aliqua circa curiales ac officiales eiusdem Romanae Curiae oriatur, providere volentes:

Declarat tam sequentes Papam, quam remanentes in Urbe, esse vere curiales;

§ 1. Hac nostra constitutione, tam eos qui nos sequentur, quam eos qui in dicta Urbe remanserint, sive S. R. E. cardinales, sive officiales et curiales, aut alii quicumque eamdem Romanam Curiam sequentes, fuerint, unam tantum, et non duas Romanas Curias constituere, eosque omnibus et singulis gratiis, privilegiis, antelationibus, praerogativis, declarationibus, indultis, facultatibus, concessionibus et consuetudinibus, etiam quoad acceptationes et provisiones beneficiorum faciendas, quibus cardinales, officiales, curiales et alii praedicti, dum nos in dicta Curia in eadem Urbe residemus, de iure et consuetudine utuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, potiri et gaudere posse et debere, perinde ac si nos in eadem Urbe residemus, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus, decernimus et declaramus.

Eorumque beneficia Apostolicae Sedi affecta.

§ 2. Nec non etiam eamdem Curiam censeri volumus, quoad beneficia, quae tam in dicta Urbe, et in civitatibus et locis ad quae accedemus, et in quibus in itinere eundo et redeundo pro tempore moram trahemus, quam per obitum illorum, qui nos et Curiam nostram sequentur, seu ad nos, et ad eamdem Curiam pro eorum negociis accedent, et in itinere, sive eundo, sive redeundo diem claudent extremum, quomodolibet vacabunt, neminemque de illis praeter nos disponere posse.

Clausulae.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubi-

que iudicari et diffiniri debere, irritumque et inane, quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, pariter decernimus et declaramus.

Quibuscumque non obstantibus

§ 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis et Cancellariae Apostolicae regulis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x aprilis MDXCVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 10 aprilis 1598, pontif. an. VII.

CLXXXIX.

Confirmatio transactionis initae inter universitates et homines Fori Saraceni, Theodorani, vicariatus Ardiani, Casemattae et Subrivoli, vicecomitatus ecclesiae Metropolitanae Ravennatensis, et thesaurarium generalem Camerae Apostolicae super exemptionibus a solutione onerum cameralium [1].

Dilectis filiis universitatibus et hominibus Fori Saraceni, Theodorani, vicariatus Ardiani, Casemattae et Subrivoli, vicecomitatus ecclesiae metropolitanae Ravennatensis

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii,

salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sincerae devotionis affectus, quo nos et Romanam Ecclesiam prosequimini, promeretur ut ea vobis libenter confirmemus, quae inter Cameram nostram Apostolicam et vos, de mandato nostro transacta sunt.

Thesaurarius transactionem init cum

§ 1. Cum itaque dilectus filius magister Tyberius Caerasius, thesaurarius noster generalis, vigore chirographi nostri, vobiscum super solutione quorumdam onerum cameralium ad infrascriptam devenerit transactionem huiusmodi sub tenore, videlicet: hisce communitatibus.

Tenor transactionis.

§ 2. In nomine Domini, amen. Praesenti publico instrumento cunctis pateat evidenter et sit notum, quod cum nuper Sanctissimus in Christo pater et D. N. D. Clemens divina providentia Papa VIII, chirographum manu Suae Sanctitatis signatum direxerit et praesentari fecerit illustrissimo et reverendissimo D. Tyberio Caerasio, Suae Sanctitatis et Camerae Apostolicae thesaurario generali, quod dominatio sua reverendissima mihi originaliter consignavit, tenoris infrascripti videlicet:

Monsignor Cerasio,
nostro tesoriere generale.

Papae chirographum.

Pretendendo il viscontato di Ravenna, per vigore de' privilegi concessigli da più Pontefici nostri predecessori, essere esenti dal pagamento di tutti li pesi camerali, e perciò è in molta differentia col tesoriere della nostra provincia di Romagna; per il che desiderando noi che li nostri sudditi vivano con ogni quiete, senza disturbo veruno, abbiamo dato opera che si ultimino e compongano dette differenze, per terminazione delle quali detto viscontato si è contentato di pagare alli detti tesorieri la quarta parte delle impositioni che egli pretende, sia obligato pagare. Laonde vi ordiniamo che obligandosi detto viscontato di pagare il sussidio triennale ed anco il quarto della tassa fatta dal detto tesoriero sopra l'aumento della carne porcina, porto d'Ancona, galere, foglietta, utensili ed alloggi de' soldati, lo liberiate dal pagamento del restante di detta tassa delle suddette impositioni, come noi, per tenore della presente, lo liberiamo, ordinando che mai per tempo alcuno possa

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

nè debba sopra di ciò essere molestato, e derogando Noi per questa volta alla costitutione di Pio IV: *De registrandis*, e ad ogni altra cosa facesse in contrario.

Dato nel nostro palazzo apostolico li 22 di novembre 1597.

CLEMENS PAPA VIII.

Sequitur tenor transactionis, ut supra, initae.

Ideo hinc est, quod anno a Nativitate eiusdem Domini millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, indictione decima, die vero XXIII mensis decembris, pontificatus eiusdem Sanctissimi in Christo patris et D. N. D. Clementis, divina providentia, Papae VIII, anno VI, coram reverendissimo D. Tyberio Caerasio thesaurario praedicto, ac in mei reverendae Camerae Apostolicae notarii publici infrascripti, testiumque infrascriptorum ad haec omnia et singula vocatorum et rogatorum praesentia, praesens ac principaliter constitutus magnificus D. Guazzinus de Guazzinis, de civitate Castelli, procurator universitatum Fori Saraceni, Theodorani, vicariatus Ardiani, Casemattae et Subrivoli, viceccomitatus ecclesiae metropolitanae Ravennatensis, ut docuit instrumento publico per D. Americum Gaudentium, notarium publicum Fori Saraceni, die prima praesentis mensis decembris rogato et publicato, tenóris, prout in eo, sponte et ex eius certa scientia, spontaneaque ac deliberata voluntate, ac omnibus melioribus modo, via, iure, causa et forma, quibus magis, melius, validius et efficacius de iure fieri potuit et debuit, ac potest et debet, earumdem universitatum nominibus et precibus, ex causa compositionis et transactionis huiusmodi, et sine praeiudicio privilegiorum et exemptionum dictis universitatibus quomodolibet concessarum, promisit Camerae Apostolicae, dicto reverendissimo D. thesaurario stipulante, solvere realiter et cum effectu, et pro dicta Camera Apostolica exbursare in manibus D. thesaurarii provinciae Romandiolae pro tempore existentis, singulis annis, perpetuis futuris temporibus, impositionem subsidii triennalis et illius ratam eis assignatam integraliter, nec non quartam partem infrascriptarum impositionum, et ratae et portionis eis assignatae ex infrascriptis impositionibus, nempe carnis suinae, illiusque augmenti, portus civitatis Anconae, triremium, quatreni, fogliettae vini, utensilium, militum, hospitiorum, archivii et pontis Felicis, itaut de scutis centum eis assignatis, pro impositionibus praedictis tantum ad solutionem scutorum viginti quinque tenentur libere et omni exceptione postposita, alias teneri voluerunt ad omnia et singula damna, expensas et interesse, de quibus quidem damnis, expensis et interesse, dictus D. Guazzinus, quo supra nomine, stare et credere voluit soli et simplici iuramento dictae rev. Camerae, absque alicuius iudicis taxatione, et boni viri arbitratu, et huiusmodi promissionem dictus D. procurator fecit: quia, versa vice, dictus reverendissimus D. Tyberius Caerasius, thesaurarius praedictus, in executionem praedicti chirographi, ac alias, meliori modo, ut supra, remisit et condonavit, ac exemit et liberavit, ac exemptas et liberas fecit, declaravit et esse voluit supradictas universitates, dicto earum procuratore una mecum notario publico infrascripto praesentibus, acceptantibus, et legitime stipulantibus, ab omnibus aliis, et singulis oneribus et impositionibus per Sedem et Cameram Apostolicam nunc impositis, et a dictis universitatibus, communitatibus, et earum qualibet per Cameram Apostolicam praetensis, et non solutis, et pro tempore, quavis urgenti et urgentissima causa, imponendis, nec non reliquis tribus ex quatuor partibus impositionum superius expressarum, iuxta formam praeinserti chi-

rographi, quod, et omnia et singula in illo contenta, in stipulationem deduxit ad favorem dictarum universitatum, qua supra stipulatione, intervenientium. Pro quibus omnibus et singulis, plenarie et firmiter tenendis, complendis et inviolabiliter observandis, dictus reverendissimus D. thesaurarius dictam Cameram, dictusque D. procurator, dictas universitates, illarumque homines, ac eorum haeredum et successorum bona, mobilia et immobilia, praesentia et futura, ubicumque existentia, obligaverunt et supposuerunt in ampliori, pleniori et districtiori forma Camerae Apostolicae cum omnibus et singulis submissionibus, constitutionibus, compulsionibus, iuribus, rigoribus, stylis, renunciationibus et aliis clausulis et cautelis in ampliori forma Camerae Apostolicae apponi solitis et consuetis, absque tamen aliqua procuratorum constitutione ad confitendum debitum, renunciando quibuscumque appellationibus et reclamationibus exequutionem praesentis instrumenti impedientibus. Et sic, tactis pectoribus, more praelatorum, et scripturis sacrosanctis, ad sancta Dei evangelia iurarunt. Super quibus omnibus et singulis praemissis, petitum fuit a me eodem rev. Camerae Apostolicae notario publico infrascripto, ut de praedictis omnibus unum vel plura, publicum seu publica, conficerem instrumentum aut instrumenta, prout opus fuerit. Actum Romae in aedibus solitae residentiae dicti reverendissimi D. thesaurarii, praesentibus ibidem DD. Octaviano Tuonio Parmensi, et Caesare Crencone de Isola, testibus ad praedicta vocatis, habitis, atque rogatis.

Obligationes invicem factae pro conventionis praeinsertae firmitate.

Ego Lucius Calderinus, Camerae Apostolicae notarius, de praemissis rogatus, praesens instrumentum subscripsi et publicavi, rogatus et requisitus.

Loco ✝ signi.

§ 3. Cum autem firmiora sint ea, quae Sedis Apostolicae confirmationis praesidio muniuntur, vosque cupiatis transactionem huiusmodi apostolica auctoritate per nos confirmari, ideo nobis humiliter supplicari fecistis, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur vos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et vestrum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertum instrumentum, ac in eo contenta et inde sequuta quaecumque, apostolica auctoritate, praesentium tenore, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, eaque valida, firma et efficacia perpetuo fore et esse, vobisque in omnibus et per omnia suffragari; ac ita per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam Camerae praedictae praesidentes clericos, ac ipsum thesaurarium, nec non S. R. E. camerarium, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Eamdem transactionem confirmat Pontifex.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae Camerae, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et

Derogat contrariis.

consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Ferrariae, sub annulo Piscatoris, die VI iunii MDXCVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 6 iunii 1598, pontif. an. VII.

CXC.

Institutio magistratus et consilii centum virorum in civitate Ferrariae, cuius communitati nonnulla conceduntur privilegia [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Inter praecipuas curas et sollicitudines, quas in suprema apostolici muneris, divina dispositione nobis commissi, functione dies noctesque animo versamur, postquam nimirum divinae placuit bonitati, ut civitatem et ducatum nostrum Ferrariensem ad nos et Sedem Apostolicam nuper legitime devolutum pro eadem Sede recuperaremus, ea sane cogitatio postrema non est, qua illud omni studio quaerimus atque contendimus, ut rectam aliquam eiusdem civitatis bene et feliciter administrandae rationem, in iis etiam quae ad dilectos filios communitatem et homines eiusdem civitatis attinent, aequa ac stabili consilii, magistratus ac regiminis illius constituta forma ineamus. Quod certe eo inter alia consilio facimus, ut eorumdem communitatis et hominum erga nos et apostolicam Sedem fides et obedientia eo pacto confirmetur, et ut mutua inter eos pax atque concordia in dies magis augeatur.

Consilium centum virorum in urbe Ferrariensi instituit. § 1. Pro bono igitur civitatis nostrae Ferrariensis regimine unum consilium centum virorum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus; ipsumque consilium universam civitatem et communitatem Ferrariensem repraesentare, ac deliberationes per dictum consilium suscipiendas, et exequutioni demandandas, caeteraque per dictum consilium gerenda, iuxta tamen facultates infrascriptas, eamdem vim, robur et efficaciam obtinere volumus et statuimus, ac si universus populus Ferrariensis in illis praesens fuisset, et suum unusquisque de populo consensum in eisdem praestitisset.

Quolibet triennio mutandum. § 2. Ipsum vero consilium de triennio in triennium, ut infra, renovari ac mutari debere statuimus.

Ex iis octuaginta duos nominat Pontifex pro prima vice. § 3. Pro consiliariorum autem dicti consilii electione, hac prima vice, infrascriptos octuaginta duos [1] consiliarios nominamus et eligimus, nulla personarum, gradus, seu praeeminentiae habita ratione, perinde ac si sorte extracti essent. Per eiusmodi vero electionem aut scripturae ordinem nemini, quoad praerogativas antiquitatis aut nobilitatis, aliquo pacto praeiudicatum esse intendimus, sed unumquemque, qui hac prima vice in dictum consilium cooptatus, aut in numero viginti septem locorum infrascriptorum nostrae electioni reservatorum compraehensus non fuerit, in eisdem terminis nobilitatis, gradus et honoris, in quibus antea reperiebatur, iuxta propriae conditionis, personae et familiae suae gradum et conditionem ac statum remanere, minusque aliquam, ea de causa, differentiam inter eosdem, etiam respectu electionis ad loca viginti septem praefata, constitutam esse aut fore declaramus.

Nomina autem consiliariorum praesentibus annotari fecimus, videlicet:

Æneam Pium.
Iulium Thieni, marchionem Scandiani.
Entium Bentivolum.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 In Romana Editione, quam servatis verbis reddimus, nomina habentur tantum LXXVIII consiliariorum, ut hic (R.T.).

Comitem Galeatium Tazzonum.
Comitem Aloysium Bevilacqua.
Comitem Guidonem Calcagninum.
Comitem Alphonsum Turcum.
Comitem Franciscum Villam.
Comitem Hannibalem Manfredum.
Comitem Aloysium Montecucculum.
Comitem Carolum Strozzium.
Comitem Roverellum Roverelli.
Comitem Iulium Sacratum.
Comitem Herculem Mustum.
Comitem Iulium Caesarem Varanum.
Comitem Camillum Rondinellum.
Comitem Scipionem Giliolum.
Comitem Alphonsum Romeum.
Comitem Thaddaeum Rangonum.
Equitem Camillum Gualengum.
Robertum de Obicibus.
Ferdinandum Trottum.
Equitem Galeatium Fiaschi.
Antonium Montecatinum.
Comitem Alphonsum Mirolum.
Baptistam Muzzarelli.
Camillum Tolomaeum.
Petrum Ioannem Bonleum.
Alexandrum Andreatium.
Equitem Alexandrum Cananum.
Marocellum Marocelli.
Galeatium Riminaldum.
Fabium Fabianum.
Alphonsum Prosperum.
Renatum Catum, doctorem.
Antonium Ariostum.
Alphonsum Novariam.
Franciscum Perondellum.
Alphonsum Nasellum.
Hannibalem Castellum.
Ioannem Mariam Orabonum.
Fulvium Villaforum.
Iulium Morrum.
Timothaeum Bendadeum.
Dominicum Corrigiarum, doctorem.
Alexandrum Magnaninum.
Alphonsum Lavezolum.
Aloysium Nigrifolum.
Marcum Antonium Calcagnum.
Io. Baptistam Boschettum, doctorem.
Equitem Baptistam Guerinum.
Andream Casalem.
Io. Paulum Pochintestam.
Io. Baptistam Gregorii.
Ioannem Pasqualettum.
Io. Baptistam Coccapanium.
Aloysium Zerbinatum.
Alexandrum Rovettum.
Ludovicum Zavaglia.
Alphonsum Brasciaulum.
Thomam Pistoiam.
Dionysium Arienti.
Lanfrancum Giannellum.
Hieronymum Curionem, doctorem.
Camillum Giraldum.
Antonium Nigrellum, doctorem.
Iulium Auricaleum, medicum physicum.
Ioannem Baptistam Bertazzolum, procuratorem.
Alphaeum Prampolinum, doctorem.
Paulum Sinardi, doctorem.
Comitem Orlandum Crispum.
Io. Baptistam Melam.
Franciscum Rondonium, notarium.
Ruggerium Caprilium, notarium.
Alphonsum Garescum.
Franciscum Sbarbaglia, notarium.
Hieronymum Riccium, procuratorem.
Iacobum Angelum, notarium.

Reliqui decem et octo ex mercatoribus seu artificibus eligendi.

§ 4. Reliquos decem et octo consiliarios ex mercatoribus seu artistis eligi volumus, eorumque electiones infrascriptarum sex artium universitatibus, quae singulae tres consiliarios ex suo corpore seu collegio eligere valeant, perpetuo concedimus.

Artistarum serici.
Drapperiorum.
Merciariorum.
Nummulariorum.
Aromatariorum.
Fabrorum et Aurisicum insimul.

§ 5. Pro renovatione vero praedicti consilii de triennio in triennium facienda, et occurrente infra triennium alicuius loci vacatione per alicuius mortem naturalem seu civilem, viginti septem consiliariorum in primo ordine descriptorum electionem nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus perpetuo reservamus. Aliorum autem quinquaginta quinque sequentium electionem ipsimet consilio, et reliquorum decem et octo supradictis artium universitatibus in perpetuum pariter concedimus.

Quomodo praedicti centum et a quo eligendi.

§ 6. Verum volumus ut, eodem tempore, duae personae de eadem familia in numerum consiliariorum assumi minime possint; utque in consiliarios eligendi, qui viginti annis minores, aut de legitimo matrimonio non sint, aut qui artem aliquam sordidam aut vilem per se ipsos exercuerint vel exerceant, esse non possint.

Qui ab eligibilitate excludendi sint.

§ 6. Occurrente igitur vacatione cuiusque loci praedicti consilii per alicuius obitum, si defunctus fuerit de numero viginti septem consiliariorum nobis, et successoribus nostris, ut praefertur, reservatorum, magistratus pro tempore nos aut Romanum Pontificem pro tempore existentem, de huiusmodi vacatione certiores facere, ac pro alterius, in defuncti locum, surrogatione, supplicare tenebitur; si vero defunctus de numero quinquaginta quinque ad consilii electionem spectantium fuerit, volumus similiter, ut idem consilium, ad surrogationem alterius in locum defuncti, libere, servata hac forma, devenire possit et debeat; proposita nimirum per magistratum in primo consilio vacatione loci, sive locorum, quot quot fuerint, quilibet consiliarius, qui voluerit aliquem, aut aliquos pro ratione locorum vacantium, sive de eadem cuiuscumque defuncti familia, sive de alia, dummodo requisitas qualitates habeat vel habeant, prout libuerit, libere nominare poterit, et recepta per secretarium eiusdem consilii cuiusque consiliarii nominatione, omnes nominati per scrutinia examinabuntur, et illi subiicientur, et qui maiori votorum numero superior aut superiores erunt, is vel ii ad locum seu loca vacantia electi et surrogati censeantur.

Quomodo facienda sit electio

§ 7. Porro huius consilii renovationem de triennio in triennium sic faciendam esse perpetuo ordinamus; viginti septem consiliarii nostrae et successorum nostrorum electioni reservati, in totidem ex eisdem aut aliis, arbitrio nostro et successorum nostrorum, eligendis familiis mutabuntur; alii vero quinquaginta quinque, et reliqui decem et octo in diversas personas, diversasque familias per ipsum consilium omnino mutari debebunt. Volumus autem ut tam personae, quam familiae, quae uno triennio, etiam per viam surrogationis in locum defunctorum, in praedicto consilio locum habuerint, altero triennio immediate sequenti a consiliarii officio vacare debeant. Fine igitur cuiusque triennii adveniente, per unum mensem ante huiusmodi finem, magistratus nobis aut Romano Pontifici pro tempore existenti, pro nova electione viginti septem priorum consiliariorum supplicare teneatur; nec non consilio electionem aliorum quinquaginta quinque proponere, et supradictis artium universitatibus electionem reliquorum decem et octo consiliariorum intimare curabit. Electionem autem dictorum quinquaginta quinque consiliariorum sic fieri debere ordinamus. Consilio legitime ad hunc effectum congregato, quilibet tam de magistratu, quam ex consiliariis, unum, qui antecedenti triennio in consilio locum non habuerit, neque de familia alicuius eorum qui locum huiusmodi habuerunt, existat, et qui requisitas qualitates habeat,

Quomodo de triennio in triennium facienda renovatio.

secretario communitatis seorsim nominare poterit, receptaque huiusmodi nominatione, omnes nominati scrutinio subiicientur, et finito scrutinio, antequam particularium nomina publicentur, ii demum usque ad numerum quinquaginta quinque in consiliarios sequentis triennii electi censebuntur, qui plura consiliariorum praesentium vota habuerint; et si in primo scrutinio numerus huiusmodi quinquaginta quinque impletus non fuerit, tunc ad novam aliorum, qui superexerunt nominationem, et novum scrutinium, eisdem modo et forma servatis, procedi volumus. Artium vero universitates intra decem dies post intimationem per magistratum ipsis, ut praefertur, factam, ad electionem aliorum trium ex qualibet earum consiliariorum, de diversis tamen familiis, formam in huiusmodi electionibus servari solitam observando, omnino deveniant, eaque facta, capita ipsarum universitatum praedicto magistratui electorum nomina praesentent, sicque electi, dummodo requisitas qualitates habuerint, quod iudicio magistratus pro tempore existentis relinquimus, in consilio praedicto, futuro triennio, locum habebunt.

Deputatio magistratus.

§ 8. Magistratus ex corpore consilii eligatur, sitque decem personarum, quarum novem sapientes, et unus, qui erit caput eorum, iudex sapientum nuncupentur; hi per annum tantum in magistratu persistant; nec aliquis possit iterum, eodem durante triennio, ad magistratum assumi. Iudex ipse sapientum ex numero viginti septem priorum consiliariorum nostrae et Romani Pontificis pro tempore existentis electioni reservatorum; septem autem sapientes ex numero quinquaginta quinque posteriorum, et reliqui duo sapientes de numero reliquorum decem et octo postremorum consiliariorum semper eligi debeant; sed hanc iudicis et sapientum electionem a toto consilio legitime congregato, per decem saltem dies ante tempus ingressus novi magistratus, sic fieri debere statuimus.

Forma eligendi magistratum.

§ 9. Iudex sapientum, aut de ipsius ordine secretarius communitatis, consilio electionem faciendam esse significare debeat, atque consiliarios monebit ut in huiusmodi electione id demum, quod ad publicam utilitatem et commune bonum pertinet, intueatur, illiusque dumtaxat rationem habeatur, ac postea primi viginti septem consiliarii scrutinio subiiciantur, et is, qui plura vota prae caeteris, etiam ad medietatem eorum, qui ibi praesentes fuerint, non ascendentia, sit et esse debeat iudex sapientum. Pari modo pro electione septem sapientum quinquaginta quinque posteriores consiliarii scrutinio subiiciantur, et ii usque ad numerum septem, in quos plura vota consenserint, in sapientes electi sint et esse censeantur. Denique, facto simili scrutinio decem et octo consiliariorum artistarum, duo ex illis in votorum numero caeteris superiores, ad magistratum sapientum assumantur. In fine autem triennii, ne contingat in mutatione consilii deficere magistratum, post factam consilii renovationem, iudex et sapientes eius temporis, per decem dies ante finem eorum magistratus, novum consilium congregare, et per ipsum consilium magistratum pro anno futuro, supradictis modo et forma servatis, successive eligi curabunt.

De Consultore magistratus.

§ 10. Consultor sapientum ex doctoribus collegii, iuxta solitum, esse debeat, et per magistratum pro maiori parte votorum eligatur. Is per annum, simul cum magistratu, officio suo, intra limites ac terminos auctoritatis iudici ac sapientibus praedictis, ut infra dicetur, attributae, fungi debeat.

§ 11. Iudex et sapientes prima vice electi, magistratum ipso die vigiliae festivitatis sanctorum Petri et Pauli post vesperas inire seu inchoare debebunt, quo die non solum ipsi iudex et sapientes, sed omnes consiliarii in ecclesia ad hoc designata, coram nostro et Sedis Apostolicae pro tempore ibidem existente legato, seu vicelegato, fidelitatis iuramentum in forma praescribenda, solemniter praestabunt, et tunc magistratus et consiliariorum tempus initium habeat, et eodem die, quolibet anno magistratus, et singulo triennio novum consilium ingressum faciet, et iuramentum in eadem forma, in manibus eiusdem legati, seu vicelegati praestabunt.

Magistratus quando officium suum debeat inchoare.

§ 12. Iudex sapientum induat lacernam, seu vestem sericeam violacei coloris, longam usque ad genua, cum manicis inflatis; sapientes autem sagis seu palliis nigris sericeis utantur, et si fuerint doctores, vestes thalares pariter sericeas nigri coloris induant; verum duo ultimi sapientes artistae laneis tantum palliis uti possint. Magistratus quotidie in palatio resideant, ibidem saltem de mane comedant cum provisione et familia illis assignandis, ipseque iudex, aut aliquis sapientum nunquam domo exeat, aut civitatem obambulet solus, nisi privatim et sine habitu magistratus, et tunc etiam minus quam fieri poterit; locus autem eorum residentiae is erit, qui de mandato nostro illis assignabitur. Eorum pedissequi et familiares solitum amictum versicolorem, quem livream vocant, eiusdem communitatis gestent.

Habitus magistratus, residentia et famuli.

§ 13. Consilium nunquam, inscio nostro et Sedis Apostolicae de latere legato, seu vicelegato, aut alio dictae civitatis gubernatore, seu primario superiore pro Sede Apostolica Ferrariae pro tempore existente, congregari, neque in illo aliquid proponi, aut scrutinio subiici, sine eiusdem superioris interventu et consensu, poterit, alioquin totum id, quod attentatum fuerit, ipso iure nullum, irritum et invalidum sit et esse censeatur. Ad consilium igitur convocandum, iudex sapientum per unum saltem diem ante, aut per illud temporis spatium, quod negotia ferent, legatum, seu vicelegatum, aut gubernatorem, seu alium superiorem praedictum certiorem faciet de convocatione facienda dicti consilii, et de negotiis in illo tractandis, et ab eodem licentiam petet, qua habita, idem iudex consilium intimari curabit, mandans pulsari campanam vespere antecedenti pro mane subsequenti, aut mane pro sequenti vespere, et ipsa etiam congregandi consilii hora, ut huiusmodi campanae signo omnes consiliarii ad illud se accersitos sciant et intelligant, quod loco legitimae intimationis esse, et ad accusandum legitime cuiusque negligentis contumaciam sufficere volumus. Post huiusmodi campanae signum, consilium legitime congregatum cum potestate deliberandi et statuendi censebitur, quotiescumque ex toto numero centum consiliariorum sexaginta sex convenerint, cum interventu superioris, ultra magistratum, qui semper saltem pro maiori parte sapientum interesse debeant; qui vero per infirmitatem, absentiam, aut aliam legitimam causam a superiore approbandam, non impediti, ad consilium non accesserint, qualibet vice mulctam arbitrio magistratus, non tamen ultra unum scutum, declarandam, massario communitatis persolvant, nec quisquam eorum aliquod munus communitatis obire, aut ad magistratum, aut aliud officium eligi possit, donec huiusmodi mulctam integre persolverit, et si de eo electionem aliquam fieri contingat, nisi per totum diem sequentem dictam poenam solverit, electio facta nulla et invalida existat, et evenientibus casibus

Campana pulsanda mane pro vespere, seu vicissim.

Statuta pro congregando et valide habendo consilio.

gravibus in consilio tractandis, qui celerem deliberationem requirunt, aut in casu gravis contumaciae, consiliariorum magistratus, eamdem poenam, eius arbitrio, augere poterit, dummodo dicta poena, qualibet vice, et pro qualibet persona duo scuta non excedat.

Locus unicuique in Congregationibus assignatus.

§ 14. Magistratus in loco eminenti suam sessionem habere debeat, et praedictus superior supra iudicem sapientum sedebit; iuxta pedes magistratus sedebunt secretarius, notarius, et alii communitatis ministri et officiales, qui tamen votum non habeant, nisi ex consiliariis fuerint. Post magistratum sedeant consiliarii, iuxta eorum gradus, seu aetatem, aut sine aliquo ordine promiscue, prout contigerit, quo casu, nemini, ut supra dictum est, circa praerogativas ac praeeminentias tam in consilio, quam in aliis occasionibus et locis extra illud praeiudicatum ullo modo censeatur; artistis tamen loca sessionis post alios omnes nominatim assignentur.

Modus in tractandis negociis servandus.

§ 15. Pro tractandis negociis in consilio hic modus servabitur. Magistratus maiori parte votorum concors, et cum superioris supradicti consensu negòcia tractanda per secretarium consilio cum informatione ad negociorum cognitionem necessaria proponi curabit. Factis propositionibus, singuli consiliarii, incipientes priores viginti septem, et post eos alii, secundum ordinem praescriptum, in suggesto ad hunc effectum deputato, suam sententiam dicere poterunt, et proponere quid quisque in proposita materia expediens esse iudicaverit; extra tamen suggestum, nemo in consilio sententiam dicat. Secretarius autem singulorum dicta, vel saltem eorum substantiam, diligenter et fideliter in scriptis redigat, ut supra his scrutinium haberi valeat. Scrutinium autem cum pyxide et lapillis seu pilis, secundum modum praescribendum, per suffragia seu vota secreta habeatur. In omnibus electionibus maior votorum consiliariorum praesentium numerus attendatur; in caeteris vero cuiusvis generis deliberationibus, pro resolutionibus obtinendis, dispositio iuris communis observetur. Sapientes et consiliarii omnium ordinum aequale votum habebunt, praeter iudicem sapientum, cui pro dignitate in consilio duo vota concedimus; in magistratu vero, et inter sapientes simplex tantum votum haberi debeat. Post dictam, seu expositam a quocumque voluerit, suam in suggestu sententiam, magistratus pro maiori parte, ut supra, concors eam sententiam, quae illis utilior et gratior consilio fore videbitur, scrutinio subiici curabunt, et nisi proposita consultatio pro votorum numero legitime approbetur, aliorum consultationes ad similem magistratus electionem, eodem modo, scrutinio subiicientur. Quotiescumque contigerit paria vota inter duas aut plures personas, de quibus pro electionibus, aut aliis de causis scrutinium factum fuerit, convenire, ipsi concurrentes iterum scrutinio subiicientur, et eorum alter, in quem plura vota consenserint, electus sit et esse censeatur. In concursu plurium personarum ad eamdem electionem, veluti in renovatione consilii, in electione magistratus et similibus, prius de omnibus nominatis scrutinium fiat, quam aliquorum vota publicentur. Nominati, aut aliter interesse habentes votum dare non possint; quinimmo, ut quisque liberius consilium dare valeat, e consilio exeant, et foris permaneant, donec de ipsis et eorum negotiis tractatum fuerit; secretarius, qui sententias consiliariorum in libro ad hoc nominatim destinato descripserit, in eodem libro scrutinia, et deliberationes tam obtenta quam non obtenta, pariter describat, et ex eo ad alium librum, veluti a diurno ad magi-

Quid agendum in electionibus, in quae paria vota concurrunt

stralem nuncupatum, scrutinia obtenta reportando ipsa decreta et deliberationes factas per extensum, non tamquam sententias, privatas, aut vota unius particularis, sed tamquam communes resolutiones totius consilii adontabit.

Quae sit iudicis magistratus auctoritas et quae facultas.

§ 16. Iudex sapientum solus, et sine sapientibus, solitam auctoritatem sibi concessam a statuto, seu consuetudine in causis civilibus inter privatos tam cives, quam artistas et comitativos, et pro causa privata tantum in causis civilibus etiam Hebraeorum, et in fraudibus artistarum circa eorum artes in casu reversus, aut alio modo sibi ab eisdem statutis permisso, exercere possit, exceptis tamen casibus, in quibus poena corporis afflictiva venerit imponenda, de qua tamen, cum voto totius magistratus, et usque ad poenam ictuum funis inclusive, nisi pro personis vilibus, in casibus, qui dilationem, seu moram non patientur, ut sint caeteris exemplo, deliberare debeat, et in huiusmodi poena irroganda semper cum praedicti legati, seu vicelegati licentia, exequutioni demandari debeat. In omnibus negotiis publicum bonum civitatis, aut utilitatem communitatis respicientibus, aut quovis modo concernentibus, iudex solus, sine sapientibus, tractare vel deliberare non possit, sed universus magistratus insimul in his plenam habeat auctoritatem.

Facultates magistratus.

§ 17. Ad magistratum huiusmodi pertineat simul cum iudicibus et praefectis annonae pro temporum qualitate, omnia ipsius annonae negotia, commeatus, provisiones, constitutio pretii frumentorum et bladorum, caeterorumque annonae generum, necnon superintendentia omnium artium pro eorum commercio et negotiatione, et etiam omnium communitatis officiorum, tam in statutis comprachensorum, quam aliorum ordinariorum et extraordinariorum, quocumque modo ab ipsa communitate dependentium; in constituendo tamen frumentorum pretio, et in provisionibus alicuius momenti ad annonam pertinentibus, et in casibus gravioribus bonum gubernium totius civitatis concernentibus, magistratus, inscio nostro et Sedis Apostolicae pro tempore existente legato seu vicelegato, ac sine illius consensu, nihil statuant, publicent aut exequutioni demandent. Officiales item deputati ac ministri super aquis, auctoritati iudicis et sapientum subalternati seu subiecti, ut infra suo loco dicetur, existant. Iudex sapientum solus mandata pro solutionibus ordinariis in tabella descriptis, et per consilium stabilitis, subscribere, seu expedire poterit; sed in rebus et occasionibus extraordinariis nullas expensas facere, neque mandata subscribere aut expedire pro quacumque, etiam minima, quantitate valeat. Magistratus insimul pro servitiis communitatis, et negotiorum publicorum extraordinarie, usque ad summam centum librarum, in quacumque urgenti occasione, quae consilium expectare non possit, et usque ad summam viginti quinque librarum, prout iis opportunum videbitur, in quacumque occasione publica exponere valeat, sed quandocumque de huiusmodi extraordinariis expensis tractabitur, deliberatio per viam scrutinii per vota secreta in consilio capiatur, nec idem consilium huiusmodi deliberationem, viva voce, aut alio modo, sub poena restitutionis de eorum, qui in dicto consilio intervenerunt, proprio, capere possit.

In gravioribus negotiis ad Sedem Apostolicam seu ad illius legatum recurrendum.

Facultates consilii.

§ 18. Ad idem consilium, praeter electionem magistratus et novi consilii, de triennio in triennium, ut supra, faciendam, electionem etiam quorumcumque oratorum, sive internunciorum ordinariorum et extraordinariorum ad quaecumque loca destinandorum, necnon etiam advo-

cati, procuratoris, notarii, secretarii, thesaurarii, qui depositarius vocabitur, magistri rationum, et caeterorum omnium officialium et ministrorum communitatis, qui antea a iudice sapientum, aut a sapientibus omnibus eligi consueverant, de caetero spectare declaramus; electionem vero consultoris, qui ab ipso magistratu, ut supra dispositum est, dependere debet, ab eodem magistratu fieri debere volumus. Eidem consilio etiam concedimus electionem iudicis communis, iudicis bladarum, consulum aut praefectorum annonae, syndici palatii, iudicum fori mercatorum, iudicis massariae, massarii communitatis, praesidentis registri, deputatorum super pondere farinae, officialium damnorum datorum, et generaliter omnium officialium, de quibus fit mentio in statutis civitatis Ferrariae, exceptis tamen praetore, seu potestate in forma antiqua, iudicibus maleficiorum et iudice appellationum, quorum electionem nobis, et Apostolicae Sedi specialiter reservamus. Notarii quoque praedictorum iudicum et officialium a praedicto consilio eligantur, qui non teneantur propterea aliquam pecuniae summam Camerae nostrae Apostolicae solvere, aut respondere. Ad idem consilium pertineat electio reformatorum universitatis studii generalis, discipulorum et lectorum publicorum in quacumque disciplina, cum ea stipendii assignatione, quae eidem consilio videbitur, necnon etiam electio auditorum Rotae, quam nos in civitate Ferrariae, Camerae nostrae Apostolicae impensis, erigere intendimus, dummodo tamen electio fiat de personis, quae non sint ex civitate et ducatu nostro Ferrariensi, sed nihilominus Status nostri Ecclesiastici subditi omnino existant, et alias conditiones habeant, quae in ipsa Rotae erectione latius exprimentur. Familia magistratus ab eodem consilio similiter eligatur, sed a solo magistratu, cum illi videbitur, dimitti valeat.

Publicorum officialium nominatio atque stipendii assignatio.

§ 19. Cumque nos eidem communitati, et hominibus dictae civitatis Ferrariensis facultatem eligendi potestates et notarios infrascriptarum terrarum et locorum in territorio Ferrariensi in perpetuum concedere intendamus, prout per praesentes concedimus, videlicet, Portus Bondeni, Stellatae et Figaroli simul unitas, Massae Fiscaliae, Milliarii, Francolini et Garofali, pro cognitione tamen causarum civilium tantum; volumus, ut idem consilium electionem potestatum et notariorum praedictorum faciat, factaque electione, potestates et notarii a nostro et Sedis Apostolicae legato seu vicelegato prius approbentur, et deinde cum litteris patentibus eiusdem iudicis sapientum admittantur; qui ad praedictas potestarias eligendi erunt, doctores collegii aut cives Ferrarienses, pro qualitate locorum, esse debeant; notarii vero ex collegio notariorum assumantur; sed neque hi, neque illi, aut alii quicumque officiales, quorum electio ad communitatem pertinebit, debeant ultra annum eligi, nec in officio permanere, neque idem consilium tempus huiusmodi aliquo modo valeat prorogare. Excipimus tamen ministros particulares communitatis, veluti secretarium, massarium et omnes de familia magistratus, qui arbitrio consilii in eorum officiis permanere possint. Excipimus quoque reformatores studii, ac lectores, auditores Rotae, ac oratores, seu internuncios, qui in eorum muneribus et legationibus, prout opus fuerit, arbitrio consilii, pariter permanere valeant.

Communitati Ferrariensi data auctoritas eligendi potestates et notarios terrarum, quae hic recensentur.

§ 20. In eodem consilio deliberationes circa expensas extraordinarias communitati incumbentes, et circa gubernium redituum eiusdem communitatis, tam in iis locandis, quam in quibuscumque aliis dispositionibus de iis faciendis, capiantur,

Quae in eodem consilio sint deliberanda.

necnon rationes computorum ab officialibus exigantur, et similiter in omnem eventum alienationum, seu acquisitionum, et in omnibus aliis occasionibus concernentibus commune bonum, et servitium publicum civitatis, ultra casus magistratui nominatim reservatos, quid statuendum, seu faciendum sit, in eodem consilio discutiatur et deliberetur; neque sine consilii deliberatione, collectae extraordinariae continuari, neque ordinariae augeri, nisi pro solutione et extinctione aeris alieni, et pro aliis necessitatibus ab eodem consilio approbandis, ullatenus valeant; sicque, et non aliter in omnibus et singulis supradictis faciendum et observandum perpetuo esse et fore, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet contingerit attentari, auctoritate apostolica, tenore praesentium, statuimus, decernimus, declaramus, mandamus et ordinamus.

Privilegia eidem communitati concessa,

§ 21. Praeterea eosdem communitatem et homines amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, quaecumque statuta et ordinationes eiusdem communitatis, licita tamen et honesta, et sacris canonibus, Conciliique Tridentini decretis, ac libertati ecclesiasticae, debitaeque nobis et Apostolicae Sedi obedientiae [1] donationes quoque ipsi communitati et hominibus per dilectum filium nostrum Petrum, S. Nicolai in Carcere diaconum cardinalem Aldobrandinum nuncupatum, nostrum secundum carnem ex fratre germano nepotem, in civitate et ducatu nostri Ferrariensi nostrum et Apostolica Sedis de latere legatum, et totius Status nostri ecclesiastici generalem superintendentem, factas, de proventibus damnorum datorum, de appaltu fornacis vitrorum, necnon de appaltu collectionis centonum, vulgo *assumamento* . . . . . , nec non unius quatreni in singulas libras salis, quorum proventus, ad scuta circiter quatuor millia annuatim ascendunt; hanc tamen quatreni salis ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum, caeteras vero supradictas donationes perpetuo, auctoritate et tenore praedictis, confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti, ac solemnitatum etiam substantialium, et alios quoscumque defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, ac de novo, quatenus opus sit, proventus nimirum damnorum datorum, ac appaltus fornacium vitrorum, et appaltus collectionis centonum, perpetuo, quatreni vero salis ad nostrum et Sedis praedictae beneplacitum, donamus et elargimur; et ulterius eidem communitati et hominibus appaltum antiquum pellium, cum solitis datiis annexis, annonae, et carnis, qui nuncupantur vini et musti, eodem modo, quo novissime exigebantur, quorum redditus viginti quinque, aut viginti sex scutorum millia annuatim constituere poterunt, perpetuo; necnon etiam facultatem extrahendi ex civitate et comitatu Ferrariae quaecumque frumenta, blada et legumina, quae usui dictae civitatis et comitatus supersint, eaque ad quaecumque loca, etiam extra Statum nostrum Ecclesiasticum libere deferendi, aut extrahi et deferri faciendi, ad quatuor annos, a futuro anno Domini MDXCIX incipiendos, quatenus tamen interim civitas et comitatus, aut Status Ecclesiasticus praedicti, illorum penuria non laborent, ita ut huiusmodi extractionem aliis libere vendere valeant, auctoritate et tenore supradictis, motu proprio et ex certa nostra scientia, similiter donamus et elargimur, ac titulo purae, perpetuae et irrevocabilis donationis, quae dicitur fieri inter vivos, concedimus. Simili quoque

Nec non dotationes et proventus.

1 Adde *non contraria.* (R. T.).

modo datium vulgo dictum *della Chiesola*, quod ad scuta circiter septingenta singulis annis ascendit pro servitio et commodo carceratorum, perpetuo damus, concedimus et elargimur. Demum, pro maiori dictae nostrae civitatis Ferrariensis honore, ac legationis Ferrariensis dignitate, volumus ac, eadem auctoritate, perpetuo statuimus et ordinamus, ut civitas Comaclensis, et loca quaecumque tam Romandiolae, quam Centi, et Plebis, et alia quaecumque per dilectum filium nobilem virum Caesarem Estensem, una cum dicta civitate Ferrariae, nobis et Sedi Apostolicae restituta, posthac perpetuis futuris temporibus ducatui nostro Ferrariensi unita et incorporata existere, nec non sub legatione Ferrariensi semper compraehendantur, ac iurisdictioni dicti ducatus, et nostri, et Apostolicae Sedis in dicta civitate pro tempore existentis legati perpetuo subiaceant.

Derogatio contrariorum.

§ 22. Non obstantibus felicis recordationis Symmachi, Pauli II et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae, et Camerae Apostolicae redditibus non alienandis, nec non recolendae memoriae Pii Papae IV, etiam praedecessoris nostri, de gratiis qualecumque dictae Camerae Apostolicae interesse concernentibus in dicta Camera infra certum tunc expressum tempus registrandis, ita ut praesentes litterae, etiamsi in dicta Camera nunquam registrentur, nihilominus perpetuo validae et efficaces existant, ac praefatis communitati et hominibus suffragentur; aliisque quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibuscumque decretis consistorialibus, etiam per nos quomodocumque et quandocumque factis, quatenus praemissis in aliquo obstent, ac eiusdem Camerae, aliisque huius nostrae civitatis Ferrariensis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Ferrariae sub annulo Piscatoris, die XV iunii MDXCVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 15 iunii 1598, pontif. an. VII.

CXCI.

Civitati et civibus Comaclensibus nonnulla conceduntur privilegia [1].

Dilectis filiis communitati et hominibus civitatis nostrae Comaclensis

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Fidei ac devotionis sinceritas, quam erga nos et Apostolicam Sedem geritis, in causa nunc praecipue est, ut paternae nostrae benignitatis gratiis et favoribus vos complectamur, nec non etiam, ut illa vobis libenter concedamus, quae vestris commoditatibus fore conspicimus opportuna.

Comaclensibus valles hic descriptas concedit.

§ 1. Vos igitur specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac mera liberalitate nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, vobis quatuor ex vallibus ad nos, ac Sedem et Cameram Apostolicam spectantibus in districtu istius nostrae civitatis Comaclensis existentibus, eas nimirum, quae

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Pedica, Thia, Donna Bona, et Campo vulgo nuncupantur, iuxta suos notissimos fines, quos hic pro expressis et specificatis haberi volumus, sitas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo concedimus et assignamus, vosque de dictis vallibus investimus, ita ut vobis liceat ipsarum vallium corporalem, realem et actualem possessionem, vigore praesentium, propria auctoritate, libere appraehendere, ac perpetuo retinere, ac illas libere administrare et gubernare, ac ex illis fructus, redditus, proventus et emolumenta, ac iura quaecumque percipere, exigere et levare, ac in publicos vestrae communitatis et civitatis usus et utilitatem convertere, ac de illis disponere.

Iniuncto onere persolvendi singulis annis Camerae Apostolicae unam cerae libram.

§ 2. Volumus autem, ut valles praedictas, sine speciali Sedis Apostolicae licentia, etiam ex quacumque vestrae communitatis urgentissima necessitate, alienare nullatenus valeatis, utque pro recognitione directi dominii Sedis Apostolicae quotannis unam libram cerae albae laboratae Camerae nostrae Apostolicae in festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli persolvere teneamini; ac ulterius vobis concedimus, ut praedictae valles devolutioni aut caducitati ex quacumque causa (praeterquam in casu rebellionis vestrae contra nos et Romanam Ecclesiam, quod absit) minime subiaceant.

Decimas vero earumdem vallium ecclesiae cathedrali et capitulo persolvi statuit.

§ 3. Verum, quia, ut accepimus, cathedralis ecclesiae, necnon capituli, et canonicorum Comaclensium redditus valde tenues existunt, eidem ecclesiae, eiusque praesulis et capituli paupertati de alicuius subventionis auxilio providere cupientes, ex fructibus et redditibus vallium praedictarum decimas quotannis dictae ecclesiae et capitulo reservamus. Quarum decimarum medietatem ad venerabilem fratrem episcopum Comaclensem, nunc et pro tempore existentem, et reliquam medietatem ad dilectos filios capitulum et canonicos eiusdem ecclesiae, ut in ea clerus augeri, et divinus cultus congruum suscipere valeat incrementum, pertinere, et tam episcopum, quam capitulum et canonicos huiusmodi portionem ad eos respective pertinentem, a vobis petere, exigere et levare posse, vosque ad illam integre persolvendam obligatos existere et fore, ac deficientes etiam censuris et poenis ecclesiasticis, aliisque opportunis iuris et facti remediis cogi et compelli posse et debere. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, statuimus, decernimus et ordinamus.

Communitati nonnulla concedit privilegia.

§ 4. Praeterea omnibus et singulis habitatoribus et incolis civitatis et comitatus Comaclensis ut, pro eorum usu dumtaxat, non autem vendendi causa, ligna mortua, et sine securi, in silva *dell'Eliseo* nuncupata colligere, et ad eorum proprias domos, seu habitationes deferre possint; necnon tam vobis communitati, quam cuilibet ex habitatoribus et incolis praefatis civitatis praedictae Comaclensis eiusque comitatus et districtus, ut tam pro usu proprio cuiuscumque vestrum, quam ad effectum etiam vendendi et distribuendi eisdem incolis et habitatoribus praedictis pro eorum usu tantum, ut praefertur, non autem exteris, nec extra civitatem et comitatum huiusmodi in quibuscumque videlicet locis, civitatibus, terris et villis ducatus nostri Ferrariensis frumentum, vinum, blada, legumina et quodcumque aliud annonae, vestium et mercium genus, ad victum et

Dispensatio a vectigali in casibus hic designatis.

vestitum, necnon etiam ad alios usus illis necessarium, absque ulla solutione gabellae, tam pro parte emptorum, quam pro parte venditorum solvendae, libere et licite emere, necnon etiam ex eisdem locis, civitatibus, terris et villis eiusdem ducatus nostri Ferrariensis similiter frumentum, vinum, blada, legumina et quodcumque aliud, ut praefertur, annonae, vestiarii et mercium genus ad victum et vestitum, necnon etiam ad alios usus illis necessarium, solutis tamen gabellis huc usque a Comaclensibus de loco ad locum communitatibus solvi solitis; et quoad frumentum, cum licentia dilecti filii nostri, et Apostolicae Sedis in civitate et ducatu Ferrariensi de latere legati, seu eius vicelegati, aut gubernatoris pro tempore existentis, quae vobis gratis concedi debeat; ex aliis vero locis Status nostri ecclesiastici, cum licentia superioris illius provinciae, unde extractio fiet, quae pariter gratis concedi debeat. Sed ad evitandas fraudes, illis etiam attestatio gubernatoris pro tempore existentis civitatis et comitatus Comaclensis accedat, sub solutione tamen debita et fieri consueta, ratione extractionis frumenti et bladorum de provincia ad provinciam, quoad portionem ad thesaurarium cuiusque provinciae dumtaxat tangentem, non autem quoad ratam ad Cameram Apostolicam pertinentem, quam ex nunc, prout ex tunc, et e contra cuicumque vestrum, et aliorum praedictorum gratiose in perpetuum remittimus et condonamus, et solutis, ut praefertur, solitis gabellis, communitatibus et universitatibus solvi consuetis, libere extrahere, et ad dictam civitatem Comaclensem deferre possitis et valeatis, ac possint et valeant; necnon etiam, ut quilibet ex civitate Comaclensi oriundus in quibuscumque civitatibus, terris et locis Status nostri ecclesiastici, in quibus ipsi bona stabilia possident, aeque ac alii cives originarii, sine tamen praeiudicio onerum solitorum, tractari debeat, utque cuilibet eorum fructus in propriis praediis et terris collectos, dimissa in locis praedictis respective quarta parte frumentorum et bladorum pro abundantia, ac etiam semine, extrahere, et ad praedictam civitatem Comaclensem deferre liceat, nec super praemissis ab aliquibus, quavis auctoritate fungentibus et functuris, quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari possitis, aut aliquis particulariter possit, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo concedimus et indulgemus.

Consilium civitatis confirmat.

§ 5. Praeterea consilium vestrae communitatis eo modo, quo nunc existit, addito tamen semper interventu gubernatoris pro tempore existentis dictae civitatis, sine quo etiam congregari non possit, neque deliberationem aliquam suscipere valeat, ac mutato etiam iuramento in eodem consilio praestari solito (quod deinceps nobis, et pro tempore existenti Romano Pontifici, ac Sedi Apostolicae praestari volumus), ac etiam statuta quaecumque eiusdem vestrae communitatis, quatenus tamen in usu existant, et licita sint et honesta, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, necnon nostris, et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus, ac libertati ecclesiasticae, ac S. R. E. Sedique Apostolicae debitae obedientiae ac fidelitati non adversentur, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae ac inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Pauli PP. II et aliorum Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum,

de rebus Ecclesiae et Camerae Apostolicae non alienandis, aliisque constitutionibus apostolicis, ac ipsius Camerae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Ferrariae sub annulo Piscatoris, die XVIII iulii MDXCVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 18 iulii 1598, pontif. an. VII.

CXCII.

Similis concessio privilegiorum Communitati Terrae Centi [1].

Dilectis filiis universitati et hominibus terrae nostrae Centi

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ex consueta Romani Pontificis et Apostolicae Sedis benignitate, nostros et eiusdem Sedis subditos favoribus et gratiis libenter prosequimur, prout eorum fidei et devotionis sinceritas postulat, ac alias in Domino salubriter conspicimus expedire.

Concessio privilegiorum. § 1. Hinc est quod nos vestris votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ac vos nostris et Apostolicae Sedis beneficiis in debita nobis et eidem Sedi fide ac devotione magis continere, et conservare volentes, supplicationibus vestro nomine nobis humiliter porrectis inclinati, ex diversis petitionibus vestro nomine nobis oblatis, haec vobis concedenda duximus. Ut igitur arma seu insignia istius universitatis, insignibus gentilitiis domus nostrae Aldobrandinae, aut cuiuscumque malueritis illorum partis exornare valeatis; utque vestri consules solitas et antiquas auctoritates et praeeminentias, ac primum locum immediate post gubernatorem eiusdem terrae pro tempore existentem retineant et habeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Confirmatio consilii cum auctoritate statuta condendi. § 2. Consilium vero eiusdem terrae, iuxta formam statutorum, ita ut cum sola licentia et assistentia gubernatoris, sine qua tamen nullam suscipere valeat deliberationem, quandocumque libuerit, congregari possit. Statutaque praeterea et ordinationes ipsius terrae, tam quoad civilia, quam quoad criminalia (dummodo tamen in usu, et licita sint et honesta, ac sacris canonibus et constitutionibus apostolicis, et Concilii Tridentini decretis, necnon libertati ecclesiasticae, ac fidelitati et obedientiae Romanorum Pontificum, et Sanctae Romanae Ecclesiae, Sedisque Apostolicae minime adversentur), sine tamen praeiudicio bannimentorum, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae ac inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac statuta damnorum datorum, cum duplicatione poenarum universitati vestrae, ac partibus, quibus damnum illatum fuerit, iuxta formam statutorum applicandarum, et etiam statuta et provisiones collegii notariorum dictae terrae, pari modo in omnibus et per omnia, et cum supradictis limitationibus confirmamus et approbamus. Vobis praeterea, ut nova statuta et ordinationes, prout rerum et temporum qualitas exegerit, pro bono vestrae universitatis regimine, quandocumque vobis placuerit, a pro tempore tamen legato, seu vicelegato Ferrariensi examinanda et approbanda, facere; utque circa bona divisibilia Casamaris et Malaffitti, vos liberam statuendi et deliberandi, iuxta anti-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

qua privilegia et consuetudines, facultatem (sine tamen iuris quarumcumque partium praeiudicio) habeatis, perpetuo similiter concedimus et indulgemus. Statuimus quoque et ordinamus, ut circa militum deputationem isthic servetur idem, quod servatur in reliquo Statu nostro Ecclesiastico. Circa autem provisiones gubernatoris, et applicationem poenarum condemnationum, constitutiones Aldobrandinas nuncupatas, per dilectum filium nostrum Petrum, Sancti Nicolai in Carcere, diaconum cardinalem Aldobrandinum nuncupatum, nostrum secundum carnem ex fratre germano nepotem, ac in civitate et ducatu Ferrariensi nostrum et dictae Sedis de latere legatum, factas, servari volumus.

Gubernatoris qualitates et officium.

§ 3. Gubernatorem praeterea istius terrae pro tempore existentem in utroque aut altero iurium doctorem qualificatum pro officii qualitate esse, illumque, finito eius officio, syndicatui stare debere, neque fidem bene praestiti servitii, nisi finito syndicatu huiusmodi obtinere posse. Causas item quascumque civiles et criminales in prima instantia in dicta terra, et quoad civiles causas in secunda instantia in tribunali appellationum deputato seu deputando, in civitate, sub cuius legatione dicta terra pro tempore fuerit, salva tamen auctoritate superioris, quoad primas instantias huiusmodi, cognosci debere decernimus.

Alia privilegia.

§ 4. Vobis praeterea ac singulis habitatoribus et incolis terrae Centi, eiusque comitatus et districtus, ut ex quibuscumque locis civitatis et ducatus Ferrariensis frumenta, blada, legumina et alia annonae genera, pro vestro et eorum usu, solutis gabellis solitis, libere extrahere possitis, licentiam et facultatem impertimur. Pretium insuper salis in dicta terra vendendi ad tres quatrenos pro qualibet libra, quorum duo ad Cameram Apostolicam, et unus ad vestram universitatem pertineant, reducimus. Ad haec vobis, ut unum vel plures exequutores pro exactione creditorum dictae universitatis, deputare, et ad libitum removere; utque unum registrum instrumentorum dictae terrae ad instar registri civitatis nostrae Bononiensis erigere possitis, indulgemus. Pretium moliturae frumenti et aliarum rerum molendarum pro usu habitatorum et incolarum terrae, comitatus et districtus praedictorum, ad sex pro centenario reducimus. Ac ipsis habitatoribus et incolis, ut ad quaecumque loca Status nostri Ecclesiastici, molendi causa, de licentia tamen camerarii gratis illis concedenda, accedere possint, potestatem facimus; et quibuscumque advenis farinas in vestram terram introducere, sine aliqua solutione aut cuiuscumque licentia, licitum esse volumus et ordinamus. Quibuscumque pariter ex vestris civibus, ut fructus ex praediis, et terris per eos in agro Bononiensi, quae non gaudent privilegio quarti, pro tempore colligendos, relicta tamen quarta illorum parte, inde libere extrahere: utque inter vos et Bononienses liberum quarumcumque rerum hinc inde commercium, solutis gabellis, existat, necnon ut birruarios dictae terrae, ultra numerum decem, cassare, ad nostrum tamen et eiusdem Sedis beneplacitum valeatis. Ac demum, ut liberum vobis, et cuicumque dictorum habitatorum et incolarum sit, folicellos et sericum ex eadem terra, eiusque comitatu et districtu, ad quaecumque, non tamen extra Statum Ecclesiasticum, loca deferre, ac de illis pro libito disponere, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo concedimus et indulgemus, ac in praemissis omnibus et singulis, uti a nobis concessa et ordinata sunt, perpetuo observari debere decernimus et declaramus.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus

Derogatio contrariorum.

et ordinationibus apostolicis, et quibuscumque statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Ferrariae sub annulo Piscatoris, die XXI iulii MDXCVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 21 iulii 1598, pont. an. VII.

CXCIII.

Deputatio visitatorum ad reformanda monasteria et loca regularia, tam virorum quam mulierum, in insula Sardiniae, sub directione archiepiscopi Calaritanensis.

Dilectis filiis Timotheo de Neapoli, monacho Congregationis S. Benedicti, priori monasterii eiusdem Congregationis, Caietanensi, ac Antonio Marzer fratri Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Pastoralis nostrae sollicitudinis partes sunt, illud potissimum curare, ut regulares personae, quae, relictis mundi curis et illecebris, Dei obsequiis se manciparunt, iisdem obsequiis iuxta regularis observantiae normam sedulo incumbant, regularia eorum Ordinis instituta observent, et si quae ab iis deflexerint, modis congruis ad illa reducantur.

Deputatio, de qua in rubrica.

§ 1. Proinde cupientes ut monasteria et loca regularia virorum et mulierum regni et insulae Sardiniae visitentur et reformentur, ac de vestra pietate, prudentia, religionis zelo, aliisque religiosis virtutibus, quibus vos praeditos esse fide dignorum virorum testimonio accepimus, plurimum in Domino confisi, vos omnium et singulorum monasteriorum et regularium locorum virorum et mulierum, regularibus subiectorum, etiam quantumvis exemptorum, ac nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectorum, sub directione tamen venerabilis fratris archiepiscopi Calaritanensis visitatores et reformatores, auctoritate apostolica, tenore praesentium, hac vice dumtaxat facimus, constituimus et deputamus; vobisque per easdem praesentes committimus et mandamus, ut coniunctim vel divisim, arbitrio dicti archiepiscopi, monasteria quaecumque, ac loca pia regularia tam virorum quam mulierum, etiam ut praefertur, exempta, ac nobis et Apostolicae Sedi immediate subiecta, in spiritualibus et temporalibus, auctoritate nostra, visitare atque in illorum universorum et singulorum statum, formam instituta, regimen, consuetudines, vitam, ritus, mores et disciplinam, tam coniunctim quam divisim, ac tam in capite quam in membris, diligenter inquirere, nec non evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum, et generalium conciliorum decretis, et nostris ac Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus, ac Ss. Patrum traditionibus, et institutis, ac eorumdem monasteriorum et regularium locorum, eorumque Ordinum respective laudabilibus statutis et consuetudinibus inhaerendo, quaecumque ad eorumdem monasteriorum et regularium locorum reformationem, correctionem, emendationem et prosperam directionem pertinentia, mutatione, correctione, emendatione, revocatione, renovatione, aut etiam ex integro editione indigere cognoveritis, reformare, corrigere, mutare, emendare, revocare, renovare, aut ex integro edere, condere, et condita sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, ac praefatis nostris, et Romanorum

Cum facultate reformandi, corrigendi, etc.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Pontificum constitutionibus non repugnantia, confirmare, abusus quoscumque tollere et eradicare, bonas ac laudabiles institutiones, ac regularium institutorum observantiam, ecclesiasticamque et regularem disciplinam, si alicubi excidisse compereritis, modis congruis restituere, ac personas quascumque tam superiores, quam inferiores regulares, etiam exemptas, ad debitum et honestum vitae modum revocare, ac si quos ex illis, quod Deus avertat, in aliquo culpabiles et criminosos repereritis, illos ab eorum officiis, ad tempus vel perpetuo, arbitrio vestro, deponere, ac alias iuxta tamen illorum regularia instituta punire et castigare, nostra apostolica auctoritate, curetis. Nos enim vobis, tam coniunctim quam divisim, arbitrio dicti archiepiscopi, ac sub illius directione, ut praefertur, contra quoscumque, ut praefertur, criminosos et delinquentes, etiam quamtumvis exemptos, eorumque fautores cuiuscumque dignitatis, ordinis, vel conditionis fuerint, per viam accusationis, vel denunciationis, aut ex officio, ac etiam summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii inquirendi et procedendi, eosque prout canonicae requirunt sanctiones, ac eorum regularia instituta, ut praefertur, puniendi, ac omnia denique et singula, quae ad visitationem, correctionem et reformationem huiusmodi pertinere cognoveritis, faciendi, statuendi et ordinandi, sub directione et auctoritate praedicti archiepiscopi, plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus.

Mandatum archiepiscopo Calaritanensi curandi observantiam reformationis.

§ 2. Mandantes propterea dicto archiepiscopo, ut vobis in praemissis faveat et assistat, ac visitationem et reformationem huiusmodi per vos recte ac feliciter, ad Dei gloriam et religionum utilitatem, geri et absolvi curet et faciat.

§ 3. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quorumvis monasteriorum et regularium locorum huiusmodi eorumque ordinum, etiam Mendicantium, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam *Mare Magnum* et *Bulla aurea*, aut alias quomodolibet nuncupatis, ipsis Ordinibus etiam Mendicantium, eorumque monasteriis, conventibus et locis, ac personis quibuscumque, sub quibusvis tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Ferrariae sub annulo Piscatoris, die XXIX iulii MDXCVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 29 iulii 1598, pontif. an. VII.

CXCIV.

Declaratio super controversia orta inter nobiles viros familiae Ghisleriae super iure nominandi ad alumnatus collegii Ghislerii a Pio V Papiae erecti[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ad Romanum Pontificem spectat dubia, quae super suorum praedecessorum ordinationibus oriuntur, ne exinde litibus et controversiis materia praebeatur, opportune declarare, prout in Domino salubriter conspicit expedire. Exordium.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

§ 1. Sane, sicut accepimus, dudum felicis recordationis Pius V, praedecessor noster, in civitate Papiensi, in qua studii generalis universitas viget, unum collegium Ghislerium ex familiae suae nomine nuncupatum, in quo pauperes iuvenes bonis moribus et litteris operam dare volentes reciperentur et educarentur, ac in quacumque facultate studere, et doctoratus lauream suscipere valerent, perpetuo erexit et instituit.

Pius V collegium Ghislerium Papae erexit.

§ 2. Ac inter alia voluit et ordinavit, ut nominatio, seu electio scholarium dicti collegii ad pro tempore existentes tres seniores de sua familia Ghisleriorum, oppidi Boschi, Terdonensis dioecesis, unde ipse originem traxit, ipsiusque collegii iuspatronatus pertineret, ac pro dicti collegii regimine statuit, quod, qui pro prima vice describendi venirent, pro patronis et electoribus dictorum scholarium in dicto oppido Boschi proprie et vere nati essent, et esse deberent, de caetero autem illi, qui ab istis primo descriptis descenderent, et nascerentur in infinitum, sive in oppido praefato Boschi, sive extra illud ubilibet nascerentur, ad iuspatronatus, seu nominationem scholarium huiusmodi admitterentur, ex quibus sic descriptis primo loco de dicta familia tres seniores assumerentur, ad quos spectaret cura eligendi dictos scholares, et alia faciendi tamquam ad dicti collegii patronos, quibus, et eorum descendentibus sic, ut supra descriptis, deficientibus, quosdam alios substituit, ita tamen ut, oriente inter patronos controversia, quinam admitti deberent ad dictos scholares eligendos, pro tempore protector talem controversiam intra tres menses definiret, cum aliis amplissimis facultatibus dicto protectori concessis, prout in litteris super dicti collegii erectione, constitutionibus et declaratione, sub datum quarto idus ianuarii MDLXIX et quarto kalendas februarii eiusdem anni, et tertio idus septembris MDLXX, seu alio veriori tempore, respective expeditis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, latius continetur.

Tribus senioribus familiae Ghisleriae attribuit nominationem alumnorum

§ 3. Cum autem, defuncto nuper, sicut Deo placuit, bonae memoriae Michaele episcopo Albanensi, cardinale Alexandrino nuncupato, eiusdem collegii protectore per ipsum Pium praedecessorem deputato, orta esset, seu oriri dubitaretur differentia seu controversia inter dilectos filios Sebastianum sacerdotem U. I. D., ac nostrum et Sedis Apostolicae notarium, Antonium et Michaelem filios quondam Paganini, et Pium eorum ex quondam Philippo milite Militiae Iesu Christi fratre nepotem ex una, et Pium quondam Antonii ex alia, omnes de dicta familia Ghisleriorum dicti oppidi Boschi, de et super admissione, ac iurepatronatus dicti collegii, praetendente dicto Pio quondam Antonii, se solum primo loco cum suis etiam descendentibus esse vocatum, habitoque ad nos pro parte ipsorum Sebastiani et consortium, ad huiusmodi controversiam facilius sedandam recursu, ac humiliter supplicato, ut in praemissis, de opportunae declarationis remedio, ex benignitate apostolica, providere dignaremur.

Oritur controversia inter Ghislerios super pertinentia huiusmodi patronatus.

§ 4. Nos, qui litium et discordiarum semina, quantum cum Domino possumus, de medio tollere, ac pias fundatorum, praesertim Romanorum Pontificum voluntates debitae exequutioni demandari tenemur, volentes dicti collegii stabilimento ac perpetuae firmitati consulere, ac alias ex nostro pastorali officio, ac pro peculiari nostra erga dicti Pii praedecessoris nostri res et familiam propensione, eius, circa praemissa voluntatem, sublatis difficultatibus, exequendam esse censentes, negocium huiusmodi dilectis filiis nostris Camillo S. Eusebii Burghesio ac Laurentio S. Laurentii in Panisperna

Clemens nonnullis cardinalibus causam examinandam committit.

Blanchetto, necnon Pompeio S. Balbinae Arrigonio, titulorum presbyteris nuncupatis, Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus audiendum, et nobis referendum commisimus.

Eorumque relatione habita, hanc fert sententiam.

§ 5. Cum autem, absente Burghesio, ex relatione dictorum Blanchetti et Arrigonii cardinalium, qui pluries partes ipsas oretenus et in scriptis, cum eorum etiam advocatis, audierunt, eorumque iura viderunt, comperuerimus, ex forma dictarum fundationis, constitutionum et declarationis ad dictum ius eligendi, ac iuspatronatus dicti collegii primo loco etiam supradictos Sebastianum, Antonium, et Michaelem, et Pium quondam equitis Philippi, eorumque descendentes in infinitum, vocatos pariter existere: propterea nos, ne ulterius super aliquo praemissorum dubitari, aut alia super his controversia oriri possit, motu proprio, et ex certa scientia, et mera deliberatione nostra, ex dictorum etiam cardinalium sententia, supradictos Sebastianum, Antonium, et Michaelem fratres, ac Pium eorum nepotem, cum eorum descendentibus in infinitum, inter dicti collegii patronos primo loco vocatos et describendos, iuxta formam dictarum fundationis, constitutionum et declarationis admittendos esse, auctoritate apostolica, tenore praesentium, decernimus et mandamus, praetensamque declarationem a praedicto Michaele cardinale protectore, ad favorem dicti Pii quondam Antonii, ac quondam Pauli Ghislerii eius patrui de anno MDLXXVII sub die VI ianuarii, seu alio veriori tempore, ut asseritur, factam, ac illius praesentationem et admissionem de persona ipsius Pii quondam Antonii, et alia coram asserto praefecto, facta, omniaque alia et quaecumque exinde sequuta, dictum Sebastianum et fratres ac nepotem minime afficere declaramus, ac perpetuum silentium dicto Pio quondam Antonii, ac eius descendentibus super dicta eius praetensione imponimus.

Clausulae.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam dicti collegii pro tempore protectores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his contra hanc declarationem a quoquam, quavis auctoritate, attentari contigerit, decernimus.

Mandatum de exequendo.

§ 7. Mandantes propterea dilectis filiis praefecto et officialibus et scholaribus dicti collegii, nec non exequutoribus in dictis litteris apostolicis deputatis, ac aliis quibusvis, ad quos spectat, ut supra, dictos Sebastianum, Antonium et Michaelem fratres, et Pium eorum nepotem cum eorum descendentibus in infinitum, tamquam primo loco vocatos in patronos dicti collegii recipiant et recognoscant, in matriculaque, seu libro omnium et singulorum de familia Ghisleriorum primo loco vocatorum describi, et in archivio dicti collegii recondi, eisque tamquam patronis, ut supra, omnem reverentiam et obedientiam in his, quae ad illos, tamquam patronos pertinere possunt, adhiberi et praestari curent et faciant.

Deputatio exequutorum.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus Papiensi, Terdonensi, et Placentinensi episcopis per praesentes committimus et mandamus, ut ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum Sebastiani, et fratrum, et nepotis, eorumque haeredum et successorum, aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, illos eorumdem praemissorum effectu pacifice

frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet molestari: contradictores per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantium derogatio.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac etiam dicta praetensa declaratione praedicti Michaelis cardinalis protectoris, cum omnibus et quibusvis aliis exinde sequutis, nec non piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus apostolicis, ac praedictis Pii praedecessoris litteris in iis, per quas protectori cardinalatus honore praefulgenti, seu episcopo existenti huiusmodi differentias et controversias inter ipsos patronos orientes sedandi facultatem tribuit, nec non ipsius collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Ferrariae sub annulo Piscatoris, die v septembris MDXCVIII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 5 septembr. 1598, pontif. an. VII.

CXCV.

De luctuosa Tyberis inundatione in Urbe, et eius districtu, indictioneque publicarum supplicationum ad divinam misericordiam implorandam.

Clemens episcopus, servus servorum Dei,

Dilectis filiis clero et populo almae Urbis nostrae, caeterisque christifidelibus in eadem eiusque districtu existentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Tyberis inundatio maxima et luctuosa.

§ 1. Manus Domini, manus patris, manus illa potens et salutaris, quae sola dum iuste vulnerat, pie medetur; ipsa tetigit nos, filii dilectissimi. Fluvius Tyberis extra alveum ripasque suas diffusus, tanta aquarum copia Urbem, suburbia, prata et agros inundavit, et in tantam non in planis solum, sed in editioribus etiam locis, crevit altitudinem, quantam neque nos, neque maiores nostri meminerunt. Quae Urbis facies, quis aspectus per hos dies fuerit, plane luctuosus et miserabilis, quae hominum, aedificiorum et rerum ad vitam victumque quotidianum necessariarum pernicies et iactura extiterit, nec sine acerbissimo doloris sensu commemorari potest, nec certe commemorari est necesse. Vos ipsi oculis vestris cuncta perspexistis et passi estis, et nos etiam vidimus, oculisque et manibus in coelum elevatis (cum prae doloris magnitudine cor nostrum disrumperetur, et quasi cera colliquefactum esset) omnium miserias paterno affectu et miseratione complexi sumus.

Propter gentium peccata evenisse, minime dubium.

§ 2. Sed huius tantae eluvionis et calamitatis causae, non ex principiis naturalibus curiose nimis inquirendae sunt, et ex eorum opinionibus, qui dicentes se sapientes, stulti facti sunt, tamquam si gentes essemus, quae ignorant Deum; sed potius, ut christianos decet, in timore et tremore, veriorem magisque intimam harum aerumnarum originem intra nosmetipsos pervestigemus. Ac nisi nos ipsos fallere et decipere velimus, peccata ipsa respondebunt nobis, et iniquitates, quae multiplicatae sunt nimis coram Deo. Abyssus enim peccatorum abyssum aquarum, et inundatio inundationem evocavit.

§ 3. Ne tamen, filii, pusillo animo sitis, neve, quod absit, cor vestrum obduretis, ut indomiti et obstinati peccatores solent, qui plagis Dei deteriores fiunt, quorum miseram et miserandam conditionem exprimit Jeremias verbis illis: *Domine, percussisti eos, et non doluerunt: attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam; induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti*[1]. Vos autem, filii, non sic; sed revertimini ad Dominum in toto corde vestro, in ieiunio, et fletu, et planctu, et poenitentiae salutaris tabulam apprehendite, nè pereatis in diluvio aquarum multarum irae Dei, et iusti iudicii Eius. Deus enim noster pius est et misericors, et praestabilis super malitia; qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat. Plaga haec, si sapitis, si intelligitis, si novissima providetis, non est ad mortem, sed ad salutem. Corripuit vos Dominus, sed non in furore suo, immo vero in visceribus misericordiae suae, ut pater, qui hic, in hac brevi et caduca vita, filiis flagella adhibet, ut in aeternum parcat. Quem enim diligit Deus castigat, et tamquam filiis offert se vobis. Surgite et vos cum filio prodigo, et ite ad patrem vestrum, qui vos vocat, qui apertis brachiis vos expectat, et ad complexum et pacem et reconciliationem invitat. Clamate ad Dominum in fortitudine, et ex intimo corde verba illa pronunciate; Omnia quae fecisti nobis, Domine, in vero iudicio fecisti, quia peccavimus tibi, et mandatis tuis non obedivimus, sed da gloriam nomini tuo, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Denique convertatur unusquisque a via sua mala, et qui Ninivitas peccantes imitati estis, imitamini poenitentes.

Admonetur quisque ut revertatur ad Dominum,

§ 4. Ite ad Matrem Gratiarum, et Advocatam peccatorum, ad Beatissimam semper Virginem Dei Genitricem Mariam, et illius opem, atque auxilium implorate. Ite ad gloriosissimos Apostolorum Principes Petrum et Paulum, peculiares patronos huius almae Urbis, qui evangelii doctrinam cum sanguine tradiderunt. Hi enim sunt gloriosi principes terrae, et patres, et pastores Ecclesiae, precipue vero urbis Romae, qui eam ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri Sedem caput orbis effecta, latius praesideret religione divina, quam dominatione terrena. Obite in spiritu humilitatis et animo contrito sacras Beatissimorum Apostolorum basilicas, et fortissimorum martyrum memorias, quibus velut propugnaculis Roma cincta est. Plorate coram Domino, et preces cum lacrymis fundite, ut per merita et intercessionem Sanctorum, qui cum Christo regnant, veniam atque indulgentiam impetremus.

Et Mariae Virginis, ac Principum Apostolorum auxilium imploret,

§ 5. Pacem igitur cum fratribus habete, cessent odia et inimicitiae; ne, si manus plenas sanguine extendatis, avertat Deus oculos suos a vobis. Libido, intemperantia, luxuries tollatur et caetera vitia, quibus iracundia Dei provocatur. Vigeat modestia, temperantia et misericordia in pauperes. Nunc latissimus pietati propositus est campus, ut ii potissimum, qui ditiores sunt, peccata sua eleemosynis redimant, et pauperum inopiam sua abundantia sublevent. Quod ut omni cum alacritate faciant, illos, quanta possumus cum efficacia, in Domino hortamur. Nam si propter omnium peccata haec plaga a Deo immissa est, ad omnes, seu pauperes seu divites pertinere debet, vel per miseriam vel per miserationem, ut dum corporis nostri, quod unum est in Domino, membra quaedam patiuntur, caetera compatiantur. Sumite igitur arma militiae nostrae, non carnalia, sed potentia Dei, quibus ipse Deus exercituum fortissimus

Cessetque a vitiis, et sequatur virtutes.

1 Cap. v, 3. (R. T.).

et omnipotens vincitur; poenitentiam, orationem, ieiunium et eleemosynam. His enim placatur Deus, qui si viderit opera vestra bona, et quia conversi estis ab omni via mala in sinceritate cordis vestri, revertetur et Ipse a furore irae suae, et non peribitis.

Indicit supplicationes solemnes ad basilicas S. Mariae Maioris et S. Petri.

§ 6. Atque ut tanto ardentius ad divinorum sacramentorum medicinam accurratis, et ut, veterem hominem exuentes, mente et spiritu renovati, ambuletis in novitate vitae, nos ad basilicas Principis Apostolorum, et Sanctae Mariae Maioris de Urbe proxima hebdomada, quarta videlicet huiusce mensis ianuarii, diebus per nos eligendis, solemnes supplicationes et processiones, ut moris est, indicimus. Ad quas basilicas, vel earum alteram, nos ipsi una cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, ac patriarchis, archiepiscopis, et episcopis in Romana Curia existentibus, ac christianorum regum et principum oratoribus in Urbe commorantibus, aliisque praelatis, atque officialibus Romanae Curiae, et magistratibus eiusdem Urbis, vobisque, clero et populo comitantibus, debita animi et corporis demissione, supplices adire, ipsasque supplicationes et processiones celebrare constituimus.

Hortatur morantes Romae, ut easdem Basilicas, exterosque ut designandas ecclesias visitent, et pia opera, quae hic praescribuntur, adimpleant.

§ 7. Ut vero a divina bonitate atque clementia uberiores communis ac salutaris poenitentiae fructus capiamus, vos universos et singulos, caeterosque utriusque sexus christifideles, in dicta Urbe eiusque districtu existentes, per viscera misericordiae Dei nostri hortamur atque obsecramus, ut qui in eadem Urbe erunt, dicta hebdomada, vel saltem altera sequenti, postquam praesentes litterae publicatae fuerint, salutari poenitentiae sacramento ad praeteritas culpas diluendas sic se praeparent, ut Deus placatus flagella suae iracundiae avertat, Romam ab omnibus periculis eripiat, ac populum in Urbe eiusque districtu existentem, salvum atque incolumem tueatur. Et vos quidem, et ii qui in Urbe fuerint, praedictas Principis Apostolorum, et Sanctae Mariae Maioris de Urbe basilicas, aut earum alteram; qui vero extra Urbem in dicto districtu extiterint, ecclesiam seu ecclesias, per locorum Ordinarios seu eorum vicarios, aut de eorum mandato, et iis deficientibus, per eos, qui ibi curam exercent animarum, deputandam seu deputandas, quocumque die, vel quibuscumque diebus eiusdem vel sequentis hebdomadae, saltem semel devote visitent, et quarta ac sexta feria, et sabbato eiusdem hebdomadae vel sequentis ieiunent; et praeterea pauperibus et indigentibus personis aut locis piis eleemosynas arbitrio suo erogent, atque intra hoc tempus, tam primae quam secundae hebdomadae, alicui presbytero ab Ordinario loci approbato peccata sua confiteantur, et dominica prima, aut secunda, vel alio dictae prioris aut sequentis hebdomadae die, ut supra dictum est, sanctissimum Eucharistiae sacramentum devote suscipiant. Regularibus vero personis utriusque sexus in claustris perpetuo degentibus, aut aliis in carcere existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui superius expressa, vel eorum aliqua facere et implere nequiverint, presbyter confessarius, quem elegerint, praedicta omnia et singula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutandi, vel in aliud proximum tamen tempus prorogandi facultatem habeat.

Indulgentia eisdem elargitur.

§ 8. Quae omnia, ut vos, et praedicti christifideles eo libentius praestare studeatis, quo uberius spiritualibus muneribus et gratiis vos reficiendos esse cognoveritis de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, ex illa

Aliaque ad rem opportune praecipit,

ligandi atque solvendi potestate, quam Deus nobis, licet indignis, contulit, thesauros Ecclesiae, quorum dispensatores eius benignitate facti sumus, copiose aperientes, universis et singulis praedictis, qui praemissa modo et forma praescriptis fecerint et impleverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, veniam et remissionem, sicut in anno Iubilaei visitantibus certas basilicas intra et extra Urbem concedi consuevit, tenore praesentium, concedimus et impertimur. Nec non iisdem christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, sive saecularibus, sive cuiusvis Ordinis et Congregationis seu instituti regularibus indulgemus, ut sibi èligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis vel instituti regularem ex approbatis ab Ordinariis locorum, ut praefertur, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quovis modo et causa latis seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam in casibus tam locorum Ordinariis, quam nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die *Coenae Domini* legi consuetis, atque alias etiam per quascumque nostras, vel Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodolibet reservatis, in foro tantum conscientiae, hac vice solum absolvere: et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis dumtaxat exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniuncta tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, ac aliis eius arbitrio iniungendis, possint et valeant.

§ 9. Mandantes propterea, et in virtute sanctae obedientiae districte praecipientes omnibus venerabilibus fratribus episcopis, et aliis quibuscumque locorum dicti districtus Ordinariis, et aliis supradictis, ad quos pertinuerit, ut cum praesentium litterarum transumpta aut exempla acceperint, illa statim per suas ecclesias, civitates, oppida, terras, loca, dioeceses publicent et promulgent, et publicari ac promulgari faciant, cleroque et populo sibi subiecto solemnes processiones et supplicationes indicant et celebrent

Iubetque Ordinariis districtus Urbis atque aliis hanc publicent concessionem.

§ 10. Per praesentes autem non intendimus super aliqua irregularitate publica vel occulta, nota, defectu, incapacitate, aut inhabilitate quoquo modo contracta, aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi, aut in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae. Neque etiam iis praesentes nostras litteras, qui ab aliquo iudice excommunicati, suspensi vel interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus celebrationis huiusmodi Iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, neque pariter haereticis aut schismaticis specialiter declaratis, seu condemnatis, ullo modo suffragari posse aut debere.

Restrictio facultatum confessariis concessarum.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus absolvendi facultas in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Iubilaei, indulgentiarum, aut facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; nec non regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, et Congregationum, sive institutorum regularium, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, in-

Derogatio contrariorum.

dultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, et Congregationibus, atque institutis, quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, aut expressio habenda, vel quaevis alia forma exquisita ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac forma in illis tradita poenitus pro servata habentes, hac vice, specialiter, nominatim et expresse ad effectum praesentium derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 12. Volumus autem ut praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur his ipsis litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo nono, decimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 23 ianuarii 1599, pontif. an. VII.

CXCVI.

Quod monachi Congregationis Beatae Mariae Fuliensis Cisterciensis Ordinis Sancti Benedicti, in processionibus aliisque actibus publicis, omnibus fratribus Mendicantibus praecedant [1].

1 Institutionem huius Congregationis vide in constitut. XLIV Sixti V: *Religiosos viros*, tom. VIII, pag. 700.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Regis pacifici, qui regnat in coelis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ad ea, per quae personarum quarumlibet, praesertim vitam monasticam ducentium, et mundanis spretis illecebris in solitudine piae vitae et assiduis orationibus vacantium, quieti et tranquillitati consulitur; ac litibus et controversiis, quae inter personas praefatas et alios regularis vitae professores ortae sunt, et oriri possunt, occurritur, libenter intendimus; et his quae propterea provide decreta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiicimus firmitatem.

Congregatio episcoporum et regularium censuit in actibus publicis monachos Congregationis Fuliensis fratribus Mendicantibus praeferendos esse.

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Ioannis a Sancto Nicolao procuratoris generalis Congregationis Beatae Mariae Fuliensis, Cisterciensis Ordinis, petitio continebat, quod alias Congregatio venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super negociis episcoporum et regularium deputatorum ab litibus et controversiis, quae tunc ortae erant, et oriri poterant in futurum, inter monachos et fratres dictae congregationis Fuliensis huiusmodi ex una, ac fratres Ordinum Mendicantium partibus ex altera, ratione praecedentiae in processionibus, et aliis actibus publicis, salubriter obviandum et occurrendum; re diligenter et mature discussa, fratres dictae Congregationis, uti monachos, praeferendos esse ac praeferri debere fratribus Mendicantibus, primumque et digniorem locum in functionibus et actibus publicis iure obtinere; nec monachos dictae Congregationis a fratribus Ordinum Mendicantium huiusmodi in hoc molestari posse, neque debere censuit et ordinavit, prout in ipso

decreto et scripturis desuper confectis plenius continetur.

Sed hoc decretum non servabatur in civitate Burdegalensi.

§ 2. Et licet decretum huiusmodi ubique inviolabiliter ab omnibus observari, nec illi in aliquo contraveniri deberet; nihilominus dilecti filii fratres dicti Ordinis Mendicantium civitatis Burdegalensis illud non aliter observantes, dilectos filios monachos monasterii dictae Congregationis in dicta civitate existentis, litibus et controversiis, causa et occasione praecedentiae huiusmodi involvere, ipsamque praecedentiam sibi attribuere et arrogare non desistunt in non leve praeiudicium monachorum Congregationis huiusmodi. Quare pro parte Ioannis procuratoris generalis huiusmodi, ne amplius monachos dictae Congregationis super eadem praecedentia ab ipsis fratribus Mendicantibus, vano praetextu contingat impediri; et ab litibus et controversiis huiusmodi, iam de praesenti ortis, et in futurum verisimiliter orituris, mature obviandum, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus tranquillitati monachorum dictae Congregationis Fuliensis consulere, ac alias in praemissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur.

Clemens dictum decretum approbat,

§ 3. Nos igitur, qui fideles quoslibet pacis et quietis amoenitate perfrui summopere peroptamus, eumdem Ioannem procuratorem generalem, simulque dictam Congregationem Fuliensem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsumque Ioannem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; necnon litis et causae, si quae desuper inter monachos Congregationis, et fratres Mendicantes huiusmodi ubilibet pendeat, statum et merita, aliorumque hic etiam forsan de necessitate exprimendorum, ac etiam decreti, scripturarum praedictarum, et inde sequutorum quorumcumque tenores etiam veriores praesentibus pro sufficienter expressis habentes; necnon causam ad nos avocantes, litemque huiusmodi penitus extinguentes, perpetuumque silentium desuper eisdem fratribus Mendicantibus imponentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, decretum et ordinationem praedicta, ac prout illa concernunt, omnia et singula in dictis scripturis contenta quaecumque, cum omnibus et singulis inde sequutis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus; ac illis perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; omnesque et singulos, tam iuris quam facti, ac solemnitatum, de iure, usu, vel consuetudine, aut alias quomodolibet requisitarum, vel necessariarum, ac quosvis alios, etiam quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint aut intervenisse dici vel censeri possit supplemus; ac decretum et ordinationem praedicta perpetuo valida et efficacia fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Et ubique servari praecipit.

§ 4. Necnon a dilectis filiis Ordinis Mendicantium huiusmodi superioribus et fratribus, nunc et pro tempore existentibus, ac quibusvis aliis, ad quos nunc quomodolibet spectat et spectare poterit in futurum, perpetuo, firmiter et inviolabiliter, ac ubique, praesertim in dicta civitate Burdegalensi, observari et adimpleri debere decernimus.

Excommunicationis poenam in contravenientes infligit.

§ 5. Et nihilominus pro potiori cautela, omnibus et singulis superioribus et fratribus quorumcumque Ordinum Mendi-

cantium praesentibus et futuris, praesertim vero dictae civitatis Burdegalensis, in virtute sanctae obedientiae, ac sub excommunicationis latae sententiae poena, per contravenientes eo ipso, absque alia declaratione, incurrenda, a qua non nisi per Romanum Pontificem tantum pro tempore existentem, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, ne dictam Congregationem Fuliensem, ac illius monachos, nunc et pro tempore existentes, super praemissis aut eorum aliquo, molestare, inquietare, aut quoquo modo impedire praesumant seu audeant, districtius inhibemus.

Clausulas praeservativas apponit.

§ 6. Decernentes praesentes litteras, sub quibusvis suspensionibus, vel derogationibus, etiam a Sede Apostolica vel eius legatis, et alias quomodolibet emanatis et emanandis comprehendi non posse, et quoties eas revocari, suspendi, aut eis in aliquo derogari, seu contra illas aliquid concedi contigerit, toties in pristinum et validissimum statum restitutas esse et censeri. Et sic per quoscumque iudices et locorum Ordinarios, aliosque commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ac causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac ex nunc irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, eisdem auctoritate et tenore, decernimus.

Exequutores deputat.

§ 7. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Burdegalensi, et episcopo Vasanensi, seu eorum officialibus, et dilecto filio curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ioannis procuratoris generalis, ac monachorum Congregationis Fuliensis huiusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra Ioannem procuratorem ac monachos praedictos, et eorum singulos, confirmatione, approbatione, adiectione, suppletione, inhibitione, decreto, ac omnibus praemissis, nostrisque praesentibus litteris huiusmodi pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos, vel eorum aliquem desuper per quoscumque, quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebite molestari. Contradictores, molestatores quoslibet, ac inobedientes et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo; necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas praedictas, etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesiasticum imponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Omnibus contrariis derogat.

§ 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali de duabus diaetis edita, dummodo aliquis auctoritate praesentium ultra tres diaetas ad iudicium non trahatur, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon dictorum Congregationis et Ordinis fratrum Mendicantium, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis Ordini Mendicantium huiusmodi, ac illius superioribus, fratribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacio-

ribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis quomodolibet, etiam motu proprio, etiam consistorialiter concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si eisdem superioribus et fratribus Mendicantibus huiusmodi, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die nona februarii, millesimo quingentesimo nonagesimo nono, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 9 februarii 1599, pontif. an. VIII.

CXCVII.

Iubilaeum pro christifidelibus in regnis, provinciis, dominiis et locis Philippo III, Hispaniarum regi, subiectis ad implorandum divinum auxilium pro iusto felicique dictorum dominiorum regimine[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Clemens Papa VIII.

Universis christifidelibus in regnis, provinciis, dominiis et locis charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, nec non etiam in provinciis Belgii existentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*[1]: sed profecto inter praeclara divinae benignitatis munera iure optimo est numerandus rex bonus a Deo populo datus. Etenim pii et catholici reges et principes, qui Sanctam Romanam Ecclesiam, suam et omnium fidelium matrem ac magistram, pie venerantur, eique in spiritu charitatis et obedientiae adhaerent, quique sancto Dei timore sunt praediti, et iustitiam diligunt, ii nimirum Ecclesiae Dei et christianae reipublicae magnas et multiplices afferunt utilitates. Sunt enim verae fidei propagatores, haeresum oppugnatores, Ecclesiarum defensores et amplificatores, publicae pacis et tranquillitatis conservatores, et denique propugnatores sunt populi christiani adversus infideles et barbaras nationes. Quamobrem merito sanctus Paulus Apostolus admonebat, ut fierent in Ecclesia obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam vitam agamus in omni pietate et castitate.

Philippus III, filium se Romanae Ecclesiae declarans, ope divina adiuvari in sui regni gubernio petit.

§ 1. Cum ergo his proximis superioribus mensibus princeps clarae memoriae Philippus secundus rex catholicus, sicut Deo placuit, ex hac aerumnosa vita emigrasset, grave vulnus res christiana publica acceperat; rex siquidem potentissimus, singulari prudentia, summo rerum usu, excellenti pietate et zelo praeditus, magnaque apud omnes auctoritate praestans non tam sibi immaturo, quam

1 Iacob. I, 17. (R. T.).

nobis, et eidem christianae reipublicae alieno tempore ereptus fuerat, cuius mortis et publicae iacturae causa cum ex nostro pastoralis officii munere gravius commoveremur, magnopere recreati sumus litteris charissimi in Christo filii nostri Philippi III Hispaniarum regis catholici eius filii, quas illo ipse die, quo rex pater obierat, ad nos dedit. Multa siquidem cum significatione pietatis et devotionis erga nos, et erga hanc Sanctam Apostolicam Sedem, in qua, Deo auctore, meritis licet imparibus, praesidemus; se enim uti obedientem filium nobiscum, et cum eadem Apostolica Sede coniunctissimum esse velle pollicebatur, nihilque apud se antiquius fore, quam causam Dei et catholicae religionis. Quare in magnam spem erecti sumus, Deoque gratias egimus, quod tanto regi talem filium successorem dedisset, qui non regnorum tantum, sed paternae etiam pietatis voluntatisque se haeredem profiteretur: quam quidem spem et expectationem nostram idem rex et antea et nuper maxime confirmavit iis litteris, quas scripsit ad dilectum filium nobilem virum Antonium de Corduba et de Cardona ducem Suessae suum apud nos et hanc Sanctam Sedem oratorem. Narrat enim non minus pia quam gravi oratione, omnes suas curas et cogitationes in eo positas esse, ut eam gubernandi rationem instituat, quae Dei gloriae imprimis serviat, et populis sibi subiectis sit salutaris; se enim illud potissimum petere et optare, ut sibi eos regere liceat in omni iustitia, pace et tranquillitate, et eam viam inire, et ea media adhibere, quae ad hunc finem consequendum magis idonea atque accommodata videantur; scire se tamen, humana consilia et studia imbecilla plane esse, nisi coelestis gratiae ope fulciantur et roborentur, eamque multa cum humilitate, multaque cum efficacia a Deo expeti oportere; ob eam causam se duci mandare, ut nos adeat, atque a nobis tamquam a communi patre, suoque praecipue suppliciter petat, ut ei tamquam obedienti filio, paternum affectum exhibeamus, spiritualesque Ecclesiae thesauros benigna manu depromamus, quorum largitione christifideles invitemus, ut pias et ardentes pro eodem Philippo catholico rege preces ad Deum fundant, nimirum Iubilaeo christifidelibus publice indicto ob eam ipsam causam nominatim, quae est de impetrando divino auxilio, ut ab Eo, per quem reges regnant, et qui est princeps regum terrae, detur eidem Philippo regi spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, ut pie et iuste, et pacifice populos suos regat, et victoriam reportet de infidelibus et infensissimis nomini christiano hostibus: se enim eo animo esse, ut pro Dei gloria, fidei defensione, et Catholicae atque Apostolicae Ecclesiae exaltatione, regna, opes, copias et se ipsum impendere sit paratus eadem voluntate, devotione et affectu, aut etiam maiori, si fieri possit, quo pater, avus, maioresque sui fortissimi et catholici principes impenderunt.

Litterae regis Hispaniarum ad Pontificem et ad oratorem Romae residentem datae.

§ 2. Nos igitur, qui eumdem Philippum regem, uti filium nostrum charissimum, gerimus in corde intimo, et in visceribus Iesu Christi, agnoscentes, et plurimum in Domino commendantes hoc tam pium desiderium, catholico rege dignum, qui in ipso regni sui exordio, veluti alter Salamon, nequaquam a Deo dies multos, et vitae longitudinem, aut terrenas divitias petit, sed cor docile, et sapientiam postulat ad discernendum iudicium, ut iuste et recte, et ex praescripto legis Dei gubernet populum sibi creditum, populum multum nimis; cumque tam pia petitio non solum ad provincias et regna ipsi regi Philippo subiecta, sed etiam ad totius christianae reipublicae

Clemens in eius dominiis solemnes processiones et supplicationes indicit,

utilitatem pertineat, nihilque sit optabilius, aut salutarius, quam ut reges intelligant, et erudiantur, et Deo serviant in timore, qui pacem, et veram concordiam regibus et principibus christianis donare, et perpetuo conservare dignetur, ob eas causas eiusdem Philippi regis catholici supplicationibus inclinati, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in regnis, provinciis, dominiis et locis eiusdem Philippi regis, necnon in provinciis Belgii existentibus, postquam praesentes nostrae litterae in singulis civitatibus et terris dictorum regnorum, provinciarum, dominiorum et locorum, nec non provinciarum Belgii publicatae fuerint, prima scilicet hebdomada immediate sequenti solemnes processiones et supplicationes ad ecclesiam seu ecclesias, ibidem per locorum Ordinarios seu eorum vicarios, aut de eorum mandato, et iis deficientibus, per eos qui curam exercent animarum, deputandam seu deputandas, diebus dictae hebdomadae per eos designandis, per praesentes indicimus, ad quas iidem locorum Ordinarii et alii praedicti, universo clero et populo comitantibus, supplices adeant, ipsasque processiones et supplicationes celebrent, Deumque patrem omnipotentem pro felici eiusdem Philippi gubernatione ac directione, et pro diuturna omnium illius ditionum pace et tranquillitate, nec non pro haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione humiliter deprecentur.

Aliaque pia opera, quae hic designat, fieri mandat;

§ 3. Ut vero a divina bonitate, atque clementia uberiores communis deprecationis fructus capiant, eos, per viscera misericordiae Dei nostri, hortamur atque obsecramus, ut dicta hebdomada, vel saltem altera sequenti, postquam praesentes litterae in eisdem locis, ut praefertur, publicatae fuerint, salutari poenitentiae sacramento se ad divinam in praemissis opem impetrandam praeparent, dictam vero ecclesiam seu ecclesias, ut praefertur, deputandas, quocumque die vel quibuscumque diebus dictae primae vel sequentis hebdomadae, saltem semel, devote visitent, et quarta, et sexta feria, et sabbato eiusdem hebdomadae vel sequentis ieiunent, ac praeterea pauperibus et indigentibus personis aut locis piis eleemosynas arbitrio suo erogent, atque intra hoc tempus, tam primae quam secundae hebdomadae, alicui presbytero ab Ordinario loci approbato peccata sua confiteantur, et dominica prima aut secunda, vel alio dictae prioris aut sequentis hebdomadae die, ut supra dictum est, sanctissimum Eucharistiae sacramentum devote suscipiant; regularibus vero personis utriusque sexus in claustris perpetuo degentibus, aut aliis in carcere existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui superius expressa, vel eorum aliqua facere et implere nequiverint, presbyter confessarius, quem elegerint, praedicta omnia et singula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutandi, vel in aliud proximum tamen tempus prorogandi, facultatem habeat.

Eaque facientibus plenariam in forma Iubilaei concedit indulgentiam.

§ 4. Quae omnia, ut praedicti christifideles eo libentius praestare studeant, quo uberius spiritualibus muneribus et gratiis se reficiendos esse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Deus nobis, licet indignis, contulit, thesauros Ecclesiae, quorum dispensatores Eius benignitate facti sumus, copiose aperientes, universis et singulis praedictis, qui praemissa modo et forma praescriptis fecerint et impleverint, plenariissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, veniam

et remissionem, sicut in anno Iubilaei visitantibus certas basilicas, intra et extra Urbem, concedi consuevit, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Facultatesque eligendi ab unoquoque confessarium tribuit.

§ 5. Nec non iisdem christifidelibus utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis, sive saecularibus, sive cuiusvis Ordinis et Congregationis, seu instituti regularibus indulgemus, ut sibi eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem quam cuiusvis Ordinis, vel instituti regularem ex approbatis ab Ordinariis locorum, ut praefertur, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris a iure vel ab homine quovis modo et causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam in casibus tam locorum Ordinariis, quam nobis, et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die *Coenae Domini* legi consuetis, atque alias etiam per quascumque nostras vel Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodolibet reservatis in foro tantum conscientiae, hac vice solum absolvere. Et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis dumtaxat exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentia salutari, ac aliis eius arbitrio iniungendis, possint et valeant.

Praesentium publicatio facienda.

§ 6. Mandantes propterea, et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo omnibus venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et aliis quibuscumque locorum Ordinariis, et aliis supradictis, ad quos pertinuerit, ut cum praesentium litterarum transumpta, aut exempla acceperint, illa statim per suas ecclesias, civitates, oppida, terras, loca, dioeceses publicent et promulgent, et publicari et promulgari faciant, cleroque et populo sibi subiecto solemnes processiones et supplicationes pariter indicant et celebrent.

Exceptiones.

§ 7. Per praesentes autem non intendimus super aliqua irregularitate publica vel occulta, nota, defectu, incapacitate, aut inhabilitate, quoquo modo contracta, aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi, aut in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque et iis praesentes nostras litteras ullo modo suffragari posse et debere, qui ab aliquo iudice excommunicati, suspensi vel interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus celebrationis huiusmodi Iubilaei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint. Praesentibus usque ad annum Iubilaei exclusive dumtaxat valituris.

Obstantium derogatio.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus absolvendi facultas in certis tunc expressis casibus, ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatis, ut nec etiam similes vel dissimiles Iubilaei indulgentiarum, aut facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuique suffragare queant; necnon regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, quorumcumque Ordinum et Congregationum, sive institutorum regularium iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Ordinibus et Congregationibus, atque institutis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes men-

tio, aut expressio habenda, aut quaevis alia forma exquisita ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et forma in illis tradita penitus pro servata habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum praesentium dumtaxat derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 9. Volumus autem, ut praesentium transumptis, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI februarii MDXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 26 februarii 1599, pontif. an. VIII.

CXCVIII.

Admonetur Hispaniarum rex ut probos idoneosque viros ad episcopatus proponat, crebras episcoporum translationes non petat, et eorum opera extra eorumdem ecclesias non utatur, addita revocatione cuiuscumque dispensationis eis concessae non residendi, etc. [1].

Clemens Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Collata a Deo Philippo regi beneficia ad eius memoriam revocat Clemens

Magna dona, Philippe rex catholice, magna in te collata sunt beneficia, ab Eo, qui dives est in misericordia, per quem reges regnant, qui solus est Dominus et princeps regum terrae. Et nos quidem de tuae maiestatis pietate et prudentia facile nobis persuademus, quod eadem tam multa et praeclara Dei munera crebro ad animum tuum revoces, tecumque attentius recogites, quid te facere oporteat, ut placeas Ei, qui te tot regnis et provinciis amplissimis praefecit, eumque te pio affectu cum sancto Propheta precari arbitramur verbis illis: *Domine, doce me facere voluntatem tuam* [1], quae certe omnis veri boni, et felicitatis, et status conservandi optima et tutissima est regula. Ille vero, qui humilibus dat gratiam, et in cuius manu corda regum praecipue sunt, si ambulaveris recte coram eo, si servieris illi in veritate, et gloriam eius quaesieris in corde perfecto, adiuvabit te potenti dextera sua, firmabit super te oculos suos, et custodiet te in omnibus viis tuis, et dabit tibi spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, ut iuste, et pie, et feliciter regas populum Dei.

Eumdem hortatur, sedulam adhibeat curam in seligendis iis, qui ad episcopatum sunt promovendi.

§ 2. Sed cum multis aliis in rebus optime, Deo iuvante, mereri potes de catholica religione, de christiana republica et de regnis tuis, tum in eo potissimum, si ex ea facultate, quae maioribus tuis et tibi attributa est, ex benignitate summorum Pontificum praedecessorum nostrorum, viros vitae integritate, prudentia et doctrina praestantes, zelo honoris Dei et salutis animarum incensos, omni denique ex parte idoneos nobis, et huic Sanctae Sedi, in qua immeriti praesidemus, proposueris et nominaveris, quos ecclesiis cathedralibus et metropolitanis nostra apostolica auctoritate praeficiamus. Neque vero existimamus necesse esse nos pluribus verbis maiestati tuae exponere, quam necessaria res sit, et quanti momenti bonorum episcoporum electio; hi sunt duces populorum ad aeternam salutem, hi sunt lux mundi et sal terrae, hi sunt lucernae positae supra sublime candelabrum, ut luceant omnibus, qui in domo Dei sunt, et nisi divinarum rerum cura, et quae ad religionem pertinent, recte per bonos episcopos disponantur, nullo modo possunt res humanae tuto consistere, sed magnam civilis etiam administrationis perturba-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

1 Ps. CXLII, 10. (R. T.).

tionem existere necesse est, quod nimis multa et veterum et nostrorum temporum exempla declarant. Hortamur igitur te, fili charissime, ut summam hac in re diligentiam adhibeas, omnique humano affectu abiecto, ut te facturum confidimus, ad solam Dei gloriam aspicias; multi enim periculi est in re tam gravi a via recta aberrare, et communicare peccatis alienis. Deinde a tua maiestate petimus etiam atque etiam, ne viros spurios et illegitimos, et non ex iusto matrimonio procreatos nobis proponas; id enim sacrorum canonum, et conciliorum decreta valde abhorrent; nihil enim in domum Dei, quam decet sanctitudo, inquinatum ingredi debet, multo minus is, qui caeteris praeest; nam qui continentiae magister constituitur, hunc paternae incontinentiae memoriam secum perpetuo circumferre nimis absurdum est. Egimus etiam ea de re cum clarae memoriae Philippo rege patre tuo, ne eiusmodi homines ad ecclesias nominaret, neve in eam nos necessitatem adduceret, ut eos reiiceremus, quod maiestati tuae nunc etiam significamus.

Ob causas quas hic summarie exponit.

Neve crebras eorum translationes petat,

§ 3. Et quoniam res Hispaniae non parum nobis notae sunt (nam bis in Hispania fuimus, diuque in ea versati multa animadvertimus, praesertim quae ad episcopos pertinent), non solum maiestatem tuam requirimus, ut viros ex legitimo matrimonio natos tantum proponas, quos ad nominationem tuam ecclesiis praeficiamus episcopos et pastores, sed illud quoque te efficaciter in Domino hortamur et rogamus, ne crebras a nobis episcoporum ab una ad ecclesiam aliam translationes petas, nisi iusta et imprimis gravi de causa; nam et si sacri canones non omnino id prohibent, veras tamen et non leves transferendi causas postulant, ut non ambitioni et avaritiae, sed maiori Dei gloriae, et populorum utilitati serviatur. Nunc autem quam frequens ea consuetudo in Hispania sit, ac nullo fere causarum pondere et delectu, quotidie videmus et ingemiscimus; ex hoc siquidem veluti fonte multa incommoda, quin potius detrimenta promanant. Etenim episcopi complures non vere et ex animo cum sua ecclesia spirituale matrimonium contrahunt, magna cum iniuria tanti sacramenti, sed tanquam falsi amatores simulate et ad tempus amant, ad ditioris et amplioris sponsae nuptias aspirantes. Itaque quasi paulo post discessuri, nec gregem suum ex toto corde amant, nec manum ad aratrum spiritualis culturae fortiter admovent; multa in specie tantum agunt, multa praetereunt ac negligunt, et denique mercenarii potius quam pastoris personam agunt, atque, ut multa praetermittamus ex ipsis ecclesiis, hoc est, ex earum aedificio et structura, et sartis tectis earumque ornamentis, et ecclesiastica suppellectile poterit maiestas tua caetera coniicere, atque aestimare; plurimae enim multa instauratione indigent, neque satis pro earum dignitate sunt ornatae et instructae, cum tamen Hispanienses ecclesiae fere omnes, quod nemo ignorat, divites sint et copiosae. Quid illis adhuc graviora, quae non sine multo doloris sensu commemorari possunt, nimirum, quod multi Hispaniarum episcopi ita vitam instituunt, ac si principes saeculi essent, non autem ministri Christi et dispensatores mysteriorum Eius? Itaque in ipsa familia, et in omni domestico apparatu, et externarum rerum splendore, saeculares principes videri volunt, ab iis vero quae propria episcoporum sunt, et in quibus non illa umbratilis, sed vera et solida episcopalis dignitas consistit, ab iis magnopere abhorrent. Hinc illa non minus luctuosa quam absurda, non missas ritu solemni celebrare, raro divinis officiis interesse, non salutari verbi Dei pabulo fidelem popu-

lum pascere, non sacramenta, quibus coelestis gratia continetur, ministrare, non sacros ordines conferre, et statis temporibus clericalis militiae delectum habere, et novos milites conscribere. Postremo ecclesias et dioeceses suas non visitare, neque agnoscere vultum pecoris sui, cum tamen nihil episcopali visitatione aut utilius sit, aut magis necessarium, sive ad catholicam religionem conservandam, sive ad Dei cultum augendum, sive ad cleri disciplinam confirmandam et populi devotionem excitandam; sed haec et caetera hoc de genere complura a multis Hispaniae episcopis, quasi eorum gravitate et persona minus digna, negliguntur, aut ad suffraganeos et vicarios reiiciuntur, quorum non sunt oves propriae. Ita leo rugiens et lupus rapax pretiosas animas rapit et devorat, et ager dominicus, qui diligenter excultus fructus vitae et salutis ederet uberrimos, spinis et vepribus horret, et vitia et peccata undique excrescunt. Haec dolenter enumeramus, quae non alieno relatu didicimus, sed ipsi olim in Hispania vidimus, de quibus etiam ad ipsos episcopos fratres nostros superioribus mensibus litteras dedimus zelo Dei, et pastoralis officii stimulis, et omnium ecclesiarum sollicitudine permoti. Magna igitur, fili charissime, cura et providentia adhibenda est in iis nominandis, qui in episcopatu, non inanem fallacis mundi gloriam, sed Iesum Christum quaerant, et hunc crucifixum, et animas ament ardentissime, easque Christo Domino lucrari studeant, pro quarum salute Agnus ipse innocens et immaculatus occisus est.

Neve eos ad aulam vocet, aut eorum opera, extra ecclesias, utatur nisi ob causas pergraves.

§ 4. Et quoniam episcoporum assidua commoratio et residentia in propriis ecclesiis, supra quam verbis ullis exprimi possit, necessaria est, hortamur maiestatem tuam et rogamus in Domino, ut quam rarissime, et non nisi ob causas pergraves archiepiscopos et episcopos ad aulam tuam regiam voces, aut in ea detineas, eorumve opera extra suas ecclesias utaris. Episcopus speculator est, in sua vigilia debet insistere; pastor est, oves tueri, et verbo atque exemplo pascere eum oportet; nimis periculosum est gubernatorem navem in tempestatibus deserere, et spiritualem medicum, aegrotis relictis, alio proficisci. Denique omnia nomina, quae in divinis litteris aut a sanctis Patribus de episcopis ad eorum officium exprimendum usurpantur, patris, magistri, sponsi, et caetera id genus episcopalis residentiae necessitatem indicant et declarant; ut interea hoc loco sacros canones silentio praetereamus, et conciliorum, Tridentini praesertim, gravissima decreta.

Revocat quascumque dispensationes super residentias hactenus concessas.

§ 5. Ergo ut praesules et pastores sui muneris officio in suis ecclesiis, ut par est, fungantur, neve ad excusationes excusandas aliquid praetexant quominus in suis ecclesiis resideant; nos, motu proprio, et ex certa scientia et matura deliberatione nostra, et de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas facultates et licentias quibusvis archiepiscopis et episcopis regnorum Hispaniarum, quantumvis generalis et aliorum inquisitorum haereticae pravitatis dictorum regnorum munere fungentibus, ac speciali nota dignis, in eorum metropolitanis et cathedralibus ecclesiis non residendi, et nihilominus interim earumdem ecclesiarum mensarum archiepiscopalium et episcopalium fructus, redditus et proventus integre percipiendi, ad breve seu longum tempus, quacumque de causa seu occasione, et ut praefertur, officii generalis aut alterius inquisitoris huiusmodi in eisdem Hispaniarum regnis, etiam motu simili, aut ad eiusdem clarae memoriae Philippi Hispaniarum regis catholici genitoris tui, seu ad maiestatis tuae instan-

tiam per nos, aut quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros respective concessas, attributas et confirmatas, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo revocamus, annullamus et abolemus, ac ex nunc deinceps nullius roboris vel momenti fore et esse, ac nemini eorum aliquo pacto suffragari posse, sed quemcumque dictorum archiepiscoporum et episcoporum a die, quo praesentis nostrae revocationis notitiam quovis modo habuerint, teneri statim, etiam dimissis supradictis officiis, et omni mora sublata, ad eorum ecclesias personaliter accedere, et apud illas cum effectu residere, alioquin poenas non residentium eo ipso, absque aliqua declaratione desuper facienda, incurrere, ac fructus suos facere non posse.

Clausulae.

§ 6. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus et declaramus. Hortamur autem in Domino maiestatem tuam ut praesentem nostram revocationem eisdem archiepiscopis et episcopis quamprimum notificari faciat, ne quisquam eorum ignorantiam allegare, et eo praetextu sese valeat excusare.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus praemissis licentiis et facultatibus illis et eorum cuilibet, ut praefertur, concessis, ac quatenus opus sit, regula nostra de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam officio sanctissimae inquisitionis in genere, aut cuicumque ex praedictis archiepiscopis et episcopis in specie, sub quibuscumque verborum formis et tenoribus, et cum quibusvis clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis ac irritantibus in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et ad verbum expressa mentio habenda esset, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVI februarii MDXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Die 26 februarii 1599, pontif. an. VIII.

CXCIX.

Civitati Ferrariensi conceditur ut apud Sedem Apostolicam oratorem habere et retinere possit, cui locus in capella et aliis actibus publicis pontificiis, ad instar aliorum oratorum, designatur[1].

Dilectis filiis iudici sapientum ac sapientibus et consiliariis civitatis nostrae Ferrariensis

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Paterna nostra erga vos ac civitatem nostram Ferrariensem, quos in visceribus gerimus charitatis, voluntas nos inducit, ut nullam vos cohonestandi, ac privilegiis et gratiis ornandi occasionem praetermittamus.

Concessio, de qua in rubrica.

§ 1. Motu igitur proprio, ac ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

deque apostolicae potestatis plenitudine, vobis, ut unum oratorem, a vobis iuxta formam alias per nos praescriptam eligendum, ad nos et Apostolicam Sedem mittere, et in Romana Curia retinere valeatis, qui orator apud nos et eamdem Sedem residere, et locum in capella nostra pontificia, ac in quibuscumque aliis actibus solemnibus, in quibus nos, et pro tempore existentes Romani Pontifices cum Curia nostra, et principum, ac aliarum civitatum oratoribus adesse solemus, per nos assignandum locum habere, ac quibuscumque honoribus, privilegiis, praerogativis et favoribus, quibus alii civitatum nobis et S. R. E. subiectarum oratores frui et gaudere solent et possunt, pari modo frui, et gaudere possit et debeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die I martii MDXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die prima martii 1599, pontif. an. VIII.

CC.

Confirmantur statuta Congregationis Montis Virginis Ordinis S. Benedicti, antiquis abrogatis [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Inter gravissimas curas, quibus assidue premimur, de statu quoque religiosorum feliciter dirigendo assidue cogitamus, et ea quae pro eorumdem religiosorum prospero regimine, mandato nostro, provide statuta sunt, ut perpetuo ac inviolate observentur, apostolicae firmitatis robore communimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Ex pluralitate statutorum confusio oriebatur in hac Congregatione.

§ 1. Alias siquidem, cum ex dilectorum filiorum visitatorum apostolicorum Congregationis Montis Virginis Ordinis S. Benedicti relatione accepissemus, quod licet alias mandato felicis recordationis Pii PP. V, praedecessoris nostri, quaedam statuta et constitutiones, seu ordinationes in praedicta congregatione Montis Virginis per illius religiosos perpetuo observandae, per tres S. R. E. cardinales ab ipso Pio praedecessore tunc deputatos editae, et per ipsum Pium praedecessorem motu proprio cum clausula sublata, et decreto irritanti confirmatae fuissent, prout in eiusdem Pii praedecessoris litteris, sub datum anno Incarnationis Dominicae MDLXVI, V kal. martii, pontificatus sui anno secundo, plenius continetur, ex quibus tamen statutis et ordinationibus postea per ipsummet Pium, nec non etiam per felicis memoriae Gregorium XIII et Sixtum V, etiam praedecessores nostros, multa sublata fuerunt, nihilominus ex multiplicitate et diversitate tam praedictorum, quam aliorum praedictae Congregationis statutorum seu constitutionum et ordinationum magna in praedicta Congregatione confusio generari videbatur, ac pro ipsius Congregationis et illius monachorum quiete, et monasticae disciplinae observantia, maxime expediebat novam statutorum huiusmodi normam ad praescriptum regulae S. Benedicti illis constitui.

Clemens, delectis a se viris, novam statutorum compilationem mandavit.

§ 2. Nos salubri dictae Congregationis directioni ac regimini pro nostra pastorali sollicitudine, quantum in Domino poteramus, prospicere cupientes, matura praehabita consideratione, nonnulla statuta et ordinationes ac declarationes, iuxta dictam regulam S. Benedicti, in eadem Congregatione per illius religiosos

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

perpetuo observandas, per venerabilem fratrem Bernardinum episcopum Aversanensem, praelatum visitationis nostrae apostolicae, ac Ioannem Leonardum visitatorem apostolicum praedictae Congregationis a nobis deputatum, de novo fieri, et cum dilecto filio Hieronymo Perusino dictae Congregationis abbati generali, nonnullisque aliis dictae Congregationis prioribus participari mandavimus.

Et in dicta Congregatione monastica iubet servari.

§ 3. Quare volentes ut huiusmodi nova statuta, constitutiones et declarationes, quae etiam per venerabiles fratres nostros Ptolomaeum episcopum Tusculanum cardinalem Comensem eiusdem Congregationis protectorem, ac S. R. E. cardinales super negotiis et consultationibus episcoporum et regularium deputatorum, iussu et mandato nostro, diligenter visae, examinatae et approbatae fuerunt, ab ipsis religiosis, ut in monasticae disciplinae observantia, ut decet, conformes existant, et de caetero certam regulae normam habentes, sub suavi religionis iugo gratum Altissimo famulatum exhibeant, perpetuo ac inviolate observentur, motu proprio, non ad ipsorum monachorum, aut aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, ac ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, caetera omnia antiqua ipsius Congregationis statuta, constitutiones et ordinationes, praesertim praedicta iussu Pii praedecessoris edita, et ab ipso Pio praedecessore confirmata, et ipsius Pii V praedecessoris litteras cum omnibus in eis contentis, quae omnia praesentibus pro expressis haberi volumus, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo abrogamus; ac praedicta nova statuta, constitutiones et declarationes iussu nostro editas, eadem auctoritate et tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac in praedicta Congregatione Montis Virginis ab illius generali ac aliis abbatibus, monachis et religiosis universis, prout quempiam eorum concernunt, perpetuo observari debere, statuimus et ordinamus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae praedictis generali, aliisque abbatibus, monachis et religiosis quibuscumque, nunc et pro tempore existentibus, ut nostra statuta, ordinationes et declarationes huiusmodi, caeteris antiquis per nos abrogatis praetermissis, deinceps in perpetuum observent, et observari curent et faciant.

Ea autem a Congregatione episcoporum et regularium examinata confirmat.

§ 4. Decernentes praesentes litteras de subreptionis, aut obreptionis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut quovis modo infringi, annullari, vel retractari nullatenus posse; sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 5. Quocirca venerabili fratri nostro Ptolomaeo episcopo Tusculanensi cardinali Comensi nuncupato, moderno et pro tempore existenti dictae Congregationis apud nos protectori, ut praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, per se vel alium solemniter publicari faciat, auctoritate nostra, et supradicta nova statuta, ordinationes et declarationes in praedicta Congregatione perpetuo inviolate observari; contradictores quoscumque, et praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Exequutor perpetuus eiusdem Congregationis protector designatur.

§ 6. Non obstantibus praedictis Pii V et aliis quibuscumque praedictae Congregationis statutis et ordinationibus, constitutionibus et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, nec non quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis praedicti Pii V, ac aliis litteris apostolicis eidem Congregationi, illiusque generali, et aliis abbatibus, monachis et religiosis, seu quibusvis aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Obstantia tollit.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VIII martii MDXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 8 martii 1599, pontif. an. VIII.

CCI.

Quod archiepiscopi et episcopi oleum Sanctum tradi curent fratribus Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, pro ministranda extrema unctione eiusdem Ordinis infirmis.

Clemens Papa VIII,

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis Ordinis fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo quod, licet regulares praedicti Ordinis consueverint recipere ab episcopis oleum sacrum pro ministranda infirmis regularibus eiusdem Ordinis extrema unctione, nihilominus nonnulli episcopi suffraganei oleum sacrum huiusmodi praedictis religiosis tradere recusant. Quare nobis humiliter supplicari fecit praedictus procurator generalis, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Petitio Ordinis Carmelitarum.

§ 1. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super consultationibus et negociis episcoporum et regularium praepositorum sententia, fraternitatibus vestris per praesentes committimus et mandamus, ut praedictis Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo ubivis existentibus regularibus, quandocumque sacrum oleum pro ministranda eiusdem Ordinis respective regularibus infirmis extrema unctione petierint, illud vos in vestra dioecesi prompte ac liberaliter exhiberi faciatis, ac quoscumque suffraganeos vestros, ut similiter in sua quisque dioecesi ipsis regularibus oleum sacrum tradi curent et faciant, auctoritate etiam nostra, moneatis. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Papae provisio de qua in rubrica.

§ 2. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Transumptorum fides.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesima quarta martii, millesimo quingentesimo nonagesimo nono, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 24 martii 1599, pontif. an. VIII.

CCII.

Facultas episcopo Gebennensi supprimendi unionem factam a Gregorio XIII quorumdam beneficiorum militiae Ss. Mauritii et Lazari, ac erigendi novas parochias in balliagiis de Ternier *et* Chablais [1].

Venerabili fratri Claudio episcopo Gebennensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Gregorius XIII beneficia existentia in balliagiis hic recensitis militiae Ss. Mauritii et Lazari univit, usque dum in eisdem balliagiis fides catholica stabiliretur et parochiae erigi possent.

Alias, sicut accepimus, felicis recordationis Gregorio Papae XIII, praedecessori nostro, pro parte bonae memoriae Emmanuelis Philiberti Sabaudiae ducis exposito, quod cum dictus Emmanuel Philibertus quaedam balliagia, videlicet *Ternier*, *Chablais*, et *Gex* sub ditione eius temporali existentia a Bernensibus recuperasset, et ad pristinam temporalem iurisdictionem suam revocasset, licet illorum populorum pravis opinionibus et inveterata haereticae perfidiae malitia obduratas mentes, serius quam ipse Gregorius praedecessor optabat, sanare posse vereretur, eiusdem tamen ducis, et publicae ecclesiae catholicae nomine valde laetatus, conducibile fore existimabat, ut religiosa loca ipsorum balliagiorum prophanata, quae in pristinos usus et officia restitui non poterant, militiae sanctorum Mauritii et Lazari, cuius ipse dux magnus magister existebat, aliquo modo inservirent. Itaque eidem Gregorio supplicato quatenus praedicta beneficia, et alia pia loca dictorum balliagiorum, et seu in illis consistentibus dictae militiae unire et incorporare dignaretur; idem Gregorius supplicationibus huiusmodi inclinatus, omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura saecularia, et quorumvis Ordinum regularia, in balliagiis praedictis consistentia, etiamsi saecularia, canonicatus et praebendae, dignitates etiam principales, personatus, administrationes, monachales et canonicales portiones, et officia etiam curata, claustralia et electiva, hospitalia, leprosariae et xenodochia essent, et alia quaecumque loca religiosa, eorumque membra, grangias, possessiones et praedia, in quibus nullus ecclesiasticus cultus saecularis vel regularis, seu hospitalitas exercebatur, nec tunc, saltem quoad parochiales ecclesias, et alia beneficia ecclesiastica curata, restitui poterat, quaeque nulli canonico collata, aut commendata, seu commissa, nec in ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium et aliorum piorum locorum tunc vigentium, extra balliagia praedicta consistentia, commodum et favorem unita, aut suppressa essent, nec ab ecclesiis, monasteriis, capitulis, conventibus, beneficiis, hospitalibus extra illa consistentibus veluti unita dependerent, aut ea uti membra pertinerent, quae omnia salva et illaesa idem Gregorius manere voluerat, nomine, titulo, donatione, ordine, statu et essentia etiam regulari in illis singulis, prout fuerant, perpetuo suppressis et extinctis, cum suis ecclesiis, domibus, bonis, iurisdictionibus, iuribus, fructibus, censibus, pertinentiis, et actionibus omnibus et quibuscumque, ut ad christianae fidei propagationem, aliaque ratione inservirent, militiae praedictae perpetuo univit, annexuit et incorporavit, praedictamque unionem, annexionem et incorporationem ad ecclesias, monasteria, prioratus, dignitates, beneficia, officia, hospitalia et loca saecularia et regularia, in quibus cultus ecclesiasticus saecularis vel regularis, aut hospitalitas sine magno praedictorum, atque Sabaudiae status periculo et perturbatione restitui non pote-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

rat, eadem auctoritate extendit et ampliavit, ita tamen, quod cum primum eorumdem balliagiorum et locorum recuperatorum homines veritatis lumen, commiserante Domino, recepissent, in quacumque ipsorum parte contingeret, parochiales ecclesiae, et alia ecclesiastica loca ad exercitium curae animarum idonea ab Ordinariis locorum, quibus illa suberant, cum dote non minori quinquaginta ducatorum annuatim de proprietatibus bonorum praedictorum, ad iustum competentem numerum instituerentur, illisque ab eisdem Ordinariis, de rectoribus et pastoribus idoneis, iuxta Concilii Tridentini dispositionem, et alias canonicas sanctiones provideretur, et alias, prout in litteris apostolicis in forma brevis sub annulo Piscatoris, sub datum videlicet XIII mensis iunii MDLXXIX, pontificatus sui anno octavo, quarum tenores pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Necessitas inducitur novas erigendi parochias et nonnulla saecularia vel regularia pia loca instituendi.

Conversis nunc hominibus ducatum ex dictis balliagiis ad fidem catholicam,

§ 2. Cum autem, sicut nuper accepimus, dilectus filius nobilis vir Carolus Emmanuel modernus Sabaudiae dux procuraverit, necnon fraternitatis tuae, et multorum insignium virorum doctorum verbi Dei praedicatorum ad praedictorum balliagiorum partes abs te missorum concionibus adhibitis, factum fuerit, ut tandem, mensibus retroactis, homines pene omnes duorum ex dictis balliagiis, nempe de *Ternier* et *Chablais*, quae in ista tua dioecesi consistunt, ab haereticorum faucibus sint erepti, qui quidem, licet eorum corda hactenus valde indurata remansissent, tamen praedictis praedicatorum insignibus praedicationibus mollificata, ad orthodoxae fidei lumen et veritatem reversa, et eorum anteactae vitae abiuratione et detestatione per eos, et eorum singulos in tuis manibus, et in dicti Caroli Emmanuelis ducis, illiusque status virorum nobilium praesentia et assistentia prius facta, in ecclesiae catholicae et apostolicae gremium recepti et aggregati, Deo auctore, extiterunt: et cum non sufficiat tot animas Dei ecclesiae acquisivisse, si modus illas retinendi, ac ita manutenendi non reperiatur, ac factum vix dici queat, quod non durat factum; et si praedicta unio, annexio et incorporatio, quoad parochiales ecclesias, attento quod conditio in illa, seu litteris desuper expeditis apposita per dictorum populorum ad catholicam fidem et ecclesiae unitatem reversionem purificata extitit, dissolvatur, et rectores in parochialibus ecclesiis praedictorum balliagiorum, quae numerum quadraginta quinque vel circa ascendunt, qui in catholica fide in illis locis, et personis conservanda et confirmanda, aliisque adhuc haeretica pravitate labefactatis ad eamdem catholicam fidem revocandis insistant, constituantur, ex hoc profecto catholicae fidei propagationi, et manutentioni valde prospiceretur. Sed quia ipsis rectoribus sic deputandis, ut illorum muneri sedulo, et absque alia rei familiaris distractione, satisfaciant, congrua sustentatio assignanda esset, et si ipsi rectores a praedictae militiae militibus sustentandi, aut portio quinquaginta ducatorum, ut praefertur, eis per ipsos milites assignanda veniret, illi procul dubio in eo, quod eorum victui necessarium foret, seu praedictorum quinquaginta ducatorum exactione ab eisdem militibus procuranda, plus temporis, quam in eorum muneris et officii exercitio, impenderent, si unio per Gregorium praedecessorem dictae militiae, ut praefertur, facta, in totum perpetuo dissolveretur, ac revocaretur et annullaretur, ipsorumque beneficiorum unitorum huiusmodi fructus in praedictarum parochialium et aliarum ecclesiarum utilitatem et reparationem earumdem parochialium, rectorum congruam sustentationem, arbitrio tuo, nec non trium

aut plurium insignium saecularium, vel cuiusvis Ordinis regularium verbi Dei praedicatorum et concionatorum in eisdem balliagiis manutentionem converterentur, ex hoc profecto ipsorum conversorum in Christi fide perseverationi, earumdemque animarum saluti, divinique cultus incremento et manutentioni, utplurimum consuleretur, et annuente Domino, aliud balliagium de *Gex* ad eamdem conversionem, ex continuo vicinorum ita piorum operum exercitio, magis ac magis in dies invitaretur; propterea nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Clemens Gebennensi episcopo facultatem tribuit praedictam unionem supprimendi;

§ 3. Nos igitur, qui catholicae fidei propagationem, quantum cum Domino possumus, procurare non desistimus, litterarum dicti Gregorii praedecessoris tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae unionem, annexionem et incorporationem, extinctionem, ampliationem et decretum in praedictis Gregorii praedecessoris litteris contenta, de praedicti Caroli Emmanuelis ducis consensu, apostolica auctoritate, perpetuo dissolvendi, dismembrandi, revocandi et annullandi, ac parochiales ecclesias supradictas restituendi, seu de novo erigendi et instituendi, ipsorumque beneficiorum fructus, redditus et proventus praedictarum ecclesiarum rectoribus, illarumque reparationibus, necnon octo presbyterorum saecularium, qui in ecclesia parochiali oppidi de *Thonon*, quod insigne est, divinis officiis et servitiis, sacramentorumque administrationi insistant, et trium ad minus magis eruditorum, et tam saecularium quam cuiusvis Ordinis regularium, arbitrio tuo eligendorum, verbi Dei praedicatorum in eisdem balliagiis manutenendorum sustentationi et alimentis etiam perpetuo applicandi et

Parochias de novo erigendi, sive beneficia eis uniendi et parochos eligendi,

appropriandi, postquam milites, seu eorum magnum magistrum pro tempore existentem ex praedictorum beneficiorum tunc, ut praefertur, unitorum fructibus, redditibus et proventibus, generaliter, aut particulariter ab ipsarum ecclesiarum rectoribus, aut monasteriorum abbatibus, aut prioratuum prioribus, seu aliis quibuscumque nil unquam petere aut praetendere, seu litem desuper, et causam quomodolibet, et quovis praetextu aut colore, movere ullatenus posse, decernendi, sed perpetuum illis desuper silentium imponendi, tibique de illis ad effectum praemissum libere, et omnino disponendi in omnibus et per omnia, perinde ac si eadem unio, annexio et incorporatio eis seu eorum militiae facta non fuisset, et plena eorumdem beneficiorum dispositio ad te spectaret, hac vice dumtaxat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur. Et nihilominus, ut in ipsis parochialibus ecclesiis, aliisque beneficiis huiusmodi, ut necessarium est, idonei rectores et pastores vigiles deputentur, qui ad gravem ipsarum de novo conversarum animarum curam exercendam strenue invigilent, tibique de eisdem parochialibus ecclesiis, necnon etiam perpetuis capellaniis, seu ecclesiis, aut capellis, et aliis beneficiis huiusmodi, etiamsi de iurepatronatus quorumvis, tam laicorum et nobilium quam quorumvis aliorum, ex fundatione seu dotatione existant, quomodocumque per haeresim, devolutionem, aut alias quomodocumque vacantibus, pro hac vice, in favorem personae seu personarum tibi benevisarum, habilium et idonearum disponendi, et de illis providendi, necnon eos, qui hactenus de dictis parochialibus ecclesiis provisi fuerunt, quatenus ad curam animarum exercendam idonei non reperiantur, summarie, de plano, sine strepitu et figura iudi-

Aliqua opportune ad rem faciendi.

cii, iisdem ecclesiis privandi, ipsorumque parochiales ecclesias aliis magis idoneis conferendi, necnon, attenta sacerdotum penuria, cum ecclesiae Gebennensis canonicis ad animarum curam exercendam idoneis, ut simul cum eorum canonicatibus et praebendis quisque eorum unam ex parochialibus ecclesiis dictae dioecesis, dummodo utrique commode intervenire valeant, ad eorum vitam, seu ad tempus tibi benevisum, obtinere valeant, eadem auctoritate dispensandi. Praeterea tibi rectoribus earumdem aut aliarum parochialium ecclesiarum tuae dioecesis congruam portionem super decimis et primitiis, quae in eorum parochiis percipiuntur ab abbatibus et prioribus, etiam extra visitationem, omni oppositione et appellatione remotis, assignandi, necnon alios aliarum parochialium ecclesiarum dictae dioecesis rectores magis habiles et idoneos, ad id tamen voluntarios, ad annum, seu aliud tempus tibi benevisum, non tamen ultra biennium, qui curam ipsarum animarum gerant, de eorum propriis ecclesiis relictis, seu iis vicariis ad curam exercendam idoneis et approbatis (ita quod rectores ad aliam residentiam in dictis eorum ecclesiis ad annum, seu alio tempore durante, faciendam minime teneantur) amovendi, et ad dictas ecclesias praedictorum balliagiorum per praedictum tempus, attenta sacerdotum ad hoc habilium et sufficientium penuria in illis partibus vigente, transferendi, licentiam pariter concedimus et indulgemus.

Derogat contrariis.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac regulis nostris de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac de exprimendo vero valore, et generalis ac Lateranensis etiam novissime celebrati Concilii, uniones, annexiones et incorporationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac quibusvis aliis apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIV martii MDXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 24 martii 1599, pont. an. VIII.

CCIII [1]

Erectio domus Albergamentum nuncupatae omnium scientiarum ac artium in oppido Thunonii, Gebennensis dioecesis, cum privilegiorum et indulgentiarum concessione [2].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

Redemptoris et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui ut miseros mortales in profunda errorum caligine demersos ad lumen veritatis attolleret, ac tamquam oves deperditas, ad beatorum gregem reduceret, ad haec infima descendere, et mortale corpus induere dignatus est, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices curas, quibus ex pastoralis officii munere assidue premimur, illa nos potissimum urget, ut ad ea, quae pro militantis ecclesiae agro fructuose colendo, ac vepribus et zizaniis expurgando, salutarisque disciplinae sementis instaurando, et a noxiis praeservando maxime profutura noscuntur, omni, qua possumus, ratione, ac diligentia intendamus, et sicut humani generis antiqui hostis malitia ad destructionem semper inhiat, ita reparationem nostra sedulo operetur industria.

1 Haec constitutio in editione Mainardi reperitur in *Appendice* ad Clementis VIII pontificatum, sub numero CCCLXXII. (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

§ 1. Accepimus siquidem, summo cum animi nostri gaudio, quod proxime lapsis mensibus non solum totius ducatus Chablasii, sed etiam balliagii de Ternier, quod civitati Gebennensi ita vicinum et annexum est, ut vix ab ea separari queat, incolae et habitatores a sexaginta tribus annis citra haereticae pravitatis sectatores, divina cooperante gratia et misericordia, ac Sancti Spiritus afflatu, tamquam e gravissimo, in quo tamdiu dormitaverant, peccati somno experrecti, ad catholicae seu apostolicae romanaeque fidei consortium et communionem, magno cum devotionis fervore, suarumque animarum consolatione, unanimiter convolarunt, pristinumque iam suum apertis oculis errorem agnoscentes, Dominumque in lacrymis collaudantes pseudo-prophetarum et ministrorum fallacias et mendacia toto ore cordeque detestantes, seque indissolubili obligationum nodo dilecto filio nobili viro Carolo Emmanueli Sabaudiae duci, qui tam praeclaro opere obeundo ultro incubuit, adstrictos agnoscunt, illorumque conversio huiusmodi maximum et foecundissimum haereticis cum in Germaniae tum in Galliae provinciis commorantibus fructum propterea attulit, quia plurimi ex eis dictam civitatem, illiusque falsos ministros tot personarum sibi adeo vicinarum conversioni resistere non potuisse videntes, ad similem conversionem quam facillime incitantur; imo et Gebennenses ipsi exinde commoti in suos seu potius daemonis ministros, dolosaque eorum dogmata murmurare inceperunt, et nonnulli ex eis catholicae religionis zelo accensi cum tota eorum familia de civitate praedicta, relictis omnibus, quibus ibi potiebantur, fortunis, se ad Tunonii dicti ducatus Chablasii oppidum insigne contulerunt: aliqui vero sub spe similis eorum ad Deum conversionis delitescentes, se eiusdem intentionis et propositi esse declararunt, ac fidem catholicam professuros et amplexuros affirmarunt, dummodo Gebennae pro dictis bonis omnibus suppetat illis unde (mediante tamen sua arte et industria) vivere queant, prout etiam aliquorum ministrorum praedictorum voluntas et intentio ipsam civitatem, ut praefertur, relinquendi per aliquos verbi Dei concionatores nuper explorata fuit. Unde nobis, tamquam gregis Dominici sollicito pastori, summae curae esse debet, personas hactenus conversas in ipsius fidei sinceritate et constantia tueri, necnon alias ad ovile dominicum aspirantes, et quae a dira humani hostis, cui inserviunt, formidine, redimi desiderant, in tam laudabili proposito confovere, reliquosque omnes, a Christi fide abiurantes, ad veri luminis splendorem agnoscendum incitare et provocare.

Quamplurimi Gebennenses eisque finitimi catholicam fidem fuerunt amplexi.

§ 2. Sed eo Satanae ministrorum malignitas pervenit, ut diurnas nocturnasque insidias tanto pio operi struere et parare, eidemque omne impedimentorum genus opponere neutiquam desinat. Cum enim civitas praedicta ex vicinorum praecipue catholicorum ad eam concursu, infinitis potiatur commoditatibus temporalibus, ut vicini ipsi in emendo, seu vendendo vix eius commercio carere queant (quandoquidem res venales vix alibi recuperari possunt, quam in civitate praedicta, vel quae ab ea parum distat, et alterum haereticorum receptaculum extstit in civitate Lausanensi), quo fit, ut iidem populi, et illi maxime qui in catholica religione sunt recentes, cum huiusmodi commoditatibus indigeant, et aliorum quam ipsorum haereticorum auxiliis iuvari non possint, ab iisdem haereticis de christiana fide reliquenda, et ad falsa eorum sectae dogmata redeundo quotidie tentantur et incitantur; alii vero circumvicini, qui numerum centum mil-

Multa tamen obstabant, ne reliqui converterentur ad bonam frugem.

lium personarum excedunt, si artem aliquam mecanicam ediscere, vel alicuius servitiis insistere cupiant, ad civitates praedictas tamquam omnibus iis rebus affluentes confugere, ac adolescentes eorumdem populorum ac pueri pro scientiis et artibus capessendis eo mitti consueverunt. Quodque omnium illarum retium, quibus catholicorum corpus et animam venantes insequuntur, periculosius et damnabilius est, si quispiam salutis aeternae oblitus a fide praedicta recedens, ad dictam civitatem Gebennensem se contulerit, bona, uxor, aliaeque temporales commoditates ipsi suppeditantur, prout e converso, si quis ipsius civitatis Gebennensis incola eiusdem fidei lumen agnoscat, omnia eius bona civitati Gebennensi praedictae confiscantur, et exinde ingens eorumdem circumvicinorum populorum numerus prae annonae caritate, belliqueet aliis temporum calamitatibus, ad dictam civitatem Gebennensem confugerunt, ibique cum aliunde non habeant, quo vivant, adhuc de praesenti commorantur, qui tamen, ac alii innumeri in ea commoditatibus praedictis fruendi gratia tantum degentes, si illas alibi haberent, pie et catholice vivere pollicentur.

Cogitatum itaque scientiarum et artium universitatem in oppido Tunonii erigere,

§ 3. Et propterea si in dicto oppido Tunonii una domus *Albergamentum* nuncupanda (omnium scientiarum et artium sub invocatione Beatae Mariae Compassionis, seu Septem Dolorum, quae per unum praefectum, et septem presbyteros saeculares probatae et exemplaris vitae existentes, ac iuxta ritus et instituta dilectorum filiorum presbyterorum saecularium Congregationis Oratorii de Urbe regi et gubernari, et in qua tamquam publica omnium scientiarum et artium universitate, ad instar aliarum publicarum et famosarum universitatum, omnes scientias et artes praecipue theologiae scholasticae, controversiae, casus conscientiae, sanctorum Patrum traditiones, et Sacrae Scripturae publice doceri et legi, ac omnes e densis haeresis tenebris ad lucis splendorem accedentes recipi et educari, ac fidei catholicae praeceptis, omnibusque scientiis et artibus pro cuiusque ingenii acumine imbui, et instrui debeant, illique sic edocti et imbuti, iuxta cuiusque capacitatem et industriam, fructum eidem domui adferant, ex quo merces et alia venalia comparentur, et qui ad eas comparandas Gebennam petebant, pro maiori eorum commoditate, Tunonium, et ad dictam domum, rebus huiusmodi tunc circumfluentem se conferant, ac in eamdem societatem cuiusvis generis, sexus, conditionis et professionis personae, catholice tamen viventes, recipiantur, et in ea quisque suae artis aut scientiae talentum exerceat, variosque modos ad haereticorum conversionem excogitet) perpetuo erigeretur et instituetur, illique sic erectae, et institutae pro eiusdem domus illiusque alumnorum et habitatorum sustentatione et manutentione, tres prioratus conventuales, videlicet Sancti Iorii, quem Gregorius tituli Sancti Augustini presbyter cardinalis de Montelparo nuncupatus noster, et Nantuaci, quem Tyberius Mutus, ac Contamine locorum seu oppidorum Sancti Benedicti, seu alterius Ordinis Gebennensis praedictae, et Gratianopolitanensis seu alterius dioecesis, quem Philippus Butius Clerici, dilecti filii, ex concessione seu dispensatione apostolica in commendam ad eorum vitam obtinent, etiam perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur, ex hoc profecto ipsorum haereticorum conatibus et vesutiis obviaretur, ac illorum conversioni, necnon fidei propagationi, animarumque praedictarum saluti et securitati plurimum consuleretur; nec in dictis prioratibus divinus cultus minueretur.

Eique nonnullos prioratus unire.

§ 4. Nos igitur personarum, quae verum iter salutis agnoscunt, animarum saluti, fidei catholicae exaltationi, haeresumque evulsioni consulere, ac alias in praemissis opportune providere volentes: motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia et mera deliberatione nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, in dicto oppido Tunonii, et loco iam ad hoc per dictum Carolum Emmanuelem ducem concesso, ac per venerabilem fratrem nostrum Claudium episcopum Gebennensem benedicto, unam domum Albergamentum nuncupatam omnium scientiarum et artium sub dicta invocatione Beatae Mariae Compassionis, seu Septem Dolorum pro uno praefecto et septem presbyteris saecularibus vitam et instituta praedictorum presbyterorum dictae Congregationis observantibus, per quos ipsa domus, eiusque incolae et habitatores regi et gubernari, ac illorum bona administrari, necnon in eadem domo personae de novo ad Christi fidem conversae et reversae cuiuscumque gradus, status, ordinis, conditionis sint, recipi et educari, ac doctrina christiana, scientiis aliisque artibus et omnibus demum virtutibus ad Dei Optimi Maximi, Beatissimaeque eiusdem Matris honorem tendentibus, per lectores, magistros aliosque artium et scientiarum huiusmodi peritos inibi constituendos et deputandos, imbui, et iuxta eiusdem domus statuta etiam degere, ac in ea, tamquam publica omnium scientiarum universitas, scientiae praesertim supradictae, et omnes etiam artes doceri, et publice legi et instrui debeant cum omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, indultis, indulgentiis, concessionibus et gratiis ad instar aliarum publicarum, et praesertim nostrarum Bononiae et Perusiae, aliarumque Italiae universitatum, et prout illarum scholares, alumni, magistri, lectores, et alii habitatores quomodolibet fruuntur et gaudent, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo, sine alicuius praeiudicio, erigimus et instituimus.

Dictam universitatem erigit Clemens.

§ 5. Eidemque domui sic erectae et institutae prioratus praedictos, ex nunc prout ex tunc et e contra, cum primum illos per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem Gregorii cardinalis, ac Tyberii et Philippi praedictorum respective in Romana Curia, vel extra eam vacare, seu commendas ipsas cessare contigerit; ita quod liceat pro tempore existentibus praefecto et presbyteris praedictis eorumdem prioratuum et cuiuslibet eorum, postquam vacaverint, ut praefertur, corporalem, realem et actualem possessionem per se, vel alium, seu alios apprehendere, et perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, dislocare, ac in suos et prioratuum et domus huiusmodi, nec non alumnorum et habitatorum eiusdem domus utilitatem et usum convertere, dioecesani loci vel alterius cuiusvis licentia desuper minime requisita, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo unimus, annectimus et incorporamus; praedictamque domum cum illius annexis et dependentiis huiusmodi, nec non personis, et aliis eius alumnis et habitatoribus sub nostra et Sedis Apostolicae, necnon unius ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus per eumdem praefectum pro tempore eligendi, et pro hac vice sub dilecti filii nostri Caesaris tituli sanctorum Nerei, Achillei et Domitillae presbyteri cardinalis Baronii nuncupati, protectione et auspiciis suscipimus.

Ei supradictos unit prioratus.

§ 6. Eiusdem praefecto et praesbyteris, ut pro domus praedictae, illiusque

Praefectis domus facultatem

concedit statuta condendi.

personarum salubriori directione, quaecumque statuta et ordinationes, licita et honesta, sacrisque canonibus ac Concilii Tridentini decretis minime contraria, tam super receptione personarum ad dictam domum venientium et recipiendarum, quam divinorum inibi, et in annexis prioratibus huiusmodi celebratione, ac scientiarum artiumque liberalium et mechanicarum lectura, doctrina et institutione, et alias, prout eisdem praefecto et presbyteris benevisum, dictaeque domus regimini et administrationi magis consultum fuerit, iisdem prius dicto cardinali protectori ostensis et communicatis, condere, et condita, quoties opus fuerit, immutare, limitare et corrigere, ac secundum rerum et temporum qualitatem interpretari, et illorum loco alia statuta et ordinationes, quoties eis placuerit et visum fuerit, de novo edere et condere, ad quorum observationem singuli de dictae domus gremio existentes adstricti sint et esse censeantur, plenam et omnimodam auctoritatem, potestatem et facultatem, apostolica auctoritate et tenore similibus, concedimus et impertimur.

Franciscum de Sales praefectum deputat.

§ 7. Insuper dilectum filium Franciscum de Sales, praepositum Ecclesiae Gebennensis in dictae domus sic erectae praefectum pro hac prima vice, eisdem auctoritate et tenore, constituimus et deputamus.

Eam domum intrantibus nonnullas indulgentias largitur.

§ 8. Praeterea, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus dictam domum intrantibus, qui vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti eius ecclesiam singulis Beatae Mariae festivitatum diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi visitaverint, et inibi pro pace inter principes christianos conservanda, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, haeresumque extirpatione, pias ad Deum preces fuderint, quo dierum praedictorum id fecerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, auctoritate et tenore praedictis, misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Clausulae.

§ 9. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, seu quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, ad terminos iuris reduci, in ius, vel controversiam revocari, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi posse, sed illas perpetuo validas et efficaces existere, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per praefectum et presbyteros huiusmodi pro tempore eligenda concessas esse ac censeri; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere.

Exequutores designati.

§ 10. Quocirca venerabilibus fratribus nostris pro tempore existenti Gebennensi et Bellicensi ac Maurianensi episcopis per apostolica scripta, motu simili, mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte praefecti et presbyterorum praedictorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac eis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, praesentes litteras, et in eis con-

tenta huiusmodi plenum effectum sortiri, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; necnon praefectum et presbyteros praedictos illis pacifice frui et gaudere; non permittentes ipsos, aut eorum quempiam contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari: contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum,

§ 11. Non obstantibus nostra, quatenus opus sit, de unionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, nec non felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, qua cavetur expresse ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur: seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeant vel praesumant; et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon prioratuum et ordinum praedictorum, ac monasteriorum, a quibus prioratus ipsi forsan dependent, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illis, eorumque superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquid super provisionibus sibi faciendis de prioratibus huiusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis, vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum: quas quidem litteras et processus habitos per easdem, ac inde sequuta quaecumque, ad prioratus praedictos volumus non extendi, sed nullum per hoc eis (quoad assecutionem prioratuum vel beneficiorum aliorum) praeiudicium generari. Seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indultis; et litteris apostolicis generalibus vel speciali-

Etiam specialium litterarum apostolicarum.

bus, quorumcunque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, et de quibus quorumque tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Oneribus prioratuum satisfaciendum.

§ 12. Proviso, quod propter unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi prioratus praedicti debitis non fraudentur obsequiis, et in eis animarum cura, si qua illis immineat, nullatenus negligatur, neque monachorum et ministrorum numerus minuatur, sed prioratuum huiusmodi et conventuum eorumdem congrue supportentur onera consueta. Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae poenales.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, susceptionis, concessionis, impartitionis, constitutionis, deputationis, elargitionis, mandati, derogationis, voluntatis et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo nono, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die prima aprilis 1597, pontif. an. VIII.

CCIV [1]

Unio prioratus ac parochialis ecclesiae de Fenovillet, *Ordinis Sancti Benedicti, Carcassonensis et Tholosanensis dioecesum, Seminario Tholosanensi* [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ad exequendum pastoralis officii debitum paternis et sollicitis studiis vigilantes circa statum seminariorum ecclesiasticorum, in quibus adolescentes a teneris annis ad pietatem et religionem informantur, et ex quibus docti et strenui catholicae fidei defensores prodeunt, salubriter dirigendum libenter intendimus, ac illis, ut personae in eis degentes in suis necessitatibus releventur, de congrua dote per unionem beneficiorum ecclesiasticorum, ac alias providemus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cardinalis de Gioyosa seminarium Tholosanum erigit.

§ 1. Sane dilectus filius noster Franciscus tituli Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis de Gioyosa nuncupatus, qui ecclesiae Tholosanae, ex concessione et dispensatione apostolica, praeesse dignoscitur, nobis nuper exposuit, quod alias ipse provide considerans in civitate Tholosana seminarium ecclesiasticum, iuxta dispositionem sacrorum canonum, nondum erectum fuisse; his vero temporibus huiusmodi seminarium in praedicta civitate et illius dioecesi apprime necessarium esse, ideo pro suo pastorali officio in praedicta civitate unum seminarium ecclesiasticum, in quo pueri civitatis et dioecesis praedictarum recipi, et in liberalibus disciplinis, ac pietatis et virtutis studio informari deberent, tam sua ordinaria, quam sibi ab eisdem sacris canonibus ad id attributa et delegata auctoritate, perpetuo sub certis modo et forma tunc expressis, erexit et instituit, prout in scripturis seu documentis, desuper forsan confectis, plenius dicitur contineri.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio

1 In editione Romana haec habetur constitutio in *Appendice*, numero CCCLXXIII distincta. (R. T.)

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Eique beneficia, de quibus in rubrica, uniri petit.

subiungebat, dicto seminario aliqua dos, saltem pro onerum illi incumbentium supportatione sufficiens, nequaquam adhuc assignata fuerit; in civitate vero et dioecesi huiusmodi beneficia simplicia, quae eidem seminario uniri et incorporari commode possint, minusque ex fructibus, redditibus et proventibus ipsorum simplicium et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum in eisdem civitate et dioecesi consistentium, propter cleri inopiam, aliqua portio ad substentationem et manutentionem ipsius seminarii detrahi possit: si igitur prioratus de Fenovillet, Ordinis Sancti Benedicti, dictae dioecesis, qui cura et conventu caret, ac a monasterio de Frassa, alias de *la Crasse*, dicti Ordinis, Carcassonensis, quod dictus Franciscus cardinalis in commendam ad sui vitam, ex concessione et dispensatione similibus obtinet, dependere dignoscitur; necnon de Fenovillet huiusmodi, ac de Saisse eiusdem Tholosanensis dioecesis parochiales ecclesiae ex nunc, prout postquam illum et illas quovis modo vacare contigerit, dicto seminario per nos perpetuo unirentur et incorporarentur, ac in primodicta una, et in secundodicta parochialibus ecclesiis altera perpetuae vicariae pro totidem presbyteris saecularibus futuris inibi perpetuis vicariis (qui curam animarum parochianorum earumdem parochialium ecclesiarum exercere debeant) erigerentur et instituerentur, ac portio decimarum secundodictae parochialis ecclesiae, quae ad mensam archiepiscopalem praedictae ecclesiae Tholosanensis spectat, et per illius praesulem pro tempore existentem, aut eius agentes propria auctoritate percipi consuevit, ab ipsa mensa; nec non tot, ex quibus octuaginta a primodicta, et tot aliae proprietates et bona, ex quibus etiam octuaginta ducatos auri de Camera annuatim commode percipi possint a secundodicta parochialibus ecclesiis dismembrarentur et separarentur, et portio decimarum, quae ad valorem annuum quingentorum scutorum auri similis, vel circa ascendit, seminario; proprietates vero et bona dismembrata huiusmodi praedictis vicariis pro congrua illarum dote, et vicariorum huiusmodi substentatione distincte, ut infra, applicarentur et appropriarentur, hac ratione dicto seminario de congrua dote satis opportune provisum foret, et cura animarum praedicta nullatenus negligeretur, sed aeque diligenter et fructuose, vel etiam melius et utilius quam antea, exerceretur. Quare dictus Franciscus cardinalis asserens prioratus sexcentorum, et primodictae ducentorum, necnon, detracta portione decimarum praedictarum secundodictae parochialium ecclesiarum huiusmodi, et aliis forsan annexorum quingentorum ducatorum auri de Camera fructus, redditus et proventus, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedere, nobis humiliter supplicavit, quatenus praemissis annuere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Unit Clemens.

§ 3. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum aestimationem praedictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, necnon aliarum unionum eidem seminario hactenus forsan quomodolibet factarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, prioratum et parochiales ecclesias huiusmodi cum primum illum et illas per cessum, etiam permutationis causa, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem, seu

privationem, aut religionis ingressum, illum et illas ad praesens obtinentium, vel alias quovis modo, etiam apud Sedem Apostolicam, etiam in aliquo ex mensibus nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti, aut Sedi praedictae per quascumque constitutiones apostolicas, ac Cancellariae Apostolicae regulas nunc et pro tempore reservatis, aut ordinariis collatoribus per constitutiones et regulas huiusmodi, seu litteras alternativarum, aut alia privilegia et indulta concessis hactenus, et imposterum concedendis, simul vel successive vacare contigerit, etiamsi actu nunc quovis modo, quem etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore iuris clausa resultet, etiam praesentibus haberi volumus pro expresso, et ex quorumcumque personis, seu per liberas resignationes illum et illas ad praesens obtinentium, vel quorumvis aliorum de illis in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factas, aut parochiales ecclesiae huiusmodi per constitutionem felicis recordationis Ioannis XXII, praedecessoris nostri, quae incipit: *Execrabilis*, ac tam illae, quam prioratus huiusmodi per assequutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio, iuxta Lateranensis statuta Concilii, ad Sedem praedictam legitime devoluta, ac prioratus et parochiales ecclesiae huiusmodi dispositioni apostolicae specialiter, vel ex quavis causa generaliter reservati existant, et ad prioratum huiusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura iurisdictionalis dumtaxat immineat, super eo quoque, aut parochialibus ecclesiis huiusmodi inter aliquos lis (cuius statum etiam praesentibus haberi volumus pro expresso) pendeat indecisa, dicto seminario una cum eorum iuribus, annexis, membris et pertinentiis universis, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo unimus, annectimus et incorporamus.

In eisque duas vicarias erigit pro duobus presbyteris saecularibus.

§ 4. Ac ex nunc, prout ex tunc, et e contra, postquam unio huiusmodi effectum suum sortita fuerit, in primodicta unam, et in secundodicta parochialibus ecclesiis huiusmodi alteram perpetuas vicarias, de quibus tam a primaeva earum erectione et institutione, quam alias quocumque modo pro tempore vacantibus, in concursu provideri et disponi debeat pro duobus presbyteris saecularibus futuris inibi perpetuis vicariis, qui curam animarum praedictam (unusquisque eorum in sua ecclesia) exercere, ac omnia et singula parochialia onera rectoribus parochialium ecclesiarum huiusmodi ad praesens existentibus respective imminentia, et alia ad effectum parochi huiusmodi quomodolibet spectantia et pertinentia omnino subire et perferre teneantur, auctoritate et tenore praemissis, ibidem, etiam perpetuo, sine alicuius praeiudicio, erigimus et instituimus.

Fructus inter seminarium et vicarias dividit.

§ 5. Necnon ab eadem mensa dictam decimarum portionem, et a primodicta tot, ex quibus octuaginta, et secundodicta vero parochialibus ecclesiis tot aliae proprietates et bona stabilia, ex quibus etiam octuaginta ducati auri similes proventus annui commode, arbitrio et iudicio dicti Francisci cardinalis, percipi possint, etiam perpetuo dismembramus et separamus, illaque sic dismembrata et separata portionem decimarum videlicet seminario pro uberiori eius subventione, proprietates vero et bona huiusmodi vicariis praedictis pro congrua illarum dote, et vicariorum huiusmodi manutentione, onerumque illis incumbentium supportatione, distincte tamen et separatim, sicut unicuique ipsarum vicariarum illa bona cedere debeant, quae ab ipsa ec-

clesia, in qua erecta est, dismembrata fuerint, et quoad portionem quidem decimarum praedictam ex nunc; quoad caetera vero proprietates et bona huiusmodi, etiam ex nunc, prout postquam unio et erectio huiusmodi effectum suum sortitae fuerint, auctoritate et tenore similibus, etiam perpetuo applicamus et appropriamus. Ita quod liceat modernis et pro tempore existentibus ipsius seminarii rectoribus, seu administratoribus prioratus et parochialium ecclesiarum, ac portionis decimarum iuriumque, annexorum, membrorum, et pertinentiarum suorum, ac vicariis praedictis, etiam pro tempore existentibus bonorum et proprietatum dismembratorum et applicatorum huiusmodi corporalem, realem et actualem possessionem per se, vel alium, seu alios eorum, ac seminarii et vicariorum praedictorum nominibus propria auctoritate respective libere, etiam ex nunc, quoad ipsam decimarum portionem, apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta inde provenientia quaecumque, prout ad eos et eorum singulos spectaverit, percipere, exigere, levare, recuperare, arrendare et locare, ac rectoribus, seu administratoribus, videlicet, in dicti seminarii, vicariis vero praedictis, et cuilibet eorum in suos proprios usus et utilitatem respective convertere, dioecesanorum locorum vel quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita.

Clausulae pro harum litterarum firmitate.

§ 6. Decernentes praesentes litteras, etiam ex eo, quod moderni prioratus, et parochialium ecclesiarum huiusmodi possessores, aliique interesse praetendentes praemissis non consenserint, et ad illa vocati, et causae, propter quas praemissa fiant aut facta sint coram locorum Ordinariis, etiam tamquam a Sede praedicta delegatis, vel alias examinatae, verificatae et iustificatae non fuerint, seu alias ex quocumque alio capite seu causa, quantumvis legitima et iuridica, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, retractari, annullari vel invalidari, seu in ius aut controversiam vocari, sive adversus illas quodcumque iuris, gratiae, vel facti remedium impetrari nullatenus umquam posse, illasque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per nos, aut alios Romanos Pontifices, successores nostros, et Sedem praedictam sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, pro tempore factis minime comprehendi, vel confundi; sed illas, tamquam pro dotatione dicti seminarii ad religionis et piorum operum augmentum erecti concessas, ab illis semper excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per rectores, seu administratores dicti seminarii, nunc et pro tempore existentes, quandocumque eligenda concessas esse et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et vicelegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Quocirca dilectis filiis praeposito

Exequutores deputati.

et archidiacono maiori nuncupato Ecclesiae Tholosanensis ac officiali Tholosanensi per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte praedicti Francisci cardinalis, seu rectorum vel administratorum, seu vicariorum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, litteras praedictas et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, non permittentes eos, vel eorum aliquem per quoscumque, contra earumdem praesentium tenorem, quomodolibet indebite molestari: contradictores quoslibet per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas huiusmodi, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantia tollit.

§ 8. Non obstantibus voluntate nostra praedicta, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, et Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in provincialibus universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; necnon monasterii, et prioratus, ac ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illis et quibusvis eorum superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et alias in contrarium forsan quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac sí de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alia in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de prioratibus huiusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictae Sedis, vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, decretum, vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem litteras et processus habitos per easdem, et inde sequuta quaecumque ad prioratum et parochiales ecclesias huiusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem prioratuum vel beneficiorum aliorum praeiudicium generari: et quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

§ 9. Volumus autem quod propter u-

Prioratus et parochialium unitarum oneribus satisfieri praecipit.

nionem, annexionem, incorporationem et dismembrationem praedictas, prioratus et parochiales ecclesiae huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis, et animarum cura praedicta nullatenus negligatur, sed illarum et prioratus huiusmodi congrue supportentur onera consueta.

Clausulae poenales.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae unionis, annexionis, incorporationis, erectionis, institutionis, dismembrationis, separationis, applicationis, appropriationis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo nono, nonis maii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 maii 1599, pont. an. VIII.

CCV [1].

Hospitali Trecentorum Coecorum Parisiis a S. Ludovico Franciae rege erecto confirmantur privilegia omnia, et praesertim facultas quaestores instituendi pro colligendis eleemosynis, servata tamen forma a sacro Concilio Tridentino praescripta [2].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Salutis nostrae amator et auctor Dominus noster Iesus Chistus, qui adveniente temporis plenitudine, carnem nostrae mortalitatis in forma servi assumere dignatus est, ex omnibus christianae charitatis, misericordiae et pietatis officiis, pauperes suos verbis et operibus confovendos, evangelico praeconio commendat. Unde nos eius vices licet immeriti gerentes in terris, pro iniuncto nobis apostolicae sollicitudinis officio, ad ea per quae hospitalium, ac in eis degentium pauperum et miserabilium personarum, praesertim oculorum lumine orbatarum, congruae sustentationi consulitur, et necessitatibus providetur, propensis studiis intendentes, ea quae propterea ex Sedis Apostolicae benignitate, ac regum et aliorum principum munificentia liberaliter concessa et approbata reperiuntur, ut perpetuis futuris temporibus eo firmius illibata perdurent, quo saepius dictae Sedis fuerint auctoritate communita, etiam approbationis nostrae praesidio, prompta benevolentia consolidamus, ac desuper eiusdem officii nostri partes favorabiliter imponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

S. Ludovicus hospitale caecorum Parisiis erexit et apostolica auctoritate confirmari studuit.

§ 1. Sane charissimus in Christo filius noster Henricus Francorum rex christianissimus tam suo, quam dilectorum filiorum syndicorum, gubernatorum et administratorum hospitalis trecentorum pauperum coecorum Sancti Remigii Parisiensis nominibus nobis nuper exponi fecit, quod alias cum Sanctus Ludovicus eorumdem Francorum rex, tunc in humanis agens, magna militum et armigerorum multitudine comitatus ad partes infidelium, ut ab eorum manibus Terram Sanctam eriperet, se transtulisset, ipsique infideles trecentos ex ipsis militibus captivis oculos eruissent, eosque totaliter excoecassent, dictus Ludovicus rex in suum regnum Franciae reversus, ad praemissorum perpetuam memoriam in civitate Parisiensi hospitale praedictum fundavit et instituit, ac huiusmodi trecentis pauperibus coecis in eodem hospitali pro tempore degen-

1 Haec demum in supra dicta editione legere est in *Appendice*, sub n. CCCLXXIV. (R. T.).

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tibus signum lilii in pectore deferendi, nec non pro eorumdem vitae subsidiis per dictum regnum exquirendis nuncios et quaestores deputandi licentiam concessit; nec non archiepiscopis, episcopis, aliisque praelatis eiusdem regni, ut nuncios et quaestores huiusmodi admitterent, apostolica auctoritate, mandare obtinuit, ipsumque hospitale pluribus privilegiis, gratiis, immunitatibus et libertatibus per Sedem Apostolicam approbatis, insigniri curavit; sed morte praeventus, illud, prout decebat, dotare non potuit.

Sixtus IV pro eorum alimonia quaestum fieri permisit,

§ 2. Postmodum vero felicis recordationis Sixtus Papa IV, praedecessor noster, ad hoc ut pauperes in eodem Sancti Remigii, ac illi unitis Sancti Spiritus prope civitatem Rothomagensem, et Sancti Michaelis hospitalibus degentes, fidelium eleemosynis amplius adiuvaventur, magistris, administratoribus, servitoribus, ac aliis personis pro tempore existentibus, tam S. Remigii, quam illi unitorum hospitalium praedictorum, illorum fructus, redditus, proventus, eleemosynas, quaestuas et oblationes pro ipsis hospitalibus, eorumque servitoribus, pauperibus, et ministris elargiendas recipiendi, illasque secundum Deum, et eorum conscientiam in usus, et utilitatem eorumdem hospitalium convertendi, nec non in ecclesiis, monasteriis, et locis regni Franciae, ac illi adiacentium civitatum et oppidorum, ad quae dicti quaestores nomine hospitalium et pauperum praedictorum admitterentur, receptores, et capsas pro eleemosynis recipiendis et conservandis deputandi, ac circa ea, quae in utilitatem, commodum et conservationem hospitalium et pauperum praedictorum cederent, statuendi et ordinandi, nec non super eleemosynis colligendis, indulgentiisque, et gratiis dictis hospitalibus concessis publicandis et acquirendis cum locorum Ordinariis, prout utilitati et necessitatibus hospitalium et pauperum praedictorum expediens foret, conveniendi et concordandi facultatem etiam concessit.

Dictoque hospitali postea nonnulla concessa sunt privilegia.

§ 3. Ac tam dictus Sixtus, quam diversi alii Romani Pontifices praedecessores sui, et dictae Sedis legati, nec non Francorum reges, et aliae personae quamplurima alia privilegia, indulta, indulgentias, libertates, concessiones et gratias eisdem hospitalibus, communiter vel divisim, auctoritate praedicta, similiter concesserunt.

Quorum aliqua hic recensentur.

§ 4. Insuper piae memoriae Iulius Papa II, etiam praedecessor noster, tunc cardinalatus honore fungens, et episcopus Sabinensis, ac in partibus illis praedictae Sedis legatus sufficienti ad id, ut asserebat, per litteras dictae Sedis facultate suffultus, illius vigore inter alia confratribus, benefactoribus, servientibus et personis eorumdem hospitalium, et ad illa certis temporibus confluentibus, ut servitiorum, missarum, orationum et suffragiorum in ecclesiis, monasteriis, prioratibus et locis, infra limites suae legationis consistentibus, faciendorum et celebrandorum participes effici mererentur, eadem auctoritate etiam perpetuo concessit. Et deinde recolendae memoriae Alexander Papa VI, similiter praedecessor noster, inter alia voluit et declaravit, quod dictorum hospitalium magistri, administratores, nuntii, confratres, servitores, benefactores et personae utriusque sexus, eorumque parentes vivi et defuncti de missis, et aliis piis suffragiis totius ecclesiae militantis participes efficerentur, ipsique magistri, administratores, confratres, ac ab iis pro tempore deputati quaestores et receptores, bis in quolibet anno, in singulis ecclesiis aliisque locis dicti regni et provinciarum illi adiacentium capsas seu truncos, a primis vesperis diei praecedentis usque ad occasum solis diei sequentis, permanentes, in

quibus fidelium eleemosynae pro subventione pauperum, et aliis necessitatibus hospitalium praedictorum reponerentur et conservarentur, deputare possent. Quodque singuli ex magistris, administratoribus, confratribus, nunciis et servitoribus huiusmodi unam vel duas ecclesiam vel ecclesias illarum partium, in quibus constituti forent, visitandi, et in unaquaque ecclesia septies *Orationem Dominicam*, et toties *Salutationem Angelicam* devote dicendo, omnes et singulas indulgentias ac peccatorum remissiones consequerentur, et quilibet eorum consequi posset, quas consequerentur et consequi possent si quadragesimalibus et aliis anni temporibus, illas, quae pro stationibus deputatae existebant, ecclesias in Urbe et extra eam, personaliter visitarent. Quodque infirmi, senes, valetudinarii et alii impotentes, simili indulgentia potirentur, dicta auctoritate concessit et indulsit, districtius inhibendo universis, et singulis locorum Ordinariis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, capitulis, conventibus et aliis praelatis, et personis ecclesiasticis tam secularibus quacumque etiam dicta apostolica auctoritate fungentibus, quam Ordinum quorumcumque etiam Mendicantium regularibus, exemptis et non exemptis, sub excommunicationis latae sententiae poena, quam inobedientes episcopis inferiores incurrere voluit. Nec ex tunc deinceps magistros, administratores, confratres, nuntios, receptores aut servitores dictorum hospitalium, vel ab eis deputatos seu deputandos pro tempore, super deputatione capsarum seu truncorum huiusmodi, aut alias, contra formam facultatum eis desuper a dicta Sede concessarum, molestare seu perturbare praesumerent. Praeterea idem Iulius praedecessor singulas suas, dum legationis officio fungeretur, ac Sixti et Alexandri praedecessorum praedictorum litteras, facultates et concessiones, omniaque, et singula in eis contenta, nec non inde sequuta quaecumque, apostolica auctoritate dicta ex certa scientia approbavit et confirmavit, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplevit, illaque omnia et singula, prout per ipsum Iulium tunc legatum, ac praedictos Sixtum et Alexandrum praedecessores concessa fuerant, de novo concessit. Et etiam successive similis memoriae Leo X et Clemens VII, etiam Romani Pontifices praedecessores nostri, omnia et singula privilegia, indulta, libertates, immunitates, indulgentias, remissiones et gratias a Sixto IV, Alexandro VI, Iulio II, aliisque Romanis Pontificibus praedecessoribus suis dicto hospitali Sancti Remigii, illiusque magistris, administratoribus, confratribus, servitoribus, nuntiis et benefactoribus, nec non libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus, aliisque christifidelibus concessa, eadem apostolica auctoritate, pariter perpetuo approbavit et confirmavit, prout in singulis praedecessorum Iulii, et legati praedictorum litteris desuper confectis plenius continetur.

Iniuncta opera pro indulgentiis lucrandis.

§ 5. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, temporum malignitate, et vigentibus multorum annorum serie in universa Gallia bellorum tempestatibus effectum sit, ut christiana charitas admodum neglecta, ac numerus coecorum et pauperum in dicto hospitali Sancti Remigii auctus fuerit, et exinde tam pium opus a praedicto Sancto Ludovico rege charitatis affectu institutum facile deperire possit, nisi piorum fidelium eleemosynis adiuvetur; huiusmodi vero auxilium parum proficuum et utile sit evasurum, nisi ad eleemosynarum collectas personae particulares per totum regnum praedictum deputentur; et licet per decreta Concilii Tridentini propter pravos elee-

Praedicta privilegia confirmari petit Henricus IV rex.

mosynarum quaestorum abusus, statutum sit, eorum nomen, atque usum penitus abolendum, nec ipsos ad effectum huiusmodi exercendum ullatenus admittendos, in eis tamen eleemosynarum hospitalibus, in quibus hospitalitas actu exercebatur, ad eorum sustentationem a devotis christifidelibus erogari solitarum perquisitio et collectio ab honestis personis, honestoque modo facta non prohibeatur. Quare dictus Henricus rex asserens, se a regali et christiano stemmate eiusdem Sancti Ludovici originem ducere, propter illius vestigia ad hospitale Sancti Remigii praedictum singularem devotionis affectum gerere, ac syndicos, gubernatores et administratores dicti hospitalis ex primariis civibus dictae civitatis, parlamenti Parisiensis existere, nominibus praedictis nobis humiliter supplicari fecit, quatenus eisdem privilegiis, indultis, libertatibus, concessionibus et gratiis pro illarum firmiori subsistentia, robur confirmationis apostolicae adiicere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Clemens.

§ 6. Nos igitur, qui piis fidelium quorumlibet, praesertim regum, desideriis ad hospitalium et pauperum in illis degentium subventionem et sustentationem pertinentibus libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, syndicos, gubernatores et administratores praedictos, eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspentionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie, absolventes et absolutos fore censentes, nec non singularum litterarum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, indulta, libertates, immunitates, indulgentias, remissiones, concessiones et gratias ab eisdem Sixto IV, Alexandro VI, Iulio II, etiam dum legationis munere fungeretur, Leone X et Clemente VII, aliisque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, hospitali Sancti Remigii, illiusque magistris, administratoribus, confratribus, servitoribus, nuntiis, benefactoribus praedictis, communiter vel specialiter, nec non libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus, aliisque christifidelibus concessa et elargita, dummodo quoad praesentes non expressa, illa sint in usu, ac licita et honesta, sacrisque canonibus, et dicti Concilii Tridentini decretis minime contraria.

Ac quaerendi praecipue eleemosynas ad formam tamen Tridentini Concilii.

§ 7. Nec non quoad facultatem habendi capsam seu truncos bis quolibet anno in singulis dicti regni ecclesiis, quatenus id etiam fit in usu, dicta apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac illis plenariae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, et nihilominus nunc et pro tempore existentibus syndicis, gubernatoribus et administratoribus hospitalis Sancti Remigii huiusmodi, ut de caetero perpetuis futuris temporibus, petita et obtenta in primis annis singulis locorum Ordinariis in scriptis licentia, quam ipsi Ordinarii omnino gratis dare debeant, eleemosynas, et quaecumque alia charitatis subsidia per personas honestae vitae ad id ab ipsis sindicis, gubernatoribus et administratoribus pro tempore deputatas, ad usum dicti hospitalis Sancti Remigii, illiusque pauperum in universo regno praedicto, ac singulis eius provinciis, civitatibus, terris, burgis, villis, et locis exquiri et colligi facere, illasque et illa recipere et levare libere

et licite valeant; ita tamen, quod huiusmodi eleemosynae in usum dicti hospitalis, ad illius pauperum necessitates sublevandas dumtaxat convertantur, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo concedimus et indulgemus.

Inhibens quominus quaestores molestentur.

§ 8. Decernentes syndicos, gubernatores et administratores praedictos, et ab eis ad receptionem eleemosynarum huiusmodi deputatas personas per locorum Ordinarios, seu eorum vicarios in spiritualibus generales, aut officiales, nec non fabricae basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et Cruciatae sanctae, ac Ordinis Beatae Mariae Redemptionis Captivorum deputatos, vel quoscumque alios, quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari vel inquietari non posse.

Clausulae.

§ 9. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, aut commissarios, et causarum Palatii Apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores designati.

§ 10. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis Remensi et Rothomagensi ac episcopo Parisiensi committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Henrici regis, nec non pro tempore existentium syndicorum, gubernatorum et administratorum praedictorum, vel alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras, et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ac syndicos, gubernatores et administratores praedictos, omnesque alios, quos praesentes ipsae concernunt et concernent in futurum, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes ipsos vel eorum quempiam per quoscumque desuper contra eorumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus praemissis, et sanctae memoriae Bonifacii Papae VIII, itidem praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis praeter suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae diocesis ad iudicium evocetur; seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeant vel praesumant, ac in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, necnon in sinodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Modus servandus in quaestionibus.

§ 12. Volumus autem, ac per easdem praesentes decernimus, quod personae ad collectionem eleemosynarum huiusmodi pro tempore deputatae, eo maius [1] sine dolo et modeste fungantur, quaestorum nomen non gerant, nullas indulgentias

1 Legi forte debet *munere*. (R. T.).

divulgent, nec per se vel alium praedicent, privilegia sua non ostentent, reliquias, cartas, imagines, aliave similia ad christifideles excitandos, aut ulla instrumenta, vel quorumcumque quaestorum insignia non circumferant, minas et imprecationes ad extorquendas pecunias aut alia bona non intentent, nihil quasi debitum et consuetum petant, nulla arte utantur, sed simpliciter, pie et modeste pro subventione dicti hospitalis petendo, id quod sponte offertur tantum accipiant, nullamque super dictis eleemosynis quovis nomine conventionem etiam in dicti hospitalis utilitatem faciant. Ordinarii autem locorum pro praemissorum praecisa observatione, non solum ex aliorum delatione, sed ex suo etiam officio inquirant si qua fraus ab ipsis collectoribus praesertim adversus leges eis praescriptas committatur, quos si reos vere repererint, pro modo culpae arbitrio suo puniant, eosdemque statim a collectione eleemosynarum huiusmodi amoveant, ac alios, qui boni et idonei sint, ab eisdem superioribus curent sufficiendos.

Fides danda transumptis.

§ 13. Quodque earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munitis, ea prorsus ubique in iudicio et extra fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, voluntatis et decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo nono, nonis maii, pont. nostri anno VIII.

Dat. die 7 maii 1599, pontif. an. VIII.

CCVI.

Indictio universalis Iubilaei pro anno MDC, *quo conceditur plenaria remissio peccatorum visitantibus basilicas Ss. Petri et Pauli Apostolorum, ac S. Ioannis Lateranensis et Beatae Mariae Maioris de Urbe, et aliae indulgentiae, durante dicto anno, suspensae declarantur* [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Annus centesimus Iubilaei ex antiquo ritu institutus.

Annus Domini placabilis, annus remissionis et veniae, filii in Christo dilectissimi, iam Dei munere appropinquat; iam tempus acceptabile et dies aeternae salutis adveniunt, ad redimenda peccata, ad salvandas animas. Annus christiano populo in primis optabilis et iucundus sanctissimi Iubilaei iam prope adest, qui a salutifero partu Beatae Dei Genitricis et semper Virginis Mariae sexcentesimus supra millesimum numeratur, tanto maiori fidelium gaudio et frequentia in alma hac Urbe de more celebrandus, quanto expressius atque efficacius suam primariam originem repraesentat. Nam, quemadmodum veteri traditione et maiorum monumentis testatum est, antiquissimo

1 Antiquum Iubilaei ritum restituit Bonifacius VIII pro quolibet centesimo anno in sua const. XV: *Antiquorum*, tom. IV, pag. 156. Sed ad annum quinquagesimum reduxit Clemens VI, ut in *Extravag.* II, *De Poenit. et Remiss.*, et ad trigesimum Urbanus VI; tandem ad vigesimumquintum Paulus II in sua constitut. IX: *Ineffabilis*, eod. tom., pag. 200.

Romanae Ecclesiae instituto, per decurrentes saeculorum aetates, hoc est, singulis centenis annis, a Christi Domini et Salvatoris nostri natali, amplissimae peccatorum indulgentiae et remissiones propositae erant iis, qui sacra beatorum Apostolorum limina pie ac devote visitarent.

Hanc institutionem Bonifacius VIII confirmavit, et alii dictum tempus contraxerunt.

§ 1. Quam sane vetustam institutionem anni centesimi, non vana gentilium superstitione, sed religioso cultu et christianorum concursu Romae celebrandi, felicis recordationis Bonifacius Papa VIII, praedecessor noster, suo apostolico decreto, ad certitudinem praesentium et memoriam futurorum, confirmavit. Ac licet alii Summi Pontifices praedecessores item nostri, qui postea sunt consequuti, intra angustiores annorum limites, propter vitae humanae brevitatem, Iubilaei celebrandi spatium contraxerint; ipsa tamen centenarii celebratio, ob antiquae traditionis primordia, in primis insignis non immerito existimatur. Et revera divino consilio factum videtur, ut postremo cuiusvis saeculi anno, quod longissimum etiam humanae vitae spatium censetur, in ipsa arce et domicilio christianae religionis, tanti beneficii memoria a cunctis fidelibus recolatur; quod scilicet ad omnes illuminandos sol iustitiae Christus Deus noster, qui humano generi salutem attulit, ex utero Virginis expressus est, ex eo etiam, quod christiani universi ad Petri Sedem, et ad fidei petram, tamquam filii ad patrem et oves ad pastorem summum, simul confluunt, tanto magis unius ovilis et unius pastoris unitas appareat, et unius fidei splendor latius elucescat, quae nullo saeculorum decursu, nulla temporum varietate immutata est, sed semper eadem a fidelibus populis incorrupta, atque inviolata professione retinetur; membra quoque suo visibili capiti tanto arctius charitatis glutine connexa mundus agnoscat; et denique idem ille spiritus unitatis, quo sola ecclesia catholica, eiusque corpus admirabiliter compactum et coagmentatum est, tanto illustrius declaretur, dum veluti ab universitate populi christiani, in ipsa unitatis parente Romana Ecclesia, statis temporibus, annus unus, sanctus iure optimo nominatus, summa religione rituque solemni celebratur.

Clemens celebrationem dicti Iubilaei indicit pro anno MDC, atque omnes ad eius acquisitionem hortatur.

§ 2. Hunc autem annum vere sanctum, annum Domini acceptum et placabilem, quo homines poenitentiam agerent, et ad Deum et Patrem misericordiarum in corde perfecto converterentur, primus mundo annunciavit ipse vitae et salutis nostrae auctor Iesus Christus Filius Dei, quem Pater unxit Spiritu Sancto, et omni super eum gratiae plenitudine effusa, misit illum evangelizare pauperibus, et mansuetis mederi, et sanare contritos corde, praedicare captivis indulgentiam et remissionem, clausis aperitionem, et coecis visum. Et nos etiam qui, licet humiles et indigni, vices tamen Christi Domini in terris, ipso ita disponente, gerimus et tenemus, ex hac sublimi apostolicae vigiliae specula, vobis universis christifidelibus annunciamus, indicimus, evangelizamus hunc eumdem annum Iubilaei verae poenitentiae et spiritualis laetitiae. Et quia charitas Christi, pro quo legatione fungimur ad omnes gentes, urget nos, et zelus salutis animarum comedit cor nostrum; hortamur et obsecramus omnes per aspersionem Sanguinis Iesu Christi, et per adventum Eius, et diem tremendi iudicii, ut sacro potissimum Iubilaei tempore convertatur unusquique a via sua mala, et revertatur ad Dominum in corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta; quia clemens et misericors est Deus noster, et multae miserationis, et praestabilis super malitia. Dum vero ex nostro pastoralis officii munere carissimos in Christo filios nostros, impera-

torem electum, reges et principes catholicos, et omnes christifideles toto terrarum orbe, in remotissimis etiam provinciis et regionibus commorantes, ad iubilaei huius sanctam et iucundissimam in Domino celebritatem, summo cum gaudio vocamus atque invitamus; eodem plane tempore aeerbissimi doloris sensu vehementissime commovemur, mente atque animo recogitantes, quam multae nationes et populi se ipsos miserabiliter absciderint ab unitate et communione Catholicae et Apostolicae Ecclesiae; qui proximo superiori centenario in ipsa una Catholica et Apostolica Ecclesia Romana, nobiscum unanimes et cum consensu in domo Domini ambulantes, sanctum illius Iubilaei annum multa cum laetitia et spirituali exultatione celebrarunt; pro quorum aeterna animarum salute vitam nostram ac sanguinem, si opus esset, libentissime effunderemus. At vos interea, filii obedientes et catholici, a Deo et a nobis benedicti, venite, ascendite ad locum quem elegit Dominus, ad spiritualem Sion et Hierusalem sanctam, non littera sed spiritu, unde ab exordio nascentis Ecclesiae lex Domini et lux evangelicae veritatis in omnes gentes et nationes derivata est. Haec est illa felix civitas, cuius fides apostolico ore laudata annunciatur in universo mundo; cum ipsi beatissimi apostolorum principes Petrus et Paulus, totam doctrinam cum sanguine profuderunt, ut per sacram beati Petri Sedem, caput orbis terrae effecta, mater esset cunctorum credentium, et magistra omnium ecclesiarum. Hic fidei petra, hic fons sacerdotalis unitatis, hic incorruptae veritatis doctrina, hic claves regni coelorum, et summa ligandi atque solvendi potestas; hic denique thesaurus ille Ecclesiae inexhaustus sacrarum indulgentiarum, cuius custos et dispensator est Romanus Pontifex, qui eas omni quidem tempore distribuit, prout salubriter in Domino intelligit expedire, sed anno potissimum sancti Iubilaei pia et larga profundit manu; quando et portae sanctae in antiquissimis et religiosissimis huius almae Urbis basilicis et ecclesiis aperiuntur more solemni, et fideles a peccatorum labe expurgati intrant in conspectu Domini in exultatione, ut non iam ex veteris legis instituto, quae umbram tantum habebat, futurorum bonorum, neque ex Hebraeorum consuetudine, quibus omnia contingebant in figura, aut servi humanae servitutis iugo constricti liberi evadant, aut in carceribus vincti dimittantur, aut gravis aere alieno oppressi liberentur, quin etiam ad paternorum bonorum possessionem redeant; terrena enim haec sunt, fluxa et caduca. Sed fructus anni sancti et spiritualis nostri Iubilaei, illi sunt uberrimi, quod animae Christi Sanguine redemptae e iugo ferreo diabolicae tyrannidis, atque ex tetro carcere et vinculis peccatorum, divina sacramentorum efficacia, absolvuntur, et dimissis debitis ac poenis in adoptionem filiorum Dei, et ad coelestis regni haereditatem et paradisi possessionem admittuntur, et alia quamplurima Dei beneficia accipiunt. Nos igitur Summorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, et eorum pium ac saluberrimum institutum retinentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium assensu, Iubilaei celebrationem in annum proximum millesimum sexcentesimum, a primis vesperis vigiliae Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi eiusdem anni millesimi sexcentesimi inchoandam et per totum annum ipsum finiendam, auctoritate Dei omnipotentis, et beatorum apostolorum Petri et Pauli ac nostra, quanto maximo possumus animi nostri gaudio, ad ipsius Dei gloriam, et Catholicae Ecclesiae exalta-

Misertur Papa super illos qui, post ultimum Iubilaeum, e gremio Catholicae Ecclesiae exierunt.

Quaenam Iubilaei vera indoles, quinam fructus spirituales.

tionem indicimus et promulgamus. Quo ipso Iubilaei anno durante, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui beatorum Petri et Pauli apostolorum basilicas, et S. Ioannis Lateranensis ac Sanctae Mariae Maioris de Urbe ecclesias, semel saltem in die, per triginta continuos aut intermissos dies, si Romani vel incolae Urbis fuerint, seu per quindecim dies, si fuerint peregrini aut alias externi, devote visitaverint, et pro ipsorum fidelium ac totius christiani populi salute pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, ac veniam misericorditer in Domino concedimus et impertimur.

Indulgentias basilicas visitantibus proponit.

§ 3. Et quoniam evenire potest, ut ex iis, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad Urbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa Urbe, morbo vel alia legitima causa impediti, aut morte praeventi, praefinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato, praemissa exequi, et dictas basilicas et ecclesias obire nequeant; nos piae promptaeque illorum voluntati, quantum in Domino possumus, benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes et confessos, praedictae indulgentiae et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Urbis basilicas et ecclesias diebus a nobis praescriptis re ipsa visitassent.

Easdem indulgentias impeditis quoque concedit.

§ 4. Vos autem venerabiles fratres nostri patriarchae, primates, archiepiscopi et episcopi, in partem sollicitudinis nostrae vocati, duces et pastores populorum, lux mundi, et sal terrae, capite tubas argenteas, quarum usus est in Iubilaeo, idest adhibete praedicationem verbi Dei, et annunciate populis hoc gaudium, ut sanctificetur, et Dei iuvante gratia, parati sint ad ea coelestia dona capienda, quae bonorum omnium largitor Deus, filiis dilectionis suae, per ministerium humilitatis nostrae praeparavit; adducite, fratres, verbo et exemplo, parvulos ad huius charissimae matris ubera, quae eos per evangelium in Christo genuit, adducite filios ad patrem, oves ad pastorem summum, membra ad caput, fideles ad fidei petram, in qua omnis aedificatio Catholicae Ecclesiae constructa consurgit; adducite populum ad Sanctam Romanam Ecclesiam, et ad gloriosos principes terrae Petrum et Paulum, qui universum mundum legem Domini docuerunt, et quorum fides, dignitas et auctoritas, indigno etiam in haerede non deficit. Ad sacras igitur indulgentias earumque salutares fructus, ipso Iubilaei anno, Romae percipiendos, vocate coetum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, docete oves fidei vestrae creditas, quia advenae et peregrini sumus in hac vita, et civitatem hic permanentem non habemus, sed futuram inquirimus. Ideo quia breves dies sunt huius nostrae aerumnosae peregrinationis, et nescimus qua hora paterfamilias et sponsus Christus venturus sit, idcirco vigilent, et lampades ardentes et plenas oleo charitatis et misericordiae gestent in manibus, et festinent ingredi in illam requiem. Nam si unquam alias, nunc potissimum irae, rixae, et contentiones, et inveterata odia dimittenda propter Christum; nunc maxime servos decet misereri conservorum suorum, ut Dominus clementissimus omne debitum dimittat eis. Nunc praecipue omnes carnis impuritates abluendae, ut templum Dei mundum sit, et unusquisque vas suum possideat in honore et sanctificatione, et portet Deum in corpore suo. Postremo furta, rapinae, homicidia, et adulteria, et omnia peccata exterminanda, ut placetur ira Dei, et eos, qui christiano nomine gloriantur, agnoscat vere chri-

Praelatis praecipit, ut populos hortentur ad huiusmodi indulgentias consequendas.

stianos, et imitatores Christi, et sectatores bonorum operum. Docete autem eos, quemadmodum ad salutares indulgentias consequendas, in animo contrito et in spiritu humilitatis, assiduis orationibus et ieiuniis, caeterisque pietatis operibus se ipsos praeparare, atque exercere debeant, et qui substantiam huius mundi habent, aperiant viscera sua, et fratrum suorum pauperum inopiam sublevent, praecipue vero erga peregrinos Romam venientes misericordes sint, et sanctam hospitalitatem Deo gratissimam, et quam vetustissimi illi christiani etiam inter persecutionum fluctus diligentissime coluerunt, ipsi quoque multa cum hilaritate spiritus renovent atque observent. Admonete etiam eos, ut orent pro regibus et principibus christianis, ut quietam et tranquillam vitam agamus, et pax et concordia perpetuo conservetur. Postremo docete eos, cum sanctam peregrinationem susceperint, qua modestia, qua devotione, qua fraternae pacis observantia lucere eos oporteat, ut sint Christi bonus odor in omni loco. Praebete autem vos ipsos, fratres venerabiles, et omnem clerum, exemplum in primis bonorum operum et formam gregis, ut vestrae virtutis et religionis veluti sale caeteri condiantur, et omnem peccati putredinem abhorreant, et denique omnes unanimes in uno spiritu christianae charitatis, atque in omni sanctitate et iustitia Deo serviamus.

Principes hortatur peregrinis ut subveniant.

§ 5. Hortamur quoque et rogamus in Domino charissimos in Christo filios nostros imperatorem electum, ac reges, et principes omnes catholicos, ut quo plura et magis illustria beneficia ab Eo, per quem reges regnant, acceperunt, tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur; praecipue vero fratrum nostrorum episcoporum et superiorum antistitum pastoralem sedulitatem et vigilantiam adiuvent, et a suis magistratibus et ministris adiuvari mandent, ut improborum licentia coerceatur, et bonorum studia eorum regia ope et gratia foveantur; maxime autem erga peregrinos beneficientiam et liberalitatem exerceant, curentque ut tutis incedant itineribus, et nulla hominum perditorum vexatione perturbentur, sed hospitalibus, domibus et publicis hospitiis amanter excepti, et commeatu et rebus ad vitam necessariis recreati, sine ulla concussione et iniuria institutum iter laeti peragant, et cum gaudio in patriam revertantur. His enim hostiis reges potissimum et principes Deum sibi placabilem reddent, ut diu in terris felices vivant, et demum in aeterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur et nutritur.

Exemplis huius bullae credi iubet.

§ 6. Ut vero praesentes litterae, ad omnium fidelium in quibuscumque locis existentium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, *etc.*

Sanctionem poenalem addit.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis et voluntatis, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo nono, decimoquarto kal. iunii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 19 maii 1599, pont. an. VIII.

Sequitur suspensio aliarum indulgentiarum et absolvendi facultatum, durante hoc Iubilaeo.

Relatio praedictae indictionis.

Cum sancti Iubilaei celebrationem a vigilia Nativitatis D. N. Iesu Christi anni proximi millesimi sexcentesimi inchoandam, et usque ad finem eiusdem anni

duraturam, universo populo christiano de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium assensu indixerimus, ac omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui beatissimorum Petri et Pauli apostolorum basilicas, S. Ioannis Lateranensis ac Beatae Mariae Maioris de Urbe ecclesias visitarent, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam concesserimus, prout in nostris nuper desuper confectis litteris plenius continetur.

Suspensio omnium indulgentiarum et facultatum absolvendi, durante anno iubilaei.

§ 1. Cupientes ut christianae nationes ex omnibus terrarum orbis locis in alma Urbe nostra, in fidei ac religionis unitate congregatae, eodem pietatis ac devotionis spiritu, basilicas et ecclesias praedictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Iubilaeo, visitent et frequentent, multorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo adducti, omnes et singulas indulgentias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones, ac facultates et indulta absolvendi, etiam in casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in litteris die *Coenae Domini* legi solitis contentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam S. Io. Hierosolymitani domibus, militiis, ordinibus, etiam mendicantium, congregationibus, confraternitatibus, etiam laicorum, universitatibus, et piis locis, illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus, et tam saecularibus quam quorumvis etiam mendicantium ordinum regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus et numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter quam universaliter, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, etiam ad instantiam imperatoris, regum, ducum et aliorum principum, aut ipsis etiam imperatori, regibus, ducibus et principibus, vel aliis quacumque alia mundana vel ecclesiastica dignitate, etiam speciali nota digna, fulgentibus, etiam ad instar Iubilaei, aut alias quomodocumque et ex quibusvis causis et occasionibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessis; quorum omnium tenores, formas, derogationes et decreta, praesentibus pro expressis haberi volumus, apostolica auctoritate, de eorumdem fratrum consilio et assensu, ac apostolicae potestatis plenitudine, suspendimus, et suspensas esse declaramus, easque et ea, eodem anno durante, nulli prodesse aut suffragari debere; irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quo circa per praesentes, auctoritate apostolica, praecipimus et mandamus, ne interim aliae quam indicti a nobis praedicti Iubilaei indulgentiae, sive publice sive privatim, quovis praetextu ubivis locorum et gentium, sub excommunicationis eo ipso incurrendae, aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis poenis, publicentur vel nuncientur, aut in usum demandentur.

Clausulae derogatoriae.

§ 2. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, ordinum, congregationum, hospitalium, confraternitatum, universitatum, collegiorum et locorum, aliorumque praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis apostolicis, illis eorumque superioribus et personis, ac aliis quibuscumque per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et dictam Sedem, eiusque legatos, sub quibus-

cumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, et ex quibusvis causis concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiam si in illis caveatur expresse, quod sub similibus vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis et individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum praemissum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§ 3. Et quia difficile nimis esset, praesentes quocumque, ubi illis opus fuerit, perferri, volumus earum exemplis etiam impressis, notarii publici manu, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDXCIX, duodecimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 21 maii 1599, pontif. an. VIII.

CCVII.

Monasteria monialium sub cura Fratrum Carmelitarum et Congregationis Mantuanae in Italia existentia, abdicantur a cura dictorum fratrum, et subiiciuntur locorum Ordinariis, ita ut si contingat aliqua eorum extingui, bona extinctorum ad Congregationem praedictam libere revertantur [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Sanctimonialium, quae, relictis mundi illecebris, Christo Domino caelesti sponso se dedicarunt, felici et prospero gubernio, sub quo tamquam prudentes virgines accensis lampadibus ad sponsum praedictum festinent, ac sub regulari observantia uberiores pietatis fructus afferant, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes, quaecumque ad haec opportuna fore conspicimus, ea libenter statuimus et ordinamus.

Decretum, de quo in rubrica.

§ 1. Motu igitur proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, accedente etiam consensu dilecti filii prioris generalis universi Ordinis Fratrum Carmelitarum, omnia et singula monasteria monialium Ordinis Carmelitarum, et seu alias sub cura et gubernio fratrum dicti Ordinis, etiam Congregationis Mantuanae, ubicumque locorum in universa Italia existentia, ab omni cura, gubernio, visitatione et superioritate tam praedicti prioris generalis, quam aliorum quorumcumque eiusdem Ordinis, seu etiam Congregationis Mantuanae, superiorum et fratrum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo eximimus, tollimus et liberamus, ac ipsorum omnium et singulorum monasteriorum, et in eis pro tempore existentium personarum curam, reformationem, punitionem et correctionem tam in capitibus, quam in membris, Ordinariis locorum, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo committimus et specialiter delegamus; ita ut quilibet locorum Ordinarius in singulis ex praedictis monasteriis in eius respective civitate vel dioecesi existentibus omnimodam iurisdictionem exercere, ac illa regere et gubernare, dicta auctoritate, possit et valeat.

Prohibitio fratribus Carmelitis, quominus se in dictis monasteriis ingerant.

§ 2. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrio eorumdem Ordinariorum infligendis poenis, praedicto priori generali, ac vicario etiam generali praedictae Congregationis Mantuanae, aliisque Ordinis et Congregationis prae-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dictorum superioribus et fratribus, ne de caetero se in cura et gubernio monasteriorum praedictorum quavis auctoritate, occasione, vel praetextu, intromittere, ingerere, aut immiscere audeant vel praesumant; abbatissis vero, seu priorissis, et conventibus, et religiosis singulorum monasteriorum huiusmodi, ut deinceps in perpetuum praedictis locorum Ordinariis subsint, ac prompte pareant et obediant.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac monasteriorum, Ordinis, Congregationis praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis illis, eorumque superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores, praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Si contingat monasteria extingui, eorum bona ad Ordinem Carmelitarum revertantur.

§ 4. Volumus autem ut si contingat aliqua ex praedictis monasteriis monialium extingui aut supprimi, illorum pro tempore extinctorum et suppressorum bona, ad Ordinem seu Congregationem praedictam, sub cuius gubernio erant, libere revertantur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVIII maii MDXCIX, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 28 maii 1599, pontif. an. VIII.

CCVIII.

Institutio Rotae in civitate Ferrariae Status Ecclesiastici ad decidendas causas illius civitatis et territorii, cum indultorum concessione [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

In supremo iustitiae throno, divina disponente clementia, constituti, illud in primis curare tenemur ut nimirum nostris et futuris etiam temporibus iustitia omnibus aequa lance ministretur, et ad id, ut decet, exequendum iusti ac rectissimi iudices cum opportunis facultatibus deputentur, per quos non solum unicuique ius suum tribuatur, sed etiam incommodis ac impensis litigantium, in quantum fieri potest, parcatur. His igitur rationibus adducti, ac populorum civitatis nostrae Ferrariensis ac aliarum civitatum, terrarum, castrorum, et locorum ducatus et dominii nostrorum Ferrariensium recto gubernio, et felici regimini prospicere, ac singulorum indemnitati et commodis opportune consulere cupientes, praeter alia a nobis in eisdem civitate et ducatu ordinata, unum tribunal iudicum, Rotam nuncupandum, in dicta civitate Ferrariensi instituere decrevimus, in quo causae civiles, ut inferius disponetur, cognosci, et prout iuris fuerit, terminari debeant.

Auditorum numerus praescribitur, et electio civitatis consi-

§ 1. Motu igitur proprio, et ex certa scientia ac mera deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine

1 Ferrariam (ubi Bonif. IX universitatem studii instituerat sua const. IV: *In supremae*, tom. IV, pag. 610), Clem. VIII R. C. A. addixit constitut. CLXII, CLXIII, CLXVI, CLXXI, et seq. Novam autem regiminis formam in eam induxit constit. CLXXX: *Quoniam*, pag. 428. Magistratumque et consilium centum virorum in ea instituit const. CXC *Inter*, pag. 449. Eique concessit ut suum oratorem apud Pontificem retinere posset const. CXCIII.

lio datur, iurisdictioque eorum explicatur.

in civitate praedicta Ferrariensi unum tribunal audientiae causarum, Rotam nuncupandum, perpetuis futuris temporibus duraturum, quod constare debeat quinque iudicibus, auditoribus nuncupandis, a consilio civitatis praedictae Ferrariensis singulo quinquennio eligendis, qui omnes, et singulas Ferrariensis et Comaclensis civitatum, et quarumcumque terrarum, castrorum et locorum ducatus nostri Ferrariensis causas, lites et controversias civiles, meras et mixtas quomodolibet actitandas inter cives, incolas, districtuales habitatores, ac collegia, agricolas quoque, et alios quoscumque sub legatione Ferrariensi subditos cognoscere, decidere ac fine debito terminare ac iudicare possint et debeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Auditorum qualitates.

§ 2. Quoniam vero omnia eo magis stabilia redduntur, quo solidiorem ac certiorem statum, per quem feliciter regi et gubernari valeant, assumunt; idcirco hoc ipsum Rotae tribunal infrascriptis constitutionibus et ordinationibus perpetuo firmiter observandis fulciendum duximus. Eapropter statuimus, mandamus et ordinamus, ut praedicti quinque Rotae auditores debeant esse iuris utriusque doctores, non ex civitate Ferrariensi aut aliquo ex locis praedicti ducatus, ex aliis tamen ditionis ecclesiasticae nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectae locis oriundi, summae integritatis, prudentiae, doctrinae et experientiae, non minores natu annis triginta, qui saltem per quinquennii spatium in publica aliqua insigni academia legerint, aut in celebri aliquo loco, iudicando vel advocando, foro operam dederint, neque in his muneribus obeundis inter postremos habiti fuerint, sed praeclare ac laudabiliter se gesserint.

§ 3. Hos omnes a consilio civitatis Ferrariensis, singulo quinquennio, excepta hac prima vice, eligi volumus; et postquam electi fuerint in principio seu ante ingressum eorum officii, in manibus pro tempore existentis nostri et Apostolicae Sedis in civitate et ducatu Ferrariensi de latere legati, seu eius vicelegati, aut gubernatoris, assistentibus iudice sapientum et ipsis sapientibus communitatis Ferrariae, iureiurando promittant se ad unguem observaturos non modo has Rotae constitutiones, verum etiam omnes et quascumque civitatis Ferrariae provisiones, ordinationes et statuta, usu nunc recepta, necnon iustitiam, qua decet sanctitate et integritate, administraturos, sub poenis arbitrio superiorum infligendis in syndicatu, cui eos omnino, finito eorum officio, subiici volumus, et in quo non nisi de dolo, fraude et barattaria, iuxta stylum totius Italiae, et legis dispositionem illos teneri, et de his non nisi in singulos inquiri, cum non sit praesumendum universam Rotam dolum, fraudem et barattariam commissuram, mandamus et declaramus.

Iuramentum ab eis praestandum.

§ 4. Finito autem officio eorum et uniuscuiusque eorum, nolumus eos vel quemquam eorum posse iterum pro alio quinquennio eligi vel confirmari, nisi tres partes ex quatuor suffragiorum in consilio pro nova electione seu confirmatione obtinerent; concedimus vero ut post quinquennium, a die eorum officii finiti, elapsum, iure et recte denuo eligi possint.

Confirmatio in officio quibus auditoribus et quando fieri possit.

§ 5. Et quoniam, ut praemissum est, auditores de quinquennio in quinquennium eligendi sunt, atque perpetuis futuris temporibus observandum, rationique consentaneum visum est, ut unus ex his qui praecedente quinquennio in Rota fuit, in eadem ad hoc, ut novi ingredientes facilius et citius instruantur, quinquennio subsequenti remaneat; propterea

Tempus officii terminetur quinquennio.

statuimus, electionem hoc ordine et modo fiendam; hac enim prima vice auditores quinque eligentur, quorum officio functo, unus eorum a consilio seligendus per biennium in nova Rota perseverabit; et aliis autem vicibus, quinque auditorum quidem fiat electio, sed unus eorum, nempe ultimo electus, non statim in principio quinquennii Rotam ingredietur, sed biennio elapso, et hic ille erit postea, qui in Rota succedentis quinquennii, per curriculum biennii, pro novis auditoribus instruendis commoraturus erit, et ita perpetuis futuris temporibus observari mandamus.

Electio post primum quinquennium ad civitatem Ferrariae spectat.

§ 6. Electionem autem dictorum auditorum a praedicto consilio civitatis Ferrariensis, ut praefertur, faciendam, incipere volumus post praesens quinquennium, in quo auditores per dilectum filium nostrum Petrum S. Nicolai in Carcere diaconum cardinalem Aldobrandinum nuncupatum, nostrum secundum carnem ex fratre germano nepotem, ac in civitate et ducatu praedictis nostrum et Apostolicae Sedis de latere legatum iam electos continuare, eorumque quinquennium a die datae praesentium inchoare, et ut sequitur finire.

Praetoris officium anno concluditur.

§ 7. Praetorem quoque dictae Rotae iam electum per annum, ab eadem die datae praesentium incipiendo praeturae officium iuxta formam inferius describendam exercere debere statuimus.

Stipendium praetoris et auditorum.

§ 8. Sed quia bovi trituranti non est os alligandum, et laborum cuique praemium condignum est proponendum, ut ad illos subeundos alacrior reddatur; nos propterea cuilibet ex praefatis iudicibus Rotae Ferrariensis, praeter praetorem, in singulos menses triginta quinque scutorum auri in auro; praetori vero quinquaginta quinque similium scutorum menstruam provisionem ex redditibus et provisionem Camerae nostrae apostolicae, per depositarium eiusdem Camerae in civitate nostra Ferrariensi cum mandato legati seu vicelegati, aut gubernatoris eiusdem civitatis pro tempore existentis, persolvendam constituimus et assignamus.

Domus auditoribus gratis a communitate assignanda.

§ 9. Ac praeterea volumus et ordinamus, ut communitas civitatis Ferrariensis locum auditorii in quo Rota fieri debeat, et domus in quibus praefati auditores commode, et iuxta gradus decentiam, honorifice habitare valeant, gratis assignare teneantur.

Cursores ab eis eligentur.

§ 10. Utque cursores eligant, qui in Auditorio praedicto tempore Rotae assistere, et illud ab omnibus immunditiis expurgare debeant.

Sportulae et munera auditoribus permittuntur.

§ 11. Iisdem praeterea praetori et auditoribus, ut sportulas et emolumenta quaecumque secundum statuta Ferrariae, et munera iuxta constitutiones et consuetudines Rotae Bononiensis, recipere possint, permittimus et gratiose concedimus, constitutione Aldobrandina non obstante.

Consilia quando causis praestare possint.

§ 12. Praeterea, quo diligentius dicti auditores causis expediendis, id quod summopere nobis cordi est, operam navent, districte eisdem inhibemus sub poenis arbitrio legati, vicelegati aut gubernatoris imponendis, ne in causis coram aliis iudicibus, in civitate Ferrariae ac eius districtu, vel alibi in legatione vertentibus, ullo modo consilium dare, aut aliorum consiliis se subscribere audeant; concedimus autem, ut id in causis, quae extra legationem tractantur, aliquando facere valeant.

Aliquo auditore, iusta de causa, absente, quid faciendum sit.

§ 13. Inhibemus praeterea sub eisdem poenis, ne a civitate et auditorio diebus non feriatis absque licentia consilii abesse possint: nisi fortasse eos vel aliquem eorum, ratione causarum et officii, abesse oporteret, vel aliquo iusto impedimento detineretur quo minus ad auditorium accedere, et causarum expeditioni vacare

possit; et hoc casu volumus ut, non obstante impedimento vel absentia, si causa ad totam Rotam pertineat, alii in ea procedant, et si ponens ille esset absens, alius eius loco subrogetur sorte extraendus, et si ponens revertatur, vel cesset impedimentum causa nondum decisa, is causam suam denuo assumat in terminis, in quibus eam reperiet, et expediat; quod si impedimentum vel absentia in persona praetoris contingeret, loco eius substituatur auditor senior.

Praetor quis de auditoribus esse debeat.

§ 14. Nunc ad auditorum iurisdictionem propius accedentes, principe loco constituimus, ut unus eorum sit quolibet anno praetor civitatis Ferrariae, senior nempe, hoc est, qui primo auditor electus fuit; qui praeturam uno anno obeat, ac eo praetura functo, alii deinceps, secundum ordinem quo electi fuerunt auditores, in praetura succedant, et ultimus, qui secundum ea, quae superius constituta sunt, anno tertio dumtaxat Rotam ingrediens in nova per biennium remanere debet, primo anno in ingressu novae Rotae praeturam adipiscatur, et sic de caetero semper observetur, excepta hac prima vice; qua, ita exigente necessitate, disponimus ut, finito quinquennio, in Rota nova is perseveret, quem consilium generale elegerit, et hic denuo in ingressu novae Rotae praeturam anno primo obtineat.

Quas ipse causas cognoscere possit.

§ 15. Decernimus autem causas omnes primarum appellationum totius legationis Ferrariae ad praetorem solum spectare; qui de illis cognoscere, easque fine debito solus terminare debeat, et sportulas ac emolumenta solus quoque percipiat, nec eas eave cum aliis auditoribus partiri teneatur. Volumusque ut appellationes omnes et quaecumque a sententiis quorumcumque iudicum, in quibuscumque causis civilibus, nec non et reductiones ad arbitrium boni viri, quae ab arbitris vel arbitratoribus tam voluntariis, quam necessariis interponerentur, in casibus tamen permissis, ad dictum praetorem, et eius officium devolvantur; nec non possit cognoscere quascumque alias causas in civitate et legatione Ferrariensibus, prout praetor Rotae Bononiensis potest in civitate et legatione Bononiensibus.

Sententiae coram quo sint interponendae.

§ 16. Statuentes interim ut, veteri abusu appellandi coram bonis viris cessante, appellationes omnes coram iudice, a cuius sententia appellatur, omnino interponantur; et aliter interpositae non valeant, nec teneant, nisi vere copia iudicis haberi non potuisset.

Appellationes causae quomodo tractandae.

§ 17. Decernentes pro celeriori causarum expeditione, ut ab incidentibus et emergentibus, super quibus praetorem interloqui contigerit, in casibus, in quibus permissa est appellatio ab interlocutoriis ex forma iuris statutorum vel provisionum Ferrariae, ad Rotam appelletur, quae, sine voto praetoris, ipsam appellationem terminare debeat; sicuti perpetuo et inviolabiliter sancimus, ut in quibuscumque causis ad Rotam deferendis, in quibus primo loco aliquis ex auditoribus iudicaverit, is nihilominus in ea causa votum habeat.

Causae ceptae coram praetore a quo terminandae.

§ 18. Demumque iubemus ut causae coram uno praetore ceptae finito officio, coram eodem quoque, et ab eodem terminentur, dummodo processus et scripturae, antequam praeturae munus deponat, a partibus praesentatae fuerint, iuxta formam statutorum et provisionum Ferrariae. Declarantes id, quinquennio durante, locum obtinere, et causas coram ultimo praetore ceptas, non coram eodem et ab eodem, sed coram praetore novae Rotae et ab ipso finiendas esse.

Quae causae dicantur rotales atque ad Rotam spectantes.

§ 19. Ad Rotam autem spectare disponimus, causas omnes viduarum, pupillorum, ac omnium miserabilium persona-

rum secundum tamen dispositionem *l. Unicae Cod. quand. Imper. inter pupil.* et non aliter; nec non dotium, et alimentorum, ac praeterea omnes causas, cumulative tamen quoad locumtenentem generalem causarum civilium legati, vicelegati, aut gubernatoris, quae ex forma statutorum, ordinum ac provisionum Ferrariae cognosci debent, ac terminari appellatione remota, exceptis iis, quae ratione personae agentis vel conventae, vel ratione causae ex forma eorumdem statutorum, ordinum, ac provisionum, vel privilegiis alicuius forum habeant particulare, et coram iudice aliquo particulari tractari et definiri debent. Insuper concedimus et indulgemus eidem Rotae cognitionem secundarum appellationum, nedum a sententiis praetoris, verum etiam quorumcumque iudicum totius legationis et ducatus Ferrariae; et volumus ut ipsae secundae appellationes, etiam totius legationis omnino ad Rotam devolvantur, dummodo, quoad eas extra civitatem, valor causae excedat aureos centum a libris quatuor. Nec non possint dicti auditores cognoscere quascumque alias causas in dicta civitate et legatione Ferrariensibus, prout possunt auditores Bononienses in civitate et territorio Bononiensibus. Declarantes causas omnes praedictas, etiam cum voto praetoris decidendas esse, exceptis appellationum causis, quae ab eius sententiis interponentur, ut praemissum est.

Facultas Rotae in procedendo,

§ 20. In praedictis vero omnibus tam praetorem, quam Rotam in procedendo summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, procedere posse; in decidendo vero provisiones, constitutiones et statuta Ferrariae ab iisdem observari debere praecipimus; exceptis causis locorum ac civitatum legationis, in quibus statuta et provisiones eorum, earumque particularia ad decisoria pertinentia, si quae vel quas haberent, servari mandamus.

Curatoribusque et tutoribus dandis.

§ 21. Et quoniam, ut saepenumero dictum est, properamus ad causarum finem, et litium amputationem iubemus, ut statuti Ferrariae ordine praetermisso tam praetor, quam Rota, in causis coram eis vertentibus curatores et tutores decernendi potestatem habeant, haereditatibusque iacentibus, et vacantibus, absentibus, minoribus et pupillis, et aliis quibuscumque, qui curatore seu tutore indigerent, ita tamen, ut tutoris seu curatoris electio praesentibus per binas cedulas cum debito unius diei intervallo notificetur, et absentibus, ac haereditatibus iacentibus et vacantibus super podiolo palatii communis Ferrariae alta voce et sono cornu praemisso, et cedulae postea affigantur valvis eiusdem palatii; et si ii, quibus tutor vel curator decretus fuerit, comparuerint, et curatorem alium, vel tutorem petierint, vel tutorem, seu curatorem sibi legitime constitutum nominaverint, teneatur Praetor vel Rota alium dare, vel mandare, ut cum tutore vel curatore nominato iudicium peragatur.

Adversus peremptam instantiam restitutio, quando et quomodo concedenda.

§ 22. Et cum aliquando usu veniat ut, ob negligentiam litigantium, instantia appellationis pereat, fiatque ipsa appellatio deserta magna saepe cum negligentis iactura, qui plerumque in meritis ius fovet optimum: nos aequitatem prae oculis habentes decernimus ut, lege, statuto, vel constitutione aliqua non obstante, facta prius exequutione sententiae, a qua fuerat appellatum, et refectis parti expensis usque ad quadrantem, is cuius appellatio deserta fuit, super meritis audiatur per viam restitutionis in integrum committendae a legato, sive a prolegato pro tempore. Declarantes id semel observandum; nam iterum deserta appellatione, sententiam in iudicatum omnino transire,

et plenum sortiri effectum mandamus, ne causae in infinitum protrahantur. Et cum accidere possit, ut sententia prima retractetur; ideo volumus, ut pars, in cuius gratiam fiet exequutio praedicta, idonee cavere teneatur restituendis omnibus, quae de iure eam restituere oportebit, in causa succumbentiae et retractationis.

Appellatio a sententiis Rotae non datur, sed sola revisio in eadem Rota.

§ 23. Postremo a sententiis omnibus et quibuscumque, quas Rota vel huius nostrae constitutionis tenore ac virtute, vel alias ex nostra, aut legatorum, vicelegatorum, aut gubernatorum delegatione tulerit, volumus ut nullo modo possit appellari, de nullitate quantumvis notoria dici, vel opponi, supplicari, nec recursus peti vel concedi, aut etiam ad Sedem Apostolicam restitutio efflagitari etiam ex capite minoris aetatis, aut officium iudicis implorari, vel quoquo modo illis contrairi possit, sed prout latae extiterint, omnimodae exequutioni demandari debeant; et casu quo, propter aliquam gravissimam causam, remedium aliquod adversus praedictas sententias concedendum sit, sancimus nullum aliud concedi posse praeter solam revisionem ad eamdem Rotam coram eisdem auditoribus, quibus, ut universis, neminem adiunctum, sed ipsis uti singulis, cum opus fuerit, de eadem Rota tantum adiunctum dari volumus, quoniam id unum nostrae civitati Ferrariae, ac eius districtui, ac legationi indulgemus, ut causae illius ne ullo umquam tempore, sub quovis praetextu, aut quaesito colore, vel causa, quantumvis gravi extrahi possint a civitate ipsa, etiam ad Curiam Romanam, sed in ea atque in ipsius Rota (quam in eius gratiam, et in signum nostrae erga illam dilectionis ereximus) decidi et fine debito terminari, camerali obligatione, et aliis quantumvis urgentioribus quibuscumque non obstantibus. Concedentes ipsi praetori et auditoribus facultatem reassumendi causas omnes praedictas, etiam a quibuscumque iudicibus et tribunalibus, quoties opus fuerit, illasque etiam in statu et terminis, in quibus reperientur, prosequendi, ac sub poenis arbitrariis, in legatione et extra inhibendi, ac praedictas poenas exequendi.

Causae Status Ferrariae non extrahendae.

Causae a praetore sorte dividendae;

§ 24. Nunc cum auditoribus iurisdictionem concesserimus, non abs re est, ut certam quoque formam, qua citius et accommodatius lites expediri valeant, eisdem praescribamus. In primis itaque volumus ut praetoris, quem supremum Rotae ac civitatis magistratum constituimus, partes sint causas omnes rotales forte dividendi inter auditores.

Voto tamen totius Rotae terminandae.

§ 25. Quos auditores et praetorem singulos iudices causarum suarum ordinarios deputamus; ita tamen ut, absque voto collegarum, nec ad terminationem causarum, nec articulorum quidem relevantium devenire queant.

Sportulae a notario dividendae.

§ 26. Sportularum vero ac emolumentorum per notarium fiat divisio, et idem notarius, lata sententia, singulis iudicibus seu auditoribus suam det portionem; praetore tamen nullam portionem in sportulis ac emolumentis secundarum appellationum sibi vendicante.

Ponens non votat in causas, nisi aliorum vota sint aequalia.

§ 27. At quia iudex causae, quem ponentem vocari volumus, satis elaborabit in studendis processibus (cum velimus ab eo statum, merita causae digesta coauditoribus proponi), et ideo quaestionem resolutioni commode vacare non poterit, statuimus ponentem ipsum nullum habere votum in sua causa, sed iuxta maioris partis coauditorum votum, quemcumque articulum, et ipsam causam definire teneri; nisi tamen auditores essent discordes, et vota forent aequalia, quo casu disponimus, ut tunc votum habeat, cum uni parti adhaerere teneatur.

§ 28. Volumus autem dictam Rotam

Rota quando et quoties fieri et informari debeat.

fieri bis in hebdomada, videlicet die lunae ac veneris summo mane, ac si dies lunae fuerit feriata, mandamus eam fieri mercurii ac veneris proxima; si autem dies veneris feriata fuerit, et dies lunae eiusdem hebdomadae fuerit iuridica, tunc fiet ipsis diebus lunae et mercurii; et in summa bis in hebdomada diebus non feriatis fieri decernimus, ita tamen ut pro unaquaque Rota, uno die partes cum advocatis et procuratoribus informent singulos auditores domi, relictis etiam informationibus in scriptis, et ponenti duplicatis, ut parti petenti copiam dare possit; et unusquisque in sero eiusdem diei ad omnes coadiutores transmittat sua dubia, quae proponere decrevit in proxima futura Rota; sequenti vero die causas studeant, et memorialia partium super responsione informationibus die praecedenti datis accipiant, tertia vero die eas, quoad fieri poterit, decidant. Numerum autem causarum et articulorum emergentium, proponendarum et proponendorum in qualibet Rota arbitrio ipsorum auditorum relinquimus et relaxamus.

Propositio causae quomodo facienda.

§ 29. Ut autem dubiorum inanium otiosa evitetur disputatio, facimus ut causa in Rotam introducta, actor porrigat ponenti suum memoriale super dubio disputando, quod iuxta naturam et exigentiam celerioris expeditionis causae formabit, partem adversam coram eo iudice citabit ad concordandum de dubio, et ipsa parte comparente et illud acceptante, ipsi dubio subscribet, copiamque utrique parti concedat, ut super eo informare valeat; quod si alia pars non comparuerit, iudex duplicatam dubii copiam instanti subscribet, ut unam penes se retinere, aliam suo adversario per nuncium notificare et transmittere possit. Et si in acceptatione dubii partes discordes fuerint, ipse ponens eas, ut sibi iustum videbitur, concordare studebit; et altera parte petente, quatenus sic res postulet, super dubio dando adhibebitur votum totius Rotae.

Termini citationum quando servandi et declarandi.

§ 30. Termini citationum pro perficiendo processu, coram eisdem auditoribus, finita statim Rota, per notarios actuarios et procuratores servabuntur; quos auditores pro servato habere posse infra decennium proximum, etiam domi, declarandos decernimus.

Summarium testium quomodo firmandum.

§ 31. Ac ut facilius depositiones testium inspiciantur, et ne auditores, magis quam expediat, fatigentur, mandamus, quoties ab utraque parte, vel altera earum examinati fuerint, et ponenti visum fuerit, eorum dicta in summarium redigantur; et quoniam a nemine accuratius perpenduntur, quam a partibus interesse habentibus, fiet ab actore summarium, illudque ponenti exhibebit, et pars adversa coram eo citabitur ad concordandum de summario, alias videndum pronunciari stari debere summario per instantem porrecto, ac illud per dictum ponentem subscribi, et adversario comparente, si approbabit summarium, erit concordatum, sin minus addet vel minuet in folio separato, prout viderit convenire, et ipse ponens differentias dirimat, ipsiusque summarii copiam singulis auditoribus a ponente subscriptam partes exhibebunt.

Citationes, quae in actis rediigendae.

§ 32. Citationes autem productae ad concordandum de dubio, et ad concordandum de summario, nolumus quod in actis redigantur, nec aliae citationes, quae non sint necessariae ad validitatem iudicii, sed necessariae dumtaxat.

Decisionos in quibus causis dandae.

§ 33. Demumque, post causarum expeditionem, teneatur Rota parti petenti in causis excedentibus summam scutorum ducentorum tradere decisionem. In causis videlicet exequutivis infra decem dies continuos; in caeteris vero quibuscumque infra triginta dies continuos a die prola-

tionis sententiarum in dictis causis immediate decurrendos.

Praecedentia praetoris, et auditorum praefinitur.

§ 34. Et quoniam Rotae tribunal tamquam supremum in iudicando, in civitate et tota legatione, meretur aliquam praerogativam, ideo sancimus ut praetor Rotae in omnibus actionibus, tam publicis quam privatis, praecedere debeat caeteros iudices, tam civitatis, quam totius legationis, etiam locatenentes generales causarum civilium et criminalium, quos, post praetorem, supra caeteros auditores incedere volumus. Auditores vero ipsius Rotae praecedere volumus omnes et quoscumque iudices ipsius civitatis et legationis, praeter ipsos duos locatenentes, nunc et pro tempore, generales supradictos.

Indulta eisdem conceduntur.

§ 35. Nec non eosdem praetorem et singulos auditores Rotae immunes constituimus a portu litterarum, et ab omnibus datiis, gabellis ac gravaminibus quibuscumque : insuperque etiam potiri volumus omnibus privilegiis, immunitatibus, praeeminentiis et praerogativis, quibus consiliarii iustitiae, in quorum locum ipsi praetor et auditores subrogantur, hucusque potiti sunt. Demum eidem Rotae Ferrariensi eiusque praetori, ac singulis auditoribus, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, facultatibus et praeeminentiis, quibus Rota Bononiensis eiusque praetor et auditores quomodolibet fruuntur, potiuntur et gaudent, pari modo et absque aliqua differentia frui, potiri et gaudere possint et valeant, perpetuo concedimus et indulgemus. Declarantes quatenus dictae facultates et privilegia Rotae Bononiensis et consilii iustitiae olim ducalis essent minora supraexpressis, et ipsa Rota Bononiensis minori privilegio et facultate potiretur, quam ipsum consilium iustitiae, et e contra, nullatenus intendimus maiori privilegio derogare, sed prout per praedicta, et unumquodque eorum uberius provisum est, eo maiori etiam privilegio, immunitate, praeeminentia, emolumento, praerogativa, facultate et gratia, Rotam nostram Ferrariensem eiusque praetorem et singulos auditores decorare, illisque potiri decernimus et mandamus.

Deputatio cardinalis protectoris.

§ 36. Caeterum dilectum filium nostrum Petrum tituli S. Nicolai in Carcere diaconum cardinalem Aldobrandinum nuncupatum, nostrum secundum carnem ex fratre germano nepotem, quoad vixerit, in dictae Rotae, et eius praetoris ac auditorum, eorumque iurium et privilegiorum, ac indultorum quorumcumque protectorem cum omnimoda facultate et auctoritate omnia et singula, quoad praetoris et dictorum auditorum officium quomodolibet, vigore praesentium, et alia de iure vel consuetudine spectant et pertinent, et quae alii similes S. R. E. cardinales protectores facere et exercere possunt et consueverunt, faciendi, dicendi et exercendi, dicta auctoritate, perpetuo etiam constituimus et deputamus.

Clausulae huius bullae praeservativae.

§ 37. Decernentes praesentes litteras quacumque causa nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, sive eas infringi, invalidari seu revocari posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, necnon inviolabiliter perpetuo observari.

Clausulae sublata, *etc.*,

§ 38. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, etiam eiusdem palatii nostri apostolici causarum auditores et eiusdem Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, seu vicelegatos, aut Camerae Apostolicae praesidentes et clericos, et quosvis alios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique locorum iudicari, definiri et inter-

pretari debere. Irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio exequutorum eiusdem bullae.

§ 39. Ac mandantes omnibus et singulis totius Status Ecclesiastici praedicti commissariis, gubernatoribus, potestatibus, et eorum locatenentibus, legatis, vicelegatis, necnon venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus generalibus, ac aliis iurisdictionem exercentibus quibuscumque, ut quoties super hoc fuerint requisiti, sententias, decreta, statuta, sequestra, mandata, exequutoriales litteras, remissoriales, citationes et alias a dicta Rota et eius auditoribus emananda pro tempore, omnibus opportunis remediis exequutioni demandari faciant realiter et cum effectu, prout opus fuerit, et eis commissum extiterit.

Clausulae derogatoriae.

§ 40. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et praesertim facultatibus dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori concessis, ac supradicta constitutione Aldobrandina, necnon eiusdem civitatis Ferrariensis ac aliarum civitatum, terrarum et locorum praedicti ducatus Ferrariensis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, legibus etiam municipalibus, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam eisdem provinciae, civitatibus, oppidis, terris, castris, villis et locis, eorumque communitatibus, universitatibus, iurisdictionibus, gubernatoribus, potestatibus, officialibus, et incolis et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, derogamus et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIX maii MDXCIX, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 29 maii 1599, pontif. an. VIII.

CCIX.

Monasteria monialium civitatis Senarum immediatae archiepiscopi iurisdictioni subiiciuntur[1].

Venerabili fratri archiepiscopo Senensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Monasteria omnia urbis Senensis archiepiscopo subiecit Pius II.

§ 1. Cum, sicut accepimus, licet alias felicis recordationis Pius Papa II, praedecessor noster, cupiens ut ubique in praeclarissima civitate Senensi monialium monasteria sub tali ductu et gubernio protegerentur et custodirentur, ut non modo scandala, sed neque etiam scandalorum motus inde possent quomodolibet suboriri, utque in eis vera religio vigeret, et honestatis ac prudentiae splendor eniteret, non sine magnis et urgentibus rationibus atque causis animum suum ad id tunc moventibus, omnia et singula monasteria tam intus quam extra muros

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

eiusdem civitatis consistentia quorumcumque Ordinum, exempta et non exempta ab omni cura, visitatione et superioritate omnium et singulorum religiosorum Ordinum quorumcumque Mendicantium, et non Mendicantium, Observantium sive Conventualium, auctoritate apostolica, ex certa scientia, perpetuo eximisset et liberasset, et ipsorum omnium et singulorum monasteriorum, et in eis pro tempore existentium personarum curam, reformationem, visitationem, punitionem et correctionem tam in capitibus quam in membris tunc et pro tempore existenti archiepiscopo Senensi, eiusque pro tempore vicario in spiritualibus generali, auctoritate et scientia praedictis, commisisset et specialiter delegasset, ita ut in monasteria, eorumque personas praedictas omnimodam iurisdictionem valeret exercere, omnibusque et singulis religiosis praefatis cuiuscumque gradus, praeeminentiae, praelaturae ac status existerent, sub excommunicationis et carceris, in quo propterea per biennium sine ulla remissionis spe detinendi essent, poenis inhibuisset, ne praedicta monasteria, vel eorum aliquod, quacumque sumpta occasione, visitare, aut alias ad illa accedere, seu in illorum cura et regimine se quoquo modo intromittere deberent: mandans archiepiscopo et vicario praefatis, ut quoscumque religiosos ex praedictis, quos contra huiusmodi inhibitionem, eadem monasteria visitando, et ad illa accedendo egisse eis constaret, non solum excommunicatos nominatim publice nunciarent, et ab aliis nunciari, ac ab omnibus arctius evitari facerent, sed etiam eos carceri manciparent, et per biennium detinerent, ac alias, prout in eiusdem Pii praedecessoris litteris plenius continetur.

§ 2. Nihilominus ex concessione felicis recordationis Leonis Papae X, etiam praedecessori nostri, monasterium monialium Sanctae Mariae Magdalenae sub cura fratrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, et aliud Sanctae Monicae sub eorumdem fratrum, ac unum Sancti Iacynthi de Vita Æterna, ac aliud Sanctae Catherinae Paradisus nuncupata monialium monasteria dictae civitatis sub fratrum Ordinis Praedicatorum cura nunc reperiuntur, licet de tribus ultimo dictis monasteriis nulla appareat concessio.

Leo tamen X nonnulla ex iis monasteria regularium auctoritati tribuit.

§ 3. Nos autem attendentes dictum Pium praedecessorem, provido consilio, monasteria monialium sub cura et gubernio Ordinarii reduxisse, nuncque potissimum expedire, ut sub huiusmodi Ordinarii cura et gubernio permaneant, idcirco iustis suadentibus rationibus adducti, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, praedictas Pii II litteras innovantes et confirmantes, tam supranominata quatuor, quam alia quaecumque, si quae sint, monialium monasteria tam intra, quam extra muros civitatis Senensis existentia cuiuscumque Ordinis, ab omni cura, visitatione, correctione, gubernio et superioritate praedictorum Sancti Dominici et Sancti Augustini, et quorumcumque aliorum quorumvis Ordinum Mendicantium vel non Mendicantium, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo eximimus, tollimus et liberamus, ac illorum omnium et singulorum, et in eis pro tempore existentium personarum curam, reformationem, visitationem, punitionem et correctionem tam in capitibus, quam in membris fraternitati tuae, et pro tempore existenti archiepiscopo Senensi, seu tuo in spiritualibus vicario generali, auctoritate et tenore praedictis, ita ut vos in monasteria, eorumque personas praedictas omnimodam iurisdictionem exercere valeatis, iuxta praedictarum Pii II litterarum seriem, committimus et delegamus.

Constitutionem Clemens, renovat Pii II.

§ 4. Inhibentes propterea supradictis omnibus et singulis religiosis sub eisdem poenis in litteris Pii praedecessoris contentis per contrafacientes eo ipso incurrendis, ne ulterius in cura, gubernio, visitatione, correctione et reformatione monasteriorum praedictorum se quovis praetextu intromittere audeant seu praesumant, tibique, seu vicario praedicto contra quoscumque ex dictis religiosis per poenas praedictas irremissibiliter procedendi, plenam et liberam facultatem concedimus et impertimur.

Inhibetque Regularium superioribus ne in regimine praedictorum monasteriorum se ingerant.

§ 5. Non obstantibus concessione Leonis X, aliisque praemissis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac monasteriorum et ordinum praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem monasteriis ac ordinibus, necnon superioribus et religiosis quibuscumque in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, necnon omnibus illis, quae praedictus Pius praedecessor in suis litteris voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die IV iunii MDXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 4 iunii 1599, pontif. an. VIII.

CCX.

Facultas cardinalibus Caietano et Burghesio introducendi disciplinam in collegiis et seminariis nationis Anglicanae, tam in Hispaniis quam in partibus inferioris Germaniae erectis, ad formam regiminis collegii eiusdem nationis Romae erecti a Gregorio XIII[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Dilectis filiis nostris Henrico S. Pudentianae Caietano, et Camillo S. Eusebii titulorum presbyteris Burghesio nuncupatis cardinalibus

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii,

salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. De quiete ac felici regimine collegiorum et seminariorum quorumcumque nationis Anglicanae, tam in Urbe quam alibi ubicumque locorum institutorum, ac de ipsis Anglis catholicis in catholica fide et pietatis cultu continendis pro nostro pastorali munere solliciti, ac de vestra prudentia, virtute et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, vobis, ut disciplinam nuper in collegium Anglorum de Urbe iussu nostro, ac vestra institutione introductam (per quam, ut magna cum nostra voluptate accepimus, omnes domestici tumultus et discordiae sublatae sunt, summaque pax et animorum unio inter omnes vigere cernitur), non solum in praedicto Urbis collegio, auctoritate nostra, confirmare, sed in aliis omnibus eiusdem nationis Anglicanae collegiis et seminariis ubilibet institutis, introducere, et si quae ad maiorem perfectionem vel explicationem regularum, quae iam in usu sunt pro disciplina, aut regimine dictorum collegiorum et seminariorum addenda vel mutanda vobis videbuntur, ea addere vel mutare arbitrio vestro possitis et valeatis, quae manibus vestris subscripta eamdem cum prioribus vim et efficaciam habeant.

Facultas de qua in rubrica.

§ 2. Ac praeterea, ut quaecumque in bulla erectionis praedicti collegii Urbis a felicis recordationis Gregorio Papa XIII, praedecessore nostro, sub datum kalendis maii, pontificatus sui anno septimo, edita pro bona Anglicanae iuventutis institutione sunt disposita, eadem vel omnia, vel aliqua ex parte, prout vobis (visis

Alumnis fit potestas eligendi duos festos ex approbatis sanctorum anglorum.

et consideratis omnibus) expedire videbitur, aliis quoque collegiis et seminariis Anglicanis extra Urbem in Hispaniarum regnis, aut in partibus inferioris Germaniae institutis, communicare; nominatim vero cuicumque ex dictis collegiis seu seminariis, ut unumquodque ipsorum, ad huius collegii Urbis exemplum, duo festa ex iam approbatis Sanctorum Anglorum, quae cum vestro consensu sibi delegerint, singulis annis celebrare, ac iis festis diebus, iisdem privilegiis et indulgentiis, quibus collegium Anglicanum Urbis in festivitatibus Sanctissimae Trinitatis et Sancti Thomae Cantuariensis gaudere et frui solet, pari modo, ac si unicuique ipsorum collegiorum et seminariorum nominatim concessa fuissent, gaudere ac frui possint et valeant, concedere et indulgere, auctoritate nostra, possitis et valeatis, plenam et liberam per praesentes eadem auctoritate concedimus facultatem.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quorumcumque collegiorum et seminariorum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VII iulii MDXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 iulii 1599, pontif. an. VIII.

CCXI.

Confirmatur statutum Capituli Basiliensis de non infeudandis bonis eiusdem ecclesiae, eorumque natura immutanda [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Venerabili fratri Cristophoro episcopo, ac dilectis filiis praeposito, decano et Capitulo ecclesiae Basiliensis

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sincerae fidei et devotionis affectus, quo nos et Romanam prosequimini Ecclesiam, promeretur ut statuta per vos ad Ecclesiae vestrae utilitatem et commodum facta, apostolicae nostrae confirmationis robore libenter communiamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Capitulum statuta condit quibus decernitur ne feuda cuiquam in perpetuum, vel ad tempus, concedantur;

§ 1. Vestro siquidem nomine nobis nuper expositum fuit, quod vos attendentes Ecclesiam vestram Basiliensem potentia, auctoritate, opibus ab ipsis fere originis suae primordiis egregie florentem, nunc iniuria et iniquitate temporum propemodum eversam et collapsam existere; idque praeterquam Ecclesia praedicta bellis gravissimis conquassata, immenso aere alieno et pignorum nexu afflicta est, ex infeudationibus perpetuis bonorum dictae ecclesiae factis (ex quibus ipsius ecclesiae redditus, iura, terrae, possessiones, arces et oppida, quae mensae episcopali antea adscripta erant, et ipsius ecclesiae dignitati et iurisdictioni tuendae inserviebant, alienata reperiuntur) evenisse; huic damno et incommodo aliqua ratione occurrere cupientes, concordibus animis et communi suffragio inter vos convenistis, et statutum perpetuum et irrevocabile condidistis ut nimirum in posterum feuda, seu avita, seu nova illa sint, quae vel per obitum vassallorum, vel alio quocumque modo ad episcopalem mensam reversura sunt, nemini unquam amplius, nullo neque meritorum neque necessitatis vel utilitatis, neque sanguinis vel affinitatis respectu, denuo neque in perpetuum neque ad tempus concedantur, sed mensae

episcopali vindicentur et addicantur, ibique perpetuo adserventur. Deinde, ut nulli successori episcopo, neque vobis ipsis liceat ex mensa episcopali nova feuda constituere, vel naturam et conditionem feudi alicuius immutare, aut de familia in familiam, vel de gente in gentem transferre, idque nec consensu capituli; quem si quis alterutro, seu feudi aperti aut commissi, sive commutandi, aut de novo constituendi, casu emendicatis suffragiis elicere contendat; is tamen neque universe neque singillatim adhibeantur, neque consilio aut ope alicuius ullo modo foveatur. Si vero quid contradictum, attentatum, vel factum fuerit, totum id nullius momenti, ponderis et valoris sit, pleneque revocetur, neque ulla, etiam longissimi vel memoriam hominum excedentis temporis, vel possessionis exceptione adiuvetur, sed omnino a quolibet praesertim proximo successore episcopo retractetur, quod diligentissime curabit capitulum, urgebitque retractationem, vel demortuo episcopo cum successore eam inibit et perficiet; is autem qui contra aliquid moliri, tentare, facere, suadere, vel quocumque modo per se vel per alium contravenire ausus fuerit, sive episcopus is sit, sive unus, vel plures ex capitulo, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, a qua nisi a Summo Pontifice, excepto mortis articulo, absolvi nequeat. Praeterea omnibus ecclesiis, monasteriis et aliis per eum detentis beneficiis, eo ipso privetur, exuatur, infamiaque perpetua notetur. Ut autem haec omnia magis sollicite et maiori studio et fervore amplecteremini et prosequeremini, mutuo vos iureiurando ad eorum observationem solemniter et rite adstrinxistis et obligavistis, quod quotiescumque ad alterius episcopi electionem accedet capitulum, ab ipso renovari et iterari, neque prius quidquam de successore designando adlegendoque consultari posse voluistis, quam in verba et mentem huius statuti, deque eo inconcussa et illibata observantia custodiendo iuraverit. Electus quoque e vestigio, et ante idem iusiurandum praestet, quam administrationem episcopatus in se recipiat, alioquin irrita, vana et inutilia sint quaecumque gesserit, statuerit vel fecerit. Canonici item cum in capitulum adoptantur, non prius vocem et suffragium in eo habeant, quam eadem iurisiurandi religione teneantur, ac more consueto ei se devoverint et obligaverint. Praefectus denique aulae, cancellarius et consiliarii episcopales cum primum iis honoribus et muneribus praeficiuntur, idem sancte iurent, et cum reliquis officio eorum annexis articulis praemittant.

Aut bonorum natura mutetur.

Statutis poenis contra transgressores.

Additoque iuramento per episcopos et canonicos de observando huiusmodi statuta.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, vos pro maiori praedicti statuti firmitate cupiatis illud auctoritatis apostolicae robore communiri, nobis propterea humiliter supplicari fecistis, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Petit ea apostolica auctoritate confirmari.

§ 3. Nos igitur honestis petitionibus vestris, praesertim ecclesiae utilitatem respicientibus, quantum cum Domino possumus, annuere, vosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, statutum supradictum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes

Confirmat Clemens.

et singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, ipsumque statutum per vos et successores vestros, aliosque omnes, ad quos spectat, et in futurum spectabit, inconcusse et inviolate perpetuo observari debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Contrariisque derogat.

§ 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac aliis eiusdem ecclesiae vestrae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis vobis, et eidem ecclesiae, seu quibusvis aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDXCIX, Pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 14 augusti 1599, pontif. an. VIII.

CCXII.

Hortatio pastoralis ad episcopos regni Galliae ut, pace iam composita inter reges Galliae et Hispaniarum, suo muneri animarumque saluti et catholicae fidei augmento ardientius incumbant.

Clemens Papa VIII

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Lugdunensi et episcopis in eadem provincia constitutis.

Proœmium.

Dives in misericordia sua Deus, quamvis peccatis hominum promerentibus, multis Ecclesiam suam perturbationibus concuti, et tamquam tempestatibus iactari permittat, quibus cor nostrum gravi molestia et sollicitudine conficitur, qui in hac puppi militantis Ecclesiae, meritis licet et viribus imparibus, Deo ipso ita disponente, clavum tenemus, idem tamen misericors et miserator Dominus, secundum divitias bonitatis suae, nos stillicidiis consolationis suae mitigare quandoque non cessat.

Pace composita, Clemente auctore, inter reges Galliae et Hispaniae;

§ 1. Nam pace inter duos pontentissimos reges, filios nostros in Christo carissimos, admirabili Dei benignitate conciliata, quod crebro et multa cum gratiarum actione commemorandum est, iam ex ea in isto potissimum nobilissimo Franciae regno, quod in visceribus Christi gerimus, commoda illa, ut audivimus, et spiritales utilitates emanare incipiunt, quas a summa Dei clementia, et a vestra etiam pastorali vigilantia, fratres venerabiles, expectabamus. Iam enim optatissimae et divinitus collatae pacis beneficio, regnum istud amplissimum, tamquam ex gravi et periculoso morbo, quo diu est afflictatum, recreari videtur; iam divino illius munere, qui est pax nostra, qui non permittit nos tentari supra id quod possumus, sed facit cum tentatione proventum, respirat, et quodammodo resurgit christianissima Gallia et catholicae religionis gloria, et vetus ille splendor divini cultus, ut audivimus, paulatim redit et reflorescit; pastores complures vigilant super gregem suum, et oves pastorum vocem audiunt, et ab alienis fugiunt, et Spiritus Sancti numine corda patrum ad filios, et corda filiorum ad patres convertuntur. Quae cum nobis nunciantur, exultat in Deo spiritus noster, Eumque ex intimo cordis affectu oramus, ut ipse, cuius perfecta sunt opera, quemadmodum coepit, ita in vobis opus et gratiam suam perficiat.

Episcopos hortatur ut muneri suo diligenter intendentes animarum saluti, et fidei catholicae augmento incumbant.

§ 2. Quod igitur anno superiore fecimus per apostolicas nostras litteras, te, frater archiepiscope, et vos, fratres episcopi, iterum salutamus, iterum ex nostra pastorali sollicitudine et zelo permoti charitatis Christi, qui cor nostrum exedit, ad opera et labores episcopales vos invitamus, ad quos a summo patrefamilias vocati et conducti sumus, magnis sane praemiis et coronis, atque hoc ipsum paterni erga vos amoris nostri officium, tanto nunc libentius et iucundius repetimus, quanto maiorem apud vos admonitiones, et cohortationes nostras vim habuisse perspicimus, quae certe ex ardenti studio et desiderio salutis animarum promanant. Nunc ergo vos currentes magis magisque incitamus, sic currite in hoc spirituali studio ut comprehendatis. Numquam enim cessandum, numquam in medio cursu insistendum, neque cura et diligentia vestra remittenda; sed quae retro quidem sunt et praeteriere, quodammodo oblita, ad remotiora, quae in conspectu vestro sunt, vos ipsos extendite, donec, gratia Dei adiutrice, perveniatis ad destinatum scopum et praemium supernae vocationis Dei in Christo Iesu. Vobis enim non corruptibilis corona proposita est, sed incorrupta et quae nulla temporis diuturnitate marcescit. Quod si ii, qui terrenis et caducis divitiis congregandis inhiant, tantos labores suscipiunt, tantis sudoribus seipsos exercent, agros novant, terram arant, sulcos altius imprimunt, et iteratis arationibus solum proscindunt ut foetus uberiores edat; quid vos tandem facere oportet in hac spirituali cultura? qui labores non subeundi? etiam si cum fletu et lacrymis arandum et serendum sit, ut venientes paulo post veniatis cum exultatione animarum, quas Christo lucrati eritis, manipulos laetissimos reportantes? Nunc ergo levate oculos vestros et videte regiones istas, quae antea erant sicut paradisus Domini, sed vepres multi et spinae succreverunt et, dormientibus colonis, inimicus homo superseminavit zizaniam; multi morum errores, multae corruptelae, et quod luctuosius est, multae haereses, tamquam stirpes et erbae venenatae et pestiferae in regno isto amplissimo exortae sunt; sed nativa illa Francorum bonitas, et tamquam ingeneratus animorum candor, quasi quaedam agrorum ubertas adhuc remanet; modo, vos episcopi, in illorum culturam, magna industria, magna diligentia incumbatis; confidimus in Domino, quod gratiae suae rore foecundabit terram istam, et germinare eam faciet sicut prius germina pietatis et religionis, et quae vos seminaveritis pia et sancta, eadem benedicente Domino metetis, et fructum multum congregabitis in vitam aeternam.

Clericorumque delectum habeant.

§ 3. Sed quoniam ad agrum Domini et ad vineam Dei Sabaoth excolendam operariis multis fidelibus et strenuis opus est, propterea hortamur vos, etiam atque etiam, fratres, et commonemus, ut in clericis conscribendis, quorum opera in ecclesia et in omni spirituali ministerio uti debetis, magnam curam, magnum delectum habeatis.

Simoniae labem exterminent, atque avaritiae suspicionem amoveant.

§ 4. In primis vero date operam, omnique studio, ope, conatu, vigilantia contendite, ut detestabilem simoniae labem a domo Dei, quam decet sanctitudo, penitus exterminetis, neque vos ipsos modo puros atque incorruptos a foedissimi et perniciosissimi morbi contagione conservate (absit enim ut episcopalis dignitatis castitas atque integritas tantae impuritatis macula violetur atque foedetur); sed caeteros etiam cohibite quam diligentissime ne tantum scelus admittant, nihil immundum, nihil coinquinatum in sanctuarium Dei ingredi oportet, alioquin ira Dei supra modum provocatur, et Ecclesia Dei

detrimentis gravissimis afficitur. Itaque simoniae lepra contaminatos, arrepto disciplinae flagello, eiicite a templo Dei; foras canes, foras operarii subdoli, qui dona Dei, qui Spiritum Sanctum existimant pecunia possideri. Denique, fratres, divini honoris zelo incensi, vigilate, agite, atque efficite, ut a cathedralibus et superioribus ecclesiis, a beneficiis ecclesiasticis, ab ordinum collatione, postremo a cuiusvis ecclesiastici muneris functione, omnes illicitae pactiones, omnis execrandae simoniae absit labes et pernicies, omnisque sordidae avaritiae suspicio ab ecclesiastico ordine quam longissime arceatur.

Sacris ordinibus probos viros adscribant.

§ 5. Iam vero quanti momenti sit clericorum ordinatio, quantam ea in re episcoporum curam et sollicitudinem sacri canones requirant, non ignoratis, fratres; haec enim prima aut bonorum aut malorum multorum, quae postea consequuntur, causa et origo. Nisi enim is qui ad clericalem militiam adscribitur, aut sacris ordinibus initiatur, talis sit et tali proposito ad hoc vitae genus accedat, ut in corde vero et simplici cultum Deo praestare, et illi fidelem servitutem servire cupiat, atque ita in sortem Domini adscribatur, ut vere et ex animo Deum ipsum sortem suam et portionem habere desideret, profecto si aliter fiat, quamplurima et gravissima incommoda et mala existere necesse est.

Ordinationum tempora et alia observent.

§ 6. Hinc illa veterum sanctorum Patrum et sacrorum conciliorum tam exquisita diligentia et veluti anxietas, quam in hac ipsa ordinandorum materia ab omni Ecclesiae antiquitate observare licet, ut statutis anni temporibus, quando Spiritus Sancti gratia per totius fidelis populi orationem et ieiunium praecipue imploratur, ordinationes habeantur; ut in cathedrali et in primaria ecclesia a proprio episcopo, publice, ritu solemni, celebrentur; ut non nisi probati et examinati initientur, ita ut episcopus ipse piis et prudentibus sacerdotibus, et divinae legis peritis, atque in ecclesiasticis functionibus exercitatis secum adhibitis, de ordinandorum genere, natalibus, aetate, institutione, vita, moribus, doctrina et fide diligenter inquirat atque investiget; ut non nisi digni et probati, bonum testimonium habentes, qui, Deo auctore, sperent se continere posse, qui pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, paulatim et per temporum intervalla, ad altiores gradus assumantur et ad sacratissima mysteria, quibus nihil est divinius, merito admittantur.

Seminariis clericorum, et collegiis instituendis et pie informandis studeant.

§ 7. Denique in collegiis et seminariis clericorum instituendis, et clericis ipsis ab ineunte aetate ad pietatem et religionem informandis, magna omni tempore ab episcopis diligentia est adhibita: idque merito propterea quod optime perspicerent, ecclesiasticam disciplinam iis fundamentis niti, et bonorum operariorum copiam in primis in ecclesia necessariam esse intelligerent.

Clericos idoneos ad sacros ordines promoveant.

§ 8. Quas ob causas, fratres, quam maxima possumus efficacia vos hortamur, monemus et rogamus, per viscera misericordiae Dei nostri, ut non nisi idoneos et ecclesiis vestris utiles, clero adnumeretis, et ad ordines, praesertim sacros, promoveatis. Ætas quidem, ut scitis, unicuique ordini praescripta est, sed non ea sufficit, nisi in vita et moribus eorum, qui sacris ordinibus initiandi sunt, senectus sit, nisi Christi bono odore compleant domum Dei, et nisi ea eruditione et scientia sint instructi, quae ad ordinem exercendum pertinet: quod cum in aliis sacris ordinibus observandum est, tum maxime in presbyteris initiandis, qui sublimiore loco supra candelabrum ponuntur, et tamquam lucernae accenduntur ut luceant omnibus qui in domo sunt, quibus

animarum cura committitur, quae est ars artium, qua nulla difficilior, aut maioribus periculis obnoxia. Hi nimirum adiutores vestri sunt, qui ad populum regendum, et salutaribus sacramentis pascendum eliguntur, qui doctrina, pietate, castis moribus et illustribus bonorum operum exemplis ita aliis praelucere debent, ut vere lux et sal populi sint et habeantur. Nunc autem crebro apud vos sacris ordinibus initiari audimus, et multo cum animi dolore audimus, homines viles, infimae et abiectae conditionis, nulla eruditione, nullis meritis, nulla generis honestate commendatos, immo vero rudes, illiberales, sordidos, ineptos, vitiis plerumque commaculatos, a quibus nihil plane boni, aut ad virtutem, aut ad prudentiam, aut ad rerum usum sit expectandum, multum vero mali iure optimo sit metuendum. Itaque videte, fratres, ne contra Apostoli praeceptum manus cuiquam nimis propere imponatis, et ne communicetis peccatis alienis, neque enim aliam ob rem, quam ob collatos ordines, gravius iudicium apud iustum Iudicem subibitis.

Praesertim in locis ubi catholica religio restituitur.

§ 9. Quia vero, ut initio diximus, admirabili Dei benignitate Franciae regnum paulatim, ut audivimus, et in Domino confisi speramus, resurgit, et errorum densae tenebrae, quae loca multa pervagaverant, atque obsederant, coelestis gratiae sole exoriente, et veritatis lumine dissipantur, ob eam causam, vos fratres, magnopere hortamur, ut ad eas regiones, civitates et loca, in quibus catholicae religionis usus restituitur, et divini cultus sacrae functiones renovantur, et sacramentorum administratio iterum in mores inducitur atque instauratur, clericos et sacerdotes probatissimos mittatis, qui non solum doctrina et rerum ecclesiasticarum usu, sed vitae integritate et prudentia praestent, qui zelo honoris Dei et salutis animarum sint incensi, qui vere omni sua actione fidelem populum aedificent, et non destrant, qui non terrena compendia, sed animarum lucrum quaerant, qui denique novellas plantationes colant, rigent in spiritu charitatis et patientiae, ut ab Eo, qui est fons perennis bonorum omnium, accipiant incrementum.

Ecclesias et dioeceses visitent.

§ 10. Sed quoniam in omni rei domesticae cura nihil est utilius, quam si ipsemet paterfamilias omnia frequenter inspiciat, suaque vigilantia suorum industriam et diligentiam alat; propterea vos hortamur, fratres, vobisque praecipimus, ut ecclesias et dioeceses vestras vos ipsi visitetis, vos ipsi state in medio ovium vestrarum dissipatarum, et congregate eas, vos ipsi imitatores facti boni pastoris illius, qui animam suam posuit pro ovibus suis, pascite gregem vestrum, et pecoris vestri vultum agnoscite, ut non iam furum et alienorum, sed patris et pastoris sui vocem audire et sequi assuescant; vos congregate agnos, et in brachiis vestris, et in sinu vestro levate et gestate eos, et foetas oves vos ipsi portate: mirum est enim quanta vis sit, quanta utilitas episcopalis visitationis, quod alteris etiam litteris nostris pastoralibus, quas anno superiore ad vos dedimus, accurate pro rei gravitate contestati sumus.

Sacris functionibus atque sacramentorum administrationi studeant.

§ 11. Sed in universum in omni sacra et ecclesiastica functione vos auctores, vos duces et magistros esse oportet, ut quasi de vestrae sanctitatis splendore clerus omnis lumen hauriat, et vestrae charitatis igne incalescat. Itaque in tremendi sacrificii frequenti et devota oblatione, in missarum solemni celebratione, in sacramentis administrandis, in divinis officiis obeundis, in cultu et nitore ecclesiarum, in disciplina domus et familiae vestrae, in pauperum amore et misericordia, in omni denique opere pietatis, religionis et

virtutis, estote forma gregis vestri, sicut decet episcopos servos Christi et dispensatores mysteriorum Dei.

Caeteraque pietatis et episcopalis muneris opera impleant.

§ 12. Implete igitur, fratres, gaudium nostrum, reficite viscera nostra, ambulate in dilectione, et laborate strenue in vinea Domini in omni patientia et doctrina, aspicientes in remunerationem magnam et in gloriam illam, quae exsuperat omnem sensum: nam magni quidem sunt labores, sed magna erunt praemia bonorum episcoporum, in quibus posuit Deus verbum reconciliationis, qui legatione funguntur pro Christo ad populum. Ergo honorificate et implete ministerium vestrum, adiuvate patriam nobilissimam, adiuvate animas pretioso Christi sanguine redemptas, arcete lupos ab ovilibus vestris, resistite ministris Satanae, praedicate verbum, docete errantes, et eos in viam veritatis et salutis adducite; aderit vobiscum Deus, qui nos confortat, et in quo omnia possumus. Non deerit etiam vobis, ut confidimus, auxilium christianissimi regis vestri Henrici, filii nostri charissimi, filii desideratissimi, quem cum multis lacrymis parturivimus, et multo cum gaudio iterum genuimus in Christo. Nam a nobis, et ab hac Sancta Sede, in qua indigni et immeriti praesidemus, ubi nostra apostolica auctoritate opus fuerit, omnia vobis parata erunt adiumenta: venite ad nos, qui vos ut fratres amamus in visceribus Iesu Christi, venite ad matrem, ad Romanam Sanctam Ecclesiam vestram et omnium ecclesiarum matrem, caput et magistram: nihil nobis optatius, nihil iucundius, quam una vobiscum Dei gloriae, et catholicae fidei propagationi servire, et animas multas ad Christum adducere. Adiuvantes ergo exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ecce nunc, fratres, tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, tantam salutiferae pacis opportunitatem ne effluere patiamini, sed fructum ex ea capite uberrimum; nunc enim populi admonendi efficaciter sunt, ut Dei optimi beneficia agnoscant, eumque deinceps peccatis ad iracundiam ne provocent, sed convertantur ad eum in corde perfecto, et ambulent recte coram Deo, abiicientes opera carnis, et opera tenebrarum, induti arma lucis, et opera spiritus perficientes, ut tranquillam vitam agamus, et pace diuturna perfruamur, et fidei catholicae incremento in Domino gaudeamus. Invitat etiam anni sancti, et plenissimi Iubilaei iam proxima celebritas, quando spiritus unitatis Ecclesiae magnopere apparet, et fidelium omnium pietas et devotio, quasi communi quodam calore et gratiae impulsu excitata, vehementius exardescit, quam sanctam Iubilaei celebritatem iam per litteras nostras apostolicas omnibus christifidelibus indiximus et promulgavimus, et praecipue fratres nostros episcopos, et superiores antistites admonuimus, ut nunc maxime studeant, Dei adiutrice gratia, parare Domino plebem perfectam. Hoc ipsum vos etiam atque etiam hortamur, fratres, idque tanto impensius, quanto plura et maiora a Patre luminum beneficia accepistis. Attendite igitur vobis et universo gregi, et talenta vobis credita negotiamini fideliter et fructuose, Ipso benedicente, a quo solo est omnis sufficientia nostra, et cuius vicem in terris nos, quamvis indigni, gerentes, fraternitates vestras pariter benedicimus, et clero ac populo vestro fideli eamdem apostolicam benedictionem nostram paterno affectu impertimur.

Praesentes litterae publicandae.

§ 13. Tu vero, frater archiepiscope, cura (quod te anno quoque superiore fecisse non dubitamus) ut hae litterae nostrae ad fratres nostros provinciae tuae episcopos diligenter perferantur. Deus autem omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu,

qui ipse vos regat, perficiat et confirmet in omni opere bono, ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XX augusti MDXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 20 augusti 1599, pontif. an. VIII.

CCXIII.

Institutio congregationis Fratrum Reformatorum et Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad militantis Ecclesiae regimen, divina dispositione, meritis licet imparibus, evecti, illud nobis prae caeteris curandum proposuimus, ut ecclesiasticorum et religiosorum Ordines quoscumque ad pristini regularis cuiuscumque eorum instituti normam, a qua non parum deflexerunt, quantum in Domino possumus, reduceremus. Ac propterea, qui sua sponte religionis ac arctioris vitae zelo ducti, pristinae regulae, quam suae religionis auctores instituerunt, observantiam cum antiquo illo rigore amplecti, ac de caetero sectari consueverunt [2], eosdem non solum in eorum proposito confovere, sed etiam opportunis gratiis et favoribus libenter prosequi solemus.

Quidam Fratres huius Ordinis primitivam regulam ab Innocentio III institutam in suo rigore observare coeperunt in regnis Hispaniarum.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli pii et religiosi Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum professores, pie considerantes praefatum Ordinem, qui a felicis recordationis Innocentio Papa III, praedecessore nostro, institutus et confirmatus fuit, prout in eius litteris sub datum in Laterano V idus februarii, pontificatus sui anno I, expeditis continetur, temporum iniuria et hominum tepiditate, a primi eius instituti regularis observantia deflexisse, et laxiorem vivendi modum suscepisse, et adhuc retinere; ac propterea, divina inspirante gratia, arctioris vitae zelo ducti, primum dicti Ordinis regulare institutum imitari cupientes, postpositis quibuscumque corporis commoditatibus, dummodo Christum lucrifacerent, primitivam ipsius Ordinis regulam, a praefato Innocentio praedecessore institutam, cum pristino illo rigore observare coeperint, et nonnullas eiusdem Ordinis domos ad huiusmodi primitivam regulam reduxerint, et seu de novo instituere sperent, ac alii quamplures eorum vestigia sectantes, sub eadem primitivae regulae observantia Altissimo famulari desiderent:

Pontifex eorum institutum comprobat, atque Reformatorum Congregationem erigit per priorem gubernandam;

§ 2. Nos, qui, pro nostri pastoralis officii debito, religiosorum quorumcumque statui prospere dirigendo libenter intendimus, pium dictorum religiosorum propositum summopere in Domino commendantes, ac eorum laudabilia principia felicioribus progressibus, quantum cum Domino poterimus, augere cupientes, et eorum quemlibet a quibuslibet excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ex venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super episcoporum et regularium consultationibus et negociis deputatorum, quibus hoc negocium examinandum, et nobis referendum commisimus, sententia, motu pro-

1 Hanc primitivam regulam vid. in const. XVII, Innocent. III: *Operante*, tom. III, pag. 133.

2 Legi fortasse debet *proposuerunt*, aut aliud simile, eum error typographicus videatur irrepsisse in hunc locum. (R. T.).

prio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, unam Provinciam seu Congregationem Fratrum Reformatorum praedicti Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum nuncupandam, quae primitivam regulam Ordinis praefati perpetuo observent, habitu quem modo gestant, utentes, in eisdem Hispaniarum regnis per unum priorem provincialem, in capitulo dictae Provinciae seu Congregationis, postquam, ut in Domino speramus, eorumdem religiosorum Reformatorum numerus auctus fuerit, canonice pro tempore celebrando, ex eisdem Reformatis et Discalceatis eligendum, regendam et gubernandam in perpetuum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, erigimus et instituimus.

Quam a superioritate omnium officialium regulae modificatae eximit praeterquam ministri generalis.

§ 3. Eamque sic erectam et institutam ab aliis provinciis praefati Ordinis modificatae regulae perpetuo seiungimus, separamus et dismembramus, ipsosque fratres Reformatos, et eorum domos et monasteria, tam hactenus erecta quam in posterum erigenda, ab omni et quacumque iurisdictione, visitatione et superioritate, tam commissarii generalis quam aliorum ministrorum provincialium aut localium, et aliorum quorumcumque superiorum modificatae regulae eiusdem Ordinis, super dictis Reformatis et eorum domibus eis competente, excepto ministro generali, ut infra dicitur, perpetuo eximimus et liberamus; ipsamque tamen Provinciam seu Congregationem Fratrum Reformatorum Discalceatorum, eiusque domos et monasteria praesentia et futura, sub obedientia et superioritate ministri generalis totius Ordinis praefati, sicut aliae eiusdem Ordinis provinciae ei subsunt et subiacent, perpetuo subesse atque subiectam remanere et subiacere volumus.

§ 4. Qui per se ipsum tantum, vel alium virum idoneum, ex ipsis tamen fratribus Reformatis ab eo eligendum, eos iuxta eorum primitivam regulam et instituta regularia visitare, reformare, corrigere et punire possit, in monasteriis tamen, domibus et locis eorumdem fratrum Reformatorum; extra quae nullatenus dicti fratres Reformati, vel aliqui eorum ab eodem ministro generali, quovis praetextu, vel occasione amoveri, assignari, mutari, extrahi, aut transferri, vel ad alias provincias mitti, aut in eis retineri possint, nec ipse minister generalis aliqua eiusdem Ordinis fratrum Reformatorum statuta, auctoritate Sedis Apostolicae confirmata seu confirmanda, vel quae ipse nuncius nunc fecerit, vel quae postea a quocumque capitulo provinciali dictorum fratrum Reformatorum facta fuerint, si auctoritate nostra, ut dictum est, fuerint confirmata, mutare, nec aliquas gratias, exemptiones, aut privilegia alicui vel aliquibus adversus ipsa statuta concedere valeat.

Qui eos visitare et corrigere possit.

Ex conventibus laxioribus ad hos Reformatos transire, servata forma hic tradita, indulget, et Reformatis ad Carthusianos tantum transitum permittit.

§ 5. Quia vero nonnulli praefati fratres Reformati, ex praedicto Ordine regulae modificatae, quam professi olim fuerunt, sunt assumpti, volumus et mandamus, ut his et aliis qui, ut dictum est, ex conventibus laxioribus ad hos Reformatos in posterum recipientur, anni spatium concedatur loco probationis; intra quem, siqui praefati instituti vitaeque austeritatem tolerare non possint, ad priores conventus regulae modificatae reverti liceat, et si Reformati sibi minus expedire eorum societatem existimaverint, missos facere valeant; post annum vero elapsum (quod ad experimentum periclitationemque conceditur), sine nova professione, nulli fratrum Reformatorum huiusmodi liceat ad alia, praeterquam Carthusianam, neque etiam Sanctissimae Trinitatis modificatae regulae Ordinem, absque apostasiae nota transire.

§ 6. Ut autem in huiusmodi monasteriis ii tantummodo admittantur, qui ad onera supradictae primitivae Regulae supportanda habiles et idonei futuri sint, dilecto filio nostro et Apostolicae Sedis in eisdem Hispaniarum regnis nuncio, nunc et pro tempore existenti, per praesentes committimus et mandamus quatenus aliquem religiosorum ex fratribus Ordinis Discalceatorum Beatae Mariae de Monte Carmelo, aut Discalceatorum Sancti Francisci, pietate, prudentia, doctrina et experientia, ac in primis religionis zelo praestantem, quem ad hoc munus magis aptum et idoneum iudicaverit, in visitatorem praefatorum Fratrum Reformatorum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis eligat, qui monasteria praedictorum Fratrum Reformatorum personaliter visitare, et in singulorum fratrum praedictorum, qui huiusmodi primitivae regulae observantiam amplexi sunt, vitam, mores et qualitates diligenter inquirat; ac eorum, quos vere arctioris vitae zelo ductos, ad hanc primitivae regulae normam transire iudicaverit, professionem per eos (ut supra dictum est) emittendam recipere curet; caeteros vero, quos minus idoneos et aptos esse compererit, ut habitum Fratrum Reformatorum dimittant, et ex eorum domibus exeant, et ad modificatae regulae praedictae domus revertantur, auctoritate nostra, etiam sub excommunicationis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis, cogat et compellat.

Visitator, qui domos huiusce Congregationis Reformatae visitet, a nuncio apostolico eligendus.

§ 7. Praeterea idem nuncius, cum consilio patris visitatoris, ac aliorum piorum et eruditorum virorum dictorum Ordinum Discalceatorum Carmelitarum, aut Sancti Francisci, et etiam ex ipsismet Reformatis Sanctissimae Trinitatis, statuta et constitutiones pro felici dictae Provinciae Reformatorum eiusque domorum et monasteriorum gubernio, primitivae regulae praedictae, ac sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis non adversantes, auctoritate nostra, faciat et observari mandet.

Eidem nuncio facultas conceditur constitutiones edendi.

§ 8. Ministros insuper, domorum vicarios et magistros novitiorum, tam ex praedictis Reformatis, si alioquin idonei fuerint, quam etiam in supplementum, ex dictis Carmelitis, aut Sancti Francisci Discalceatis, prout felici huius novae provinciae progressui in Domino magis expedire iudicaverit, eadem auctoritate nostra, eligat.

Ministros atque vicarios eligendi,

§ 9. Dantes et concedentes eidem nuncio, et ab eo deputando visitatori praedicto, aut alii vel aliis, quos idem nuncius ad hoc semel aut iterum, ut praemittitur, duxerit deputandos respective, tam praemissa faciendi, quam etiam domos seu monasteria eiusdem primitivae regulae erigendi, ac ministris seu aliis eorum superioribus, ut eos, qui, relicto saeculo, ad praedictam religionem confugere, divina inspirante gratia, statuerint, et alios qui ex praedicto Ordine modificatae regulae Sanctissimae Trinitatis, aut ex aliis laxioris tamen regulae Ordinibus, ad praefatum Reformatum Ordinem transire voluerint, servatis servandis, admittere possint concedendi; dummodo quoad eos, qui ex aliis Ordinibus ad hunc transitum facere voluerint, maior pars vocalium domus in qua recipiendi erunt, vota in illum consentiant, et visitatoris praedicti licentia accedat, et nihilominus integrum novitiatus annum, prout alii de novo recipiendi, antequam professionem emittant, perficiant.

Novitios recipiendi,

§ 10. Postquam autem, benedicente Domino, praedictorum fratrum Reformatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis numerus creverit, ita ut praedictorum externorum religiosorum auxilio non indiguerint, et octo saltem domos seu monasteria habuerint, in quorum singulis

Capitulo praesidendi.

duodecim saltem fratres Reformati huiusmodi existant, praedictus nuncius eos ad capitulum celebrandum convocari faciat, et in dicto capitulo ipse praesideat, et tam visitator, quam ministri et eorum procuratores canonice electi, vocem et locum habeant, ac ministrum provincialem, caeterosque ministros domorum ex eisdem fratribus Reformatis, iuxta praesentium tenorem et regularia eius Ordinis instituta, eligant.

Ministri provincialis quae sit auctoritas.

§ 11. Ipse vero minister provincialis primo electus, auctoritate nostra praedicta, ea vice dumtaxat ab ipso nuncio confirmetur, et tam ipse quam eius successores eamdem provinciam fratrum Reformatorum (salva semper ministri generalis tam in ipsam provinciam, quam in eumdemmet ministrum provincialem pro tempore eligendum, ut supra dictum est, superioritate) visitandi, regendi et gubernandi plenam et omnimodam habeant potestatem. Caeteri autem ministri provinciales pro tempore in capitulis provincialibus, quae de triennio in triennium tam pro statutis faciendis, moderandis, aut ea causa abrogandis, quam electionibus superiorum et aliis ad bonum regimen eiusdem provinciae pertinentibus, faciendis et ordinandis, celebrari debeant, eligendi, a ministro generali confirmationem quamprimum petere ac obtinere curabunt, statim tamen ac electi fuerint, praefatam auctoritatem habeant et exercere possint.

Procurator generalis eligendus.

§ 12. Concedimus quoque eidem provinciae ut cum, crescente numero domorum et fratrum, prout supra dictum est, provincialem elegerint, procuratorem generalem apud Sedem Apostolicam pro eiusdem provinciae negotiis tractandis deputare et perpetuo retinere valeant.

Privilegia Ordinis huic Congregationi communicantur.

§ 13. Praeterea omnibus et singulis dictae provinciae personis, nunc et pro tempore existentibus, quod omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indulgentiis, exemptionibus et immunitatibus, praerogativis, favoribus et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus fratres dicti Ordinis de iure, consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, decretis sacri Concilii Tridentini, constitutionibus apostolicis, ac primitivae regulae praedictis non contrariis, uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, indulgemus.

Reformati in praemissis ab aliis fratribus non molestandi.

§ 14. Inhibentes ministro generali Ordinis Sanctissimae Trinitatis, commissario generali, ministris provincialibus et localibus, et aliis quibuscumque praefatae regulae modificatae, ne per se aut alios, praedictos reformatos eiusdem Ordinis, aut etiam visitatores praedictos, aut super praemissis quoquo modo molestare seu inquietare audeant vel praesumant, etiam si nondum professionem praedictam regulae primitivae emiserint; quod si secus fecerint, eos et eorum singulos excommunicationis sententia, ipso facto incurrenda, innodamus. Dicti vero Reformati nullo modo parere aut deferre teneantur; salva tamen in reliquis obedientia dicti ministri generalis, cui eos perpetuo subiectos esse et subiacere volumus, ut dictum est.

Clausulae

§ 15. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu, etiam ex eo quod omnes interesse habentes forsan vocati non fuerint, notari, argui, seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ab eadem Sede emanatis et in posterum emanandis, comprehendi posse, sed illas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis

et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 16. Quocirca dilectis filiis nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, nunc et pro tempore existenti, et causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, necnon generali Carmelitarum Discalceatorum, nunc et pro tempore existenti per praesentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, aut quoties pro parte fratrum Reformatorum praedictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eos, auctoritate nostra, praemissis omnibus et singulis, iuxta praesentium continentiam et tenorem, pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper per ministrum generalem, aliosque praedictos quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo. Necnon legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Exequutores huius constitutionis deputat.

§ 17. Non obstantibus praemissis, ac aliis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac etiam iuramento, confirmatione apostolica, et quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, praefatis, vel quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem.

Derogatio contrariorum.

§ 18. Caeterum, quia difficile foret earumdem praesentium litterarum notitiam ad quascumque personas pervenire, et ubique illas praesentare, eadem auctoritate, volumus et decernimus, quatenus transumptis earumdem praesentium litterarum manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillatis, eadem fides ubique tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Fides danda transumptis.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX augusti MDXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 20 augusti 1599, pontif. an. VIII.

CCXIV.

Philippus III Hispaniarum rex solvitur a quocumque iuramento ac lege pontificia, ad hoc ut, una cum ducatu Mediolanensi, possit Siciliae regnum obtinere [1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico

Clemens Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a laudibus Philippi regis desumptum.

Praeclara praedecessorum tuorum in hanc Sanctam Sedem merita, sinceraque fides, et eximia pietas, ac fervens devotio tua, quibus in nostro et dictae Sedis conspectu clarere dignosceris, merito nos inducunt ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur.

In investituris regni utriusque Siciliae Aragonum regibus concessis cautum, ne ipsi in imperatores Romanorum aut dominos Lombardiae eligerentur, vel huiusmodi electionibus assentirentur.

§ 1. Plane, cum sicut Deo placuit, ab humanis exempto clarae memoriae Philippo Hispaniarum rege catholico patre tuo, iure successionis una cum aliis regnis, provinciis et ditionibus universis regnorum Siciliae et Hierusalem cum tota terra citra Pharum, ad te uti eius unicum filium et haeredem legitime pervenerit; nihilominus quia alias felicis recordationis Iulius Papa II praedecessor noster, in concessione regni Siciliae huiusmodi et Hierusalem cum tota terra, quae est citra Pharum usque ad confinia terrarum S. R. E., excepta civitate Beneventana et eius territorio et pertinentiis, per ipsum Iulium praedecessorem clarae memoriae Ferdinando Aragoniae, et Utriusque Siciliae regi abavo tuo, pro se et suis in regno Aragoniae successoribus tam masculis, quam foeminis ex recta linea descendentium natis et nasciturus in feudum perpetuum facta de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, et forsan ante eum diversi alii Romani Pontifices, praedecessores nostri, tunc sui, voluerunt iureiurando firmari, quod tam ipse Ferdinandus rex, quam eius in dicto regno Siciliae et Hierusalem cum tota terra citra Pharum haeredes et successores nunquam procurarent eligi vel nominari in regem Romanorum aut Theutoniae, vel dominum Lombardiae, seu Tusciae, aut maioris partis earum, nec electioni vel nominationi assensum praestarent, neque se intromitterent ullo modo in regimine ipsius regni Romani seu Theutoniae, vel dominii Lombardiae, aut Tusciae, seu maioris partis earum ad quodcumque eorum ipsi nominati fuissent vel electi; et si post talem electionem de regno Romano seu Theutoniae, aut dominio Lombardiae, vel Tusciae, seu maioris partis earum manifeste se intromitterent, sine expresso Romani Pontificis mandato, eo ipso a iure regni Siciliae citra Pharum huiusmodi caderent ex toto, prout in ipsius Iulii praedecessoris sub dat. quinto nonas iulii, pontificatus sui anno septimo, necnon forsan aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum confectis litteris (quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis) dicitur plenius contineri, a nonnullis haesitari possit, an ducatus Mediolani, cuius tu etiam dux existis, maiorem partem dominii Lombardiae huiusmodi comprehendat, et tu regni Siciliae et Hierusalem cum tota terra citra Pharum huiusmodi cum dicto ducatu obtinere possis.

Sub poena caducitatis a regno Siciliae.

Clemens cum Philippo III dispensat, ut una cum Sicilia possit etiam ducatum Mediolani obtinere.

§ 2. Nos, etsi cognoscimus prohibitiones huiusmodi non sine magna et rationabili causa a Iulio et forsan aliis praedecessoribus praedictis emanasse; nihilominus sperantes et pro certo tenentes, quod tu in tuae fidei sinceritate, et erga nos et Romanam Ecclesiam praedictam

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

obedientia eo firmior et constantior eris, quo magis nos et illam erga te cognoveris munificos et liberales, et quanto potentior eris, tanto magis eidem Ecclesiae favere, eamque contra improbos perversorum conatus defendere et adiuvare procurabis; te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate et ex certa scientia nostris, quatenus dictus ducatus maiorem partem Lombardiae huiusmodi comprehendat, tuque relaxatione iuramenti, et dispensatione ad obtinendum regnum Siciliae citra Pharum et ducatum huiusmodi indigeas, seu alias relaxatione et dispensatione praedictis opus sit, te a quibusvis reatu periurii, ac sententiis, censuris et poenis, si quas forsan regnum Siciliae citra Pharum huiusmodi ante vel post acceptationem dicti ducatus acceptando, aut te illius regimini immiscendo, vel illius regem inscribendo, aut denominando iam forsan incurristi, aut incurrere potes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, absolvimus et liberamus, absolutumque et liberatum esse decernimus; ac dummodo alia quae in litteris concessionis regni Siciliae citra Pharum huiusmodi in feudum, necnon capitulis inter piae memoriae Leonem papam X, etiam praedecessorem nostrum, et inclitae memoriae Carolum imperatorem tunc regem Romanorum, sub die III mensis iunii anni MDXXI, initis contenta ad te, et alios ipsius Caroli imperatoris successores pertinentia, et quorum remissio per praedictam Sedem facta non apparet (quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus haberi volumus pro expressis, quoad vixeris, inviolabiliter observes) quodcumque iuramentum per te, aut alium nomine tuo super non obtinendo dominio Lombardiae huiusmodi, aut illius maiori parte cum ipso regno Siciliae citra Pharum hactenus forsan praestitum, et in futurum per te vel procuratorem tuum praestandum ad hoc dumtaxat, ut ducatum et regnum Siciliae citra Pharum huiusmodi, absque alicuius censurae et poenae incursu vel labe, seu reatu periurii obtinere, teque regem Siciliae citra Pharum et ducem Mediolani nominari et inscribere, acabaliis denominari et inscribi, auctoritate et tenore praedictis, relaxamus, teque eo non teneri, nec adstringi; et etiam si contingat te in investitura per nos tibi de regno Siciliae citra Pharum huiusmodi concedenda iuramentum praedictum per te aut procuratorem tuum praestari, et per te illi contraveniri, periurii reatum minime incurrisse decernimus, tibique, quod ducatum et regnum Siciliae citra Pharum, ut praefertur, tenere et possidere possis, eisdem auctoritate et tenore, de speciali gratia concedimus et indulgemus, ac personam tuam, si expediat et opus sit, tuque indigeas, ad praedicta omnia habilitamus.

Causae dispensationis favore Hispaniarum regis.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae Iulius et Leo ac alii Romani Pontifices, praedecessores praedicti, in litteris et capitulis praedictis voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogat contrariis.

§ 4. Volumus autem et declaramus, quod per huiusmodi relaxationem, decretum, concessionem, indultum et habilitationem nullum praeiudicium nostris et dictae Sedis, ac S. R. E. iuribus in qui-

Clausulae praeservativae.

buscumque civitatibus, terris et locis ipsius Lombardiae inferatur, sed iura ipsa in suo robore salva et illaesa remaneant; quodque si, quod absit, te a nostra, et dictae Ecclesiae Romanae, ratione dicti regni Siciliae citra Pharum, fidelitate retraxeris, praesentes litterae sint nullius roboris vel momenti, dictumque regnum Siciliae citra Pharum ad nos et dictam Romanam Ecclesiam libere revertatur.

Datum Romae apud S Petrum sub annulo Piscatoris, die VI septembris MDXCIX, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 6 septembris 1599, pontif. an. VIII.

CCXV.

Philippo tertio Hispaniarum regi conceditur investitura regni Siciliae cum tota terra, quae est citra Pharum, usque ad confinia dominii Sedis et Camerae Apostolicae [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Illius, qui in coelestibus habitat, et immobili permanens providentia, mirabili dat suo ordine cuncta moveri, quique statuit et decrevit, ut homo homini praeferatur, humanum genus potestatum regimini submittendo, vices licet immeriti gerentes in terris, catholicos reges et principes, quorum studia et conatus ad divini nominis gloriam, et catholicae fidei exaltationem, ac universae reipublicae christianae amplitudinem tendunt, quorumque erga Romanam Ecclesiam eximiae fidei constantia et sincerae devotionis affectus in nostro et Apostolicae Sedis conspectu gratiam promerentur, in regnis et terris ad ius et proprietatem ipsius Ecclesiae spectantibus in locum decedentium favorabiliter sustituimus, ut quem ex eorum bene beateque gestis a Deo fructum sperare possunt, etiam a nobis, Eius in terris vicario, consequantur.

Iulius II Ferdinando Hispaniarum regi et eius successoribus regni Siciliae investituram concessit.

§ 1. Dudum siquidem postquam felicis recordationis Iulius Papa II, praedecessor noster, regnum Siciliae ac Hierusalem cum tota terra, quae est citra Pharum, usque ad confinia terrarum S. R. E., civitate nostra tunc sua Beneventana cum eius territorio et pertinentiis dumtaxat excepta, ad ius et proprietatem eiusdem Ecclesiae pertinens, et tunc ad ipsum praedecessorem et dictam Ecclesiam devolutum quovis modo, et ex quavis causa illud ad eamdem Ecclesiam devolutum esset, aut alias eius dispositio ad praedictum praedecessorem pertineret, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis clarae memoriae Ferdinando Aragoniae, Utriusque Siciliae ac Hierusalem regi pro se suisque in dicto regno Aragoniae successoribus et haeredibus tam masculis quam foeminis ex eo recta linea descendentibus, certo tunc expresso modo natis et nascituris, in feudum perpetuum pro annuo censu, et sub diversis conditionibus, modis, formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus etiam tunc expressis, sine tamen praeiudicio iuris ipsi Ferdinando regi alias in eodem regno forsan competentis, cui tunc noluit derogari, de fratrum suorum consilio pariter et assensu, ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, concesserat et elargitus fuerat, dictam civitatem Beneventanam cum eius territorio, districtu et pertinentiis per ipsum praedecessorem seu Romanum Pontificem distinctis seu distinguendis, cum eorum incolis, prout illam sibi dudum antea praedicta Ecclesia specialiter retinuerat et reservaverat sibi, et eidem Ecclesiae specialiter reservando, prout in ipsius praedecessoris desuper confectis litteris

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

(in quibus idem praedecessor inter alia voluit, quod dictus Ferdinandus rex, et sui in dicto regno Siciliae citra Pharum haeredes et successores darent praedecessori, et Ecclesiae praedictis eorum privilegium aurea bulla bullatum, in quo proprio iuramento faterentur et recognoscerent expresse regnum Siciliae et Hierusalem, ac totam eorum terram, quae est citra Pharum, usque ad confinia eiusdem Ecclesiae, excepta civitate Beneventana praedicta cum territorio, districtu et pertinentiis suis ex sola gratia et mera liberalitate Sedis et praedecessoris praedictorum sibi suisque haeredibus et successoribus fuisse concessa, et eos recepisse, et tenere regnum Siciliae, et terram huiusmodi a praedecessore et Ecclesia praedictis sub pactis, modis et conditionibus tunc, ut praefertur, expressis) plenius continetur.

Leo X eamdem investituram Carolo regi, qui fuit etiam imperator, eodem modo concedit.

§ 2. Et deinde piae memoriae Leo Papa X, etiam praedecessor noster, dictum regnum Siciliae citra Pharum clarae memoriae Carolo Romanorum imperatori semper augusto, tunc Romanorum et Hispaniarum regi catholico in imperatorem electo, in feudum, eisdem modo et forma, quibus per praedictum Iulium praedecessorem praedicto Ferdinando regi concessum fuerat, et sub praedictis, quae tunc per eamdem Sedem remissa non apparerent, ac certis aliis tunc expressis conditionibus de novo concessit, et de eo etiam ipsum Carolum imperatorem investivit, et dictus Carolus imperator per quondam Ioannem Emanuelem Aurei Velleris equitem tunc in humanis agentem, et ipsius Caroli imperatoris apud Leonem praedecessorem et Sedem praedictam oratorem et procuratorem specialem promisit, et se ac omnes regnum ipsum Siciliae vigore illius concessionum tam per Iulium, quam Leonem praedecessores praedictos factarum pro tempore obtinentes obligavit et inviolabiliter observandum et adimplendum omnia in litteris Iulii praedecessoris huiusmodi contenta, super quibus de dispensatione, aut illorum remissione per eamdem Sedem praedictam non constaret seu appareret, et solvendum singulis annis in perpetuum Camerae Apostolicae septem mille ducatos auri de Camera in festo Beati Petri, ultra solitum censum parafreni albi pro recognitione veri et directi dominii ipsius regni Siciliae, et ad Leonis praedecessoris et Camerae praedictorum requisitionem, delinquentes in terris eidem Ecclesiae mediate vel immediate subiectis ad dictum regnum et illius civitates, terras, et loca confugientes, capi, et ad Urbem, vel alium locum remitti faciendum sub poenis in litteris Iulii praedecessoris huiusmodi contentis, dummodo idem Leo praedecessor, et successores sui Romani Pontifices, ac praedicta Camera ad ipsius Caroli imperatoris et officialium suorum requisitionem, delinquentes in terris et locis dicti regni, ad terras et loca Ecclesiae confugientes pariter ad eos remitteret, prout in instrumento publico desuper confecto, et in certis ipsius praedecessoris Leonis litteris de verbo ad verbum inserto, etiam plenius continetur.

Iulius III dictam investituram Philippo II concedit.

§ 3. Ac demum recolendae memoriae Iulius Papa III, etiam praedecessor noster, praevia renunciatione praedicti Caroli Romanorum imperatoris semper augusti dictum regnum Siciliae et Hierusalem cum tota terra citra Pharum usque ad confinia Romanae Ecclesiae, excepta civitate Beneventana et eius territorio et districtu, ut supra inclitae memoriae Philippo II, tunc Angliae regi et Hispaniarum principi, pro se suisque haeredibus et successoribus Aragoniae regibus tam masculis quam foeminis ex eo recta linea descendentibus natis et nascituris, ac aliis

personis in concessionibus Iulii et Leonis comprehensis, et per eas vocatis in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem mille ducatorum auri de Camera, et unius parafreni albi solvendo et sub conditionibus, modis, formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus in litteris Iulii et concessione Leonis contentis, quae per eamdem Sedem remissa non apparerent, similiter concessit, et de eo etiam ipsum Philippum regem investivit. Et dictus Philippus per quondam Ferdinandum Franciscum Avalos de Aquino, marchionem Piscariae tunc in humanis agentem, et ipsius Philippi regis apud Iulium praedecessorem et Sedem praedictam procuratorem specialem, obedientiam, homagium et iuramentum fidelitatis consuetum praestitit, prout in ipsius etiam Iulii praedecessoris litteris plenius continetur. Quae omnia idem Philippus rex successive per bullam suam auream sub dat. Bruxellis anno Domini MDLV, die prima octobris, manu sua subscriptam approbando et acceptando confessus fuit et recognovit.

Philippus III eamdem investituram a Clemente Papa per suum oratorem ad hoc deputatum petit,

§ 4. Cum autem, sicut Deo placuit, ab humanis exempto dicto Philippo II rege, iure successionis una cum aliis regnis, provinciis et ditionibus universis dictum regnum Siciliae et Hierusalem cum tota terra citra Pharum ad charissimum in Christo filium nostrum Philippum III Hispaniarum regem catholicum, dicti Philippi secundi filium et haeredem, legitime pervenerit; et idem Philippus rex volens debitam obedientiam, ac fidelitatis et homagii iuramentum in manibus nostris praestare, ac ea, ad quae ratione ipsius feudi tenetur adimplere, dilectum filium nobilem virum Antonium de Cardona et Corduba, ducem Suessae, Somae et Varnae, comitem Cabrae et Palencos, vicecomitem de Ilnaiar, et ipsius Philippi regis consanguineum et consiliarium, et apud nos et Sedem Apostolicam oratorem et procuratorem et mandatarium suum specialem fecerit, constituerit et deputaverit specialiter et expresse ad se, nomine praedicti Philippi regis, quoties opus fuerit, coram nobis humiliter et cum omni reverentia praesentandum, ac a nobis investituram dicti regni humiliter petendam, eamque acceptandam, nobis nomine eiusdem Philippi regis pro praedicto regno Siciliae et Hierusalem cum tota terra citra Pharum debitam obedientiam exhibendum, ac fidelitatis et homagii iuramentum ratione feudi dicti regni praestandum (quod requisitum necessarium et opportunum foret ex ipsius feudi natura, et quemadmodum illud praestitum fuerat a Philippo II praedicto, atque ab aliis praedecessoribus suis in eodem regno, solitum fuerat praestari), dans et tribuens idem Philippus rex praedicto Antonio duci et procuratori omnem potestatem, omneque arbitrium et auctoritatem ea agendi et iurandi praemissa ex causa in animam suam, quae ipsemet Philippus rex agere et iurare posset si personaliter ea faceret; et dictus Antonius dux et procurator, nomine ipsius Philippi regis, nobis et Sedi Apostolicae, ac Romanae Ecclesiae praedictis in Congregatione generali venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium coram nobis in palatio nostro apostolico in monte Quirinali ad hoc specialiter convocata et habita, compluribus archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis ibi adstantibus, obedientiam, itemque homagium et iuramentum fidelitatis sub forma inferius adnotata praestiterit.

Qui procurator debitum Pontifici fidelitatis iuramentum praestat.

§ 5. Nos considerantes ipsius Philippi regis haereditariam regnandi consuetudinem, et quod sicut etiam volens [1] commissos sibi populos in pacis amoenitate,

Clemens investituram cum solito censu annuo et conditio-

1 Sic.

nibus iampridem expressis concedit.

et iustitiae cultu confovere, ac nos et Romanam Ecclesiam, ipsius regni per praeclaros et directos dominos [1] grata devotione et fide sincera recognoscere, mandato procurationis ipsius Philippi regis huiusmodi publice et alta voce in eadem congregatione perlecto, et diligenter inspecto ac considerato, ac habita super iis cum eisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in consistorio nostro secreto, et deinde etiam in alia simili congregatione generali, ad hoc nominatim habita in palatio nostro apostolico in Vaticano, deliberatione matura, de ipsorum fratrum nostrorum consilio pariter et assensu, et ex certa nostra scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, obedientiam ab eodem Antonio duce et procuratore, nomine proprio Philippi regis, nobis ac Sedi et Ecclesiae praedictis, ut praemittitur, praestitam, itemque homagium et iuramentum fidelitatis huiusmodi laeto atque hilari animo admittimus, ac regnum ipsius Siciliae et Hierusalem cum tota terra praedicta citra Pharum usque ad confinia terrarum eiusdem Ecclesiae Romanae (excepta praedicta civitate Beneventana cum eius territorio, districtu, et pertinentiis per nos seu per Romanos Pontifices ac eorum incolis, quam nos, prout illam sibi dudum praedicta Ecclesia specialiter retinuit et reservavit, harum serie nobis et eidem Ecclesiae specialiter reservamus) dicto Philippo regi pro se, suisque haeredibus et successoribus Aragoniae regibus, tam masculis quam foeminis ex eo recta linea descendentibus, natis et nascituris, ac aliis personis in concessionibus utriusque Iulii et Leonis praedecessorum huiusmodi comprehensis, et per eas vocatis, in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem mille ducatorum similium et unius parafraeni albi, ut praefertur, solvendo, ac sub conditionibus, modis et formis, adiectionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus in litteris utriusque Iulii et concessione Leonis praedecessorum huiusmodi contentis (quarum remissionem per Sedem praedictam factam fuisse non apparebit) omni meliori, quo possumus, modo concedimus et elargimur; ac regnum ipsum praedicto Philippo regi, modo et forma praemissis, infeudamus, eumque de illo, per ipsius Antonii ducis ac procuratoris ad osculum pedum nostrorum admissionem, investimus.

Iniuncta quoque Philippo lege per auream bullam infra annum declarandi se talem investituram ex mera liberalitate Papae obtinuisse.

§ 6. Volentes et intendentes ut infra annum a data praesentium computandum, idem Philippus rex privilegium suum bulla aurea bullatum, in quo proprio iuramento fateatur et recognoscat expresse regnum Siciliae et Hierusalem, ac totam terram, quae est citra Pharum usque ad confinia ipsius Ecclesiae Romanae (excepta civitate Beneventana cum illius territorio, districtu et pertinentiis, quae eidem Ecclesiae remaneant) praedicto Philippo regi suisque haeredibus et successoribus, ex sola gratia et mera liberalitate Sedis Apostolicae ac nostra, fuisse concessa; eosque recepisse et tenere regnum Siciliae et terram huiusmodi a nobis et dicta Romana Ecclesia, sub pactis, modis et conditionibus supradictis nobis, seu Romano Pontifici pro tempore existenti, dare et tradere teneatur; per praemissa autem non intendimus iuri cuiuscumque in aliquo praeiudicare.

Forma iuramenti ab illius Oratore praestiti.

§ 7. Forma vero iuramenti per ipsum Antonium ducem et procuratorem praestiti talis est: Ego Antonius de Cardona et Corduba, dux Suessae, Somae et Varnae, comes Cabrae et Palancos, vicecomes de Ilnaiar, serenissimi D. Philippi, Dei gratia, regis Siciliae citra Pharum et Hierusalem ac Hispaniarum domini mei

1 Sic.

consiliarius, et apud S. D. N. D. Clementem Papam VIII et Sanctam Sedem Apostolicam orator et procurator ad haec omnia specialiter constitutus, speciali mandato Sanctitati Vestrae exhibito, plenum homagium, ligium et vassallagium nomine ipsius Philippi regis faciendum, vobis D. N. D. Clementi Papae VIII, et Ecclesiae Romanae pro regno Siciliae et Hierusalem et tota terra, quae est citra Pharum usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiae (excepta civitate Beneventana et toto territorio, ac omnibus districtibus et pertinentiis, secundum antiquos fines territorii et pertinentiarum, ac districtus civitatis eiusdem per Romanos Pontifices distinctos, et imposterum distinguendos) in animam dicti serenissimi D. Philippi regis principalis mei iuro quod idem serenissimus D. Philippus rex ab hac ora in antea fidelis et obediens erit Beato Petro et vobis D. Clementi Papae VIII vestrisque successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae: non erit in consilio, consensu, vel facto ut vitam perdatis seu perdant aut membrum, seu capiamini vel capiantur mala captione; consilium vero, quod sibi crediturі estis per vos, aut nuncios vestros, vel per litteras, ad vestrum vel eorum damnum scienter nemini pandet, et si sciverit fieri, vel tractari, seu procurari aliquid, quod in vestrum vel eorum damnum cedat, illud pro posse impediet, et si hoc impedire non poterit, illud vobis vel eis significare curabit. Papatum romanum et regalia Sancti Petri tam in regno Siciliae praedicto, quam alibi consistentia adiutor vobis et eis erit ad defendendum et retinendum, ac recuperandum, et recuperata manutenendi contra omnem hominem, universas et singulas conditiones supradictas, et quascumque alias in litteris felicis recordationis Iulii Papae II super ipsius regni et terrarum infeudatione sive investitura confectis contentas, ac omnia et singula, quae in eis continentur, plenarie adimplebit et inviolabiliter observabit, et nullo unquam tempore veniet contra ea, nec procurabit per se, vel alium, seu alios quoquo modo, ut eligatur vel nominetur in regem, vel imperatorem romanorum, seu regem Teutoniae, aut dominum Lombardiae vel Tusciae, etsi electionem vel nominationem ad imperium vel regnum Romanum, seu regnum Theutoniae, vel dominium Lombardiae et Tusciae, aut maioris partis earumdem de eo celebrari continget, nullum huiusmodi electioni, seu nominationi assensum praestabit, nec intromittat se modo aliquo de eorum vel alicuius eorum regimine, nec de civitate Beneventana et suis territoriis, districtibus et pertinentiis, seu Campania, neque de Maritima, ducatu Spoletano, Marchia Anconitana, patrimonio B. Petri et Tusciae, et Massa Trebaria, Romandiola, alma Urbe, in civitatibus Perusinensi, Civitate Castelli, Bononensi, Ferrariensi, Avenionensi et comitatu Venaissinensi seu aliis terris quibuscumque vestris, et feudis ipsius Ecclesiae ubilibet constitutis, ex successione, vel legatione seu donatione, aut venditione, vel alio quovis titulo vel contractu nihil unquam sibi acquiret seu vendicabit, vel poterit acquirere seu quomodolibet vendicare, et nihil unquam recipiet, vel habebit, seu retinebit, vel poterit recipere, habere, vel etiam retinere in illis, nec ullam potestariam, capitaniam vel rectoriam, nullumque aliud officium recipiet, seu recipere poterit in eisdem, seu ipsorum aliquo, nec etiam occupabit, vel occupari permittet seu faciet praemissa, vel partem aliquam eorumdem, neque illam offendet, aut molestabit, neque etiam Romanam Ecclesiam quoquo modo, sub censuris poenis-

que spiritualibus et temporalibus in conditionibus et infeudatione praedictis contentis, quas hic haberi volo in singulis suis partibus aliis pro specifice repetitis et expressis, schismatico aut haeretico cuicumque, vel a fide devio, ab ipsa Ecclesia praeciso, eiusque sequacibus et dantibus eis auxilium, consilium, vel favorem non dabit, quovis modo per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium vel favorem, nec ab aliis quantum in eo erit, si impedire poterit, dari permittet, sed eos, iuxta posse suum, donec convertantur, persequetur et impugnabit; sic dictum Philippum regem Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. Iuravi, ut supra, ego praedictus dux.

Clausulae.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae admissionis, reservationis, concessionis, elargitionis, infeudationis, investiturae, voluntatis, vel intentionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo nono, quinto idus septembris, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 9 septembr. 1599, pont. an. VIII.

CCXVI.

Erectio collegii Clericorum Theutonicorum in oppido Mosecano in comitatu Hornensi, Leodiensis dioecesis, sub regimine PP. Societatis Iesu [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Circumspecta Romani Pontificis providentia circa ea, per quae collegia ad iuventutis, pietate et bonis moribus, ac ecclesiasticis aliisque salutaribus disciplinis, religiosam educationem et instructionem ubique propagari, et congruis proventibus pro personarum inibi pro tempore inducendarum substentatione et manutentione, onerumque illis incumbentium sublevamine communiri valeant, libenter intendit, et in his sollicitudinis suae partes, etiam per suppressionis monasteriorum, et aliorum locorum regularium, in suis aedificiis et structuris ruinam passorum, ac propriis praelatis et religiosis destitutorum ministerium favorabiliter interponit, prout locorum et temporum circumstantiis debite pensatis, id in Domino conspicit salubriter expedire.

Bellorum temporumque iniuria destructum monasterium S. Elisabethae Ordinis S. Augustini canonicorum regularium in comitatu Hornensi,

§ 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte venerabilis fratris nostri Ernesti episcopi Leodiensis petitio continebat, quod monasterium Sanctae Elisabethae Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium olim in comitatu Hornensi, Leodiensis dioecesis, et ruri quatuor vel circiter leucis cum dimidia ab oppido Mosecano dictae dioecesis consistens, et liberalitate cuiusdam viri nobilis extructum annis ab hinc viginti et amplius, ex incendio per milites seu alios homines nefarios tunc in partibus illis grassantes illato sic conflagravit, ut praeter fundamenta, nulla alia supereminentium aedificiorum remanserint vestigia; ob iniuriam autem temporum dictum monasterium in eodem desolationis statu hucusque permansit; et ex illius canonicis unus pridem, ducta uxore, apostata est effectus, alter in habitu saeculari degit, et familiam in dicto oppido alit, ac ex bonis eiusdem monasterii centum duca-

tos auri de Camera ad se substentandum in singulos annos percipit.

Leodiensis episcopus optimum fore putat, si collegium aliqu. d ibidem instituatur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ob bellorum calamitates in Belgio adhuc dire flagrantes, perduelliumque continuas excursiones et direptiones, prudentium iudicio nulla spes affulgeat, ut dictum monasterium de novo instaurari, ac in eo regularis disciplina iuxta primaevam institutionem restitui possit; quin imo evidens periculum immineat, ne cum ipso monasterio iam diruto, et suppellectili tam sacra, quam alia distracta illius etiam bona immobilia maxima ex parte in dicto comitatu Hornensi et ducatu Gheldriae, partim vero in ditione Iuliacensi sita, et ad valorem annuum octingentorum ducatorum auri similium vel circiter ascendentia, pacatis vero temporibus plus forsan valitura, paulatim, ut fieri coeptum est, diripiantur, dissipentur et pereant, eiusdem monasterii olim abbate seu superiore, qui illinc longe videlicet in civitate Coloniensi degebat tot annis, curam eiusdem monasterii bonorumque eius deserente, in praedicto autem oppido, quod itinere duorum dierum a civitate Leodiensi distat, et Mosae fluvio in Hollandiam tendenti adiacet, erectio unius collegii apud[1] pueros eiusdem oppidi ac totius provinciae Campaniae, quae sub se praedictum et quam plurima alia oppida et castra complectitur, in doctrina christiana litterarumque studiis et scientiis erudiendos, sit maxime necessaria, si monasterium praedictum sic devastatum, quod ad praesens proprii abbatis regimine destitutum existit, ac in eo dictus Ordo omnisque illius regularis observantia perpetuo supprimerentur et extinguerentur, necnon in oppido praedicto collegium huiusmodi erigeretur et institueretur, illique sic erecto et instituto, omnia et singula dicti suppressi monasterii bona mobilia et immobilia, iura, obventiones et emolumenta applicarentur et appropriarentur, ex hoc incommodis, quae ex desolatione ipsius monasterii succedere possunt, ac iuventutis illarum partium in bonis moribus et scientiis eruditioni provide consuleretur: quare pro parte dicti Ernesti episcopi asserentis eiusdem monasterii et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus octingentorum ducatorum similium secundum communem existimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus suppressioni, extinctioni, erectioni et aliis praemissis annuere, ac alias desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Clemens ibidem collegium duodecim clericorum Theutonicorum erigit;

§ 3. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum existimationem praedictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, idemque servaretur in quibusvis suppressionibus perpetuis, concessionibus, applicationibus de quibuscumque fructibus et bonis ecclesiasticis, praedictum Ernestum episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie, absolventes et absolutum fore censentes, nec non verum et ultimum dicti monasterii vacationis modum (etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa resultet) praesentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, monasterium praedictum quovis

1 Loco *apud* legimus *ad*. (R. T.).

modo et ex cuiuscumque persona, seu per liberam cessionem cuiusvis de illius regimine et administratione in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius provisio, iuxta Lateranensis statuta Concilii aut alias canonicas sanctiones, ad Sedem Apostolicam legit me devoluta sit, illaque ex quavis causa ad Sedem eamdem specialiter et generaliter pertineat, ac super regimine et administratione praedictis inter aliquos lis, etiam super eorum possessorio, vel quasi molestia (cuius statum etiam praesentibus haberi volumus pro expresso) pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit eidem monasterio de abbate canonice provisum, cum annexis huiusmodi, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis, necnon in eo Ordinem praedictum, et communem statum et essentiam regulares, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus; ac in praedicto oppido Mosecano, et aedibus antiquae scholae iam usui et habitationi nonnullorum scholarium et lectorum accommodatis, unum collegium pro usu et habitatione duodecim vel plurium collegialium Theutonicorum Bursariorum nuncupandorum, qui suo tempore ad sacros ordines promoveri, ac inter eos oriundi ex locis, in quibus ipsius suppressi monasterii bona sita sunt, aliis praeferri debeant, necnon unius rectoris, ac duorum, seu plurium lectorum, qui ex religiosis Societatis Iesu existant, et tam dicti collegiales, quam pueros oppidi et provinciae huiusmodi grammaticam, rethoricam et alias artes liberales, bonosque mores, ac doctrinam christianam publice docere teneantur, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo, sine alicuius praeiudicio, erigimus et instituimus.

Eiusque regimen patribus Societatis Iesu committit.

§ 4. Illique sic erecto et instituto omnia et singula dicti suppressi monasterii, ac illi annexorum quorumcumque fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque tam mobilia quam immobilia ubivis existentia, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo applicamus et appropriamus, dictum collegium, nec non eius collegiales et personas pro tempore existentes, ac res et bona quaecumque mobilia et immobilia, tam educationem et alimoniam, quam alia quaecumque necessaria, curae, regimini, gubernio et administrationi omnimodis religiosorum dictae Societatis inibi introducendorum, auctoritate et tenore similibus, pariter perpetuo subiicimus et committimus; ita quod liceat religiosis Societatis huiusmodi inibi, ut praefertur, introducendis per se, vel alium, seu alios nomine dicti collegii sic erecti, corporalem, realem et actualem possessionem bonorum, fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum praedictorum ex nunc propria auctoritate libere apprehendere, et perpetuo retinere, illaque in collegii, ac eius rectoris, lectorum, collegialium et personarum huiusmodi usus, utilitatem et necessitatem convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita.

Huiusmodi collegio monasterii suppressi bona omnia reditusque attribuit.

§ 5. Insuper eidem collegio, illiusque pro tempore existentibus rectori, collegialibus, lectoribus, ministris et personis, ut omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, gratiis et praeeminentiis in processionibus et actibus publicis ac privatis, necnon aliis quibuscumque occasionibus et rebus, quibus alia collegia similia sub gubernio religiosorum Societatis huiusmodi degentia de iure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, necnon uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futu-

Et privilegia omnia, quibus huiusmodi collegia fruuntur, concedit.

rum, similiter uti, frui, potiri et gaudere, ac etiam ipsi collegiales signum, seu habitum, quo cognosci et ab aliis personis distingui valeant, gestare.

Rectori dat facultatem statuta condendi cum interventu episcopi Leodiensis.

§ 6. Praeterea rectori et aliis dictae societatis religiosis in ipsum collegium introducendis, ut cum interventu dicti Ernesti, ac pro tempore existentis episcopi Leodiensis pro dicti collegii illiusque lectorum, collegialium, personarum et bonorum gubernio et directione, ac collegialium et aliorum puerorum praedictorum tam in fide catholica, quam bonis moribus et disciplinis instructione, quaecumque statuta, et ordinationes, licita et honesta, ac sacris canonibus, nec non Concilii Tridentini decretis minime contraria, sub poenis eis benevisis observanda, facere et condere, illaque pro rerum, temporum et personarum qualitate, immutare, cassare, alterare, ac de novo edere libere et licite valeant; ita ut postquam illa sic facta, condita, alterata, mutata, seu de novo edita extiterint, toties ipso facto, dicta apostolica auctoritate, confirmata censeantur, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae pro huius constitutionis firmitate.

§ 7. Decernentes praesentes litteras sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, vel aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos vel quoscumque Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros, etiam in crastinum assumptionis cuiuslibet successorum huiusmodi ad summi apostolatus apicem, sub quibusvis verborum expressionibus, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, editis et edendis nullo unquam tempore comprehendi posse, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum, etiam sub priori data, per eumdem Ernestum episcopum eligenda, restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse et fore; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores designati.

§ 8. Quocirca dilectis filiis praeposito Ecclesiae Leodiensis ac Coloniensi et Leodiensi officialibus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, easdem praesentes et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ernesti episcopi, ac pro tempore existentium rectoris et collegialium praedictorum, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, necnon Ernestum episcopum, ac pro tempore existentes rectorem et collegiales praedictos, eorumque singulos illis pacifice frui et gaudere. Non permittentes ipsos vel eorum quempiam per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari: contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta, et felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, etiam illa qua cavetur expresse ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta pro tempore deputati

extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere praesumant; et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon monasterii et ordinis praedictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Canonicis suppressi monasterii congrua subministranda alimenta ad eorum vitam.

§ 10. Volumus autem quod per suppressionem et alia praemissa ipsius monasterii sic suppressi Ecclesia, si quae extet, ad prophanos usus non redigatur, sed illic in divinis laudabiliter deserviatur, et quatenus aliqui ex eiusdem suppressi monasterii canonici superstites reperiantur, ipsis, ex illius fructibus de congrua portione pro eorum victu, substentatione et manutentione ad eorum vitam annuatim persolvenda provideatur.

Clausulae poenales.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae absolutionis, suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, subiectionis, commissionis, concessionis, indulti, decreti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo nono, quinto idus septembris, pont. nostri anno octavo.

Dat. die 9 septembris 1599, pont. an. VIII.

CCXVII.

Inquisitori generali in regnis Hispaniarum conceditur facultas deputandi inquisitorem in classibus regis catholici, pro causis ad suum forum spectantibus [1].

Dilecto filio moderno et pro tempore existenti haereticae et apostaticae pravitatis in regnis Hispaniarum generali inquisitori

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Philippi regis zelus pro arcendis a suis classibus criminibus quae haeresim sapiant.

§ 1. Nuper siquidem charissimus in Christo Filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus exponi nobis fecit, quod cum in diversis eius classibus, quas ipse Philippus rex contra infideles pro fidei catholicae, et regnorum suorum defensione in dies parare et expedire cogitur, ob maximam militum copiam facile evenire possit, diversa crimina, quae haeresim sapiant, perpetrentur, et propterea ipse Philippus rex zelo catholicae religionis ductus, ac ut christianum decet principem, ne talia crimina impunita remaneant, summopere cupiat, aliquem inquisitorem, qui de haeresi et apostasia, atque aliis ad illas spectantibus specialiter cognoscat per se, per pro tempore existentem in dictis regnis inquisitorem generalem deputari.

Petit inquisitori generali facultatem concedi aliquem deputandi.

Qui contra talia perpetrantes inquirat.

§ 2. Quare nobis humiliter supplicari fecit, quatenus eius desiderio huiusmodi annuere de benignitate apostolica dignaremur.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

§ 3. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi et pro tempore existenti in dictis regnis inquisitori generali haereticae et apostaticae pravitatis, ut quando et quoties eumdem Philippum regem aliquam classem parare, et seu instaurare, vel mittere et expedire contigerit, aliquem virum ecclesiasticum idoneum et sufficientem per te eligendum in inquisitorem, ad effectum praedictum, deputare, ipseque sic deputatus, ut tam de haeresi et apostasia, quam omnibus et singulis aliis haeresim sapientibus in tota dicta classe cognoscere, et demum omnia et singula, quae ad inquisitoris huiusmodi officium, curam, et regimen pertinent, facere, gerere, exercere et exequi in mari vel in praedictis classibus tantum, et extra terras et portus, libere et licite valeatis respective, apostolica auctoritate, tenore praesentium, plenam et omnimodam licentiam, facultatem, potestatem et auctoritatem ad quinquennium proximum concedimus et impertimur.

Concedit Clemens.

§ 4. Decernentes omnia et singula per praedictum pro tempore inquisitorem deputandum facienda, gerenda et exequenda valida et efficacia existere, ac totali exequutioni demandanda esse in omnibus et per omnia, perinde ac si a te, vel tuo mandato facta, gesta et ordinata fuissent, sicque per te et alios dictorum regnorum inquisitores iudicari et definiri debere: irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae.

§ 5. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIX octobris MDXCIX, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 29 octobris 1599, pontif. an. VIII.

CCXVIII.

Similis concessio facultatis nuncio apostolico apud regem Hispaniarum deputandi aliquam personam ecclesiasticam, quae in eisdem classibus iurisdictionem ecclesiasticam exerceat [1].

Dilecto filio moderno, et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit charissimus in Christo Filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod cum in classibus, quas in mari Oceano pro fidei catholicae ac regnorum et dominiorum suorum tuitione et commodi-

Causae concedendae facultatis, de qua in rubrica.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tatibus paratas et instructas habet, ac pro tempore per eum parari et instrui, seu renovari et expediri contigerit, plures personae ecclesiasticae reperiantur, ac de facili evenire possit ut inter illas, tam ipsarummet personarum ecclesiasticarum quam laicarum ratione, diversae rixae et contentiones oriantur, pro quibus diiudicandis, pacandis, sopiendis, aut alias terminandis iudices saeculares se intromittere non possunt neque debent; ipseque Philippus rex praemissis ea, qua catholicum decet principem charitate, ac pro zelo ecclesiasticae iurisdictionis ductus occurrere satagens, desiderat aliquam seu aliquas personam seu personas ecclesiasticas deputari, quae in dictis classibus pro tempore expediendis iurisdictionem ecclesiasticam exerceat, omnesque causas, tam civiles quam criminales et mixtas inter clericos et quascumque personas ecclesiasticas, ac ad forum ecclesiasticum pertinentes, audiat, cognoscat, decidat ac fine debito terminet seu terminent. Quare nobis humiliter supplicari fecit, ut eius votis huiusmodi annuere de benignitate apostolica dignaremur.

Facultatis concessio.

§ 2. Nos igitur attendentes pro nostri pastoralis officii debito praecipuam personarum ecclesiasticarum, ne ipsae a laicis vexentur, curam nobis incumbere, tam pium et laudabile desiderium ipsius Philippi regis plurimum in Domino commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi et pro tempore existenti nostro et dictae Sedis in dictis regnis nuncio, ut quoties dictum Philippum regem classem seu classes parare et seu instruere vel manutenere contigerit, aliquam vel aliquas personas ecclesiasticas per te eligendam seu eligendas, iudicem seu iudices cum plena, et libera, et omnimoda facultate et auctoritate, praemissa omnia et singula, necnon iurisdictionem praedictam, et eam, quam exercere posset si Ordinarius illorum omnium existeret, in classibus tantum et non alibi, et extra terras et portus Hispaniarum et Portugalliae et locorum, ubi sunt episcopi catholici, exercendi, constituere et deputare; dictusque, et dicti per te, et pro tempore existentem nuncium, ut praefertur, deputandus seu deputandi iudices ecclesiastici iurisdictionem huiusmodi exercere libere et licite valeant, plenam, liberam et omnimodam licentiam, facultatem, potestatem et auctoritatem, apostolica auctoritate, tenore praesentium, respective ad quinquennium proximum concedimus et impertimur.

Clausulae.

§ 3. Decernentes omnia et singula per dictos pro tempore deputandos, facienda, gerenda et exequenda inviolabiliter observari debere, perinde ac si a te, vel tuo mandato facta, gesta et ordinata fuissent; sicque ab omnibus censeri, et ita per te et alios quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, illorum

omnium et singulorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIX octobris MDXCIX, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 29 octobris 1599, pont. an. VIII.

CCXIX.

Adhortatio ad singulos archiepiscopos et episcopos ut, Iubilaei causa, Romam se conferant [1].

Venerabili fratri archiepiscopo Trevirensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Tempus acceptabile, tempus salutis, dies coelestibus thesauris dispensandis consecrati, dies appropinquati anni Iubilaei, quem Romana Ecclesia, decursis viginti quinque annorum spatiis, hoc tempore in Urbe, summi apostolatus sede ac domicilio, repraesentat, hortatur nos, ut fraternitatem tuam, tametsi sua sponte ad pastorale officium propensam, muneris sui admoneamus, in curandis iis, quae propria sunt instituti sanctissimi Iubilaei. Quae quidem, quoniam in indictionis nostrae litteris copiose, ac diffuse sunt praescripta, nullaque alia indigent declaratione, ne fraternitatis tuae pietati ac vigilantiae diffidere videamur, silentio hic praeterimus. Hoc interim fraternitati tuae volumus esse persuasum, quo plus illa studii et diligentiae potuerit in se ipsa comparanda ad Iubilaeum rite et devote in hac sancta Urbe consequendum, quantoque vehementius elaborabit ad gregem sibi commissum suo exemplo ad eiusdem Iubilaei munera ibidem comparanda excitandum, eo ipsius operam Deo ac nobis futuram gratiorem. Nec est quod pluribus a fraternitate tua (id quod amplius religionis, ac virtutis zelus facile per se ipsa pollicetur) contendamus. Probe enim scimus fraternitatem tuam, quae ad hunc diem usque pastorali suo officio integre est perfuncta, eamdem commodissimam hanc, tum suae tum eorum quibus praeest salutis iuvandae, occasionem minime esse neglecturam. Benignissimus Deus, qui fraternitatem tuam pro sua clementia in ista pastoralis dignitatis sede collocavit, idem robur illi ac vires suppeditet, ut quae ad divini illius nominis propagationem, et ad salutem animarum praestare constituit, eadem etiam quam felicissime exequatur.

Adhortatio de qua in rubrica.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXX octobris MDXCIX, pontificatus nostri anno octavo [1].

Dat. die 30 octobris 1599, pontif. an. VIII.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

CCXX.

De receptione et professione novitiorum in Congregatione fratrum Reformatorum Discalceatorum, Ordinis Eremitarum sancti Augustini, nuper in Urbe instituta.

Clemens Papa VIII,

ad futuram rei memoriam.

Exordium Decet Romanum Pontificem ea benigne concedere, per quae religiosorum quieti et in regulari observantia pro-

1 Similes litterae in forma brevis hac die datae sunt ad archiepiscopos et episcopos Galliae, Germaniae, Poloniae, Hispaniarum, Sardiniae, *etc.*

gressui, ac religionum propagationi opportune consulitur, prout in Domino salubriter conspicitur expedire.

Approbatio receptionis novitiorum hucusque factae.

§ 1. Nos itaque cupientes propagationi Congregationis fratrum Reformatorum Discalceatorum Ordinis S. Augustini, nuper in alma Urbe per nos admissae ac institutae, opportune prospicere, ac dilectos filios vicarium generalem, ac singulos fratres eiusdem Congregationis, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, professiones per ipsos fratres et quemlibet eorum, usque in praesentem diem, in dicta Congregatione emissas, et receptiones quascumque novitiorum in ipsa Congregatione huc usque factas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus, approbamus et validamus, ac validas, firmas et efficaces fuisse, esse ac fore, ipsosque fratres, qui professionem emiserunt, vere professos existere, et uti tales in eadem Congregatione perseverare posse ac debere.

Licentia emittendi professionem,

§ 2. Novitios vero professionem regularem emittere libere pariter posse declaramus.

Novitiosque alios recipiendi et ad professionem admittendi,

§ 3. Praeterea eisdem vicario et fratribus, ut in ipsa Congregatione alios novitios, servata tamen forma constitutionis felicis recordationis Sixti Papae quinti praedecessoris, ac decretorum nostrorum, recipere et, expleto novitiatus anno, ad professionem etiam regularem admittere, sine alia nostra licentia, libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis, licentiam concedimus et indulgemus.

Quibuscumque non obstantibus

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis nostris praedictis huiusmodi novitios ad professionem, sine speciali nostra licentia, admitti posse prohibentibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die v novembris MDXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 5 novembr. 1599, pontif. an. VIII.

CCXXI.

Facultas eligendi confessorem, quae a Sede Apostolica datur in bulla Cruciatae et aliis indultis, non suffragatur personis Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, neque aliis quibuscumque regularibus.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis circumspecta benignitas honestis petentium votis, quae personarum sub religionis iugo Altissimo famulantium statum et salubrem directionem respiciunt, ad exauditionis gratiam libenter admittit, et favoribus prosequitur opportunis.

Sedes Apostolica dat quandoque facultatem confessorem eligendi in bulla Cruciatae atque aliis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius prior generalis Ordinis Fratrum Beatae Mariae de Monte Carmelo, quod cum in bulla Cruciatae sanctae et aliis privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi solent, detur facultas eligendi confessorem idoneum, ab Ordinario approbatum, qui possit christifideles absolvere a casibus Ordinario reservatis, et a quibusdam etiam, qui dictae Sedi reservati sunt, religiosi dicti Ordinis, seu eorum nonnulli, etiam iis facultatibus uti prae-

sumunt, et illorum praetextu eligunt confessorem aliquando praeter eos, qui a suis praelatis eorum confessionibus deputati sunt (quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum): quare praedictus prior generalis humiliter nobis supplicari fecit, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Haec facultas Regulares non comprehendit.

§ 2. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, talem concessionem sanctae Cruciatae et aliorum indultorum particularium, quantum ad praedictum articulum eligendi confessorem, et absolvendi a casibus reservatis, cum fratribus et sororibus monialibus Ordinis praedicti, ac aliorum quorumcumque Ordinum et Congregationum cuiusvis instituti Mendicantium et non Mendicantium, tam provinciae Hispaniae quam extra eam, ubilibet locum, minime habere neque censeri; sed nostrae intentionis existere quod iidem fratres et moniales, quantum ad sacramentum Poenitentiae seu confessionis administrationem, dispositioni suorum praelatorum subiecti sint, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo declaramus. Eisdem tamen praelatis, ut in usu huiusmodi potestatis se cum subditis benignos et faciles exhibeant, praecipimus et mandamus.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus praemissis et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis praedicti, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIII novembris MDXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 23 novembr. 1599, pont. an. VIII.

CCXXII.

Praevia absolutione incolarum civitatis et comitatus Ferrariensis a transgressionibus constitutionum Pii Papae V, de bonis emphyteuticis et patrimonialibus, poenisque, quas ea de causa incurrerunt ante illius comitatus devolutionem ad Sanctam Sedem, decernitur, huiusmodi constitutiones esse imposterum observandas [1].

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Incolae civitatis et comitatus Ferrariensis a transgressionibus bullarum absolvuntur, de quibus in rubrica, patratis ante illius comitatus ad S. Sedem devolutionem.

§ 1. Volentes civitatem et ducatum nostrum Ferrarienses eorumque cives et incolas amplioribus in dies favoribus et gratiis benigne prosequi; motu proprio et ex certa scientia, ac mera deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine volumus, statuimus et ordinamus, quod Camera nostra Apostolica eiusve officiales et ministri quicumque, quavis dignitate, praeeminentia et auctoritate fungentes, et quibusvis facultatibus suffulti, praetextu constitutionis felicis recordationis Pii Papae quinti praedecessoris nostri, in qua de bonis emphyteuticis et patrimonialibus, et de spuriis et illegitimis tractatur, quae incipit: *Quae ordini ecclesiastico noxia esse, et scandalum obiicere perhibetur, etc.*, sub datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, VI kalendas februarii, pontificatus sui anno VI editae, necnon alterius con-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

stitutionis eiusdem Pii V super declaratione dictae primae constitutionis similiter editae, quae incipit: *Ad Romanum spectat Pontificem*, sub datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die v martii MDLXXII, pontificatus sui anno VII, quoscumque civitatis Ferrariensis, aut quarumcumque aliarum civitatum, terrarum et locorum ducatus et legationis Ferrariensis cives, incolas, habitatores et personas utriusque sexus pro tempore ante devolutionem civitatis et ducatus praedictorum ad nos et Sedem Apostolicam praeterito quoquomodo molestare, perturbare vel inquietare nullatenus possint vel debeant, quia poenas vigore dictarum constitutionum ante dictam devolutionem incursas, eis gratiose remittimus et condonamus. Irritum nihilominus et inane decernentes quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Mandatum ministris Camerae Apostolicae de parendo huic decreto.

§ 2. Quocirca dilectis filiis nostro et Sanctae Romanae Ecclesiae camerario ac thesaurario generali, necnon praesidentibus, clericis, commissario generali, ac aliis officialibus et ministris dictae Camerae per praesentes committimus et mandamus, ut cives, incolas, habitatores et personas praedictas, quoad tempus praeteritum supradictum, praemissorum effectu pacifice frui et gaudere permittant et faciant.

Dictae tamen constitutiones in posterum observandae sunt.

§ 3. Ab ipsa tamen devolutione civitatis et ducatus praedictorum deinceps in perpetuum, constitutionem Pii praedecessoris, illiusque declarationem supradictas, in ipsis etiam civitate, ducatu et legatione Ferrariensi inviolabiliter observari et custodiri debere decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praedicta et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsius Camerae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem camerae et camerario, thesaurario, et aliis praedictis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI decembris MDXCIX, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 6 decembris 1599, pontif. an. VIII.

CCXXIII.

Cardinalis Aldobrandinus Sanctae Romanae Ecclesiae camerarius designatur, modificatis tamen nonnullis facultatibus [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei Dilecto filio Petro S. Nicolai in Carcere diacono card. Aldobrandino nuncupato, nostro et S. R. E. camerario, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

In conferendis muneribus et officiis, quae praesertim gravia et nobis proxima sunt, ita aequum est prospicere, ut illi

1 Huiusmodi Camerarii officium antiquissimum esse liquet ex constit. III Urbani V: *Apostolatus*, tom. IV, pag. 520, et Pii IV constitut. XXXVIII: *Romanus*, tom. VII, pag. 123. Eiusque iurisdictionem in diiudicandis litibus, vide tam in dictis bullis, quam in Urbani VI constitutione I: *Apostolicae*, tom. IV, pag. 581, et Leonis X constitut. XXVIII: *Licet*, tom. V, pag. 698, ac Iulii III constit. III: *Licet*, tom. VI, pag. 405. Et signanter quoad coercitionem ministrorum Camerae, attende constitut. XI Iulii II: *Percepimus*, tom. V, pag. 420. Et quoad computa officialium et rescissionem contractuum Camerae laesivorum, constit. Pii IV praecitatam. Circa vero rescissionem alienationis bonorum Sedis Apostolicae inspice const. CXXII eiusdem Pii IV: *Apostolicae*, tom. VII, pag. 418. Circa lites naufragiorum constitut. XI

in primis ad ea assumantur, quorum multis et illustribus exemplis testata iam pridem virtus iucundam nobis spem facit, tales futuros esse, qui opera et consilio fructus quotidie proferant in nostra republica ampliores.

Vacans per obitum cardinalis Caietani Camerariatus officium,

§ 1. Cum itaque officium camerariatus nostri, et Sanctae Romanae Ecclesiae, quod bonae memoriae Henricus tituli Sanctae Pudentianae presbyter cardinalis Caietanus nuncupatus, noster et praedictae Ecclesiae camerarius, dum viveret, obtinebat, per obitum dicti Henrici cardinalis et camerarii, qui apud Sedem Apostolicam debitum naturae persolvit, vacaverit et vacet ad praesens:

Clemens cardinali Aldobrandino confert.

§ 2. Nos attendentes huius officii magnitudinem, cupientesque hoc praeclarum munus tali viro demandari, qui auctoritate et prudentia fretus reipublicae nostrae adiumento esse possit, post habita de hac re matura cum fratribus nostris deliberatione, ad te egregiis virtutibus praeditum converti, te fratris quondam nostri filium, ac Signaturae nostrae Brevium praefectum duximus desumendum, cuius fidei et solertiae tantum onus delegemus. Itaque de ipsorum fratrum consilio et assensu, officium praedictum, sive praemisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque personae[1] vacans, cum omnibus et singulis illius honoribus, oneribus, iuribus, iurisdictionibus, salariis et emolumentis, quibus dicto Henrico cardinali et camerario, eiusque praedecessoribus quibuscumque dictae Romanae Ecclesiae camerariis concessum fuerat, et alias ut infra, tibi auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et assignamus, teque, quoad vixeris, nostrum et eiusdem Romanae Ecclesiae camerarium constituimus et deputamus.

Pretiumque solvi solitum ei remittit.

§ 3. Tibique totum et integrum ipsius officii pretium, ad quamcumque quantumvis maximam et inexcogitatam summam ascendens, liberaliter et gratiosa etiam donatione, quae dicitur inter vivos, perpetuo valitura, de simili consilio et assensu, ac apostolicae potestatis plenitudine, remittimus et condonamus.

Iurisdictionem et emolumenta tribuit,

§ 4. Teque in locum dicti Henrici cardinalis et camerarii, ac aliorum praedecessorum suorum praedictorum quoad huiusmodi officium, eiusque liberum exercitium, necnon honores, onera, iurisdictiones, salaria et emolumenta praedicta, quam plenissime substituimus et subrogamus.

Conceditque ut brevium praefecturam possit una retinere.

§ 5. Teque ut una cum dicto officio officium praefecti brevium huiusmodi, quoad vixeris, retinere, ac utrumque officium huiusmodi exercere libere et licite valeas, de simili consilio et assensu, auctoritate et tenore praemissis, dispensamus.

Quae sint huiusmodi officii munera commemorat.

§ 6. Ita quod liceat tibi, realem et actualem possessionem officii camerariatus huiusmodi, illiusque exercitii, honorum, iurium, iurisdictionum, salariorum

1 Sic.

Pii V: *Cum Nobis*, tom. VII, pag. 440. Prout quoad expeditiones clericorum, attendi debet Iulii III const. *Licet*, ut supr. Nec praetermittenda est constit. XXIV Pii IV: *Providentia*, tom. VII, pag. 82, ubi omnia privilegia et iurisdictiones camerarii confirmantur et de novo conceduntur. Quo vero ad ipsam Cameram, idest causas eam concernentes, vide dictam constit. Urbani VI. Et quoad redditionem computorum Camerae, habes constitut. LIII Pauli III: *Cum sicut*, tom. VI, pag. 371. Quoad occupatores terrarum Sedis Apostolicae, vide constit. XVI Pauli IV: *Incumbentia*, tom. VI, pag. 523. Quoad occupatores scripturarum Camerae, extat constit. LXXXIII Sixti V: *Non sine*, tom. VIII, pag. 840. Circa solemnitates contractuum eiusdem Camerae inspice constit. XV Pii IV: *Cum in alienationibus*, tom. VII, pag. 62. De gratiis autem interesse Camerae tangentibus in ea registrandis, attende constitut. CXVI Pii IV: *Ingens*, tom eodem, pag. 375. Reformationes autem dictae Camerae sunt in constit. XVII Eugenii IV: *Inter*, tom. V, pag. 32, Leonis X: *Licet*, et Pii IV: *Romanus*, ibid. ut sup.

et emolumentorum omnium, per te, vel alium, seu alios, propria auctoritate, libere apprehendere et similiter, quoad vixeris, retinere, ac Camerae praedictae semper et ubique, dicti camerariatus officii ratione, praesidere, ac proventus, pecunias, res et cetera omnia iura eiusdem Camerae procurare, rationes acceptorum et impensorum habere, credita exigere, debita solvere, arcibus, praesidiis, et munitionibus omnibus praeesse, et exactores, castellanos et alios officiales et ministros quoscumque in omnibus provinciis, civitatibus et locis constituere; ac etiam per praedecessores nostros, et nos, alios de mandato nostro, sive dictorum praedecessorum nostrorum quomodolibet constitutos revocare, alios subrogare, militiam pro usu Status et reipublicae nostrae, ubicumque opus fuerit, instituere, milites conscribere, stipendia assignare, statuta condere et condita (salvis tamen infrascriptis reformationibus) mutare; vices tuas in toto vel in parte delegare, ac pro libito revocare, ac prorsus omnia et quaecumque alia facere, ordinare et exequi, eamdemque et omnimodam iurisdictionem in omnibus causis et negociis ad ipsum officium camerariatus quomodolibet pertinentibus habere et exercere, quae praedictus Henricus cardinalis, et omnes alii ante eum camerarii, de iure, statuto, usu, consuetudine, privilegio, fundatione et alias quomodocumque facere, ordinare et exequi potuerunt, seu etiam debuerunt, etiamsi talia forent, quae facultatem et mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum.

Eumque in verum camerarium recipi iubet.

§ 7. Decernentes te ex nunc ad dictum officium camerariatus, eiusque liberum exercitium, necnon honores, onera, salaria, iura, iurisdictiones, et emolumenta praedicta, in locum eiusdem Henrici cardinalis et camerarii, et aliorum praedictorum recipiendum et admittendum fore, ac recipi et admitti debere, tibique de emolumentis et aliis iuribus praedictis, a die obitus dicti Henrici cardinalis et camerarii, absque alia intimatione collectoribus ubilibet existentibus vel aliis quibuscumque facienda, integre responderi debere.

Consuetas facultates atque emolumenta ei assignat.

§ 8. Insuper tibi concedimus et indulgemus, ut omnibus praedictis et quibuscumque privilegiis, facultatibus, praerogativis, praeeminentiis, antelationibus, exemptionibus, immunitatibus, iurisdictionibus, iuribus, emolumentis, gratiis et indultis, quibus praedictus Henricus cardinalis et alii eiusdem S. R. E. camerarii, qui hactenus fuerunt, in genere, vel specie, aut alias quomodolibet, tam Sede Apostolica plena quam vacante, usi, potiti et gavisi, tam antiquis quam modernis temporibus fuerunt, ac uti, potiri et gaudere possent et etiam deberent, sive de illis per litteras apostolicas, sive per patentes, aut scripturas, aut libros camerales, aut decreta cameralia, seu quaecumque alia publica vel privata documenta apparerent, similiter et pariformiter, ac absque ulla prorsus differentia, uti, potiri et gaudere; necnon omnia et quaecumque regalia, proventus et iura etiam antiqua, tam ex sigillo, custodiis, praefecturis, officiis, exactionibus, taxis et quibuscumque aliis rebus, et praesertim in litteris facultatum praedicti Henrici cardinalis et camerarii enumeratis, quam etiam ex collectoria in regnis Hispaniarum, vigesima nuncupata, obvenientia, quae ad rationem duorum pro centenario super spoliis, fructibus, iuribus et emolumentis omnibus dictae et aliarum collectoriarum ubicumque institutarum et instituendarum tibi assignamus, tibique omnino persolvi volumus atque mandamus (regalibus tantum et emolumentis unius pro centena-

rio, et impositionibus Congregationum Regularium, et dimidii pro centenario ex vigesima Hebraeorum, ac etiam dimidii pro centenario ex subsidio triennali exceptis) integre percipere, exigere et levare, etiam libere et licite possis et valeas, eaque tam quoad ius percipiendi emolumenta, quam quoad omnia et singula supradicta, uti auctoritate et facultate, qua quisque praedecessorum tuorum plenissime usus fuit.

Obedientia ei ab omnibus praestanda.

§ 9. Mandantes in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis praesidentibus et clericis dictae Camerae, caeterisque personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, qualitatis et praeeminentiae, necnon communitatibus, universitatibus et locis, illorumque hominibus, ac aliis, ad quos spectat et pertinet, et pro tempore spectabit et pertinebit, quatenus ipsi et eorum quilibet, tibi, tamquam membra capiti, obsequentes, ac reverentiam et obedientiam exhibentes, tuis monitis et mandatis omnino pareant et obediant, in regimine et administratione ipsius Camerae et dicti officii camerariatus exercitio, ubicumque expediet, adsint, et omnia officia debita exhibere procurent. Alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris, sive statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Indemnitas a praetensionibus haeredum cardinalis Vitellii.

§ 10. Ac insuper cum haeredes bonae memoriae Vitellotii, ipsius Romanae Ecclesiae cardinalis et camerarii, praetenderent officium camerariatus huiusmodi, quod idem Vitellotius cardinalis dum viveret obtinebat, ex persona ipsius Vitellotii cardinalis, praetextu cuiusdam concessionis a piae mem. Pio Papa quarto, etiam praedecessore nostro, per dictum Vitellotium cardinalem obtentae non vacare, eisdemque haeredibus illius pretium et emolumenta deberi, ac propterea lis et causa, seu controversia coram certo causarum palatii apostolici auditore super dicto officio camerariatus, ac illius pretio et emolumentis orta fuisset et indecisa penderet; et similis memoriae Pius Papa quintus, pariter praedecessor noster, securitati et indemnitati tunc existentis ipsius Sanctae Romanae Ecclesiae camerarii consulere volens, voluerit et declaraverit, atque decreverit, quod dicta Camera ipsum camerarium, eiusque haeredes, ac ab eo causam habentes, non solum a praedicta, sed etiam quacumque alia lite et causa, per haeredes, creditores et fideiussores dicti Vitellotii cardinalis mota, tutari et liberare, ac causae patrocinium propriis impensis suscipere, ac de evictione teneretur et obligata existeret, cum decretis, et obligationibus, ac cautelis tunc expressis, prout in eis, quorum tenores haberi volumus pro expressis, plenius continetur; nos tuae, tuorumque haeredum et successorum, ac ab eis causam habentium securitati et indemnitati prospicere volentes, de consilio, assensu ac potestatis plenitudine similibus, te, tuosque praedecessores ab huiusmodi, et quacumque alia lite et molestia, caeterisque omnibus incommodis eximimus et liberamus; ac etiam statuimus et decernimus Cameram ipsam ad causam praedictam, ut praefertur, suscipiendam et defendendam, teque, tuosque haeredes et successores praedictos, ab omnibus et singulis praedictis praeservandum, ac prorsus ad omnia et quaecumque alia, ad quae, iuxta ipsius Pii quinti praedecessoris voluntatem et decretum, tunc existenti camerario, eiusque haeredibus et aliis praedictis tenebatur, etiam contractu solemni et stipulatione, omni tempore teneri et obligatum existere.

§ 11. Teque, tam super praesentis of-

Ac praesertim pro pretii condonatione.

ficii camerariatus concessione, quam illius pretii donatione, ac emolumentorum et iurium perceptione, nullo umquam tempore per nos, et Romanos Pontifices successores nostros, ac Sedem et Cameram huiusmodi, etiam ratione subventionis et necessitatis Romani Pontificis pro tempore existentis, ac Sedis et Camerae praedictarum, etiam pro expeditione contra Turcas et alios infideles ac catholicae fidei hostes, vel ex alia quacumque etiam quantumvis iusta, pia, legitima, et quae hic de necessitate exprimenda esset, causa, molestari, perturbari, aut inquietari posse, nec etiam praetextu dictae litis, aut aliarum molestiarum, quam litem et causam, quoad te, extinguimus, haeredibusque et successoribus, necnon creditoribus dicti Vitellotii cardinalis perpetuum silentium imponimus.

Clausulae pro perpetua huius concessionis firmitate.

§ 12. Ac praesentes, nullo umquam tempore, quovis praetextu et ex quovis capite, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quovis praetextu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse, illasque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus, per nos vel successores nostros Romanos Pontifices, aut dictam Sedem, ex quibusvis causis, etiam motu, ac scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter pro tempore factis, nullatenus comprehendi, nec comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub data posteriori quandocumque per te eligenda, concessas et validas, ac efficaces, adversus quascumque impugnationes existere, vimque veri et validi, ac efficacis contractus, inter nos et Sedem ac Cameram praedictam ex una, necnon te tuosque praedictos partibus ex altera, iurati et stipulati perpetuo habere et obtinere; teque ad superius expressa in toto vel in parte, verificandum seu probandum minime teneri, sed easdem praesentes absque alia probatione sufficere, eisque in iudicio et extra illud stari, nec ullam probationem cuiusque naturae et speciei illa sit vel fuerit, in contrarium adduci vel admitti, quinimmo etiam si superius expressa huiusmodi minus vera sint, et contrarium quandocumque probari contigerit, nihilominus easdem praesentes litteras suum plenarium effectum consequi, teque illis eorumque effectu potiri et gaudere.

Clausula sublata.

§ 13. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem Camerae praesidentes et clericos, ac dictae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis instantia, ac etiam in dicta Camera iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Moderatio facultatum dispensandi cum Hebraeis super casibus, qui recensentur.

§ 14. Praeterea volumus et statuimus, ac mandamus, ut tu, et futuri camerarii praedicti, de caetero perpetuis futuris temporibus a concedendo Hebraeis extra Statum nostrum Ecclesiasticum licentias foenerandi, quas tolerantias appellant, abstineatis; in Statu autem praedicto, ubi Hebraei commorantur, uti Avenione et in legatione Ferrariae, nullas (exceptis Hebraeis Levantinis, et caeteris Anconam accedentibus, et ibi commorantibus) con-

cedatis; in Urbe quoque numerum conventum non excedatis. Hebraeis etiam alias tolerantias et privilegia praeiudicium christianorum concernentia, ac licentias videndi, erigendi synagogas, ducendi aliam uxorem vivente prima, aliaque contra constitutiones apostolicas faciendi, atque absolutiones, quas vocant a transgressibus, etiam nullo modo concedatis. Similiter a licentiis exercendi nummularium sive bancherottum, etiam quoad permutationem auri et argenti, abstineatis; ac concessae revocatae sint et esse intelligantur.

Aliae facultates abrogatae;

§ 15. Non possitis dare licentiam deferendi ad Urbem quatrenos aut monetas reprobatas.

Et praecipue concedendi moratorias

§ 16. A concessione moratoriarum, sive dilationum, quarum prohibitionem invocamus, etiam abstineatis.

Atque salvos conductus.

§ 17. Non detis salvos conductus etiam pro debitis, neque cedulas *Non gravetur* nuncupatas, contra mandata ab aliis iudicibus relaxata, etiam sub praetextu depositi, nisi pro praedictis, aut aliquo eorum ordinem nostrum, aut pro tempore existentis Romani Pontificis habeatis. In salvis conductibus pro navi, aut aliis quibuscumque non apponatis clausulam, quod non possint molestari, etiam ex causa religionis, nisi ex causa cum Romano Pontifice collata.

Tractus frumentorum;

§ 18. In concessionibus tractarum frumentorum, bladorum, leguminum, olei et aliorum animalium, servetis constitutiones per praedecessores nostros Romanos Pontifices desuper editas, ac nullo modo extra Statum Ecclesiasticum, nec etiam ad civitates et loca Bononiae et Ferrariae, sine chirographo nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis, tractam huiusmodi concedatis. Ubi autem aderit huiusmodi chirographum, sive sit pro certa persona vel universitate, sive pro incertis personis facultativum, et cuicumque directum, fiat expeditio per te, et prò tempore existentem camerarium praedictum solum, et non per alium. Ac istae, quae dicuntur tractae extra Statum et ad civitates et loca, de quibus supra, registrentur una cum chirographo huiusmodi in particulari libro nuncupando *Liber tractarum*, pro quibus non percipiatur, pro sigillo, ultra iulios undecim pro quolibet centenario rubrorum.

Extractiones de loco ad locum.

§ 19. Extractiones autem de loco viciniori Urbis ad locum remotiorem intra quadraginta milliaria, in Patrimonio, Tyberina, Latio, et Campania atque Maritima, quoad frumenta, blada et legumina, non concedantur, nisi per praefectum annonae, cum participatione tamen, ac sub nomine et sigillo tuo, et pro tempore existentis camerarii, pro quo sigillo usque ad quinquaginta rubra, unus tantum, et usque ad centum, duo, et ab inde supra usque ad quamcumque summam, quinque iulii solvantur.

Restrictio quoad res et loca.

§ 20. Quoad oleum autem, intra quadraginta milliaria, et animalia in provincia Patrimonii in praedicto casu non concedantur, nisi per praesidentem grasciae, cum simili participatione camerarii, et subscriptione commissarii eiusdem Camerae, sub nomine et sigillo praedictis, pro quo sigillo non solvatur ultra solitum. Quo vero ad alia loca et aliud genus grasciae, tu solus tantum provideas, et non alius.

Aliae modificationes.

§ 21. Abstineatis quoque a licentiis emendi frumenta, blada, legumina et olivas, ultra usum, necnon accipiendi eadem in solutum, seu alias quomodolibet impetrandi.

§ 22. Et ab indultis, quod quis, soluta rata, non teneatur pro aliis, nisi ad favorem conducentium grasciam ad Urbem, aut in casibus alias permissis.

§ 23. Nec permanendi Ægyptios in Statu Ecclesiastico.

§ 24. Et alterandi poenas statutarias ad favorem certarum personarum.

§ 25. Et generaliter ab indultis et dispensationibus contra constitutiones apostolicas praedictas.

§ 26. Non intromittatis in concedendis licentiis vendendi stabilia universitatibus, neque accipiendi pecunias ad causam seu alias, minusque indultis faciendi nundinas et mercatum, quae in plena Camera expedientur.

§ 27. Patentes, licentiae et privilegia emendi et vendendi tam in Platea Agonis, quam in foro Boario, aut alio quocumque loco Urbis, contra bannimenta et solitum, a te non concedantur; quinimmo tu invigiles ne a quovis alio, quacumque autoritate, dentur, et concessa revocata intelligantur. Ac extraordinarii aliique exactores illorum usum quoquo modo admittentes, vel patientes, poenam privationis officii, et graviorem etiam corporis afflictivam, quoad patentes tuas, arbitrio nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis, quoad aliorum vero, arbitrio tuo incurrant.

Taxae.

§ 28. Pro mandatis de excarcerando, vigore decreti visitae, nihil pro sigillo solvatur.

§ 29. In mandatis ratione grasciae et annonae, usque ad summam quindecim scutorum pro sigillo non solvatur nisi iulius unus, et si expeditiones fiant pro pluribus personis, non exigatur nisi pro uno sigillo.

§ 30. Commissarii vero etiam in Urbe nulli deputentur, nisi cum chirographo nostro.

Commissarii Ripettae officium extinctum.

§ 31. Officium commissarii Ripettae supprimatur, prout illud, motu et auctoritate similibus, supprimimus et extinguimus, ac loco illius aliquis substitutus cum salario decem scutorum pro quolibet mense, ex poenis eius diligentia incamerandis, et non aliunde percipiendo, a te deputetur.

§ 32. Portio autem poenarum, quam idem commissarius Ripettae percipere consuevit, applicetur societati Confalonis Redemptionis Captivorum de Urbe, prout illam, demptis dictis decem scutis, applicamus.

Salarium mandatori Fori Agonalis assignatum.

§ 33. Officium commissarii mundatoris plateae Agonis nuncupatum habeat certum salarium decem scutorum etiam quolibet mense, quae exigantur praevia taxa per te, et pro tempore existentes camerarios praedictos facienda, ad eam rationem, solum ab Hebraeis et aliis habentibus situm apothecae certum in die mercati in dicta platea.

Quomodo sit procedendum in causis criminalibus.

§ 34. Tu et futuri camerarii huiusmodi non habeatis tribunal criminale erectum; ac tuus, et eiusdem camerarii auditor non procedat in causis criminalibus, in quibus veniet infligenda poena supra relegationem; sed in his, quae a iurisdictione officii camerariatus pendent, deputetis aliquem ex iudicibus ordinariis, vel aliquos vobis bene visos ad beneplacitum, prout usu veniet.

§ 35. Ita tamen quod in causis furti pignorum, quoad Hebraeos bancarios, sit locus praeventioni inter te et gubernatorem Urbis.

§ 36. Subhastationes pignorum existentium penes Hebraeos fiant in Monte Pietatis, in quo residuum pretii deponi consuevit, cum decreto tamen tuo, rogando per acta tui notarii, gratis.

Constitutiones Pontificiae favore C. A. innovantur.

§ 37. Praeterea ad iurisdictionem Camerae nostrae conservandam, constitutiones Pauli III et Pii IV ac aliorum Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, ad eius favorem editas innovamus.

Signatura Iustitiae in causis dictam Cameram concernentibus rescribere non potest.

§ 38. Ac insuper statuimus quod de caetero Signatura Iustitiae non possit nec debeat, sive reformando sive declarando, aliquid in Camera nostra, vel alibi, in causis spectantibus ad camerarium prae-

dictum rescribere, et supplicationes signatae nullius sint roboris, nullamque tribuant iurisdictionem.

Camera vero dictas causas a quocumque tribunali avocat.

§ 39. Ac etiam decernimus licere tibi et Camerae praedictis, omnes et quascumque causas ad camerariatus et Camerae tribunal quomodolibet spectantes a quibuscumque iudicibus, etiam auditore Camerae, ac etiam si agatur de obligatione camerali, palatii apostolici causarum auditoribus, et S. R. E. cardinalibus, libere avocare et reassumere, iisdemque inhibere.

§ 40. Nullum vero ex praedictis, aut aliis quibuscumque iudicibus posse causas praedictas a dicto camerariatus et Camerae tribunali avocare et reassumere, etiam sub praetextu, quod causae alias non sint camerales, et ad dictum tribunal non spectent.

Ad ipsam spectat diiudicare an causae sint camerales nec ne.

§ 41. Super quo non possit Signatura Iustitiae cognoscere, aut aliquo modo rescribere, nec se ingerere, sed huiusmodi cognitio, an causae sint de iurisdictione camerariatus vel Camerae, pertineat respective ad te et Cameram, qui cognoscere debeatis, an sint iurisdictionis eiusdem Camerae; et si partes declarationi huiusmodi non acquieverint, vel ante huiusmodi declarationem voluerint, signaturam nostram gratiae tantum adire possint, et citato commissario eiusdem Camerae commissiones proponi debeant.

Derogatio contrariorum.

§ 42. Non obstante asserta litis pendentia et aliis praemissis, ac nostra de non tollendo iure quaesito, quatenus opus sit, ac aliis Cancellariae Apostolicae regulis, nec non piae memoriae Leonis X et aliorum Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, etiam cum collegio cardinalium, pro unione et charitate factis, et contractu inviolabili, seu quasi, a quo nullo tempore resilire, nec illis ullo modo, aut nisi certis modis et formis tunc expressis, derogari possit; nec non iuramentis, renunciationibus, aliisque clausulis et cautelis firmatis, de dicti camerariatus officii dispositione, non perpetuo, sed ad triennium, aut aliud tempus in favorem cardinalium ipsorum utriusque iuris doctorum, ac de consensu omnium cardinalium seu maioris partis eorum, cum decreto irritante, quidquid secus fieri contigerit. Ita quod de nullitate concessionis omni tempore, absque inobedientiae culpa, aut alterius censurae et poenae incursu dici valeat; aut alias certis modo et forma tunc expressis deinceps in perpetuum facienda, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam eiusdem Pii IV praedecessoris, octavo idus augusti, pontificatus sui anno VI edita, qua cavetur quod gratiae et indulta qualecumque interesse dictae Camerae concernentia, infra certum inibi expressum tempus in dicta Camera praesententur sive registrentur, alioquin illae non valeant. Ita quod tu, ad easdem praesentes in eadem Camera praesentandum sive registrandum, nulla umquam necessitate cogi vel compelli possis, et nihilominus illae valeant et tibi suffragentur, in omnibus et per omnia, perinde ac si praesentatae et registratae fuissent; necnon Camerae et officii camerariatus praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, usibus quoque et naturis, quantocumque tempore pacifice observatis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis collegio cardinalium, et dictae Camerae thesaurario, illiusque praesidentibus et clericis, per praedictos et quoscumque alios Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, ac nos et dictam Sedem, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, seu quasi, ac alias, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis

efficacibus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, et alias quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis, extensis et moderatis; quibus ac omnibus aliis, quae eisdem praesentibus quomodolibet obesse possent, etiamsi talia et multa essent, quae sub concessionibus generalibus non venirent, sed specialibus omnino indigerent expressionibus, illorum, ac supradictorum omnium veriores et totos tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, specialiter et expresse, ac amplissime, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, et ad effectum validitatis earumdem praesentium derogamus; quodque tu, iuxta praefata omnia, qualificatus, et I. U. D. non sis, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Adhortatio de officio bene administrando.

§ 43. Tu igitur, benedictione nostra fretus, eam in demandato tibi a nobis hoc munere operam praestare curabis, ut ii, quos iam animo percipimus, fructus industria tua quotidie magis augescant; nosque et praedicta Sedes per te optime consuluisse laetemur. Nulli ergo omnino hominum, *etc.* Si quis autem, *etc.*, incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDXCIX, quinto decimo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 18 decembr. 1599, pontif. an. VIII.

CCXXIV.

Declarat, quocumque privilegio non obstante, neminem ex Ferrariensibus exemptum esse a sua opera praestanda custodiae et reparationi aggerum fluminis Padi [1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Ferrariensibus exemptiones a ducibus concessas confirmavit Clemens.

§ 1. Cum nos alias, per nostras in forma brevis litteras, motu proprio, omnes immunitates, exemptiones et libertates, ac privilegia quaecumque per duces Ferrariae quibusvis personis concessa (licet post civitatis et ducatus Ferrariensis ad nos et Sanctam Romanam Ecclesiam, ac Apostolicam Sedem devolutionem sequutam, et a nobis legitime acceptatam, ac eiusdem civitatis et ducatus Sedi et Camerae praedictis incorporationem per nos factam) resoluta et prorsus extincta fuissent et essent; attendentes nostrae ac Apostolicae Sedis dignitati maxime convenire, et pro subditorum nostrorum utilitate etiam ita expedire, de speciali gratia innovaverimus, et de novo concesserimus; et deinde diversis particularibus personis similia privilegia, immunitates et exemptiones ipsis pridem a dictis ducibus concessas nominatim innovaverimus et de novo concesserimus, prout in diversis in forma brevis expeditis litteris plenius continetur.

Nonnulli se immunes a custodia aggerum Padi asserebant

§ 2. Cumque, sicut accepimus, multi ex huiusmodi privilegiatis praetendant se, vigore dictorum privilegiorum ipsis concessorum, a custodiis et laboreriis aggerum fluminis Padi et aquaeductuum publicorum exemptos et immunes esse, ac propterea iis contribuere et intervenire forsan recusent.

§ 3. Nos animadvertentes publicae om-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium,

Declaratio de qua in rubrica.

nium civium et incolarum civitatis et ducatus Ferrariensis utilitati interesse, ut irruptionibus et inundationibus fluminis Padi praecipue occurratur, ac publici aquarum ductus non solum custodiantur et expurgentur, sed, ubi opus fuerit, etiam de novo aperiantur; ac maxime convenire, ut omnes supradicti pro universali commodo operibus et expensis pro praemissis faciendis contribuere teneantur; propterea, motu proprio et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, declarantes in primis et ante omnia nostrae mentis et intentionis non fuisse, nec esse, ut quicumque dictorum privilegiatorum, etiamsi per privilegia ipsis a ducibus praedictis concessa id nominatim illis concessum fuerit, a custodiis, operibus, laboreriis et factionibus quibuscumque fluminis Padi liberi vel immunes existant, harum serie perpetuo statuimus et ordinamus, ut omnes utriusque sexus personae, quantumvis privilegiatae huiusmodi, et quacumque praefulgeant dignitate, titulo, praeeminentia et auctoritate, custodiis, operibus, laboreriis et factionibus quibuscumque aggerum fluminis Padi, et aquarum ductuum publicorum, arbitrio tamen moderni et pro tempore existentis nostri et apostolicae Sedis in civitate et ducatu praedictis de latere legati, seu eius vicelegati, aut gubernatoris, seu alterius superioris, contribuere perinde teneantur et debeant, ac si illis nulla, quoad haec privilegia, immunitates et exemptiones, quas nihilominus vigore praesentium expresse revocamus et annullamus, concessa fuissent.

Exequutio vicelegato committitur.

§ 4. Mandantes propterea dilecto filio eidem moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis in civitate et ducatu praedictis, de latere legato, seu eius vicelegato, vel gubernatori, aut alii superiori, ut quoscumque ex praedictis privilegiatis praemissis contribuere forsan recusantes vel renitentes, auctoritate nostra, opportunis iuris et facti remediis, quacumque excusatione et appellatione prorsus reiectis, arbitrio suo cogat et compellat.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus nostra, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVIII ianuarii MDC, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 18 ianuarii 1600, pontif. an. VIII.

CCXXV.

Modum a Philippo III Hispaniarum rege praescriptum in causis appellationum militum Militiarum de Calatrava et de Alcantara servari mandatur [1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico militiarum Sancti Iacobi de Spata, Calatrava et Alcantara perpetuo administratori, apostolica auctoritate deputato,

Clemens Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Philippus rex modum servandum in appellationibus praescribit.

Maiestatis tuae nomine nobis nuper expositum fuit, quod cum tu in regnis tuis Hispaniarum nonnullas differentias et controversias inter tribunalia saecularia, et consilium Ordinum Militiarum S. Iacobi de Spata sub regula S. Augustini, ac de Calatrava et Alcantara sub regula Cisterciensi militiarum, quarum tu perpetuus administrator, apostolica auctoritate, deputatus existis, super forma et modo cognoscendi et tractandi causas criminales

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

et mixtas militum dictarum militiarum vigere reperisses, tu ad huiusmodi controversias et differentias dirimendas, tanquam administrator militiarum huiusmodi, statuisti et ordinasti ut de caetero causae criminales et mixtae militum quorumcumque dictarum militiarum in prima instantia per consilium dictarum militiarum, iuxta formam statutorum et stabilimentorum ipsarum, cognosci et terminari, quodque ad ipsum consilium milites dictarum militiarum, qui tamquam delinquentes carceri mancipati fuerint, a quibuscumque aliis iudicibus remitti debeant, ne ipsi iudices in ipsorum militum causis sese intromittere possint; quodque a sententiis per dictum consilium super huiusmodi causis criminalibus et mixtis ferendis ad Maiestatem tuam, tanquam militiarum praedictarum administratorem, appellari possit, ac eadem Maiestas tua causas appellationum huiusmodi in secunda instantia quatuor iudicibus (quorum duo de consilio regio, et alii duo de consilio Ordinum militiarum existant) committat. Ab istis vero quatuor iudicibus si partes se gravatas senserint, illis ad Maiestatem tuam tanquam administratorem dictarum militiarum, ut praefertur, iterum appellare licitum sit: quo casu Maiestas tua per se ipsam, adhibitis personis ab ea deputandis, causas easdem in tertia et ultima instantia cognoscere et terminare, ac sententia per te ferenda executioni demandari, quibuscumque non obstantibus, omnino debeat.

Confirmarique a Pontifice petit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, Maiestas tua pro maiori ordinationis praedictae validitate cupiat illam nostrae apostolicae confirmationis robore communiri; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Clemens,

§ 3. Nos igitur honestis Maiestatis tuae votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ordinationem praedictam quoad milites dictarum militiarum, non tamen clericos beneficiatos, vel in sacris ordinibus constitutos, aut eos, qui vulgo *freiles* nuncupantur (quorum causas, necnon criminales et mixtas ipsorum militum, quae mere existunt ecclesiasticae, videlicet haeresis, simoniae ac usurae, ubi agitur an contractus sit foeneratitius, vel ne a praedicta ordinatione excipimus), auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, ac inviolabilis apostolicae firmitatis robore communimus, omnesque et singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Servarique praecipit.

§ 4. Et nihilominus, quod causae criminales et mixtae ad milites quarumcumque dictarum militiarum, non tamen ad clericos beneficiatos, vel in sacris ordinibus constitutos aut *freiles* nuncupatos pertinentes, nec praedictae criminales et mixtae mere ecclesiasticae haeresis videlicet, simoniae et usurae, ubi agitur, an contractus sit foeneratitius, vel ne, in prima instantia per consilium dictarum militiarum, iuxta formam statutorum et stabilimentorum ipsarum militiarum, cognosci et terminari; quodque ad ipsum consilium milites militiarum, qui tamquam delinquentes carceri mancipati fuerint, a quibuscumque aliis iudicibus remitti debeant, nec ipsi iudices in ipsorum militum causis criminalibus et mixtis praedictis, ut supra exceptis, sese intromittere possint; quodque a sententiis per dictum consilium super huiusmodi causis criminalibus et mixtis ferendis, ad Maiestatem tuam, tamquam militiarum praedictarum administratorem appellari possit, ac eadem Maiestas tua causas ap-

pellationum huiusmodi in secunda instantia, quatuor iudicibus, quorum duo de consilio regio, et alii duo de dicto consilio Ordinum militiarum existant, committat. Ab istis vero quatuor iudicibus si partes se gravatas senserint, illis ad Maiestatem tuam, tamquam administratorem dictarum militiarum, ut praefertur, iterum appellare licitum sit: quo casu Maiestas tua per se ipsam, adhibitis personis ab ea deputandis, causas easdem in tertia et ultima instantia cognoscere et terminare, quacumque ulteriori appellatione remota, debeat, auctoritate et tenore praedictis, statuimus et ordinamus.

Quibuscumque non obstantibus

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictarum militiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores, praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis alicuius notarii publici, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXXI ianuarii MDC, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 31 ianuarii 1600, pontif. an. VIII.

CCXXVI.

Erectio monasterii ad ecclesiam Sancti Urbani in regione Montium de Urbe, cum concessione exemptionum et gratiarum.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Debitum pastoralis officii nobis ex alto commissi requirit, et nos ad id promptos excitat, ut ad ea, per quae pauperes puellae, spretis huius infelicis saeculi illecebris, et assumpto religionis habitu, perpetuum Altissimo famulatum impendere, aeternamque beatitudinem consectari valeant, ac exinde honoris flores et honestatis fructus, regularisque vitae propagatio deveniant, propensis studiis intendamus, ac in his eiusdem officii nostri partes favorabiliter interponamus.

Erecta domo virginibus egenis ad ecclesiam S. Euphemiae nonnullae moniales fieri cupiebant.

§ 1. Sane dilectus filius noster Caesar, tituli sanctorum Nerei et Archilei, presbyter cardinalis Baronius nuncupatus, tam suo, quam dilectorum etiam filiorum fundatorum domus puellarum dispersarum nuncupatarum, prope ecclesiam sanctae Euphemiae in campo Carleo de Urbe, ac dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Fulviae de comitibus Sfortiae domicellae Romanae nominibus, nobis nuper exponi fecit, quod ipsi Caesar cardinalis et fundatores ac Fulvia, peculiari sollicitudine et studio perpendentes, dictas puellas in ipsa domo collectas de praesenti ad numerum ducentarum vel circa ascendere, paulatimque ad aetatem maturam pervenire, et necessarium esse illas, pro naturali uniuscuiusque ad hunc vel illum statum propensione collocare, multis vero illarum, spretis saeculi illecebris, praepotenti Deo sub suavi religionis iugo famulari desiderare:

Card. Baronius monasterium pro eis erigi petit ad ecclesiam S. Urbani.

§ 2. Unum monasterium monialium, in quo puellae in eadem domo educatae tantummodo recipi deberent, instituendum esse iudicarunt, et mentem in locum, ubi monasterium ipsum commode constitui posset, dirigentes, ecclesiam Sancti Urbani, seu illius situm in regione Montium de dicta Urbe, quae a dicta domo

parum abest, ad id apprime commodam et opportunam esse censuerunt.

Cardin. Sfortia commendatarius huiusmodi ecclesiam erigendo monasterio uniri assentitur.

§ 3. Et quia dicta ecclesia, quae sine cura est, et monasterii Sancti Laurentii extra muros eiusdem Urbis, Ordinis Sancti Benedicti, quod dilectus filius noster Franciscus, Sanctae Mariae in Via lata, diaconus cardinalis Sfortia nuncupatus, in commendam ad eius vitam ex concessione et dispensatione apostolica obtinet, membrum existit, et a quo dependet, ecclesiam praedictam cum illius situ huiusmodi ab eodem Francisco cardinali obtinendam curarunt. Qui quidem considerans divinum cultum in ea iniuria temporis imminutum esse, desideransque in posterum inibi divina officia cum debito cultu celebrari, et ipsam ecclesiam in decentem statum reduci, in eoque manuteri faciendi, illam cum situ huiusmodi eidem domui, sub nostro et Sedis apostolicae beneplacito (cum hoc inter caetera, quod rectores et administratores ipsius domus singulis dominicis, et aliis de praecepto Ecclesiae festivis diebus, missam in dicta ecclesia celebrari facere, illamque in decenti statu manutenere deberent) in perpetuum concessit, eidemque domui, intuitu et contemplatione celebrationis missarum huiusmodi, octodecim scuta monetae, ad rationem decem iuliorum pro quolibet scuto huiusmodi, singulis annis in perpetuum ex fructibus ipsius ecclesiae persolvenda assignavit, prout in publico desuper confecto instrumento plenius dicitur contineri.

Capucinarum monaster. Ordinis S. Clarae inibi erigendum designatur.

§ 4. Et sicut eadem expositio subiungebat, si a dicto monasterio Sancti Laurentii dicta ecclesia, una cum eodem reditu octodecim scutorum, dismembraretur et separaretur, ac in situ dictae ecclesiae, aedibusque illi adiacentibus et cohaerentibus ex tunc, prout postquam ad formam decentem monasterii constructa fuerint, unum monasterium monialium Ordinis Sanctae Clarae, cum clausura et cratibus ad instar monasteriorum monialium Capuccinarum nuncupatarum pro perpetuis usu et habitatione earumdem puellarum dictae domus tantum, et non aliarum, quae religionis zelo et ob melioris vitae frugem illud ingredi, et inibi Ordinem ipsum Sanctae Clarae profiteri voluerint, erigeretur et instittueretur, illique sic erecto et instituto, pro illius ecclesia, dicta ecclesia Sancti Urbani, ac pro dictarum monialium inibi pro tempore introducendarum sustentatione, onerumque illi incumbentium supportatione, eadem octodecim scuta, ac omnia et singula bona haereditatum quondam Portiae Palioniae et Ortensiae Angelinae eidem domui per nos alias concessa, quorum redditus et proventus annui ad valorem trecentorum scutorum vel circa ascendunt; necnon alii redditus et proventus valoris annui centum scutorum, quos dicta Fulvia ex charitatis et devotionis zelo ipsi monasterio pro eius dotis augmento assignare intendit, etiam perpetuo applicarentur et appropriarentur, hac ratione statui et saluti dictarum puellarum religionem profiteri volentium satis opportune consultum, ac divini cultus in dicta ecclesia incrementum, et praedicti Ordinis Sanctae Clarae propagationi provisum foret.

Pontifici supplicatur ut huiusmodi votis annuat.

§ 5. Quare praedictus Caesar cardinalis eisdem nominibus nobis humiliter supplicavit, quatenus praemissis annuere, aliasque desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Clemens annuit.

§ 6, Nos igitur qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem aestimationem etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret, vocatis quorum interesset,

et idem observaretur in quibuscumque perpetuis concessionibus, dismembrationibus et applicationibus de quibuscumque fructibus et bonis ecclesiasticis, administratores ac Fulviam praedictos, eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, a praedicto monasterio Sancti Laurentii dictam ecclesiam Sancti Urbani una cum eodem redditu octodecim scutorum huiusmodi, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo dismembramus et separamus. Nec non in aedibus et situ dictae ecclesiae adiacenti huiusmodi, postquam ad formam monasterii instaurata, et debita clausura munita fuerint, si nondum sint, unum monasterium monialium dicti Ordinis Sanctae Clarae, sub invocatione per ipsos Caesarem cardinalem et alios supradictos eligenda, una cum dicta ecclesia, necnon campanili, campanis, claustro, dormitorio, refectorio, cellis, hortis, hortalitiis, caeterisque officinis, membris, et commoditatibus necessariis et opportunis pro una abbatissa seu priorissa, et duodecim saltem monialibus, sub institutione, correctione, obedientia et omnimoda iurisdictione, tam in spiritualibus quam temporalibus, nostri et Romani Pontificis pro tempore existentis in dicta Urbe, et eius districtu vicarii in spiritualibus generalis, et dicti Caesaris cardinalis coniunctim; ac cura, gubernio et administratione dictorum fundatorum, ac aliorum ipsius domus gubernatorum et administratorum ab eis eligendorum, regendum et gubernandum ac administrandum; in quo puellae dictae domus in moniales tantum recipi, et habitum per moniales aliorum monasteriorum dicti Ordinis Sanctae Clarae gestari solitum suscipere, et, anno probationis elapso, professionem per easdem moniales emitti consuetam emittere, regulas necnon clausuram et crates in monasteriis monialium Capuccinarum huiusmodi servari solitas, et quoad fieri poterit, ritus et mores, ac consuetudines et regularia instituta eiusdem Ordinis Sanctae Clarae servare, ac divinis laudibus et officiis insistere debeant, etiam perpetuo, sine alicuius praeiudicio, dicta auctoritate, erigimus et instituimus.

Erectio monasterii sub regula S. Clarae.

§ 7. Illique sic erecto et instituto pro eius dote illiusque abbatissae seu priorissae et monialium pro tempore existentium sustentatione, onerumque eis incumbentium supportatione octodecim scuta huiusmodi, ac omnia et singula bona, res, proprietates, census, reditus, iura, obventiones et emolumenta tam dictarum haereditatum, quam per praedictam Fulviam, et alios quoscumque quomodolibet in perpetuum, vel ad tempus, ac simul, vel successive pro augmento bonorum, seu dotis monasterii per praesentes erecti huiusmodi, illiusque ac earumdem abbatissae seu priorissae, et monialium pro tempore existentium, vel alicuius earum intuitu per viam testamenti, codicillorum, donationis etiam inter vivos, et causa mortis, seu cuiuscumque alterius dispositionis, ac etiam in eleemosynam, vel alias, quandocumque et qualitercumque elargienda, donanda et eroganda, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, si et postquam elargita, donata et erogata fuerint.

Redituum bonorumque assignatio.

§ 8. Ita quod liceat eisdem fundatoribus, aliisque gubernatoribus et administratoribus praedictis illorum omnium realem, corporalem et actualem posses-

Facultas administratoribus concessa dictorum bonorum capiendi possessionem.

sionem, per se, vel alium, seu alios, nomine dicti monasterii per praesentes erecti, propria auctoritate, libere apprehendere, et perpetuo retinere; fructus quoque, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta ex eis provenientia, necnon oblationes et eleemosynas eidem monasterio per praesentes erecto, illiusque futuris abbatissae seu priorissae et monialibus pro tempore elargitas et elargiendas percipere, colligere, exigere, recipere, recuperare, arrendare et levare, ac in monasterii per praesentes erecti, illiusque abbatissae seu priorissae et monialium praedictarum communem usum, utilitatem et necessitates convertere, vicarii praedicti, vel cuiusvis alterius licentia in hoc et aliis infra dicendis minime requisita, etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Exemptio a quacumque iurisdictione tribunalium Urbis et superiorum generalium Ordinum regularium,

§ 9. Necnon monasterium per praesentes erectum, illiusque pro tempore existentes abbatissam seu priorissam, conventum, moniales, administratores, officiales, ministros, servientes, et personas, ac bona mobilia et immobilia, praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis et quantitatis existentia, ac ubilibet consistentia, ab omni iurisdictione, correctione, visitatione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentium dictae Urbis gubernatoris, senatoris, conservatorum, reformatorum, necnon causarum Curiae Camerae Apostolicae generalis auditoris, et Ordinariorum locorum, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegatorum, eorumque locatenentium, vicesgerentium, vicariorum et officialium, aliorumque quorumcumque iudicum ubilibet consistentium, ac quavis auctoritate et dignitate, tam ecclesiastica quam mundana, etiam cardinalatus honore fungentium, necnon protectorum ac generalium et provincialium ministrorum, aliorumque praelatorum et superiorum tam praedictae sanctae Clarae, quam aliorum fratrum Minorum et aliorum Ordinum quorumcumque in spiritualibus et temporalibus.

Et a solutione quorumcumque onerum.

§ 10. Necnon a solutione, praestatione, contributione et exactione decimarum et aliorum quorumcumque onerum ordinariorum et extraordinariorum, ex quacumque causa, et ad favorem quorumcumque piorum locorum, etiam seminarii puerorum ecclesiastici, etiam pro fabrica basilicae Principis Apostolorum de dicta Urbe, et manutentione classis triremium Sedis Apostolicae impositorum et imponendorum penitus et omnino similiter perpetuo eximimus et liberamus, ac sub Beati Petri et dictae Sedis, ac nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis, protectione et inviolabili conservatione suscipimus.

Iurisdictioni cardin. vicarii et administratorum subiicitur.

§ 11. Et visitationi, correctioni, obedientiae ac iurisdictioni in eisdem spiritualibus et temporalibus vicarii Urbis, et Caesaris cardinalis praedictorum, necnon curae, gubernio et administrationi fundatorum ac aliorum gubernatorum et administratorum praedictorum perpetuo subiicimus et submittimus.

Cardinalis vicarius perpetuus monasterii protector, defensor et iudex.

§ 12. Necnon ut ipsius monasterii per praesentes erecti prospero regimini, gubernio et conservationi opportune consulatur, illiusque pro tempore existentes abbatissa seu priorissa, moniales, gubernatores, administratores, oeconomi, officiales, ministri, servitores et personae ab indebitis molestiis releventur, pro tempore existentem almae Urbis vicarium, et Caesarem cardinalem praedictos, et quemlibet eorum, principaliter et in solidum, in monasterii per praesentes erecti, illiusque personarum, rerum, bonorum, iurium et privilegiorum protectores, defensores, et conservatores, ac iudices (quorum consilio et ope omnia supradicta, et quaecumque alia in his

vel circa ea necessaria statuentur et ordinabuntur, et coram quibus, seu ab eis deputando dumtaxat, omnes et singulae lites, causae, quaestiones et molestiae, civiles et criminales, ac mixtae, super dicti monasterii per praesentes erecti, illiusque abbatissae seu priorissae, conventus, monialium et personarum, bonis, rebus, iuribus et actionibus cuiuscumque qualitatis existentes, motae et movendae, cum omnibus et singulis earumdem incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, tractari, cognosci et decidi debeant) constituimus et deputamus.

Administratorum facultas ministros,

§ 13. Necnon fundatoribus, gubernatoribus et administratoribus praedictis, oeconomos, officiales et ministros dicti monasterii per praesentes erecti, arbitrio suo deputandi et amovendi, ac loco amovendorum seu decedentium alios subrogandi.

Capellanos et confessarium deputandi;

§ 14. Necnon abbatissae seu priorissae et monialibus praedictis, de capellanis et confessoribus idoneis etiam saecularibus, ab eodem Urbis vicario approbandis, et ad nutum fundatorum, gubernatorum et administratorum praedictorum ponendis et amovendis, qui in ecclesia dicti monasterii per praesentes erecti, missas et alia divina officia celebrare, ac illi in divinis deservire, ipsasque abbatissam seu priorissam et moniales, ac earum singulas in suis confessionibus audire, et a peccatis, de quibus corde contritae et ore confessae fuerint, apostolica auctoritate, toties quoties opus fuerit, iniuncta inde eis pro modo culpae arbitrio suo poenitentia salutari, absolvere, illisque sacramenta ecclesiastica administrare valeant, ac de egregio verbi Dei praedicatore providendi.

Statuta condendi ab eodem cardin. vicario approbanda.

§ 15. Necnon quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta ad eiusdem monasterii per praesentes erecti, illiusque personarum, rerum et bonorum spiritualium et temporalium curam, regimen, gubernium, directionem et administrationem, ac monialium praedictarum receptiones, admissiones, aetatem, qualitates, victum, amictum, instructionem, directionem et disciplinam, modumque et formam recitationis divinorum officiorum, precum, orationum et aliorum suffragiorum pertinentia, ac alia utilia et necessaria, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus decretisque Concilii Tridentini ac constitutionibus apostolicis et institutis regularibus praedicti Ordinis sanctae Clarae non contraria, ab ipso Urbis vicario pro tempore existenti, vel Caesare cardinale praedicto, examinanda et approbanda, faciendi et edendi, ac quoties pro eorum temporum qualitatibus, seu alias expediens videbitur, cum interventu tamen et consilio, ac praevio examine et approbatione vicarii aut Caesaris cardinalis eorumdem, illa immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, ac etiam alia ex integro condendi.

Data facultas cardin. vicario introducendi in dictum monasterium duas alterius monasterii moniales;

§ 16. Necnon vicario aut Caesari cardinali praedictis pro monialium in dicto monasterio per praesentes erecto pro tempore introducendarum felici directione, ac in ritibus, moribus et institutis regularibus instructione, duas vel tres eiusdem S. Clarae, si commode fieri poterit, alioquin alterius Ordinis regularis observantiae moniales, quas ad id voluntarias repererit, ex earum monasteriis hac prima vice, sed necessitate ad hoc urgente, semel atque iterum dumtaxat de superiorum suorum licentia assumendi, et in dicto monasterio per praesentes erecto, ita ut illae eo se transferre, ac perpetuo vel ad tempus ipsi vicario aut Caesari cardinali bene visum permanere, et si alterius Ordinis fuerint, se in habitu et regularibus institutis eiusdem Ordinis sanctae Clarae conformare possint et debeant, introducendi.

Easque in abbatissam atque priorissam deputandi;

§ 17. Eisdem abbatissae et priorissae officia, quae ad triennium dumtaxat iuxta dicti Concilii dispositionem durare valeant, distribuendi.

Administratoribus licentiam dandi, de ingrediendo monasterium,

§ 18. Necnon fundatoribus, gubernatoribus, administratoribus praedictis, ac aliis quibusvis personis, quibus opus fuerit, ut septa monasterii per praesentes erecti, in casibus necessariis, et a dicto Concilio permissis, tantum ingredi valeant, permittendi.

Illudque visitandi et reformandi.

§ 19. Ipsumque monasterium per praesentes erectum, per se, vel alium, seu alios idoneos sacerdotes, vitae morumque probitate, ac rerum gerendarum experientia probatos visitandi, illudque in capite et in membris, sacrorum canonum et generalium conciliorum decretis inhaerendo, reformandi, abusus quoscumque tollendi, regularemque observantiam et disciplinam quoties, illae ibidem exciderint, modis congruis restituendi et reintegrandi.

Cum monialibus circa ieiunia seu usum carnium et lacticiniorum dispensandi.

§ 20. Ac cum eisdem abbatissa seu priorissa et monialibus, quarum infirmitas, vel imbecillis valetudo, aut corporis hebetudo, ieiunium, seu carnium et lacticiniorum abstinentiam, vel rituum et institutorum dicti Ordinis sanctae Clarae observantiam ferre non poterit, aut alias, prout occasio, rerumque qualitas et necessitas exegerit, desuper dispensandi, ac observantiam et instituta huiusmodi relaxandi, omniaque et singula alia ibidem faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et procurandi, quae ipse vicarius Urbis et locorum Ordinarii, etiam tamquam praedictae Sedis delegati, nec non generales ministri, et alii superiores quorumcumque Ordinum in monasteriis monialium sibi subiectis, de iure, vel consuetudine, seu ex privilegio, vel auctoritate dicti Concilii, ac alias quomodolibet facere, dicere, gerere, exercere et procurare possunt et poterunt quomodolibet in futurum.

Concessio aliarum facultatum cardinali vicario.

§ 21. Praeterea omnes et singulas lites, causas et differentias, tam civiles quam criminales et mixtas, super monasterii per praesentes erecti, illiusque abbatissae seu priorissae, monialium et personarum huiusmodi bonis, rebus, iuribus et actionibus quibuscumque, necnon locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicommissis, testamentis, haereditatibus, et illarum discussionibus, ac quibuscumque aliis dispositionibus, iuriumque et actionum cessionibus et aliis quibuscumque inter vivos, ac causa mortis, vel quasi contractibus, etiam vim obligationis cameralis habentibus, interesse eiusdem monasterii per praesentes erecti tamquam principaliter, ac etiam per viam necessariae defensionis, et alias quomodolibet concernentibus inter dictum monasterium per praesentes erectum, sive illius abbatissam seu priorissam, et moniales, gubernatores et administratores, officiales et ministros pro tempore existentes, et quascumque alias personas, tam laicas quam ecclesiasticas cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et dignitatis, vel praeeminentiae, etiam cardinalatus honore fungentes, universitates, congregationes, collegia, ac tam virorum quam mulierum monasteria, hospitalia et alia pia loca, tam coniunctim quam divisim, ac tam active quam passive, ultro citroque ad invicem, vel alias quomodolibet motas vel movendas, ac etiam per appellationem, et in quacumque instantia, coram quibusvis iudicibus introductas, et indecisas pendentes, etiam illas ab ipsis iudicibus avocandi et reassumendi per se, vel eius vicesgerentem, aut alium, seu alios, quem seu quos ad hoc duxerit deputandos, etiam summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, sed sola facti veritate inspecta, ac etiam manu regia, cum omnibus et singulis suis incidentibus, depen-

dentibus, emergentibus, annexis et connexis, ac toto negocio principali, etiam privative quoad omnes et singulos alios iudices ordinarios et delegatos, eorumque curias et tribunalia ecclesiastica vel saecularia, audiendi, cognoscendi, decidendi et fine debito terminandi. Necnon quoscumque interesse habentes tam in dicta Curia, quam extra eam, etiam per edictum publicum, constito sibi summarie de non tuto accessu in Romana Curia, citandi et inhibendi; ac quibusvis etiam eiusdem Curiae iudicibus et personis, quibus, et quoties opus fuerit, sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis inhibendi, et in eventum non paritionis ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi procedendi, ac sententias desuper ferendas debitae executioni demandandi, seu demandari faciendi, contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendi, ac etiam auxilium brachii saecularis ad hoc invocandi; nec non quaecumque dubia et difficultates, siquae praemissorum occasione quomodolibet oriri contigerit, declarandi et interpretandi, omniaque et singula in eisdem praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna, faciendi et exequendi, etiam omni et quacumque appellatione remota, plenam, liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem perpetuo tribuimus et impertimur.

Communicatio omnium gratiarum et privilegiorum monialium Ordinis S. Clarae.

§ 22. Insuper eidem monasterio per praesentes erecto, ac illius ecclesiae et christifidelibus eam pro tempore visitantibus, illiusque abbatissae seu priorissae, monialibus et quibuscumque aliis personis, ut omnibus et singulis privilegiis et immunitatibus, exemptionibus, favoribus, concessionibus, indultis et indulgentiis caeterisque gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibusvis aliis monasteriis et ecclesiis monialium dicti Ordinis Sanctae Clarae, illorumque abbatissae, monialibus, personis, et christifidelibus easdem ecclesias visitantibus, in genere vel in specie, etiam per viam simplicis communicationis, ac alias quomodolibet nunc et pro tempore concessis, et quibus illa et illi, de iure vel consuetudine, privilegio, vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, etiam uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, absque ulla prorsus differentia, in omnibus et per omnia, perinde ac si illa monasterio per praesentes erecto, illiusque abbatissae seu priorissae, monialibus et personis huiusmodi specialiter et expresse concessa essent, indulgemus.

Clausulae praeservativae.

§ 23. Necnon praesentes litteras, ac in eis contenta quaecumque, nullo umquam tempore etiam pro eo quod causae, propter quas emanarunt, coram quibuscumque locorum Ordinariis, etiam tamquam a Sede Apostolica delegatis, vel alibi examinatae, verificatae et approbatae, ac dictorum Ordinum protectores et generales ministri, aliique praelati, et superiores, caeterique interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, nec eisdem praemissis consenserint, sive alias ex quibuscumque causis quantumvis legitimis et iuridicis, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, vel adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse, neque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus,

suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per nos vel alios Romanos Pontifices successores nostros, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine pro tempore factis, comprehendi, sed tamquam pro fundatione dicti monasterii per praesentes ad religionis divinique cultus, ac piorum operum augmentum erecti concessas ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum restituta, reposita et plenarie reintegrata, et de novo etiam sub data per rectores et administratores ac abbatissam seu priorissam, et moniales pro tempore existentes praedictos quandocumque eligendas, de novo concessa esse et fore, suumque plenarium effectum sortiri debere; nec quemquam ad easdem praesentes, et desuper conficiendas litteras in Camera Apostolica iuxta constitutionem felicis recordationis Pii Papae quarti, praedecessoris nostri, desuper editam, vel alias quandocumque praesentandi, insinuandi et registrari faciendi teneri, neque illas propterea irritas esse, sed omnino valere et suffragari perinde ac si constitutio praedicta vel alia contraria non emanassent. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, vel eiusdem S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, in quavis causa et instantia iudicari et definiri debere, necnon si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Exequutorum huius constitutionis deputatio et facultates.

§ 24. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Hierosolymitano et Alexandrino patriarchis, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Caesaris cardinalis ac administratorum, et aliorum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac eis et eorum cuilibet in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras, ac omnia et singula in eis contenta firmiter observari, non permittentes eos et eorum quemlibet desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo. Necnon legitimis super his habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas incurrisse declarando, ac eos etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulae derogatoriae.

§ 25. Non obstantibus priori voluntate nostra praedicta, ac de gratiis ad instar non concedendis; necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis. Necnon eiusdem Pii Papae praedecessoris de gratiis interesse Camerae huiusmodi concernentibus infra certum tunc expressum tempus in ea registrandis, aliisque apostolicis, ac in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus. Necnon Ordinis S. Clarae, et illius monasteriorum ac Urbis praedictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam illis, nec non dilectis filiis protectoribus, generalibus ministris, provincialibus, superio-

ribus, conventibus et personis, nec non praedictis vicario, gubernatori, auditori, senatori, conservatoribus, reformatoribus, ordinariis locorumque eorum locatenentibus, vicesgerentibus, vicariis et officialibus, ac aliis quibuscumque iudicibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, in genere vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, *etc.* Sanctio poenalis.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDC, nono kal. martii, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 21 februarii 1600, pont. an. IX.

CCXXVII.

Declaratio iurisdictionis et facultatum cardinalis Camerarii quoad pignora Hebraeorum.

Clemens Papa VIII,

Dilecto filio nostro Petro, S. Nicolai in Carcere diacono cardinali Aldobrandino, S. R. Ecclesiae Camerario.

§ 1. Cum litteris apostolicis [1], *etc.*

§ 2. Ex rationabilibus causis animadvertentes magis expedire ut pignus Hebraeorum loco solito, ut prius, non autem in Monte Pietatis, prout in eisdem litteris disposuimus, vendantur, motu ac scientia similibus, volumus et ordinamus ut pignora praedicta Hebraeorum per licitationem vendenda, in loco solito, in platea Iudaeorum nuncupata de Urbe, cum decreto tamen tuo, vel tui pro tempore auditoris seu locumtenentis, ac pro tempore existentis camerarii, per acta sui notarii expediendo, deinceps, ut prius, vendantur. Declaratio, de qua in rubrica.

§ 3. Et iurisdictio in praedictos Hebraeos, etiam ratione furti pignorum praedictorum, tibi privative, quoad omnes, competat. Iurisdictio Camerarii in Hebraeos.

§ 4. Non obstantibus litteris nostris, aliisque praemissis, necnon felicis recordationis Pii quarti de registrandis gratiis in Camera intra certum tempus, ad cuius observantiam nolumus te teneri, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et eiusdem Camerae, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores hic de verbo ad verbum pro insertis et expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud S. Petrum sub an-

1 Omittitur relatio bullae, qua camerariatus fuit cardinali Aldobrandino collatus.

nulo Piscatoris, die vigesima sexta februarii millesimo sexcentesimo, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 26 februarii 1600, pontif. an. IX.

CCXXVIII.

Decernit, in partibus Indiarum, in Ordine Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci de Observantia, non posse assumi ad munus provincialatus et aliorum officiorum nisi filios aut addictos illis provinciis.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. His, quae ad regularium personarum statum et commodum provide sunt ordinata, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis robur libenter adiicimus.

Card. Matthaeius protector Ordinis FF. Min. S. Francisci de Observantia statuit quod in partibus Indiarum non possint ad officia admitti nisi illarum provinciarum filii, aut illis incorporati.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius noster Hieronymus, tituli sancti Pancratii, presbyter cardinalis Matthaeius nuncupatus, Ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia protector, ad quem nos supplicem libellum, nobis pro parte dilectorum filiorum ministrorum provincialium et fratrum Ordinis S. Francisci in partibus Indiarum Occidentalium existentium porrectum, remiseramus, quo quidem supplici libello nobis exponebatur, nonnullos commissarios generales ex Hispaniis ad praedicti Ordinis provincias in partibus Indiarum huiusmodi proficiscentes, maximeque ad provinciam Limensem, quae in Regno *del Perù* sita est, privatis affectionibus motos, potius quam communi religionis utilitati inservientes, illos, qui secum ex Hispania accesserant, ad ministratus provincialis, et alia Ordinis officia promoveri consuevisse, non in modicum earumdem provinciarum, et praesertim Limensis, detrimentum; nobisque humiliter supplicabatur, ut huic malo occurrere dignaremur; maturo consilio, et deliberatione praemissis, ad Religionis Seraphicae, dictarumque provinciarum communem utilitatem, necnon religiosorum omnium, et praecipue eorum, qui in remotissimis Ordinis [1] partibus, doctrinae exemplarisque vitae splendore catholicam fidem propagare nituntur, honori prospicere cupiens, eiusdemque religionis statutis generalibus inhaerens, decreverit et statuerit ut in provinciis eiusdem religionis in partibus praedictis Indiarum, et praesertim in Limensi provincia, ad ministratus provincialis, seu quodlibet aliud dignitatis officium assumi non valerent alii dicti Ordinis religiosi, quam illi, qui eiusdem provinciae alumni essent, vel ad eam expresse ac nominatim missi ex Hispaniis cum ministri generalis aut commissarii Indiarum apud catholici Hispaniarum regis curiam assistentis litteris obedientialibus in illis provinciis incorporati fuissent; quod si secus fieri contingeret, irritum et inane omnino esset, et tam electores, promotores et fautores, quam electos quoslibet privationis ab eorum officiis, ac inhabilitatis ad similia et alia in posterum obtinenda poenas, quas tunc inflixit, ipso iure incursuros declaravit, prout in eisdem Hieronymi cardinalis protectoris patentibus litteris, sub datum die ultima ianuarii proxime praeteriti, expeditis plenius dicitur contineri.

Papae supplicatur pro confirmatione; § 2. Cumque firmiora sint ea, quae apostolicae confirmationis robore muniuntur, propterea pro parte provincialium et fratrum provinciarum praedictarum nobis humiliter supplicatum fuerit, ut patentes litteras praedictas confirmare, ac alias in praemissis opportune providere, de benignitate apostolica dignaremur.

1 Forte legi satius est *orbis*. (R. T.).

§ 3. Nos igitur earumdem patentium litterarum totum tenorem praesentibus pro expresso habentes, ac ministros provinciales et fratres dictarum provinciarum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, illos et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eiusdem Hieronymi cardinalis protectoris litteras patentes praedictas, omniaque et singula in illis contenta, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae atque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, et nihilominus omnia et singula praemissa de novo statuimus et ordinamus, ac in provinciis praedictis observari debere volumus et mandamus, praecipientes in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenis supradictis eo ipso incurrendis, tam commissariis, quam aliis superioribus fratribus, ad quos spectat et in futurum spectabit, ut praemissa omnia et singula inviolate observent, et observari curent et faciant.

Qui dictum decretum approbat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Contrariisque derogat.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die quarta martii, millesimo sexcentesimo, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 4 martii 1600, pontif. an. IX.

CCXXIX.

Confirmatio concordiae initae inter Linguas Italiae et Alemanniae Ordinis Hospitalarii S. Ioannis Hierosolymitani super optione nonnullorum priorатuum [1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

Ex debito pastoralis officii nobis divina dispositione commissi, circa universorum fidelium, praesertim religiosorum hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, qui christianae religioni praesidio sunt adversus christiani nominis hostes, tranquillitatem sollicitis studiis intendentes, ea, quae inter ipsos pro bono pacis et concordiae, succisis litium anfractibus et dispendiis, provide transacta fuisse noscuntur, ut firma et illibata perpetuo subsistant, ne in recidivae contentionis scrupulum relabantur, apostolicae approbationis robore libenter communimus, ac alias desuper eiusdem officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae ineundi concordiam.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, orta et vigente nuper gravi controversia et altercatione inter dilectos filios Michaelem Cadamustum Admiratum, ac milites antianos et alios fratres Linguae Italiae hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

ex una, necnon Vincentium Caraffam, priorem prioratus Hungariae dicti hospitalis, ex altera partibus, super eo, quod ipse Vincentius in vim diversarum litterarum in forma brevis ei desuper a nobis concessarum praetenderet obtinere, et consequi posse et debere ante dictum Michaelem, aliosque commendatores et milites Linguae praedictae antianos suos quemcumque prioratum et baiulivatum eiusdem Linguae per viam optionis permutando, et relinquendo in optione ipsa dictum prioratum Hungariae ad smutitionem [1] et provisionem ipsius Linguae, non obstante quod praedictus prioratus Hungariae, tum vigore statutorum, tum etiam auctoritate et decreto praeteritorum capitulorum generalium dicti hospitalis una cum dignitatibus Linguae Alemanniae incorporatus reperiretur; dilecti filii magnus magister dicti hospitalis, eiusque consilium, ne litteris praedictis praeiudicaretur, in primis et ante omnia expeditionem litterarum antianitatis generalis ad prioratus ac baiulivatus Linguae Italiae huiusmodi praedicto Michaeli Admirato tamquam baiulivo conventuali, iuxta formam et dispositionem stabilimentorum eiusdem hospitalis, concessae suspendi curaverint; verum postea attendentes quod, praeter grave praeiudicium ipsius Michaelis Admirati ac aliorum antianorum eiusdem Linguae Italiae, magna etiam alteratio et perturbatio insurgebat praedictae Linguae Alemanniae, cum in huiusmodi negocio ageretur de separanda et segreganda ab ipsa Lingua Alemanniae dicti prioratus Hungariae illi uniti et incorporati dignitate, et sic frustrando omni iure et spe fratrem militem illum Alemannum, cui antianitas et expectativa super dicto prioratu Hungariae cum litteris religionis alias concessa et expedita fuerat. Quodque contentio et controversia partium, et praecipue duarum Linguarum huiusmodi in dies invalescebat, expediens fore iudicaverint, ut aliqui ex primariis eiusdem consilii negocium huiusmodi amicabiliter tractando aliquam convenientem formam concordiae inter partes, ac Linguas praedictas reperirent ac constituerent. Concordia.

§ 2. Et propterea habito desuper longo et maturo tractatu, demum fere omnes, qui de hac re inter partes agebant, censuerint omnes altercationes et controversias praedictas extingui posse mediante concordia et transactione infrascriptis, nempe: quod omnes litterae nostrae praedictae, ac alia rescripta quaecumque obtenta eo usque, seu quae in futurum a partibus supradictis expedirentur, vigore praesentium, ad terminos concordiae et transactionis huiusmodi reducantur, et generalis antianitas ad dignitates prioratuum et baiulivatuum Italiae, quae praedicto Michaeli Admirato de licentia magni magistri et eius consilii, ac consensu Vincentii praedictorum expedita, etiam tradita fuit, omnino observetur, nec aliquo pacto impugnari queat, neque ipse Michael ab ipso Vincentio, neque ab ullo alio suorum filiorum Arnaldorum, sub quovis praetextu, praeterquam ob non facta melioramenta, vel occasione debitorum communis aerarii, molestari possit in effectuali consecutione ante omnes et quoscumque illius baiulivatus seu prioratus dictae Linguae Italiae, quem pro tempore vacantem vigore ipsius generalis antianitatis acceptare voluerit, (prioratu Capuae tantummodo excepto); et quod ad finalem expeditionem deducantur caeterae antianitates ad dignitates praedictas, quae auctoritate generalis capituli ultimo loco celebrati, primariis antianis eiusdem Linguae Italiae iam con-

1 *Smutitio*, nominatio, declaratio, a *smutare* eodem sensu. Ita ex Du Cange, qui ad rem exempla refert ex *Stat. Ord. S. Ioan. Hierosol.* (R.T.).

cessae fuerunt, videlicet; dilectis filiis Georgio Carretto, Hippolyto Malaspina, Ascanio Cambiano et Hieronymo Alliata fratribus eiusdem hospitalis; et quod tam antianitates praedictae, quam illa, quae praedicto Michaeli concessa fuit, auctoritate nostra confirmatae, et quatenus opus sit, de novo a nobis concessae censeantur cum sola limitatione ad prioratum Capuae in favorem praedicti Vincentii tantum; qui quidem nihil aliud, praeter dictum prioratum Capuae, praetendere possit contra et ante omnes antianos suos praedictae Linguae Italiae; et similiter ipsi antiani nihil petere vel praetendere possint nec debeant ante praedictum Michaelem (praeterquam in casibus incapacitatum supradictarum, scilicet debiti communis aerarii, vel melioramentorum non factorum, si quae fuerint tempore smutitionis, iuxta formam stabilimentorum praedictorum); ac quod eidem Vincentio etiam concedatur cum bullis religionis ante omnes quoscumque etiam ante praedictum Michaelem et futurum admiratum antianitas et particulare ius quaesitum per viam optionis super prioratu Capuae ad consequendum et obtinendum dictum prioratum Capuae post dilectum filium Bernardinum Scagliam priorem dicti prioratus Capuae, illius vacatione quandocumque occurrente, cum declaratione, quod dictus Vincentius nullam aliam dignitatem prioratus vel baiulivatus ipsius Linguae Italiae consequi possit praeter dictum prioratum Capuae. Quodque vacatione prioratus Capuae huiusmodi, ut praefertur, contingente, dictus Vincentius vigore antianitatis suae illum petere, ac infallibiliter consequi debeat in smutitione, quae de eo fiet in dicta Lingua Italiae per viam optionis, et in hoc a nemine impediri possit, relinquendo ac renunciando dictum prioratum Hungariae, necnon commendas, ac bona, quae iuxta formam stabilimentorum simul et laudabiles consuetudines dictae religionis, et una cum eodem prioratu Capuae retineri non possunt ad effectum, ut in ipsa Lingua modo infrascripto smutiantur, sive conferantur; et quod statim post smutitionem et optionem supradictam, magnus magister et consilium praedicti procedant ad electionem dicti Vincentii in priorem prioratus Capuae huiusmodi, ac faciant bullas pro eo expediri in forma solita a cancellaria Religionis. Quodque dictus prioratus Hungariae in optione, ut praefertur, ab eodem Vincentio renunciatus smutiri debeat dicta Lingua Italiae, ipsique magnus magister et consilium procedant ad electionem militis Itali in priorem Hungariae, servata forma statutorum; qui quidem prior sic electus promoveri possit ad admiratum seu alias eiusdem Linguae dignitates, quae ad eum quovis modo competere ac pertinere poterunt. Et quia dictus prioratus Hungariae nullos ad praesens fructus perceptibiles annexos, sed nudum tantummodo titulum et magnae crucis dignitatem habet; quicumque Italus, qui de eo provisus fuerit, commendas, quas tunc temporis habebit, sibi retinere et alias consequi possit, tam ex gratia magistrali vel priorali, quam ex melioramento, servata tamen in reliquis forma statutorum praedictorum; et quod sine praeiudicio dicti Michaelis ac futuri admirati smutiatur et detur antianitas, expectativa et particulare ius quaesitum super dicto prioratu Capuae ad eum consequendum, post dictum Vincentium, necnon super baiulivatu Papiae, post dilectum filium Fabritium Bertium modernum illius baiulivum, sine praeiudicio similiter dicti Michaelis et futuri admirati; quodque post mortem praedicti Vincentii in dicta Lingua Italiae prioratus Hungariae ex nunc amplius smutiri non possit, sed idem prioratus Hunga-

Supradictus Vincentius Capuae prioratum praetendere super omnes antianos Linguae Italiae potest.

Italus de Hungariae prioratu provisus, commendas retinere queit.

riae transeat ad smutitionem dictae Linguae Alemanniae, cui in perpetuum unitus et applicatus remanere debeat, illum separando et segregando in perpetuum ab ipsa Lingua Italiae, quae cum postea nunquam amplius repetere possit, renunciando omni iuri suo, quod super eodem prioratu Hungariae habebat, seu habere posset vigore antiquarum unionum, concordiarum et rescriptorum apostolicorum, et praesertim brevis felicis recordationis Pauli Papae III, necnon dictarum litterarum nostrarum a praedicto Vincentio, ut praefertur, obtentarum, quibus declaratur, quod dictus prioratus Hungariae smutiri non possit, nec debeat, nisi in Lingua Italiae, non autem Alemanniae; ita ut omnia iura actiones dictae Linguae Italiae ad eumdem prioratum Hungariae ad favorem ipsius Linguae Alemanniae, eiusque militum plene et integraliter transeant et transferantur. Quodque pro recompensatione ac retributione dignitatis prioratus Hungariae huiusmodi, quae a dicta Lingua Italiae sic aufertur, ut praedictae Linguae Alemanniae detur et applicetur, remanere debeat in perpetuum eidem Linguae Italiae pro sua perpetua dignitate dictus baiulivatus Papiae, qui quidem post mortem dicti Fabritii (quemadmodum iuxta tenorem et formam litterarum apostolicarum pro eo desuper expeditarum) post ipsum quoad dignitatem magnae crucis extingui et cessare deberet. Ita in posterum pro recompensatione, seu retributione supradicta idem baiulivatus Papiae sit et esse censeatur erectus in baiulivatum perpetuum ipsius Linguae Italiae, ad eiusque smutitionem spectare eo modo et forma, ut sunt baiulivatus sanctae Euphemiae, sancti Stephani, et caeteri similes cum declaratione, quod baiulivatus Papiae, qui primus immediate successor erit dicti Fabritii, pro eius baiuliva erecta, et baiulivatui suo annexa tantummodo frui debeat commenda sancti Guillelmi Papiensis, sine tamen membro seu commenda de Verzate, cum omnibus suis dependentiis; ac quod membrum seu commenda de Verzate huiusmodi smutiri debeat pro melioramento seu cabimento[1] loco ipsius commendae S. Guillelmi erigendae, ut praefertur, in dignitatem et baiulivatum perpetuum praedictae Linguae Italiae, quod toties per renunciationem, quoties mortem, privationem, seu quovis alio modo dictum prioratum Hungariae vacare contigerit, quamdiu Vincentius, seu Fabritius praedicti vixerint, idem prioratus Hungariae semper de novo in Lingua Italiae smutiri, et a consilio similiter continuo conferri debeat fratribus militibus Italis antianis et benemeritis, ita ut dicta Lingua Alemanniae et eius milites Alemanni dictum prioratum Hungariae praetendere non possint nec debeant, nisi post mortem Vincentii vel Fabritii huiusmodi. Quando similiter post mortem alterius eorum contigerit priorem Italiae Italum, tunc temporis existentem, ad admiratus seu aliam dignitatem prioratus seu baiulivatus dictae Linguae Italiae promoveri, ac post casus et conditiones huiusmodi, et non alias aliter, nec alio modo dictus prioratus Hungariae smutiri incipiat ab ipsa Lingua Alemanniae, sed interim smutitio eius continuabitur in dicta Lingua Italiae. Quodque prioratus Capuae, et baiulivatus Papiae, post eosdem Vincentium et Fabritium, omnino conferri ac provideri debeant per viam ordinariam religionis, et per smutitionem dictae Linguae Italiae, etiamsi vacent in Romana Curia, et in

Baiulivatus Papiae Linguae Italiae perpetuo applicatur.

Prioratus Capuae, mortuis titularibus, per ordinariam debet viam conferri.

1 *Cabimentum*, vocabulum est gallicum, a *cabire*, quod significat aliquid assumere, de quo quis se putat rationem probe reddere posse: sic vocatur commenda, quae fratri in suo ordine conceditur. Vide Du Cange, *Glossarium*, et *Hierolexicon* Macri. (R. T.).

praesentia ac in obsequiis Romani Pontificis ad finem et ad effectum dumtaxat, quod concordia et transactio huiusmodi suos plenarios effectus consequi possint et debeant, dictusque Vincentius, optando eumdem prioratum Capuae, renunciare debeat praeceptoriis sive commendis, quas ipse iuxta stylum religionis cum eodem prioratu Capuae retinere non poterit, et quae smutiri debeant in dicta Lingua Italiae pro melioramento vel cabimento militum, ad quos illae spectabunt, iuxta stylum praedictum; idemque Vincentius nunquam possit, vigore cuiuscumque gratiae obtentae seu obtinendae, etiam vigore quarumcumque litterarum apostolicarum, neque quovis alio modo cambiare vel permutare aliquam ex commendis, quas nunc obtinet et in futurum obtinebit in titulum cabimenti, melioramenti, aut gratiae cum ulla Camera magistrali ad hoc, ut tali via cum ad prioratum Capuae promovebitur, dicta Lingua Italiae non defraudetur smutitione alicuius commendae, earumque quas ipse dimittere tenebatur, et quae smutiri debebant; et postquam prioratum Capuae consequutus fuerit, non possit nec debeat illum renunciare, nec de eius renunciatione tractare in toto vel in parte ad favorem alicuius, praeterquam in manibus dicti magni magistri, et ad smutitionem eiusdem Linguae Italiae in favorem illius, qui tunc temporis ad prioratum Capuae huiusmodi antianitatem et ius quaesitum habeat; nec per se ipsum, neque per alios tractare aut consentire unquam debeat, nec dictus prioratus Capuae post ipsum alicui detur, seu provideatur in toto vel in parte, sed cum effectu libere, ac omni remoto obstaculo, ad dictam Linguam Italiae, ac ad provisionem et collationem conventus redeat, sub poena quod ipso iure censeatur privatus, et cecidisse ab omni iure eiusdem prioratus Capuae, cuius possessio debetur, vigore eius antianitatis et iuris quaesiti admirato, vel antiano, aut militi illi Linguae Italiae, ad quem spectabit et pertinebit; sitque dictus Vincentius eo casu etiam privatus camera magistrali *de Cicciano*, ita ut magnus magister et conventus praedicti statim sine alia forma processus, postquam de hac re in effectu tractatum fuisse authentice constiterit, novam electionem prioris Capuae facere possint, et ipse magnus magister eamdem Cameram magistralem Cicciani conferre vel sibi retinere valeat, idemque Vincentius eo ipso excommunicationis sententiam incurrat, ac praeterea censeatur graviter errasse, ac honori et existimationi honorati et praeclari equitis derogasse et praeiudicasse, contraveniendo suis promissioni et iuramento infrascriptis, teneaturque omnia supradicta et ea concernentia ratificare et renovare in omni alia meliori et validiori forma, prout de iure et de facto fieri poterit, ad integram procuratorum dictae Linguae Italiae satisfactionem; quodque ipsa die, qua in priorem Capuae eligetur, non expectato lapsu temporis mortuarii et vacantis, statim teneatur et obligatus sit ad depositandum in conventu dicti hospitalis in manibus conservatoris conventualis summam mille et ducentorum scutorum auri in auro, ad rationem tarenorum quatordecim pro singulo scuto, pro duabus annatis anticipatis in subventionem et sublevamen albergii, ac damnorum et impensarum, quae admirati patiuntur in substentatione et manutentione eiusdem albergii, prout ipse sponte singulis annis se anticipate soluturum obtulit omnibus admiratis antianis suis; et ipse conservator conventualis singulis mensibus solvet quinquaginta scuta auri in auro ex illis mille et ducentis admirato, qui pro tempore erit, anticipate, sive eius legitimo procuratori, in casu eius

Casus quo dictus Vincentius sententiam incurrit excommunicationis.

Dictus prior Carafa quam summam depositare et solvere teneatur.

absentiae a conventu. Et postquam duodecim mensatas solverit, idest medietatem illorum mille et ducentorum scutorum, idem prior Caraffa teneatur depositare et solvere alia scuta sexcenta auri in auro similia anticipate in manibus eiusdem conservatoris conventualis pro effectu supradicto opitulandi et opem ferendi admirato antiano suo in sumptu et expensa albergii, ad rationem quinquaginta scutorum auri pro singulo mense, ut dictum est, et sic de anno in annum teneatur et obligatus sit ad depositandum, et anticipate solvendum summam supradictam, et subsidium sexcentorum scutorum, et in huiusmodi solutione continuet, quoad usque nullum amplius habebit militem Italum antianum suum, qui in admiratum eligi possit, specificando et declarando nomina omnium antianorum suorum, qui quidem, ut asseritur, sunt infrascripti, videlicet: Georgius del Carretto, Hippolitus Malaspina, Ascanius Cambianus, Hieronymus Alliata, Franciscus Lanfreducius Moleti, Iosephus de Guevara, Franciscus Saccanus, Vasinus Malabaila, Carolus Scaravellus, Attilius Mastro Iudice, Carolus del Carretto, Fabritius de Azia, Ioannes Baptista Rondinellus, Ioannes Angelus Centorius, Franciscus Advocatus, Octavius Natta, Alexander Bentio, Ferdinandus Coyro, Bernardus Capece, Hieronymus Caraffa, Ioannes Otho Bosius et Scipio Ursinus, ita quod idem Vincentius obligatus sit in ampliori forma Camerae Apostolicae ad solvendum omnibus supradictis antianis suis singulatim, dum fuerint admirati, pro opitulatione et subsidio, sexcenta scuta huiusmodi singulis annis modo desuper specificato; quae quidem sexcenta scuta intelligantur cedere in beneficium admirati, non autem eius locumtenentis, cui tantummodo remanere debeat actio ordinationis capitularis, et ad hunc effectum praedictus Vincentius obligatus sit dare cautionem et fideiussionem banchariam in civitate Neapolitana in ea meliori forma, qua Romae pensiones in favorem S. R. E. cardinalium reservatae assecurari consueverunt cum fideiussione bancharia; et si summa sexcentorum scutorum huiusmodi in terminis supradictis non depositetur in manibus dicti conservatoris conventualis, eo casu cum sola fide ipsius conservatoris summam praedictam debito tempore depositatam, et sibi solutam non fuisse, procedi possit contra fideiussorem, ipsum compellendo et adstringendo ad solutionem summae supradictae, cum omni interesse, quod in cambio et remissione eiusdem summae ex Neapoli ad insulam Melitam currere poterit; idemque fideiussor obligari debeat cum omnibus clausulis melioribus et arctioribus ac necessariis, pro maiori cautela admirati, in dicta sexcenta scuta, quae annis singulis erunt persolvenda, et insuper fructus prioratus Capuae et Camerae magistralis Cicciani etiam obligati remaneant annuae summae sexcentorum scutorum huiusmodi, et si in deposito et solutione huiusmodi annuatim faciendis defecerit, ipso facto excommunicationem incurrat, et incapax remaneat, ac voce activa et passiva privatus sit, donec depositus sit, et solutionem huiusmodi fecerit, ac interim pecunia ad cambium et recambium capi possit; nec dictus Michael, neque alius ex commendatariis antianis dicti Vincentii sub praetextu alterius concordiae alias per quondam Constantinum Castriotam, tanquam procuratorem eiusdem Vincentii, ad favorem omnium antianorum suorum factae, seu motus proprii nostri revocantis ordinationem capitularem de optando et transferendo se de prioratu ad prioratum, et de baiulivatu ad baiulivatum, neque quovis alio praetextu vel causa ullo modo dictum Vincentium, quo-

Nomina antianorum existentium.

minus prioratum Capuae huiusmodi post praedictum Bernardinum modo praemisso effectualiter consequatur, impedire, aut se illi opponere, neque per se aut per alium praesentibus concordiae et transactioni contravenire possint aut debeant, neque intelligatur per concordiam et transactionem huiusmodi; ita ut haec concordia in parte aliqua praeiudicet priori concordiae et conventioni alias per Michaelem et Vincentium praedictos per acta dilecti filii Ascanii Scagliae notarii publici sub die ultima aprilis MDXCIX facta: sed quod illa in suis robore et vigore permaneat, quinimmo omne id, quod in ambabus conventionibus et concordiis apparet, suum vigorem et efficaciam obtineat ad favorem ipsius Michaelis, omniaque et singula in ambabus concordiis contenta inviolabiliter observentur. Non obstantibus quacumque contradictione, oppositione vel lite, quae insurgere posset. Et postmodum dictus Vincentius, manu super eius magna cruce apposita, omnia et singula in articulis concordiae et transactionis huiusmodi contenta inviolabiliter adimplere et observare iuraverit et promiserit, ac tam Italiae usque ad numerum LXXVIII congregati, quam (specialiter in his, quae dictum prioratum Hungariae concernunt) omnes, nemine discrepante, Alemanni Linguarum praedictarum fratres illa acceptarint, laudaverint et approbaverint, salvo tamen et reservato dictae Sedis beneplacito, omnibus impensis dicti Vincentii impetrando, ac ea conditione per milites et fratres Linguae Alemanniae interposita, quod vacatione prioratus Capuae per Vincentii vel baiulivatus Papiae huiusmodi per Fabritii praedictorum cessum aut decessum contingente, eo casu miles, qui tunc temporis de prioratu Hungariae provisus erit, nullo pacto possit praetermittere vel transire, aut relinquere dignitatem admiratus, sed debeat et omnino teneatur eam petere et accipere, renunciando prioratui Hungariae ad effectum ut, iuxta tenorem capitulorum concordiae huiusmodi, in Lingua Alemanniae smutiatur, prout in diversis publicis instrumentis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Praesens concordia minime praecedenti, de qua hic, praeiudicat.

§ 3. Nos concordiam et transactionem huiusmodi, pro illarum subsistentia, approbationis nostrae praesidio communire, et sublatis quibuslibet impedimentis seu obstantiis, suum plenarium effectum sortiri cupientes, necnon litterarum et instrumentorum, aliorumque praemissorum omnium et singulorum tenores, formas, datas et circumstantias, ac prioratuum, baiulivatuum, praeceptoriarum huiusmodi qualitates, eorumque fructuum, redituum et proventuum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio et ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, concordiam et transactionem praedictas, ac omnia et singula in illis, ac instrumentis desuper confectis contenta et expressa, licita tamen et honesta, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac illis perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti, ac quarumcumque solemnitatum etiam substantialium, et quoscumque alios defectus, si qui intervenerint in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint, qui in generali sermone non comprehendantur, sed speciali nota et expressione indigeant, supplemus.

Illam confirmat Clemens.

§ 4. Decernentes ea omnia et singula valida et efficacia fore et esse, ac perpetua roboris firmitate subsistere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, nec ullo unquam tempore, quovis quaesito colore vel ingenio, retractari, sed ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter obser-

Clausulae.

vari, ac idem robur habere, et eos quorum interest, illorum omnium effectu et commodo pacifice frui et gaudere debere, perinde ac si in capitulo generali eiusdem hospitalis cum interventu et de consensu, non solum magni magistri, priorum, baiulivorum, praeceptorum, ac omnium et singulorum aliorum in eodem capitulo quomodolibet de iure, privilegio, consuetudine ac alias vocem habentium, sed etiam totius capituli seu consilii generalis et conventus eiusdem hospitalis capitulariter congregatorum, praeviis debitis tractatibus et aliis solemnitatibus ad id de iure, vel iuxta ipsius hospitalis statuta, consuetudines, stabilimenta, privilegia et indulta, ac alias quomodolibet requisitis servatis et adhibitis, concordata et transacta fuissent; neque concordiam et transactionem huiusmodi, minusque praesentes litteras ullo umquam tempore, etiam ex eo quod generale capitulum, consilium et conventus huiusmodi, ac omnes milites antiani, et fratres dictarum Linguarum, vel quicumque alii interesse habentes ad id vocati non fuerint, nec omnes illis plene consenserint, vel aliqui ex eis forsan, pro eorum praetenso interesse vel principalium suorum, expresse contradixerint, neque tractatus et quaecumque solemnitates, ac alia de iure, consuetudine, vel privilegio, seu iuxta statuta, stabilimenta, privilegia et indulta hospitalis huiusmodi, seu quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, aut nostras, vel dictae Sedis litteras desuper editas, vel alias quomodolibet requisita, et in similibus necessaria intervenerint, seu etiam enormis et enormissimae, ac totalis laesionis, vel alio quovis praetextu, causa et occasione quantumcumque notabili et iuridica, etiam necessario exprimenda, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in toto vel in parte rescindi, retractari, annullari, invalidari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari posse; neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus et aliis contrariis dispositionibus a nobis, seu quibusvis aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac dicta Sede, seu etiam pro tempore existentibus magno magistro, ac generali consilio, capitulo et conventu hospitalis huiusmodi pro tempore emanatis seu emanandis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, et eum, in quo, antequam emanarent, erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac etiam sub data posteriori per quoscumque interesse habentes eligenda, de novo concessa fore et esse, ac vim validi, efficacis et onerosi contractus inter Michaelem et Vincentium ac omnes et singulos alios supradictos rite et recte initi, stipulati, ac etiam utrimque iurati habere et obtinere. Sicque et non aliter per magnum magistrum, consilium, capitulum, conventum et alios praedictos, necnon quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia iudicari et definiri debere: irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, nostra de non tollen-

do iure quaesito, aliisque apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dicti hospitalis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem hospitali, ac ab eo dependentibus prioratibus, baiulivatis, praeceptoriis et membris, nec non magno magistro, consilio, capitulo et conventui praedictis, illorumque fratribus, etiam antianis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et dictam Sedem, etiam de consilio eiusdem S. R. E. cardinalium ex causis tunc expressis, etiam consistorialiter propositis et diligenter examinatis, etiam per modum statuti perpetui, et ordinationis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die IV martii MDC, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 4 martii 1600, pontif. an. IX.

CCXXX.

Ordinationes pro bono regimine fratrum Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, et electione eius officialium.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Ex pastoralis nostri muneris debito cunctorum religiosorum statui prospere dirigendo salubriter intendentes, ea nostrae confirmationis robore libenter communimus, quae pro eorumdem religiosorum recto gubernio et felici directione provide sunt ordinata, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Proœmium.

§ 1. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum magistri generalis et fratrum Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, per dilectum filium fratrem Bernardum de Vargas, vicarium et procuratorem generalem eiusdem Ordinis, nobis expositum fuit, quod in capitulo generali ipsius Ordinis, mense maio anni proxime praeteriti, in civitate Vallisoletana celebrato definitores, praesidentes et alii patres ibidem intervenientes, pro bono eiusdem Ordinis, eiusque monasteriorum et locorum, ac personarum regimine, inter alia infrascripta statuta, ordinationes et capitula condiderunt. In Capitulo generali a. MDXCIX nonnullae formatae sunt constitutiones.

§ 2. Quod nimirum singulis annis, die festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, octava septembris, universaliter in tota dicta religione festivitas Beatae Mariae de Mercede institueretur, et maxima solemni- Festum B.M.V. de Mercede institutum.

tate cum missa, processione et concione celebraretur.

Distributiones non imponendae inconsultis provincialibus.

§ 3. Quod, sub formali praecepto, nullus deinceps provincialis visitator, aut vicarius generalis possit distribuere per provincias impositiones et taxationes, nisi prius consuleret duos definitores et provincialem illius provinciae, et si aliter fieret, dicta distributio non solveretur per domos.

De viatico provincialibus et visitatoribus tribuendo.

§ 4. Quod nullus provincialis aut visitator, sub poena suspensionis officii, possit accipere pro sua visitatione et viatico, nisi necessarium pro sumptibus et expensis de uno conventu ad alium.

Causae iam decisae non reassumendae.

§ 5. Quod nullus provincialis aut visitator posset causas iam decisas praeteritorum praelatorum, qui domos gubernarunt sub alio provinciali, cognoscere, si, praelatis et commendatoribus gubernantibus, fuit facta visitatio et capitulum provinciale.

Missarum celebrationes ad intentionem definitae.

§ 6. Fuerunt abrogatae omnes exemptiones et dispensationes super celebratione plurium missarum ad intentionem celebrantium, quam permittunt Ordinis constitutiones.

Magistrorum atque praesentatorum privilegia.

§ 7. Quod omnibus privilegiis et exemptionibus, quae hactenus habuerunt magistri et praesentati, in quantum magistri et praesentati illis frui et potiri, iuxtaque tenorem litterarum a nobis in forma brevis concessarum dicto Ordini, circa ipsos magistros et praesentatos, sub datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die octava novembris millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, deberent observari.

Subscriptio *Magister Provincialis* a provincialibus non faciendae.

§ 8. Quod sub formali praecepto obedientiae, et poenis ad arbitrium magistri generalis, deinceps nullus provincialis, quamvis esset magister, posset subscribi magister provincialis, nec uteretur hoc titulo in subscriptionibus litterarum, et aliis provisionibus et patentibus, sed solum hoc posset facere magister generalis.

Locus et votum priori Barchinonensi assignatum.

§ 9. Quod deinceps prior domus Barchinonae, quae est prima Ordinis et religionis caput, non solum haberet vocem in electione magistri generalis, sed etiam illam haberet in omnibus actis et congregationibus capituli generalis, et in dicto capitulo haberet sedem post omnes provinciales et vicarios provinciales, et ante definitores.

Tunicae forma subditis a commendatore dandae.

§ 10. Quod in virtute sanctae obedientiae, et sub poena suspensionis officiorum, commendator quando daret subditis vestiaria, tunicae, quas Hispani vocant *sayas*, essent ex panno, non autem de stamegna.

Depositarii a quibus nominandi.

§ 11. Quod commendatores, sub poena privationis officiorum, non possent nominare depositarios, sed nominarentur per vota libera ipsius conventus.

Definitor provincialis commendator esse non potest.

§ 12. Quod nullus definitor capituli provincialis, sub poena privationis officiorum, durante suo officio, posset esse commendator.

Nec in eadem domo reeligi.

§ 13. Quod commendator alicuius domus, si per triennium foret praelatus, non posset in futuro triennio in eadem domo reeligi, bene tamen in alia, si reperiatur idoneus.

Mandata praecedentium visitationum quo modo possint confirmari.

§ 14. Quod magister generalis, provincialis et visitator, sub poena suspensionis officii, quando visitaverint domos Ordinis, non confirmarent praecepta, ordinationes et mandata praeteritarum visitationum, per suos praedecessores factarum, nisi eis visis.

Qui praesentandi admitti queant.

§ 15. Quod deinceps, sub formali praecepto, ad praesentaturam, ut aliquis veniret praesentandus, non admitterentur cursus, quos non legisset in domo studiorum Ordinis, in collegio vel in universitate ex approbatis.

§ 16. Quod in virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis

Libri ex bibliothecis non extrahendi.

maioris latae sententiae, bibliothecae et libri religiosorum, qui ex hac vita decederent, nullo modo venderentur, sed applicarentur domui religionis, in qua tales religiosi decederent, et reponerentur in bibliotheca communi, et ex illo loco nullus liber sub eisdem poenis extrahi posset, sub poena privationis officii praelato extrahenti, inferiori vero extrahenti, sub poena gravioris culpae per sex menses.

De voce.

§ 17. Quod in nulla re haberent vocem fratres sacro ordine non insigniti.

Praesentatione.

§ 18. Quod religiosi de foris venientes se coram suo praelato praesentare deberent, ut praelatus sciret qua revertebantur hora.

Praedicta statuta confirmari petitur.

§ 19. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti magister generalis et fratres cupiant statuta et ordinationes huiusmodi, pro illorum firmiori validate, confirmationis apostolicae robore communiri, ac alia etiam infrascripta in ipso Ordine observanda, apostolica auctoritate, statui et ordinari; propterea dictus Bernardus vicarius et procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Clemens.

§ 20. Nos igitur, eorumdem magistri generalis et fratrum votis, praesertim eorum Ordinis prosperam directionem concernentibus, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, atque eosdem magistrum, necnon vicarium, et procuratorem generales, ac singulares ipsius Ordinis fratres, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super consultationibus et negotiis episcoporum et regularium deputatorum, supradicta statuta, ordinationes et capitula, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, siqui in eisdem intervenerint, supplemus.

Festivitates S. Laurentii, et S. Antonii Abbatis in ordine celebrari iubet.

§ 21. Praeterea statuimus et ordinamus, ut diebus festivitatum Sancti Laurentii martyris, quo die fundatus, et Sancti Antonii abbatis, quo die per felicis recordationis Gregorium Papam IX praedecessorem nostrum confirmatus fuit Ordo praedictus, in fundationis et confirmationis huiusmodi memoriam, festivitates huiusmodi in toto Ordine solemniter celebrentur.

Anniversariumque pro captivis defunctis.

§ 22. Quodque singulis annis infra hebdomadam mortuorum in toto Ordine, anniversarium pro animabus captivorum, qui in infidelium potestate catholicam fidem retinentes mortui sunt, fiat.

Commissarium generalem Indiarum deputari vetat.

§ 23. Quodque magister generalis eiusdem Ordinis, pro tempore existens, nullo modo commissarium generalem Indiarum, nisi de Sedis apostolicae licentia, eligere et creare valeat, et si ab eo huiusmodi electio fiat, ipso facto nulla et irrita sit, ipseque magister generalis ab officio sui generalatus suspensus existat eo ipso, et subditi officium huiusmodi procurantes, poena gravioris culpae, per sex menses minime relaxandae, puniantur.

Qualitates in visitatoribus requirendae.

§ 24. Quodque nullus generalis vel provincialis, sub poena suspensionis ab eorum officiis, possit mittere ad visitandum aliquas domos vel domum, seu conventum eiusdem Ordinis, nisi religiosum ex peritioribus ipsius Ordinis expertum et do-

etum, praesertim casuum conscientiae et sacrarum litterarum praestantem.

De libris fratrum defunctorum.

§ 25. Declaramus autem quoad ordinationem disponentem libros religiosi decedentis extrahi non posse ex domo, in qua decesserit, intelligi debere, si obiret et decederet in aliquo conventu magno et principali, ubi religiosi conventuales commorari possunt, non autem si in aliquo coenobio et domo exigua, ubi libri remanentes diligenter custodiri non possent, et in huiusmodi eventu solum magistrum generalem, cum provinciali illius provinciae ubi sunt libri, posse illos transferre et applicare alicui collegio illius provinciae, aut conventui, in quo religiosus defunctus professionem solemnem emiserit, si ipse conventus fuerit principalis.

Praedicta statuta praecipit observari.

§ 26. Quocirca eisdem magistro et vicario generalibus, aliisque dicti Ordinis religiosis nunc et pro tempore existentibus, in virtute sanctae obedientiae, et sub poenis in supradictis statutis et ordinationibus contentis, per praesentes mandamus, ut omnia et singula supradicta statuta, respective, perpetuo observent et observari curent et faciant.

Exequutores huiusce constitutionis deputat

§ 27. Quocirca venerabilibus fratribus Toletanensi, Hispalensi et Caesaraugustanensi archiepiscopis, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum magistri et vicarii generalis, et aliorum religiosorum praedictorum, aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, statuta et ordinationes praedictas ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, perpetuo inviolabiliter observari. Contradictores quoscumque, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposità, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 28. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac aliis eiusdem Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, illiusque magistro, vicario et fratribus praedictis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die x martii MDC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 10 martii 1600, pont. an. IX.

CCXXXI.

Confirmatio litterarum Iulii II et Iulii III Pontificum, quibus universitas studii generalis de Alcalà de Henares *a quacumque iurisdictione archiepiscopi Toletani eximitur, solique Apostolicae Sedi subiecta declaratur* [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio iis, quae ad maiorem studiosorum quietem et tranquillitatem, apostolica auctoritate facta fuisse dicuntur, ut firmiora sint, libenter cum a nobis petitur, robur apostolicum adiicimus.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Universitatem de Henares ab archiepiscopi iurisdictione et superioritate Iulius II exemptam declaravit.

§ 1. Dudum, siquidem felicis recordationis Iulius Papa II praedecessor noster, sub datum videlicet decimo kalendas augusti, pontificatus sui anno nono, supplicationibus bonae memoriae Francisci tituli Sanctae Balbinae, presbyteri cardinalis, ecclesiae Toletanensis, ex dispensatione apostolica, praesulis inclinatus, tunc et pro tempore existentes rectorem, collegiales, regentes, doctores, magistros, licentiatos, baccalaureos, scholares, capellanos, servitores, et officiales collegii per dictum Franciscum de bonis sibi a Deo collatis, ac de licentia Sedis Apostolicae antea erecti et dotati, in universitate studii generalis oppidi de Alcalà de Henares, Toletanae dioecesis, ac exequutores et conservatores eis pro tempore quomodolibet deputatos, eorumque bona quaecumque ab omni iurisdictione, superioritate, dominio, potestate, visitatione et correctione archiepiscopi Toletanensis et quorumcumque aliorum Ordinariorum, eorumque vicariorum, officialium et caeterorum quorumcumque iudicum tunc et pro tempore existentium, prorsus, penitus et omnino exemit et liberavit, ac sub B. Petri, et Sedis Apostolicae protectione suscepit, illosque et illa sibi et successoribus suis Romanis Pontificibus canonice intrantibus, necnon dictae Sedi dumtaxat immediate subiecit, ac exemptos, liberos, susceptos et subiectos fore decrevit; ita quod archiepiscopus et alii locorum Ordinarii, vicarii, officiales et iudices praedicti, tunc et pro tempore existentes, per se, vel alium, seu alios in rectorem, collegiales, regentes, lectores, doctores, magistros, licentiatos, baccalaureos, scholares, capellanos, servitores et officiales collegii et universitatis huiusmodi, ac exequutores et conservatores praedictos, eorumque personas et bona, tamquam prorsus exemptos et exempta, etiam ratione delicti, contractus, domicilii, seu rei, de qua ageretur, ubicumque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipsa consisteret, aliquam iurisdictionem, dominium vel potestatem quomodolibet exercere, seu corrigere, aut apprehendere non possent; sed rector pro tempore existens, ac exequutores et conservatores pro tempore deputati coram Sede praedicta, aut legatis vel delegatis eius, collegiales vero, regentes, lectores, doctores, magistri, licentiati, baccalaurei, scholares, capellani, servitores et officiales praedicti coram eodem rectore pro tempore existente, dumtaxat tenerentur de iustitia, tam in civilibus quam in criminalibus, sive ageretur de crimine ex officio, vel inquisitione, aut partium accusatione, vel alias quomodolibet civiliter, vel criminaliter respondere, nec ratione delicti, vel ex alia causa in alio, quam collegii et universitatis huiusmodi carcere mancipari possent: decernens ex tunc omnes et singulos excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliasque sententias, censuras et poenas, ac processus, quos et quas contra rectorem, collegiales, regentes, lectores et doctores, magistros, licentiatos, bachalaureos, scholares, capellanos, servitores, officiales, exequutores et conservatores praedictos, ac bona eorum haberi et promulgari, ac in carcerationes, quas de eis fieri, et totum quidquid super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contingeret, irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti existere, ac praemissis controvenientes, excommunicationis latae sententiae (a qua nonnisi per Sedem aut rectorem huiusmodi, mortis articulo excepto, absolvi possent), ac viginti ducatorum capellae collegii huiusmodi applicandorum, poenam eo ipso incurrere, et scholares collegii et universitatis huiusmodi exemptione praedicta, eo ipso, quo

matriculati forent, et litterarum studio operam darent, gaudere deberent.

Eique caeterarum universitatum privilegia concessit.

§ 2. Et insuper statuit et ordinavit quod collegium et universitas, ac rector, collegiales, regentes, lectores, doctores, magistri, licentiati, baccalaurei et scholares, capellani, servitores et officiales, tunc et pro tempore existentes, omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus ac aliis gratiis et indultis universitatibus studiorum generalium Parisiensi et Salamantinensi quomodolibet concessis, et tunc ac imposterum concedendis, ac quibus illae et eorumdem universitatum rectores, collegiales, regentes, lectores, doctores, magistri, licentiati, baccalaurei, scholares, capellani, servitores et officiales de iure vel consuetudine utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere poterant quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere possent ac valerent.

Praedicta confirmans Iulius III nuncio apostolico apud Hispaniarum regem commisit ut, tamquam Sanctae Sedis delegatus, eamdem visitaret universitatem, et contra delinquentes procederet.

§ 3. Et deinde, quia occasione litis et causae in Romana Curia inter bonae memoriae Ioannem, tituli S. Ioannis ante Portam Latinam, presbyterum cardinalem, tunc in humanis agentem, ac dictae ecclesiae Toletanensis ex dicta dispensatione praesulem sive eius in spiritualibus vicarios vel officiales generales ex una, ac rectorem, regentes, doctores, collegiales et alias personas universitatis huiusmodi, partibus ex alterà, super molestationibus exemptionum a iurisdictione ordinaria, et aliis praemissis introductis, ac etiam occasione motus proprii a piae memoriae Paulo Papa III, etiam praedecessore nostro, emanati, et sententiae desuper latae, plurima damna et inconvenientia rectori et collegialibus, et aliis supra nominatis personis universitatis huiusmodi proveniebant, et maiora provenire, ac inter eos confusionem et scandala in dies oriri posse formidabantur, in maximum universitatis huiusmodi et pauperum ibi studentium detrimentum, recolendae memoriae Iulius Papa III, similiter praedecessor noster, die II iulii, pontificatus sui anno primo, certis tunc expressis causis adductus, causam huiusmodi, ac alias quascumque inter rectorem et collegiales ac universitatem praedictos, et bonae memoriae Ioannem tunc existentem archiepiscopum Toletanensem desuper motam, ad se avocans, et lites huiusmodi extinguens, rectorem, collegiales, regentes, lectores, doctores, magistros, licentiatos, baccalaureos, capellanos, servitores, officiales et scholares collegii et universitatis huiusmodi, adversus concessum motum proprium dicti Pauli praedecessoris, ac in eius exequutionem, latam sententiam, necnon omnia et singula alia inde sequuta, in pristinum et eum, in quo rector et alii praedicti, antequam motus proprius et, illius praetextu, lata sententia, et forsan alia tunc expressa emanassent, erant statum, et quoad prosequutionem, seu quasi exemptionis et libertatis praedictarum restituit, reposuit et plenarie reintegravit, necnon, iuxta Iulii praedecessoris huiusmodi concessionem, exemptos, liberos, susceptos, dictae Sedi dumtaxat subiectos esse, et alia tunc expressa decrevit et declaravit, ac motum proprium et illius praetextu latam sententiam, ac omnia et singula in eis contenta exemptionem et liberationem huiusmodi quomodolibet laedentia, et inde sequuta quaecumque revocavit, cassavit et annullavit; necnon dicti Iulii, et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum litteras, indulta et privilegia quaecumque universitati et collegio praedictis, quomodolibet concessa, innovavit, confirmavit et approbavit, et ne delicta rectoris et collegialium, ac aliarum superius expressarum personarum universitatis huiusmodi impunita remanerent, aut pro de-

fectu iustitiae alicui de eis querelandi relinqueretur occasio, tunc et pro tempore existenti dictae Sedis in regnis Hispaniarum commoranti nuncio commisit et mandavit, quatenus ipse, una cum pro tempore electo visitatore collegii huiusmodi, vel sine illo per se ipsum personaliter, quoties sibi videretur, collegium et universitatem huiusmodi, apostolica auctoritate, iuxta tamen constitutiones et ordinationes dicti collegii, visitaret, et contra illos, etiam per viam inquisitionis, vel investigationis, aut denunciationis, aut ex officio, aut per viam appellationis seu requisitionis, procederet, et delinquentes seu alias quomodolibet culpabiles repertos, corrigeret et debita animadversione puniret, ac in eos et contra eos, ac inter eos omnia et singula, quae Ordinarii locorum in subditos suos exercere poterant quoad iurisdictionalia tantum exerceret et exequeretur, ac alias prout in singulis litteris dictorum Iulii II et Iulii III praedecessorum, desuper confectis, quarum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, haberentur pro expressis, plenius continetur.

Universitas eadem a Clemente petit confirmari.

§ 4. Cum autem, sicut dilectus filius Petrus Michael collegialis dicti collegii, magister in theologia, in dicta universitate graduatus, presbyter ex dioecesi Calaguritana oriundus, qui nuper ad nos dictamque Sedem pro hoc negotio personaliter accessit, suo et dilectorum filiorum modernorum rectoris, et caeterorum collegialium collegii S. Ildephonsi, ac universitatis huiusmodi nominibus, nobis exponi fecit, ipsi rector et collegium cupiant praemissa pro eorum firmiori subsistentia nostrae confirmationis apostolicae robore communiri; ideo, nominibus praedictis, nobis humiliter supplicari fecit, quatenus in praemissis opportune providere, et omne obstaculum ac rationem dubitandi circa exemptionem et alia praemissa tollere, de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Clemens.

§ 5. Nos igitur singularum litterarum praedictarum, ac motus proprii et sententiae huiusmodi, ac aliorum quorumcumque de necessitate exprimendorum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, etiamsi de eis specialis et individua quomodocumque requiratur mentio, praesentibus pro expressis, et totaliter insertis, ac narratis et expositis habentes, ac rectorem et singulos collegiales dicti collegii a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex sententia dilectorum filiorum nostrorum Camilli et Laurentii, titulorum Ss. Ioannis et Pauli, et S. Laurentii in Panisperna, S. R. E. presbyterorum cardinalium Burghesii et Blanchetti nuncupatorum (quibus negocium huiusmodi videndum et examinandum, ac nobis referendum commisimus) exemptionem, liberationem, susceptionem, ac decretum Iulii II, nec non restitutionem, repositionem et reintegrationem Iulii III, praedecessorum, et quoad praemissa, singulas litteras praedictas, ac illarum vigore omnia et singula in eis contenta, et inde sequuta quaecumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, et ex certa nostra scientia, approbamus, confirmamus et innovamus, ac ampliamus et extendimus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus; ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerunt in eisdem, supplemus, et nihilominus potiori pro cautela de novo

modernos, et pro tempore existentes rectorem, collegiales, regentes, doctores, magistros, licentiatos, baccalaureos, scholares, capellanos, servitores, et officiales collegii et universitatis huiusmodi, ac exequutores et conservatores praedictos, aliasque universitatis et collegii personas quascumque quomodolibet nuncupatas, et quibuscumque nominibus censeantur, eorumque bona quaecumque spiritualia et temporalia, aut mixta, ad collegium et universitatem, aut eorum singulares personas universaliter, communiter vel singulariter, aut divisim, quomodolibet pertinentia ab omni iurisdictione, superioritate, dominio, potestate, visitatione et correctione archiepiscopi Toletanensis et aliorum Ordinariorum, eorumque vicariorum et officialium, et caeterorum iudicum, eisdem auctoritate et tenore, tam in capite quam in membris, et tam universaliter quam singulariter, prorsus, penitus et omnino eximimus et liberamus, ac sub B. Petri et Sedis Apostolicae protectione suscipimus, illosque et illa nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, nec non dictae Sedi dumtaxat immediate subiicimus, ac exemptos, liberos, susceptos et subiectos fore decernimus. Ita quod archiepiscopi, et quicumque locorum Ordinarii, aut eorum vel cuiusvis eorum vicarii, officiales et iudices praedicti, per se, vel alium, seu alios, in rectorem, aliosque praedictos, eorumque bona praedicta, aut ipsam universitatem, collegium, capellanos, ministros et personas praedictas, vel earum alteram, etiam ratione delicti, contractus, domicilii, beneficii ecclesiastici, seu alterius rei, de qua agetur, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus, aut res ipsa seu beneficium ecclesiasticum consistat, aliquam iurisdictionem, dominium, vel potestatem quomodolibet exercere, seu eos vel ea corrigere aut apprehendere non possint; sed rector pro tempore existens, ac exequutores et conservatores praedicti, coram Sede praedicta aut legatis et delegatis eius, collegiales vero, regentes et alii praedicti coram eodem rectore dumtaxat, teneantur de iustitia respondere tam in beneficialibus et in civilibus, quam etiam in criminalibus, seu mixtis causis, sive agatur de crimine ex officio, sive inquisitione, aut partis accusatione, aut alias quomodolibet civiliter vel criminaliter respondere, nec nomine delicti, vel alia ex causa in alio, quam dicti collegii et universitatis carcere mancipari possint; quodque collegium et universitas, et rector, aliique omnes supradicti omnibus et singulis privilegiis, aliisque immunitatibus et gratiis huiusmodi gaudeant. Decernentes praesentes, ac per Iulium II et Iulium III, praedecessores nostros, concessas litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod archiepiscopus Toletanensis, aut alii locorum Ordinarii, vel interesse in praemissis quomodolibet habentes vocati non fuerunt, notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari posse, sed illas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, minusque rectorem, collegium, universitatem, vel aliquem ex dictis et nostris litteris comprehensis ad verificandum aliquod ex eisdem praedecessoribus, vel nobis narratis, aliquo modo teneri vel obligatos esse, quia nos eos ab onere verificandi nobis vel praedecessoribus nostris aliquid in his, et dictis litteris narratis, relevamus, et ad aliquam verificationem minime teneri volumus, nec exemptionem, liberationem, ampliationem et confirmationem huiusmodi in ius vel controversiam deduci posse.

Universitatem sub Beati Petri protectione suscipit et liberat ab omni Ordinarii iurisdictione.

Clausulas irritantes apponit.

§ 6. Sicque in praemissis omnibus et singulis, ac circa ea per quoscumque iudices ordinarios, delegatos aut commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aut nuncios, et causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari aut definiri debere; nec non irritum et inane decernentes si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores praesentis constitutionis designat.

§ 7. Quocirca venerabili fratri nostro episcopo Abulensi, et dilectis filiis abati collegiatae ecclesiae Ss. Iusti et Pastoris dicti oppidi de Alcalà de Henares, et superiori seu priori commendatario nuncupato S. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum eiusdem oppidi, et eorum cuilibet committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant, auctoritate nostra, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum rectoris et collegialium fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, eadem praemissa suum plenum sortiri effectum; illisque rectores et regentes, collegiales et alios collegii et universitatis huiusmodi, et omnes alios, et singulos, quos praemissa quomodolibet concernunt et concernent in futurum, pacifice frui et gaudere, nec permittant eos, aut eorum aliquem, per archiepiscopum, aut alios episcopos, eorumque officiales, aut vicarios, aut alios quoscumque contra illorum formam quoquo modo molestari, impediri, aut inquietari: contradictores quoslibet et rebelles per interdicti ab ingressu ecclesiae, et deinde suspensionis a divinis, ac alias censuras et poenas ecclesiasticas et pecuniarias, eorum arbitrio imponendas et moderandas, et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita compescendo, ipsasque censuras et poenas, quoties eis videbitur, etiam iteratis vicibus aggravando, constito eis summarie de non tuto accessu, citationes quaslibet per edictum publicum decernendo, et quatenus et quoties inhibendum fuerit, etiam sub eisdem censuris et poenis inhibendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstante piae memoriae Innocentii III, quae incipit: *Cum Capella*, et Innocenti IV in Concilio generali Lugdunensi circa exemptos, quae incipit: *Volentes*, quoad omnes sui partes, cum eius innovatione nuper facta in Concilio Tridentino, quae incipit: *In exemptione*, ac in caeteris generalibus, provincialibus, vel synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; nec non omnibus illis, quae iidem praedecessores in eorum litteris praedictis voluerunt non obstare, ecclesiarumque, in quibus beneficia praedicta forsan fuerint, seu aliorum locorum seu universitatum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, etiamsi ipse rector, collegiales, regentes, lectores, magistri, licentiati, baccalaurei, scholares, capellani, servitores, officiales, aut aliae personae, seu earum alter collegii, universitatis, aut capellae de illis servandis, et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, et de ipsis, etiam ab alio vel aliis impetratis, aut alias quovis modo concessis non utendo per se, vel procuratores praestiterint forsan hactenus, vel imposterum eos praestare contigerit, etiam iteratis vicibus iuramentum, ac nostra de non tollendo iure quaesito, caeterisque Cancellariae Apostolicae regulis editis et pro tempore edendis, ac

piae memoriae Bonifacii VIII, praedecessoris nostri, de una et concilii generalis de duabus diaetis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac caeteris omnibus illis, quae dictus Iulius II, et Iulius III, praedecessores praedicti, in suis litteris praedictis voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXV maii MDC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 25 maii 1600, pontif. an. IX.

Sequitur confirmatio statuti a cardinale Ioanne Salviati, S. A. in Hispaniis legato, editi, quo cavetur ne quis ex Iudaeis aut Saracenis oriundus in Collegio sancti Ildephonsi de Alcalà de Henares admitti possit.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex debito ministerii pastoralis officio ea, quae ad fidei catholicae augmentum facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus.

Statutum, de quo in rubrica.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Michael collegialis collegii sancti Ildephonsi oppidi de Alcalà de Henares, Toletanensis dioecesis, magister in theologia, presbyter Calaguritanensis dioecesis, suo et dilectorum filiorum rectoris et aliorum collegialium dicti collegii nominibus, quod dudum bonae memoriae Ioannes, sanctorum Cosmae et Damiani, diaconus cardinalis de Salviatis nuncupatus, ad Hispaniarum et alia regna et loca felicis recordationis Clementis Papae VII, praedecessoris nostri, et Sedis Apostolicae de latere legatus, statutum et ordinationes tunc existentium rectoris et collegialium, et capellanorum dicti collegii (per bonae memoriae Franciscum tituli Sanctae Balbinae presbyterum cardinalem etiam Toletanensem ex concessione et dispensatione apostolica praesulem fundati et dotati) quod nullus neophytus conversus ducens originem a Saracenis aut Iudaeis, aut modo aliquo cum excommunicatis participans ex tunc deinceps perpetuis futuris temporibus in collegialem aut capellanum dicti collegii recipi et admitti posset, sed dumtaxat illi, qui ex quatuor lateribus ab omnibus maculis supradictis purgatissimi essent, in collegiales aut capellanos dicti collegii admitti deberent, auctoritate apostolica, qua in ea parte fungebatur, approbavit et confirmavit, prout in litteris dicti Ioannis cardinalis desuper XIII kalend. februarii MDXXV, anno III pontificatus eiusdem praedecessoris nostri datis, plenius continetur.

Petitur a Clemente confirmari.

§ 2. Quare idem Petrus nominibus praedictis nobis humiliter fecit supplicari, quatenus statuto et ordinationi praedictis robur apostolicae confirmationis adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Pontifex.

§ 3. Nos igitur tenores dictarum litterarum, ac omnium et singulorum hic de necessitate exprimendorum, praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex sententia dilectorum filiorum nostrorum Camilli et Laurentii, Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, titulorum sanctorum Ioannis et Pauli et sancti Laurentii in Panisperna cardinalium Burghesii et Blanchetti nun-

cupatorum, quibus hoc negotium videndum et examinandum, ac nobis referendum commisimus, statutum, ordinationem huiusmodi, ac omnia et singula in dictis litteris ac statuto antea facto, quorum omnium tenores, perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, habeantur pro expressis, contenta, et inde sequuta quaecumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac de novo concedimus et statuimus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerunt in eisdem; necnon decernentes illa per dictos modernos et pro tempore existentes dicti collegii rectorem, collegiales et capellanos huiusmodi perpetuo et inviolabiliter observari debere, ac quoscumque, quacumque sint praediti dignitate, ad subiiciendum se examini, et pro veritate perhibendum testimonium super probatione puritatis sanguinis, et aliorum praedictorum per censuras et poenas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias cogendos et compellendos fore, ac pro tempore ad praedictas probationes conficiendum et accipiendum deputandum cogi et compelli posse, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi et reaggravandi, ac auxilium brachii saecularis, quatenus opus erit, invocandi.

Clausulae praeservativae.

§ 4. Praesentesque de subreptionis, vel obreptionis, aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu minime impugnari, vel in controversiam aut ad terminos iuris reduci posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, et sacri palatii apostolici, et causarum Rotae auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere; necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores huiusce decreti designati.

§ 5. Quocirca venerabili fratri episcopo Abulensi et dilectis filiis abbati collegiatae ecclesiae sanctorum Iusti et Pastoris dicti oppidi de Alcalà de Henares, ac superiori seu priori commendatario nuncupato domus sanctae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum eiusdem oppidi, ac eorum cuilibet committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte rectoris et collegialium dicti collegii fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia et singula observari; contradictores quoslibet et rebelles, et praemissis non parentes per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione posposita, compescendo, ipsasque censuras et poenas etiam iteratis vicibus aggravando et reaggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis vigore praesentium ad iudicium ultra tres diaetas non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non aliis dicti collegii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis

habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXV maii MDC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 25 maii 1600, pontif. an. IX.

CCXXXII.

Confirmantur privilegia omnia universitati studii generalis Ferrariensis hactenus concessa [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Romanum decet Pontificem studiorum generalium universitatibus, ac studiosis et scholaribus benigni favoris gratiam libenter impertiri, ut illi, apostolico suffulti praesidio, alacrius litterarum et bonarum artium studiis incumbant, et ad eorumdem studiorum metam facilius valeant pervenire.

Confirmatio, de qua in rubrica. § 1. Idcirco nos universitatem studii generalis civitatis nostrae Ferrariensis, eiusque rectores, reformatores et scholasticos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, indulta, exemptiones, facultates, concessiones et gratias eidem universitati studii generalis, eiusque rectori, reformatoribus, scholasticis et aliis personis quibuslibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos, et Apostolicam Sedem, necnon Ferrariae duces pro tempore concessa, ipsiusque universitatis statuta, et laudabiles consuetudines, quatenus tamen licita et honesta sint, et sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis, necnon libertati Ecclesiae, nostraeque et Apostolicae Sedis auctoritati debitaeque obedientiae non adversentur, nec sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae ac inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, eaque omnia et singula perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore.

Clausulae. § 2. Sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Exequutores designati. § 3. Quocirca venerabili fratri episcopo Ferrariensi ac dilectis filiis archidiacono et primicerio ecclesiae Ferrariensis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum rectoris, reformatorum et scholarium, aut alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter per se vel alium publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra universitatem, rectorem, reformatores et scholasticos praedictos privilegiis, indultis et gratiis supradictis perpetuo pacifice frui et gaudere. Non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctori-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tate quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XII iunii MDC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 12 iunii 1600, pontif. an. IX.

CCXXXIII.

Confirmatio moderationis, reductionis et suppressionis datiorum a cardinale Aldobrandino civitati et ducatui Ferrariensi concessarum [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Paterna nostra erga subditos nostros charitas nos admonet, ut ea, quae pro ipsorum subditorum commoditate et sublevatione, auctoritate et mandato nostris concessa sunt, ut perpetuo firmiora subsistant, apostolicae confirmationis praesidio roboremus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Card. Aldobrandinus Ferrariensibus nonnulla datia substulit vel diminuit.

§ 1. Cum itaque alias dilectus filius noster Petrus, sancti Nicolai in Carcere, diaconus cardinalis Aldobrandinus nuncupatus, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, civitatis et ducatus nostrorum Ferrariensis, et in universa Italia ad quoscumque principes noster et Apostolicae Sedis de latere legatus, et totius Status Ecclesiastici, tuncque etiam exercitus ecclesiastici, generalis superintendens, volens nostram et Apostolicae Sedis erga cives et populos civitatis et ducatus nostrorum Ferrariensis, sub immediatum nostrum et eiusdem Sedis dominium tunc receptos, charitatem ostendere, auctoritate sibi per nos attributa, diversas gabellas, datia et onera, quae antea in civitate et ducatu praedictis exigebantur, partim in totum substulerit et annullaverit, partim diminuerit, modo et forma infrascriptis, videlicet:

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Moderamento, riduzione, suppressione e grazie respettivamente de' dazi e gabelle fatte alla città e dominio di Ferrara dalla Santità di Nostro Signore Clemente Papa VIII.

Declaratio suspensionis, moderationis, *etc.*, de quibus agitur.

Essendo per la infinita providenza di chi mai erra, e dalla cui mano con ineffabile modo pende ogni potestà, regno ed imperio, e ragione di regnare, e si governa il tutto, ridotta questa nobilissima città, ducato e distretto di Ferrara sotto l'antico e clementissimo grembo e manto della sua cara madre Santa Chiesa, tra li molti e continui pensieri che sono al cuore alla Santità di Nostro Signore Clemente ottavo, preme oltre modo di vedere ben presto sollevati questi popoli dallo smisurato peso di molte gravezze, nelle quali per lungo tempo sono stati involti, e di vederli effettualmente godere li dolci frutti di quella Santa Sede. Onde rimirando, ancorchè di lontano, con pietoso occhio il tutto, e rivolgendo l'animo a considerare lo stato in che si trova, per buon principio, saggio e caparra dello sviscerato amore paterno che porta loro, e dell' indicibile desiderio e sollecitudine che tiene di giovare universalmente a tutti, l' illustrissimo e reverendissimo signore, il signore Pietro, per la divina misericordia, cardinale Aldobrandino di questa città e dominio di

Ferrara, ed a' principi d' Italia legato *de latere*, dell'esercito, e di tutto lo Stato Ecclesiastico generale sopraintendente, in accrescimento della allegrezza pubblica e privata, in questo dì della felicissima coronazione di sua Beatitudine, Clemente di nome e di fatti, ed in esecuzione della sua santa mente e pio zelo, per l'espressa facoltà, sopra ciò datale a sollevamento, contento e consolazione universale, ed aumento del commercio, dopo avere avuta matura e proporzionata considerazione al bisogno di chi comanda, ed alle forze e spese che occorrono alli sudditi, sua signoria illustrissima e reverendissima modera, riduce, supprime e leva di fatto le infrascritte gravezze, pesi e gabelle, nel modo che sarà qui sotto specificato, con ferma intenzione d'avere poi di tempo in tempo a ridurre il tutto sotto forma di un ben regolato e felice governo a gloria di Dio, e soddisfazione di Sua Santità, ed a piena consolazione di tutti.

Le gabelle che si riducono.

La Gabella della *Nota Magna* che si riscuote di tutti li frumenti e biade che si vendono nella città a 10 per cento, e se ne cava l'anno lire 69,600, la quale si riduce alla metà, che sono cinque per cento, si viene a sgravar l'anno lire 34,800.

Membro del registro, che si riscuote dieci per cento di tutti li contratti che si fanno di case, possessioni, molini e barche, lini e lane, affittato lire 53,000 l'anno, ridotto a cinque per cento, si viene a difalcare lire 26,500.

Dazio del vino a mastello, che si riscuote dieci per cento del giusto valore de' vini che si vendono, importa lire 9,400, qual si riduce per la metà a cinque per cento, e se ne viene a levar l'anno lire 4,700.

Dazio del vino in castellata, che paga dieci per cento, se ne cava lire 9,000, ridotto a cinque per cento, se ne viene a difalcare l'anno lire 4,500.

Membro de' libricciuoli, che si riscuote a ragione di dieci per cento di tutti li marzadelli, vini e bestiami che vengono dentro la città, e si contrattano fuori nel distretto, qual si riduce alla metà, che sono cinque per cento, ed importa l'anno circa lire 11,500.

Pesce dolce e di mare paga di gabella, tanto per entrata quanto per transito, venti per cento di quello viene stimato; se ne cava l'anno lire 39,500, si riduce a cinque per cento quello che entra in Ferrara e che va per lo Stato, e per il resto si lascia come prima, e figurandosi che la metà sia quello che entri nella città e vada per lo Stato, si viene a diffalcare l'anno lire 14,813.

Del sale di Ferrara, che si vende quattrini cinque per libbra, si cava l'anno lire 45,600, quale si riduce a quattrini quattro, tre per la Camera, ed uno per la Communità, come appresso si dirà che il detto diffalco importa l' anno lire 18,240.

Membri della gabella grossa e grassa che si riducono tanto all'entrare della città, quanto per transito.

Pietre d'aguzzare, che pagavano 17 e mezzo per cento, si riduce a dieci per cento.

Legnami di più sorte per mettere in opera, pagavano quattordici per cento, si riduce a sette.

Acquavite pagava tredici per cento, si riduce a otto.

Seme di lino, che pagava tredici per cento, si riduce a otto.

Colombina e pilumi pagava tredici per cento, si riduce a sei.

Marmi pagavano diciotto per cento, si riduce a dieci.

Altre robbe che pagano la gabella grossa e grassa a ragione di tredici per

cento, che ora si riducono tutte a sei per cento tanto all'entrare della città, quanto per transito.

Alberi da navili.
Armature.
Altri simili lavori di ferro.
Badili di ferro.
Bestie d'ogni qualità, eccetto asini.
Cannotiglia.
Carrette.
Carri.
Cerume delle api.
Cimatura de' panni.
Corame unto.
Corone di pasta.
Cremesi.
Forconi.
Galla.
Garavelle.
Gesso.
Grana.
Guado.
Erbe da tingere.
Indigo.
Istromenti da sonare.
Lana pellizzarola e filata.
Lane filate.
Lavori di noce.
Libri d'ogni sorte.
Mannare.
Mannarini.
Mascare.
Merci nostrane d'ogni qualità.
Morioni.
Occhi di vetro da finestre.
Organi.
Oricello da tingere.
Pellicceria selvatica.
Quadri di pittura.
Risi nostrani.
Ritratti in tela.
Robbia da tingere.
Salvaticini.
Scodano da tingere.
Scopette.
Soveri lavorati.
Terra gialla.
Trippa di velluto.

Appresso saranno i membri e gabelle che si levano affatto.

Membro del Boccatico, che si riscuoteva da' cittadini e contadini che abitavano fuori nel distretto, invece della macina delle biade che consumavano per il vitto loro, che pagavano per ogni testa di cittadino bolognini 18 $^{5}/_{6}$, e li contadini bolognini 13 $^{1}/_{3}$, che si leva tutto, ed importa l'anno lire 24,000.

Dadia che si pagava da' contadini ed altri che lavoravano e facevano lavorare, si leva tutta, che importava l'anno circa lire 16,000.

Gabella di legna, paglia e fieni, tanto dentro della città, quanto fuori, che si pagava sei e mezzo per cento, si leva affatto, importa circa lire 3,500.

Aumento del pane, che importava l'anno circa lire 22,800, si leva tutto, lire 22,800.

Invenzioni di quelli che fraudano le gabelle, che si affittava, si leva tutta, importa lire 1,853.

Cameretta delle accuse, si leva tutta, importava lire 1,129.

Dazi delle tele de' panni, che si pagava per ogni tela che si faceva bolognini 40, si leva tutto.

Capitaneato della piazza, che per aver quel carico pagava ogni anno circa lire 1,900, si leva di fatto.

Bollettini de' forastieri che erano applicati al membro della posta, si levano, ed importavano lire 1000.

Salario della Camera, che si pagava alla posta lire 890, si leva tutta, lire 890.

Salario del Comune, che si pagava a detta posta, si leva, lire 60.

Dazio delle carrozze da nolo, si leva, lire 418.

Dazio delle meretrici.

Dazio del vino a spina.

Dazio della malvasia, si levano, che importavano lire 6,740.

Dazio del pesce di Po, che si pagava da poveri uomini che portavano il pesce a minuto, si leva, importava lire 530.

Membri della gabella grossa e grassa, che si levano affatto.

Marmi, che entravano dentro la città, che pagavano diecisette e mezzo per cento, si levano affatto.

Appresso saranno altri membri, che pagavano tredici per cento, quali pure si levano affatto.

Agli.
Berrette vecchie.
Botti.
Cacole di pecora composte.
Calcina da murare.
Capelli da donne.
Carciofali.
Carte dipinte.
Canne di valle.
Ceci franti.
Cenere.
Citare.
Code di cavalli.
Collari da cavallo.
Copeta.
Coltri da letto di ogni qualità usate.
Crivelli.
Disegni.
Diverse straccierie.
Faldee.
Ferro rotto.
Garzadura.
Garzi.
Giaroni.
Gianda.
Grisciole di canna.
Guanti.
Istorie.
Lavori di tela.
Lettere da stampa.
Libri usati.
Letami.
Limatura.
Maccheroni di pasta.
Maiolica.
Maglia vecchia.
Mobili di casa usati.
Mostarda.
Ortaglia d'ogni qualità.
Pattaria.
Pellicciarole.
Peli di animali.
Pelo di bue.
Penne da scrivere.
Pietre di più sorti.
Pignatte.
Razzi usi per quelli della città.
Ritagli.
Sabbione.
Semola.
Santi di legno.
Scaglia.
Salnitro.
Stivali.
Stagno usato.
Spalliere d'ogni sorte usate per quelli della città.
Materassi di lana.
Tamburi.
Tartaruche.
Tasso da botte.
Terra da boccali.
Uccelli di rapina.
Vele use.
Vestiti d'ogni sorte d'usi.

Nota delle gabelle che si lasciano e donano alla Comunità per servizio pubblico.

Li danni dati, che possono importar l'anno lire 2,671.

Appalto delle fornaci de'vetri, ed assumamento de' stracci per far carta, affittato l'anno lire 3,610.

Delli quattro quattrini che si è stabilito che si venda la libra del sale, tre ne restano per la Camera Apostolica, ed

uno per la Comunità, il quale importerà lire 9,120.

Le dette gabelle si doveranno riscuotere per mano del tesoriero, o altri ministri della Camera Apostolica, per pagarle in mano del magistrato di detta città per spendersi a servizio pubblico, come parerà ad essa Comunità.

Il Card. ALDOBRANDINO.

(Luogo del Sigillo).

Erminio Valenti, *secr.*

Clemens praedicta confirmat.

§ 2. Nos cupientes moderationem, reductionem, suppressionem et gratias datiorum et gabellarum huiusmodi, ut praemittitur, factas, perpetua firmitate subsistere, ac cives et populos civitatis et dominii praedictorum, illis perpetuo frui et gaudere, ac eosdem cives et populos, amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, praeinsertas datiorum et gabellarum moderationem, reductionem, suppressionem et gratias, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti, aut alios quoscumque defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus; et nihilominus datia et gabellas supra expressas eisdem modo et forma, in omnibus et per omnia moderamur, reducimus, supprimus et respective communitati et hominibus civitatis Ferrariensis (sine tamen aliquo caeterarum gratiarum et concessionum illis per nos factarum praeiudicio) respective concedimus, donamus et elargimur, volentes, ac eadem auctoritate perpetuo statuentes, moderationem, reductionem, suppressionem et gratias datiorum et gabellarum supra expressarum, perpetuo validas, firmas et efficaces subsistere et fore, nec a quoquam, quavis auctoritate fungentes, retractari, rescindi, aut invalidari, vel annullari quoquo modo posse.

Clausulae.

§ 3. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam Camerae Apostolicae clericos praesidentes, ac thesaurarium, et Sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, ipsius quoque civitatis et ducatus Ferrariensis nostrum et Apostolicae Sedis de latere legatum, eiusque vicelegatum, seu alium superiorem nunc et pro tempore existentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputati.

§ 4. Mandantes propterea eisdem Petro cardinali legato, et Sanctae Romanae Ecclesiae camerario, eiusque collegae et vicelegato, necnon thesaurario generali, praesidentibus, clericis, et aliis supradictis, ut praemissa omnia et singula ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inviolate perpetuo observari curent et faciant; contradictores quoscumque opportunis iuris et facti remediis, appellatione postposita, compescendo.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac civitatis et ducatus praedictorum, nec non etiam Camerae iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis, et praesertim Camerae nostrae Apostolicae, ac aliis praedictis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XIII iunii MDC, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 13 iunii 1600, pontif. an. IX.

CCXXXIV.

Coeremonialis Episcoporum ad officia divina rite celebranda aliasque functiones itidem peragendas reformatio, et approbatio, cum antiquorum permissione in his, quae huic non adversantur.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Hic Pontifex Pontificale reformatum edidit; deinde Coeremoniale Episcoporum reformari curavit;

§ 1. Cum novissime Pontificale antea mendosum et corruptum, a piis et eruditis viris emendari et restitui, et demum ad episcoporum et aliorum ecclesiarum praelatorum communem usum et commoditatem divulgari, et in universali Ecclesia ab omnibus observari mandaverimus, operae pretium visum fuit, Coeremoniale Episcoporum omnibus ecclesiis, praecipue autem metropolitanis, cathedralibus et collegiatis, perutile ac necessarium, in quo ritus et coeremoniae celebrandi missas, vesperas et alia divina officia, ac in aliis ecclesiae functionibus et actibus ab eisdem episcopis ac aliis praelatis inferioribus in eisdem observandae, modus etiam praecedendi, tam inter personas ipsas ecclesiasticas, quam etiam inter eas et laicos similiter servandus continentur; quodque pridem multis mendis respersum fuerat, similiter reformari et restitui curaremus. Ea propter id ipsum Coeremoniale Episcoporum a nonnullis piis ac eruditis, in hisque sacris ritibus et coeremoniis apprime versatis viris examinari, corrigi et in optimam ipsique Pontificali reformato maxime congruentem formam redigi mandavimus. Quod opus cum ea, qua decuit, fide et diligentia iam absolutum fuisse accepimus, porro reliquum est, ut huius operis labor, eum, ad quem directus est, finem consequatur.

Illudque servari praecipit,

§ 2. Idcirco Coeremoniale Episcoporum huiusmodi, iussu nostro, emendatum et reformatum, motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, perpetuo approbantes; illudque in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis, ad quas spectat, et in futurum spectabit, perpetuo observandum esse praecipimus et mandamus.

Et immutari vetat,

§ 3. Ac Coeremoniale huiusmodi sic emendatum et reformatum, nullo umquam tempore; in toto vel in parte, mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse.

Nec aliter debitis coeremoniis satisfieri decernit.

§ 4. Ac quascumque personas praedictas, quae sacerdotalia munera exercere, aut alia quaecumque in ipso Coeremoniali contenta facere, aut exequi debent, ad ea peragenda et praestanda iuxta huius Coeremonialis formam et praescriptum teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi et faciendi munus impositum existit, nisi formulis, quae in hoc Coeremoniali continentur, servatis satisfacere posse, perpetuo statuimus et ordinamus.

Antiqua Coeremonialia huic novo non contraria permittit.

§ 5. Per praesentes autem antiqua Coeremonialia, in his, quae praedicto Coeremoniali reformato sunt conformia, minime aboleri aut abrogata censeri volumus, sed illorum etiam usum (salva reformatione praedicta) permittimus.

Clausulas derogatorias apponit.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus, necnon quarumvis ecclesia-

rum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Tempus, quo haec observanda declarat.

§ 7. Volumus autem et pari motu et auctoritate decernimus, ut qui in Romana Curia sunt praesentes, lapsis duobus mensibus, qui vero intra montes octo, et qui ultra ubique locorum degunt, duodecim integre excursis, vel alias ubi venalium huius Coeremonialis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras coeremonias et ritus in eodem Coeremoniali praescriptos, iuxta illius modum et normam, in quibuscumque actibus exercere et observare teneantur.

Exemplis credi iubet.

§ 8. Ipsarum autem litterarum exempla manu notarii publici, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae, aut illius curiae obsignata, vel in ipsis voluminibus absque praedicto vel alio quopiam adminiculo, Romae impressa, eam ubique locorum et gentium fidem faciant, quam praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die decimaquarta iulii MDC, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 14 iunii 1600, pontif. an. IX.

CCXXXV.

Institutio duorum novitiatuum in duobus conventibus Fratrum Eremitarum sancti Hieronymi Congregationis Beati Petri de Pisis, cum licentia recipiendi venientes ad Ordinem; et ambitus prohibitio, cum poenarum impositione [1].

1 Alia de hac Congregatione vid. in const. XV Eugenii IV: *Provenit*, tom. V, pag. 30.

Clemens Papa VIII

Dilectis filiis Bernardo Veronensi, priori generali, et Antonio Veneruccio Urbinatensi, vicario generali, Ordinis Pauperum Eremitarum Sancti Hieronymi, Congregationis B. Petri de Pisis.

Institutio novitiatuum.

§ 1. Ordinis vestri conservationi et propagationi, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes, motu proprio, et ex nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, in conventu S. Sebastiani Venetiarum, ubi triginta quinque fratres, comprehensis duodecim novitiis, de familia manere volumus; ac in conventu S. Mariae Gratiarum Neapolitanensis, ubi quinquaginta fratres, comprehensis sexdecim novitiis, de familia similiter manere volumus, novitiatus vestri Ordinis praedicti auctoritate apostolica tenore praesentium, erigimus et instituimus.

Licentia recipiendi novitios.

§ 2. Vobisque ut in primo dicto S. Sebastiani duodecim, et in secundo dicto conventibus S. Mariae Gratiarum sexdecim novitios, qui qualitates requisitas iuxta constitutionem nostram super receptione novitiorum nuper editam habeant, ac servata in omnibus et per omnia dictae constitutionis forma, ad habitum per fratres vestri Ordinis gestari solitum recipere, ita tamen ut aliquod signum a professis distinctum iuxta dispositionem vestri capituli generalis gerant; et deinde, lapso probationis anno, ad professionem per eosdem fratres emitti consuetam regularem, admittere libere et licite possitis et valeatis, auctoritate apostolica, et tenore praedictis, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Non obstante prohibitione nostra novissime facta, constitutionibusque et ordinationibus apostolicis; caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub

annulo Piscatoris, die quarta augusti millesimo sexcentesimo, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 4 augusti 1600, pontif. an. IX.

Sequitur ambitus prohibitio.

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Exordium

Ambitiosam honorum et dignitatum cupiditatem ecclesiasticos omnes, sed religiosos praesertim, qui in humilitatis spiritu Deo servire tenentur, ita evitare decet, ut ipsi praelaturas minime requirere, sed eas, vocati ut Aaron, obedientes suscipere et humiliter administrare studeant.

Damnatur ambitus obtinendi praelaturas.

§ 1. Huius siquidem ambitionis malum a Congregatione Beati Petri de Pisis Ordinis Eremitarum Sancti Hieronymi procul abesse cupientes, motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos fratres praedicti Ordinis et Congregationis, cuiuscumque aetatis, gradus et conditionis, praeeminentiae et litteraturae existentes, qui nimirum pro quibuscumque praelaturis, dignitatibus, muneribus, officiis, etiam iis, quae obtinent, maioribus, in dicta Congregatione consequendis, sive pro remissione poenarum eis impositarum, aut aliis quibuscumque gratiis impetrandis, ad principum quorumcumque tam ecclesiasticorum, etiam S. R. E. cardinalium, quam saecularium ac praelatorum de gremio dictae Congregationis non existentium, favores recurrerint, eosque requisiverint, vel iis etiam sponte delatis, aut ab aliis etiam insciis ipsis procuratis usi fuerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis directe vel indirecte, palam vel occulte, ad dignitates seu officia in Congregatione praefata obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis et honestis rationibus ea obtinere procuraverint, illorum complices et fautores, ad quascumque praelaturas et dignitates, gradus, honores et officia, tam spiritualia quam temporalia, et praesertim in ipsa Congregatione obtenta vel obtinenda perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis praelaturis, dignitatibus, administrationibus, vel officiis eo ipso privamus, ac privatos voce activa et passiva carere, poenasque huiusmodi a nobis tantum, et Romanis Pontificibus successoribus nostris, remitti posse decernimus et declaramus; omnes et singulas supradictas poenas ad eos etiam extendentes, qui ne ex aliquo monasterio removeantur, seu ut in alterius monasterii familia deputentur, contra capituli seu superiorum voluntatem supradictas litteras seu favores exquirere et obtinere praesumant.

Prohibitio admittendi ambientes ad officia et dignitates.

§ 2. Quo circa, in virtute sanctae obedientiae ac indignationis nostrae, aliisque omnibus praedictis poenis, dilectis filiis visitatoribus, definitoribus aliisque praelatis quocumque titulo nuncupatis, praesentibus et futuris praecipimus ac distincte mandamus, ne aliquos ullo umquam tempore, precibus, litteris vel favoribus adducti, seu alias ad instantiam, requisitionem vel contemplationem principum ecclesiasticorum vel temporalium, etiam S. R. E. cardinalium, aut aliorum quorumcumque extra gremium dictae Congregationis existentium, ad cuiusvis generis praelaturas, dignitates, officia, administrationes et gradus promovere, vel poenas aliquas remittere, aut aliam quamcumque gratiam, ut praefertur, audeant facere vel praesumant; immo promovendorum meritis et virtutibus tantum inspectis, quod Dei causam agant memores sint, quo magis puro et sincero corde, nulla privata aut mundana affectione commoti, in electionum negocio procedant.

§ 4. Decernentes electiones et promotiones ad monasteria, seu quaecumque

Annullatio admissionum aliter factarum.

alia officia dicti Ordinis, sic litteris aut aliis favoribus principum et praelatorum quorumcumque, vel aliorum, ut praefertur, extra gremium existentium, eorumque precibus, aut pollicitationibus, iniuste ac indebite extortas, seu alias quandocumque faciendas et pro tempore obtentas, nullas prorsus, invalidasque fore et esse, et adversus eos, qui his minus legitimis rationibus ad regenda monasteria, seu ad alia quaecumque officia se eligi aut assumi obtinuerint, per eiusdem Congregationis superiores quandocumque procedi et, rei veritate cognita, condignis poenis, tamquam publicae dictae Congregationis quietis perturbatores, affici posse et debere. Et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac dictorum Congregationis et Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et illorum superioribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis concessis et confirmatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu et scientia similibus, latissime derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si praedictis Congregationi et fratribus, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Publicatio huius constitutionis in capitulis facienda.

§ 5. Ac ut litterarum huiusmodi notitia ad omnes dictae Congregationis fratres facilius deveniat, volumus illas in generalibus et provincialibus dictae Congregationis capitulis quotannis publice legi, ibique lectas omnes sic arctare ac si legitime unicuique intimatae fuissent, illorumque exemplis etiam impressis manu scribae dictae Congregationis, vel notarii publici, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris, millesimo sexcentesimo, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 23 decembris 1600, pontif. an. IX.

CCXXXVI.

Erectio oppidi Castri Plebis in civitatem, et ecclesiae ipsius in cathedralem [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

In supereminenti militantis Ecclesiae solio, et apostolicae potestatis plenitudine summa Redemptoris nostri benignitate constituti, nunc in novis sedibus et

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

ecclesiis episcopalibus in irriguo ipsius militantis Ecclesiae agro plantandis et instituendis, nunc in dioecesum partibus dividendis, pastoralis officii nostri partes, prout locorum et temporum rationes postulant, libenter conferimus, ut exinde divinus cultus et christifidelium devotio peramplius augeatur, animarumque salus subsequatur, ac oppida populi multitudine referta praesertim in Statu nostro Ecclesiastico consistentia dignioribus titulis et specialibus favoribus illustrentur, eorumque incolae novarum sedium, et ecclesiarum huiusmodi propagatione, ac propriorum praesulum assistentia et regimine suffulti proficiant semper in Domino, et quod in temporalibus sunt adepti, non careant in spiritualibus incremento.

Erectio, de qua in rubrica.

§ 1. Hinc est, quod nos ex certis rationalibus causis animum nostrum moventibus, habita prius desuper cum venerabilibus fratribus nostris matura deliberatione, de illorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine ad Omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac catholicae fidei exaltationem oppidum Castri Plebis, ac terras, villas et castra Plagartii, Panicalis, Pacciani, Monyconini, Tavernellarum, Collegii Sancti Poli et Montalerae in agro Perusino, ac Laviani, Pusteoli, Gioelle et Panigarolae cum caeteris locis in universo marchionatu Clusii, nec non Trivinani, Montis Leonis et Salicis in comitatu et districtu Urbevetanis consistentia, ac Camporsenoli nostrae et Sedis Apostolicae temporali ditioni immediate et mediate respective subiecta, et Sanctae Florae Clusinensis dioecesis, cum illorum territoriis, Clero, populo, personis ecclesiasticis, monasteriis, piis locis et beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura, saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, necnon quibuscumque iuribus et actionibus, quae pro tempore existens episcopus Clusinensis, ratione iurisdictionis et legis dioecesanae, in illis habet et percipit, ac habere et percipere consuevit, ab ecclesia Clusinensi ad praesens per obitum bonae memoriae Ludovici episcopi Clusinensis, extra Romanam Curiam defuncti, pastore carente, ex dicta dioecesi, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo dividimus et separamus: sicque divisa et separata ab omni iurisdictione et superioritate, visitatione, correctione, dominio et potestate ipsius episcopi Clusinensis pro tempore existentis, eiusque vicarii et officialis, ac solutione quorumcumque iurium ei per clerum, populum, et personas huiusmodi ratione superioritatis, visitationis, correctionis, dominii et potestatis praedictarum quomodolibet debitorum, auctoritate et tenore praefatis, etiam perpetuo eximimus et liberamus, dictumque oppidum Castri Plebis in civitatem Castri Plebis nuncupandam, ac illius saecularem et collegiatam ecclesiam Ss. Gervasii et Protasii in cathedralem sub eadem invocatione cum dignitate, iurisdictione et mensa episcopalibus, aliisque cathedralibus insignibus, necnon praeeminentiis, honoribus et privilegiis, quibus aliae cathedrales ecclesiae, de iure vel consuetudine, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pro uno episcopo Castri Plebis nuncupando, qui eidem ecclesiae Castri Plebis praesit, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo erigimus et instituimus.

Assignatio dioecesis et iurisdictionis.

§ 2. Ac ipsi ecclesiae sic in cathedralem erectae civitatem Castri Plebis, eiusque incolas et habitatores pro civitate, et civibus, alia vero castra, terras, villas et loca divisa et separata praefata pro eius dioecesi, ac ecclesiasticas pro clero, et saeculares personas in eisdem civitate et dioecesi Castri Plebis pro tempore de-

gentes pro populo, auctoritate et tenore, similibus, pariter perpetuo concedimus et assignamus, illaque omnia et singula episcopo Castri Plebis pro tempore existenti quoad legem dioecesanam ac episcopalem et ordinariam iurisdictionem : ecclesiam autem, et pro tempore existentem episcopum Castri Plebis huiusmodi dictae Sedi immediate subiicimus, ac sub beatorum Petri et Pauli Apostolorum, dictaeque Sedis protectione et tutela suscipimus.

Novae cathedralis dos et reditus.

§ 3. Insuper omnia et singula fructus, reditus, proventus, et bona mensae episcopalis dictae ecclesiae Clusinensis demptis et remanentibus pro ea, ac episcopo Clusinensi pro tempore existente tot ex ipsis fructibus, reditibus, proventibus et bonis, per commissarium ad id a Sede Apostolica praefata deputandum, designandis et assignandis, quod illorum valor ad summam mille scutorum monetae annuatim iudicio dicti commissarii ascendat, ab eadem mensa episcopali Clusinensi, auctoritate et tenore paribus, itidem perpetuo separamus et dismembramus, illaque sic separata et dismembrata dictae mensae episcopali Castri Plebis pro eius dote, ac episcopi Castri Plebis pro tempore existentis substentatione, auctoritate et tenore praefatis, etiam perpetuo applicamus et appropriamus; ita quod liceat eidem episcopo Castri Plebis pro tempore existenti sequutis designatione et divisione a dicto commissario, ut praefertur, faciendis, corporalem, realem et actualem possessionem fructuum, redituum, proventuum et bonorum eidem mensae episcopali Castri Plebis applicandorum et appropriatorum per se, vel alium, seu alios, eius nomine propria auctoritate, libere apprehendere et perpetuo retinere, illorumque fructus reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta percipere, ac in suos dictaeque mensae episcopalis Castri Plebis usus et utilitatem convertere, futuri episcopi Clusinensis et cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita.

Privilegiorum concessio.

§ 4. Praeterea episcopo pro tempore existenti et capitulo, ac clero civitatis et dioecesis Castri Plebis huiusmodi illorumque incolis et habitatoribus, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus episcopi et capitula aliarum cathedralium ecclesiarum, ac civitatis et dioecesis, eorum clerus, incolae et habitatores de iure vel consuetudine, aut alias utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, uti et gaudere possint, eisdem auctoritate et tenore, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiae Clusinensis iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis ha-

bentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat, *etc.*

Clausulae poenales.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo, septimo kalendis octobris, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 25 septembris 1600, pontif. an. IX.

CCXXXVII.

Confirmatio indulti Iulii II militibus Iesu Christi, Sancti Iacobi de Spatha et Sancti Benedicti de Avis concessi, ut proprium habere, et de suis bonis testari valeant [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Honestis catholicorum regum votis, quantum cum Domino possumus, libenter annuimus, ac eorum intuitu praedecessorum nostrorum constitutiones pro temporum, locorum et personarum qualitate moderamur, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Iulius II militibus harum militiarum concessit ut proprium habere ac testari possent.

§ 1. Sane pro parte charissimi in Christo Filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici militiarum Domini nostri Iesu Christi, Sancti Iacobi de Spatha et Sancti Benedicti de Avis, sub regulis Sancti Benedicti et Sancti Augustini respective militantium, perpetui administratoris apostolica auctoritate deputati, ac etiam pro parte dilectorum filiorum magistrorum, priorum earumdem militiarum, aliorumque priorum, vicariorum, capellanorum, rectorum, portionariorum, beneficiatorum, caeterorumque religiosorum seu clericorum in ipsis militiis professorum nobis nuper expositum fuit, quod alias cum praedicti magni priores, aliique priores, vicarii, rectores, capellani, portionarii, beneficiati caeterique clerici quocumque nomine nuncupati, quidquam proprium habere, nisi de magnorum magistrorum licentia, aut de bonis suis testari, aut aliquo modo in morte disponere non possent, sed omnia eorum bona per mortem, ad conventum, unde eis provenerant, pertinerent; cumque, ut experientia demonstravit, non solum dicta bona a consanguineis et domesticis morientium clericorum usurpabantur, sed, quod magis dolendum erat, praedicti clerici cum magno animarum suarum periculo, variisque conscientiarum scrupulis e vivis discedebant; propterea a felicis recordationis Iulio Papa secundo, praedecessore nostro, apostolica auctoritate indultum fuit, ut clerici praedicti non solum in vita proprium habere, sed etiam in morte de bonis suis mobilibus et immobilibus et semoventibus undecumque, quomodocumque et qualitercumque, licite tamen acquisitis, libere testari, et ad arbitrium suum in morte disponere possent, ea tamen conditione, ut de reditibus prioratuum, beneficiorum, praeceptoriarum, portionum seu praestimoniorum a dictis militiis emanantium, mediam annatam redituum unius anni in favorem fabricarum conventuum earumdem respective militiarum persolverent, ita et eodem modo, quo earumdem militiarum praeceptoribus, commendatariis et equitibus concessum erat, ac alias prout in eiusdem Iulii praedecessoris litteris plenius continetur.

Quod privilegium in observantia remansit post contrariam Pii V constitutionem.

§ 2. Verum cum postea recolendae memoriae Pius Papa V, etiam praedecessor noster, quadam eius perpetuo valitura constitutione inter alias omnes et quascumque licentias et facultates

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

testandi, et alias quomodolibet disponendi quibuscumque regularibus, seu militaribus personis concessas revocaverit, eorumque testamenta facta et facienda, quae nondum effectum fuissent sortita seu exequutioni demandata, annullaverit, nulliusque roboris aut momenti esse declaraverit, prout in praedicta constitutione pariter plenius continetur: quia tamen, ut eadem subiungebat expositio, cum dictarum militiarum regni Portugalliae personis specialiter et in communi erat dispensatum, atque per tot annorum spatium praedicta Iulii secundi dispensatio in usu et actu practico fuerat, et iuxta eam eiusque tenorem praedictarum militiarum clerici et personae omnes suam professionem emittebant, immo dictis clericis, quando ad habitum dictarum militiarum admittebantur, per magnos priores seu alios, ad quos spectabat eos habitum induere, expresse declarabatur, quod solventes dictis conventibus mediam annatam de reditibus prioratuum, beneficiorum, portionum, seu quorumcumque aliorum redituum a dictis militiis emanantium non solum in vita quaecumque bona possidere, sed etiam in morte libere de eis disponere poterant; propterea praedicta Pii V constitutio in praedictis regnorum Portugalliae militiis observata non fuit, sed dicti clerici, iuxta praedictum Iulii secundi indultum et privilegium, absque aliqua innovatione seu mutatione, per multos annos permanserunt.

Orta deinde controversia ob diversas exactorum huiusmodi militiarum sententias;

§ 3. Sed cum annis elapsis, occasione testamenti a quodam clerico Ordinis Sancti Iacobi conditi, de praedicto Iulii secundi indulto controverti coeperit, et causa coram dilecto filio Bartholomaeo de Valle Vicira, tunc dictarum militiarum generali conservatore, et iudice apostolica auctoritate deputato ageretur, ille per suam sententiam pronunciavit dicti clerici testamentum esse nullum, et praedictae militiae, aliarumque dicti regni militiarum clericos, iuxta praedictam Pii V constitutionem, nequaquam testamenta condere posse, neque de bonis suis aliquo modo disponere; a qua sententia statim fuit appellatum, illaque in secunda instantia fuit revocata. Quoniam tamen interea ex una parte ministri seu exactores dictarum militiarum a praedictis clericis militaribus de suis prioratibus, beneficiis, portionibus, praeceptoriis, praestimoniis et reditibus medias annatas, ut prius, in favorem fabricarum conventuum etiam ipsis invitis et nolentibus exigebant; ex altera vero alii earumdem militiarum exactores seu exequutores bona praedictorum clericorum morientium sequestrabant, unde in dicto regno et militiis ac personis earum generalis confusio et varia quotidie oriebantur scandala et quaestiones.

Philippus III Portugalliae rex Iulii II privilegium petit confirmari.

§ 4. Propterea praedictus Philippus rex, earumdem militiarum perpetuus administrator, re maturius considerata, et cum dilectis filiis praesidente et deputatis mensae, conscientiae et ordinum, aliisque doctis viris consultata, videlicet, dictas militias aliter non posse conservari, quia si dicta Pii V constitutio in eisdem militiis esset observanda, dictumque Iulii secundi privilegium abrogandum, id in maximam dictarum militiarum iacturam et detrimentum vergeret; quia viri docti, quibus ipsae militiae indigent, de caetero in eis professionem emittere nollent, et praeterea non solum ipsarum militiarum conventus maiora damna recipient, quia clericorum, ut praefertur, morientium bona facile a consanguineis et domesticis, ut olim fiebat, usurpabuntur; sed quod maius est, praedicti clerici cum maximis scrupulis et salutis suae periculis morirentur; ac praedictis scandalis et aliis forsan in futurum emanan-

dis obviare cupiens, nobis per dilectum filium Damianum Vaz, militaris Ordinis de Avis professum, eiusdem catholicae maiestatis capellanum, ac pro eisdem militiis procuratorem in Romana Curia existentem, tam suo, quam praedictorum magnorum priorum, aliorumque priorum, vicariorum, rectorum, portionariorum, capellanorum, beneficiatorum caeterorumque clericorum in dictis militiis Domini nostri Iesu Christi, Sancti Iacobi de Spatha et Sancti Benedicti de Avis professorum nomine supplicavit, ut dictis quaestionibus, litibus et scandalis obviantes, praedictas personas circa testandi ius et modum et conditiones ad eum statum, in quo erant, quando praedicta Pii V revocatoria constitutio emanavit, reducere, dictumque Iulii secundi indultum et generalem facultatem testandi sub eisdem conditionibus approbare, et apostolica auctoritate confirmare, de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Clemens.

§ 5. Nos igitur attentis praemissis, dictarum militiarum utilitati et augmento consulere, et ipsius catholici regis votis annuere, quantum cum Domino possumus, cupientes, et exemplo piae memoriae Gregorii XIII praedecessoris nostri, (qui per suas litteras in forma brevis, sub datum Romae die sexta octobris MDLXXVI, pontificatus sui anno quarto, instante clarae memoriae Philippo Hispaniarum rege secundo, praedictam Pii quinti constitutionem moderans, personas militiarum Calatravae, Alcantarae et Sancti Iacobi de Spatha regnorum Castellae circa facultates, modos et conditiones testandi restituit et reduxit ad statum, in quo erant, antequam praedicta Pii V constitutio emanasset) adducti, cum praesertim, ut pariter accepimus, praedictae militiae Portugalliae, iuxta diversas Romanorum Pontificum concessiones, omnibus privilegiis militiis Castellae concessis et concedendis perfruantur, praedictas militias regnorum Portugalliae, videlicet Domini nostri Iesu Christi, Sancti Iacobi de Spatha et Sancti Benedicti de Avis, earumque magnos et alios priores, vicarios, capellanos, rectores, portionarios, beneficiatos et alios quoscumque clericos in dictis militiis professos, similibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et quemlibet eorum quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; necnon dictarum Iulii et Pii praedecessorum litterarum tenores, praesentibus pro expressis habentes, eiusdem Philippi regis supplicationibus inclinati, ex voto etiam venerabilium fratrum nostrorum Camilli sanctorum Ioannis et Pauli Burghesii, Laurentii Sancti Laurentii in Pane et Perna Blanchetti, et Pompeii Sanctae Balbinae titulorum presbyterorum Arrigonii nuncupatorum, Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, indultum Iulii secundi praedictis prioribus, vicariis, capellanis, rectoribus, portionariis et beneficiatis, ac clericis dictarum militiarum concessum, ut proprium habere, et de bonis suis mobilibus et immobilibus ac semoventibus, licite tamen acquisitis, libere testari et disponere valerent (cum eadem tamen conditione, quod de redditibus prioratuum, beneficiorum, praeceptoriarum, portionum seu praestimoniorum a dictis militiis emanantium, mediam annatam reddituum unius anni in favorem fabricarum conventuum, unde provenerunt, persolvant), adversus praedictam Pii V constitutionem similium

facultatum revocatoriam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, in pristinum et eum in quo, ante ipsam constitutionem, erat statum, restituimus, reponimuset plenarie reintegramus, ac confirmamus, approbamus et innovamus. Decernentes praedictos priores, vicarios, rectores, capellanos, portionarios, beneficiatos caeterosque clericos dictarum militiarum, et quemlibet eorum, indulto praedicto Iulii praedecessoris uti et gaudere, ac iuxta illius seriem et tenorem proprium habere, ac de bonis suis mobilibus et immobilibus ac semoventibus, licite tamen acquisitis (salva conditione praedicta solutionis mediae annatae fabricae conventus faciendae, ut praefertur) libere testari ac disponere posse, perinde ac si praedicta Pii V constitutio similium facultatum revocatoria minime emanasset, aut saltem eos non comprehenderet.

Clausulae pro perpetua huiusce constitutionis firmitate.

§ 6. Praesentesque litteras nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, aut alias rescindi, infringi, vel annullari ullatenus posse, sed semper validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac praedictis prioribus, vicariis, rectoribus, capellanis, portionariis, beneficiatis caeterisque clericis dictarum militiarum plenissime suffragari; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Quocirca venerabili fratri episcopo Colimbriensi et dilectis filiis decano, et thesaurario Ulixbonensibus per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum priorum, vicariorum, rectorum, capellanorum, portionariorum, beneficiatorum caeterorumque clericorum praedictarum militiarum fuerint requisiti, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra eos praedictorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere. Non permittentes dictos priores, vicarios, rectores, capellanos, portionarios, beneficiatos, caeterosque clericos praedictarum militiarum, et quemlibet eorum a quocumque desuper quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoscumque, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte, directe seu indirecte quomodolibet praestantes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Eiusdem executores designantur.

Contraria tolluntur.

§ 8. Non obstantibus praedicta Pii V ac recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictarum militiarum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem militiis, aut quibusvis superioribus et personis sub quibuscum-

que tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis et decretis, in genere vel in specie, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et ad verbum inserta mentio habenda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XIV octobris MDC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 14 octobris 1600, pontif. an. IX.

CCXXXVIII.

Quod causae tam civiles quam criminales intra limites civitatis, ducatus et legationis Ferrariensis motae et movendae in prima instantia coram suis iudicibus ordinariis, in alia vero quacumque instantia in civitate Ferrariensi coram iudicibus a Sancta Sede deputatis, iuxta eorum privilegia, a iudicibus urbis Romae evocari non possint, exceptis iis, in quibus Camera Apostol. actrix vel rea fuerit [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Dubia, quae ex constitutionibus nostris emergunt, nos decet opportuna declaratione removere.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Causa faciendae declarationis. § 1. Accepimus siquidem nonnullos litigantes civitatis et ducatus ac legationis nostrorum Ferrariensium dum vident se minus bonum ius fovere, ut collitigantes diutius fatigatos detineant, causas eorum a iudicibus in civitate Ferrariensi deputatis, coram quibus pendent, avocari, et ad tribunalia seu iudices almae Urbis nostrae deduci, ipsosque iudices Ferrariae inhibitionibus impediri, eorumque manus ligari indebite procurare, idque sub variis praetextibus facere posse, non obstantibus privilegiis per nos dictis civitati et ducatui Ferrariensibus, ac dilectis filiis communitati et hominibus eiusdem civitatis concessis, iactare; sicque privilegia praedicta in dubium revocare.

Declaratio, de qua in rubrica. § 2. Nos itaque omnem super praemissis dubitandi materiam praecidere, nostraque privilegia praedicta illaesa conservari, nec ab aliquibus perperam interpretari satagentes, eorumdemque privilegiorum tenores et datas praesentibus pro expressis habentes, harum serie declaramus, nostrae intentionis fuisse et esse ut causae omnes, tam civiles quam criminales et mixtae inter quascumque personas, non tamen ecclesiasticas, si reae fuerint, nec Camera nostra Apostolica, sive actrix sive rea fuerit (circa cuius causas huiusmodi privilegiis sibi per Romanos Pontifices et Apostolicam Sedem concessis non intendimus praeiudicare), intra limites civitatis, ducatus et legationis Ferrariensium motas et movendas, in prima instantia coram suis iudicibus ordinariis; in alia vero quacumque instantia in civitate Ferrariensi coram iudicibus a nobis destinatis, iuxta privilegiorum nostrorum seriem et tenorem, omnino cognosci, decidi et terminari, nec ab eis a quibuscumque almae Urbis iudicibus etiam causarum Curiae Camerae Apostolicae auditore, aut sacri palatii apostolici causarum auditoribus vigore quorumcum-

que privilegiorum et indultorum apostolicorum illis concessorum et pro tempore concedendorum, avocari ullatenus posse et debere, iudicesque civitatis Ferrariae inhibitionibus iudicum Urbis, etiam dictorum Curiae Camerae Apostolicae, ac palatii apostolici auditorum parere non teneri, neque censuris et poenis in ipsis inhibitionibus communitatis vel inflictis affici, vel aliquo modo adstringi, vel alias ne in causis coram ipsis pendentibus procedant impediri vel remorari posse.

Clausulae.

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam dictos auditores, necnon eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac privilegiis, indultis et litteris apostolicis auditoribus praedictis, et quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV octobris MDC, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 14 octobris 1600, pontif. an. IX.

CCXXXIX.

Donationes ab episcopis Sardiniae factae favore quarumcumque personarum et piorum locorum, non sequuta traditione et consignatione bonorum donatorum, nullae et irritae declarantur, tamquam factae in fraudem spoliorum ecclesiis cathedralibus concessorum[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Apostolicae Sedis requirit auctoritas ut quae non minus pie, quam prudenter ab eadem Sede in favorem ecclesiarum, praesertim cathedralium et metropolitanarum, emanarunt, eadem firma perpetuo et illibata persistant.

Episcoporum Sardiniae bona fructusque ecclesiarum vacantium ipsis ecclesiis Pius V asseruit.

§ 1. Sane charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit, quod licet alias felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, supplicationibus clarae memoriae Philippi secundi Hispaniarum regis catholici, eiusdem Philippi regis genitoris, tunc inclinatus, spolia archiepiscoporum et episcoporum in regno Sardiniae, extra illud, non tamen in Italia decedentium, ac fructus, reditus et proventus metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum eiusdem regni, illarum vacatione durante, ab archiepiscopis et episcopis, quos in ecclesiis huiusmodi vacantibus succedere contingeret, auctoritate apostolica perpetuo abdicaverit, illaque dictis ecclesiis pro illarum fabrica, structura, reparatione et conservatione, ac ornamentorum et paramentorum emptione et manutentione etiam perpetuo applicaverit, ac singulis singularum ecclesiarum praedictarum presbyteris et personis per eumdem Philippum regem, eiusque successores eligendis, ut spolia et fructus huiusmodi percipere, exigere

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

et recuperare, illaque in restaurationem et manutentionem, ac conservationem praedictas convertere deberent, concesserit et indulserit, et insuper, quia nonnulli iudices dicti regni in causis dictorum spoliorum se intromittere posse praetendebant; idem praedecessor cognitionem causarum spoliorum huiusmodi ad vicarios, Sede vacante, per capitula ecclesiarum earumdem deputatos, pro tempore spectare declaravit, prout in singulis litteris dicti praedecessoris desuper confectis plenius continetur.

Nonnulli tamen episcopi huiusmodi bona donabant suis consanguineis, *etc.*

§ 2. Nihilominus nonnulli ex dictis archiepiscopis et episcopis varias donationes inter vivos spoliorum et fructuum huiusmodi tam in favorem consanguineorum et affinium ac aliarum personarum, quam etiam piorum et religiosorum locorum retinendo dicta bona donata usque ad ultimum vitae spiritum; aliquando vero in infirmitate constituti, dum amplius vivere non sperant, similes donationes in fraudem dictarum ecclesiarum facere consueverunt, unde sequuto obitu donatorum, variae occasione donationum huiusmodi suscitantur lites, ita ut saepius contingat, omnia spolia, seu illorum maiorem partem in huiusmodi litibus consumi, et propterea ecclesiae praedictae commodo ac beneficio dictae applicationis penitus frustratae remaneant in grave ipsarum ecclesiarum praeiudicium et maximam iacturam.

Philippus rex Papae supplicat, ut ecclesiarum consulat indemnitati.

§ 3. Quare dictus Philippus rex, qui etiam regni Sardiniae rex existit, ut dictarum ecclesiarum, quae, ut asseritur, de iurepatronatus ipsius Philippi regis huiusmodi ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, esse dignoscuntur, indemnitati consulatur, nobis humiliter supplicari fecit, quatenus in praemissis de aliquo opportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur.

Clemens Pii constitutionem innovat,

§ 4. Nos singularum litterarum praedictarum, et in eis contentorum, ac inde sequutorum quorumcumque, aliorumque de necessitate exprimendorum tenores, etiam veriores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, litteras praedictas et in eis contenta, ac inde sequuta et sequenda quaecumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac ab omnibus, quos illae concernunt et concernere poterunt quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari volumus et mandamus.

Donationesque hucusque factas irritat, prout in rubrica.

§ 5. Decernentes omnes et quascumque donationes, etiam inter vivos, vel causa mortis, promissiones, obligationes, debitorum confessiones et alias quascumque dispositiones per dictos archiepiscopos et episcopos spoliorum, rerum, et pecuniarum, ac fructuum, redituum, proventuum, etiam sub praetextu ecclesiastici servitii, et etiam causa mercedis, aut in remunerationem servitiorum eis impensorum, seu ex quacumque alia, quantumvis pia et privilegiata causa, in favorem consanguineorum, affinium, familiarium et aliarum personarum, vel etiam piorum et religiosorum locorum, et seu collegiorum ac universitatum etiam quantumvis privilegiatorum, aut alias quomodolibet factas et pro tempore faciendas, ac etiam quascumque clausulas in se continentes, nullas, invalidas et simulatas, ac in fraudem dictae applicationis factas esse, nullius roboris vel momenti existere, nec aliquem effectum sortiri, nec ad illarum exequutionem deveniri posse nec debere, etiamsi tempore illarum tales archiepiscopi vel episcopi in infirmitate constituti fuerint, vel etiamsi ante infirmitatem huiusmodi, ex iusta et rationabili causa, et in casibus a iure

permissis facta sint, nisi ipsa bona donata actualiter et cum effectu eisdemmet donatariis, saltem infra octo dierum spatium, tradita fuerint, et realiter penes ipsos remanserint, vel illas ex quacumque causa etiam custodiae, depositi, mutui, aut precario vel alio quocumque titulo seu praetextu, etiam cum clausula constituti dicti donatores detinuerint, vel apud alias personas, seu collegia, etiam procuratorio nomine donatariorum dicta bona et res donata, tradita, commendata, seu sub deposito, vel alio titulo consignata, seu tradita, seu quomodolibet occultata fuerint; ita quod, propter praemissa aut alias, exequutio applicationis et litterarum huiusmodi nullatenus impediri possit, sed illarum iudices ad earumdem litterarum totalem exequutionem devenire atque procedere debeant et teneantur.

Clausulae.

§ 6. Sicque et non alias per eosdem, et quoscumque alios iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et dictae Sedis nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Inhibet quominus quisquam se in causis huiusmodi spoliorum immisceat praeter vicarios ecclesiarum.

§ 7. Districtius inhibentes in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae aliisque arbitrio nostro per contrafacientes eo ipso incurrendis poenis, quibuscumque iudicibus, etiam conservatoribus quarumcumque religionum et ordinum quantumvis exemptorum, ac quavis auctoritate et seu indulto suffultorum, ne in huiusmodi spoliorum et bonorum causis, etiam praetextu donationum, seu alio titulo vel causa se quoquo modo intromittant, nec vicarios praedictos, ad quos omnimoda iurisdictio dictorum spoliorum privative quoad ipsos et alios quoscumque iudices spectare debeat, quibus et eorum cuilibet, quatenus opus sit, facultatem inhibendi praedictis et aliis quibuscumque sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis (omni et quacumque appellatione remota) harum serie concedimus, molestare, perturbare, aut inquietare, seu applicationis huiusmodi et litterarum exequutionem impedire, vel retardare audeant seu praesumant.

Exequutores designat.

§ 8. Et nihilominus dilectis filiis abbati monasterii Sanctissimae Trinitatis de Sacargia, Turritanensis seu nullius dioecesis, Camaldulensis Ordinis, ac decano ecclesiae Calaritanensis et Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, praesentes litteras solemniter publicantes, faciant, auctoritate nostra, praemissa omnia et singula ab illis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter ac firmiter observari, contradictores quoscumque, et rebelles, et seu illarum totalem et omnimodam exequutionem quovis praetextu quomodolibet impedientes vel retardantes, aut impediri vel retardari per se vel alium procurantes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit.

§ 9. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et dictarum ecclesiarum etiam iuramento,

confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis praedictis archiepiscopis et episcopis, ac eisdem et quibusvis aliis ecclesiis, monasteriis, ordinibus et religionibus, ac locis piis, et personis cuiuscumque gradus, conditionis et dignitatis existentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, aut alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie, specialiter et expresse derogamus, et omnibus illis, quae praedictus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si praedictis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis danda fides.

§ 10. Volumus autem quod praesentium transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXV octobris MDC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 25 octobris 1600, pontif. an. IX.

CCXL.

Regio collegio oppidi Duacensis, Atrebatensis dioecesis, pensio D florenorum super fructibus abbatiae S. Vedasti, eiusdem Atrebatensis dioecesis, reservatur in perpetuum [1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Magna, quae in dies ex collegiis, in quibus scholares et aliae personae litterarum studiis operam dant, utilitas provenire dignoscitur, nos admonet et inducit, ut ea collegiis ipsis libenter concedamus, per quae eorum ac personarum in eis degentium et studentium commoditatibus valeat provideri.

Paulus IV nuncio Hispaniarum facultatem concedit pensionem aliquam collegio Duacensi applicandi.

§ 1. Alias siquidem felicis recordationis Paulus Papa IV, praedecessor noster, supplicationibus clarae memoriae Philippi secundi Hispaniarum regis catholici in ea parte inclinatus, nuncio Sedis Apostolicae in regnis Hispaniarum, seu inferiori Germania tunc commoranti, per suas litteras dedit in mandatis ut, de consilio dicti Philippi regis, a quibusvis monasteriis ditioribus et opulentioribus oppidi Duacensis, Atrebatensis dioecesis, vicinis, eam fructuum partem, quae sibi videretur, apostolica auctoritate, perpetuo dismembraret et separaret, dictamque partem fructuum sic dismembratam et separatam pro dote et stipendio cathedraticorum, sive doctorum, et personarum in universitate studii generalis, ac colle-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

gio regio dicti oppidi legentium, ac aliis ipsius universitatis usibus perpetuo applicaret et appropriaret, prout in dictis litteris plenius continetur.

Re infecta Philippus II petit pensionem florenorum eidem collegio reservari super fructibus monasterii S. Vedasti.

§ 2. Et sicut exhibita nobis nuper dilecti filii rectoris seu praeceptoris collegii regii nuncupati eiusdem oppidi petitio continebat, idem Philippus rex attendens mandatum huiusmodi propter tumultus belgicos, et ex aliis causis ad effectum et exequutionem saltem in totum eatenus productum non fuisse, ac monasterium sancti Vedasti Atrebatensis, Ordinis sancti Benedicti, tunc certo modo vacare, ipsiusque monasterii fructus, reditus et proventus satis pingues et uberes, ac aliquarum pensionum capaces esse; ideo ut praedicto collegio de aliqua dote provideretur, ei in futurum pensionem quingentarum librarum seu florenorum super eisdem fructibus, reditibus et proventibus per Sedem praedictam commode reservari posse, ac pro illius reservatione apud nos intercedendum esse censuit.

Consentiente abbate, Clemens dictam pensionem reservat,

§ 3. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ante obtentam a nobis pensionis huiusmodi reservationem, dictus Philippus rex viam universae carnis ingressus fuerit, et dilectus filius Philippus de Caverel abbas dicti monasterii, de cuius persona dicto monasterio sic vacanti, ad praesentationem praedicti Philippi regis, vigore indulti apostolici sibi desuper concessi, fuerat apostolica auctoritate provisum, ipseque Philippus Caverel dicto monasterio in abbatem praefectus fuit, pro complemento praemissorum, et alias ex certis causis animum suum moventibus, reservationi infrascriptae pensionis pro eodem collegio in manibus nostris consentire decreverit, nos eidem collegio, ac illius rectori seu praeceptori et collegialibus, ut munia obire et onera sibi incumbentia facilius perferre valeant, de alicuius subventionis auxilio providere, eisque specialem gratiam facere volentes, ipsosque rectorem seu praeceptorem, ac collegiales a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac dictarum litterarum, et inde sequutorum quorumcumque tenores etiam veriores, ac datas praesentibus pro expressis habentes, eidem collegio pensionem annuam ab omni decima, quarta, media et quavis alia fructuum parte, necnon subsidio etiam charitativo, et quocumque alio tam ordinario quam extraordinario onere quomodolibet nuncupato, quavis etiam apostolica vel ordinaria auctoritate, et ex quacumque etiam urgentissima, et necessaria, ac de necessitate exprimenda causa, etiam pro reparatione et fabrica basilicae Principis Apostolorum de Urbe, Cruciata Sancta, et expeditione contra Turcas et alios fidei orthodoxae hostes, ac sustentatione classis triremium, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantiam, intuitum et contemplationem, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac alias quomodolibet, canonice vel de facto, ac pro eorum et dictae Sedis necessitatibus nunc et pro tempore quomodolibet impositis et imponendis (etiamsi in impositionibus huiusmodi caveatur expresse, quod pensionarii quicumque etiam pensiones suas quantumvis exemptas habentes praemissis omnibus pro rata earumdem pensionum contribuere teneantur); nec non belli, pestis, incendii, grandinis, tempestatis, famis, sterilitatis, siccitatis, pruinae, alluvionis aquarum, inundationis,

Liberam ab omni et quacumque decima et alia impositione.

depraedationis, et cuiusvis alterius amissionis fructuum, et eorum quovis modo non recollectionis, incursus militum, depopulationis agrorum, devastationis et quibusvis aliis quantumvis sinistris et inexcogitabilibus, ac evenire insolitis casibus pro tempore contingentibus, ac alias in omnibus et per omnia liberam, immunem et exemptam quingentarum librarum seu florenorum monetae Atrebatensis seu Artesiensis super dicti monasterii fructibus, reditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, qui ad quatuor mille florenos auri in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur, et secundum communem existimationem ad valorem annuum decem millium ducatorum auri de Camera, ut asseritur, ascendunt, et super quibus nos hodie aliam bis mille dictae universitati, ac reliquas pensiones annuas etiam perpetuas aliorum quingentorum florenorum seu librarum similium summam noningentorum ducatorum huiusmodi, vel circa insimul cum primodicta pensione, ut etiam asseritur, constituentes seminario Bonorum Pastorum dicti oppidi per alias nostras litteras reservavimus, prout in dictis litteris plenius continetur, collegio, ac nunc et pro tempore existentibus rectori et collegialibus praedictis, vel eorum procuratori ad id ab eo speciale mandatum habenti per dictum Philippum abbatem, cuius ad hoc expressus accedit assensus, et successores suos dictum monasterium in titulum vel commendam, aut alias pro tempore obtinentes, annis singulis pro una videlicet in Domini nostri Iesu Christi, et altera medietatibus pensionis per praesentes reservatae huiusmodi in Beati Ioannis Baptistae nativitatum festivitatibus in dicto oppido Duacensi praesentium vigore, nec alia alioquin pensio per praesentes reservata huiusmodi nulla sit, eo ipso integre persolvendam, apostolica auctoritate, earumdem tenore praesentium, perpetuo reservamus, constituimus et assignamus.

Valor pensionis et tempus eam praefinitur solvendi.

§ 4. Decernentes pensionem per praesentes reservatam huiusmodi nullo unquam tempore ex quavis causa quantumvis urgenti, legitima et iuridica, etiam ad successorum praedictorum instantiam, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ad minorem summam reduci, annullari, vel invalidari, minusque illius reservationem, ac easdem praesentes de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel retractari posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces fore, et collegio, rectori seu praeceptori et collegialibus praedictis etiam perpetuo suffragari, perinde ac si pensio per praesentes reservata praedicta, consistorialiter reservata fuisset. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Necnon Philippum abbatem et successores praedictos ad integram solutionem pensionis per praesentes reservatae huiusmodi, collegio et rectori seu praeceptori, ac collegialibus praedictis faciendam iuxta reservationis, constitutionis et assignationis posteriorum perpetuis futuris temporibus fore efficaciter obligatos.

Clausulae.

Poenae contra abbates eamdem pensionem non solventes.

§ 5. Ac volentes et eadem auctoritate statuentes, quod ille ex Philippo abbate et successoribus praedictis, qui in dictis festivitatibus, vel saltem infra triginta dies illarum singulas immediate sequentes, pensionem per praesentes reservatam praedictam, per eum tunc debitam non

persolverit cum effectu, lapsis diebus eisdem, sententiam excommunicationis incurrat, a qua (donec rectori, seu praeceptori et collegialibus, vel procuratori praedictis de pensione per praesentes reservata huiusmodi tunc debita integre satisfactum, aut alias cum rectore seu praeceptore, et collegialibus, vel procuratore praedictis super hoc amicabiliter concordatum fuerit), praeterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinere. Si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes, sententiam ipsam animo, quod absit, sustinuerit indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem, a regimine et administratione dicti monasterii perpetuo privatus existat, illudque vacare censeatur eo ipso.

Exequutores huiusce constitutionis deputati.

§ 6. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Cameracensi, et Atrebatensi ac Namurcensi episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate nostra pensionem per praesentes reservatam praedictam, rectori seu praeceptori, et collegialibus, vel procuratori praedictis, iuxta reservationis, constitutionis, assignationis et decreti praedictorum continentiam et tenorem, integre persolvi. Et nihilominus quemlibet ex Philippo abbate et successoribus praedictis, quem huiusmodi excommunicationis sententiam incurrisse eis constiterit, quoties super hoc pro parte rectoris seu praeceptoris huiusmodi fuerint requisiti, tamdiu dominicis et aliis festivis diebus in ecclesiis, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, excommunicatum publice nuncient, et faciant ab illis nunciari, ac ab omnibus arctius evitari, donec rectori seu praeceptori et collegialibus, vel procuratori praedictis de pensione per praesentes reservata praedicta eis tunc debita, fuerit integre satisfactum, ipseque excommunicatus ab huiusmodi excommunicationis sententia, absolutionis beneficium meruerit obtinere. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Contrariorum derogatio.

§ 7. Non obstantibus praemissis, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati pensiones annuas super monasteriorum, aut eorum mensarum abbatialium fructibus, reditibus et proventibus (nisi ex cessionis aut alia probabili causa) reservari prohibentis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasterii et Ordinis praedictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis specialis mentio habenda esset, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si Philippo abbati et successoribus praedictis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad praestationem, vel solutionem pensionis alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem; et qualibet alia dictae Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri; et de qua

cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo, *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo, nonis novembris, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 novembris 1600, pontif. an. IX.

CCXLI.

Similis reservatio pensionis bismille florenorum favore universitatis studii generalis Duacensis, Atrebatensis dioecesis, super fructibus eiusdem monasterii sancti Vedasti [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. Magna, quae in dies, *etc. (ut in praecedenti)* providere.

Pauli IV commissio prout in superiori. § 1. Alias siquidem felicis recordationis Paulus Papa IV, praedecessor noster (*prout supra, etc.*).

Petitio Philippi II, prout in praecedenti constitutione. § 2. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum administratorum dictae universitatis petitio continebat, idem Philippus rex attendens mandatum huiusmodi, propter tumultus Belgicos et ex aliis causis, ad effectum et exequutionem saltem in totum hactenus productum non fuisse, ac monasterium Sancti Vedasti Atrebatensis, Ordinis Sancti Benedicti, tunc certo modo vacare, ipsiusque monasterii fructus, reditus et proventus satis pingues et uberes, ac aliquarum pensionum annuarum capaces esse, ideo ut praedictae universitati de competenti et debita dote provideretur, infrascriptam pensionem bismille librarum seu florenorum super eisdem fructibus, reditibus et proventibus per Sedem praedictam commode reservari posse, ac pro illius reservatione apud nos intercedendum esse censuit.

Clemens reservat pensionem bis mille florenorum. § 3. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ante obtentam a nobis pensionis huiusmodi reservationem, dictus Philippus rex viam universae carnis ingressus fuerit, et dilectus filius Philippus de Caverel, abbas dicti monasterii (de cuius persona praedicto monasterio sic vacanti ad praesentationem praedicti Philippi regis vigore indulti apostolici sibi desuper concessi factam auctoritate praedicta provisum), ipseque Philippus Caverel dicto monasterio in abbatem praefectus fuit pro complemento praemissorum, et alias ex certis causis animum suum moventibus, reservationi infrascriptae pensionis pro eadem universitate in manibus nostris consentire decreverit. Nos eidem universitati et cathedraticis, sive doctoribus praedictis, ut munia obire, et onera sibi exinde incumbentia facilius perferre valeant, de alicuius subventionis auxilio providere, eisque specialem gratiam facere volentes, ipsosque cathedraticos seu doctores, ac administratores a quibusvis excommunicationis, *etc.*, absolutos fore censentes; ac dictarum litterarum, et inde sequutorum quorumcumque tenores etiam veriores, ac datas praesentibus pro expressis habentes, eidem universitati pensionem annuam ab omni decima, quarta, media et quavis alia fructuum parte, necnon etiam subsidio charitativo, et quocumque alio tam ordinario quam extraordinario onere quomodolibet nuncupato, quavis etiam ordinaria vel apostolica auctoritate, et ex quacumque etiam urgentissima et necessaria, ac de necessitate exprimenda causa, etiam pro praeparatione et fabrica basilicae Principis Apostolorum de Urbe, Cruciata sancta, et expeditione contra Turcas et alios fidei orthodoxae hostes, ac substentatione classis triremium, etiam ad imperatoris,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

regum, reginarum, ducum et aliorum principum instantiam, intuitum et contemplationem, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac alias quomodolibet canonice vel de facto, ac pro eorum et dictae Sedis necessitatibus nunc et pro tempore quomodolibet impositis et imponendis (etiamsi in impositionibus huiusmodi caveatur expresse, quod pensionarii quicumque, etiam pensiones suas quantumvis exemptas habentes praemissis omnibus pro rata earumdem pensionum contribuere teneantur), necnon belli, pestis, incendii, grandinis, tempestatis, famis, sterilitatis, siccitatis, pruinae, alluvionis aquarum, inundationis, depraedationis, et cuiusvis alterius amissionis fructuum, et eorum quovis modo non recollectionis, incursus militum, depopulationis agrorum, devastationis, et quibusvis aliis quantumvis sinistris et inexcogitabilibus, ac evenire insolitis casibus pro tempore contingentibus, et alias in omnibus et per omnia liberam, immunem et exemptam bismille librarum seu florenorum monetae Atrebatensis seu Arthesiensis super dicti monasterii fructibus, reditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, qui ad quatuor mille florenos auri in libris Camerae Apostolicae taxati reperiuntur, et secundum communem extimationem ad valorem annuum decem millium ducatorum auri de Camera, ut asseritur, ascendunt, et super quibus nos hodie aliam quingentorum collegio regio nuncupato, et reliquam pensionem annuas etiam aliorum quingentorum florenorum, seu librarum similium summam noningentorum ducatorum huiusmodi, vel circa insimul, ut etiam asseritur, constituentium seminario Bonorum Pastorum dicti oppidi per alias nostras litteras reservavimus, prout in dictis litteris plenius continetur, eisdem universitati, ac nunc et pro tempore existentibus illius administratoribus vel eorum procuratoribus ad hoc ab eis speciale mandatum habentibus per dictum Philippum abbatem, cuius ad hoc expressus accedit assensus, et successores suos dictum monasterium in titulum vel commendam, aut alias pro tempore quomodolibet obtinentes, annis singulis pro una videlicet in Domini nostri Iesu Christi, et altera medietatibus pensionis huiusmodi, in beati Ioannis Baptistae nativitatum festivitatibus, in dicto oppido Duacensi, praesentium vigore, nec alias (alioquin pensio per praesentes reservata huiusmodi nulla sit eo ipso) integre persolvendi, apostolica auctoritate, earumdem tenore praesentium, reservamus, constituimus et assignamus.

§ 4. Decernentes, pensionem per praesentes reservatam, *etc.* [1]. Clausulae.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo, nonis novembris, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 5 novembris, 1600, pont. an. IX.

CCXLII.

Praescribitur forma observanda in assecurationibus faciendis reis Beneventum confugientibus [2].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam,

Officii nostri partes sunt inter caetera curare, ut in Statu nostro Ecclesiastico quiete et pacifice vivatur, omnisque mali exempli occasio removeatur. Exordium.

1 Reliqua omnia omittenda putavimus, quia de verbo ad verbum concordant cum praecedenti constitutione.

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Causae praescribendae formae, de qua in rubrica.

§ 1. Cum, sicuti nuper nobis exponi fecerunt dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Beneventanae per dilectum filium Octavianum de Vipera U. I. D., eorum apud nos nostramque Sedem Apostolicam agentem, quod ad civitatem eamdem, quae undique provinciis regni Siciliae citra Pharum circumdata existit, tamquam ad asylum plures regnicolae delinquentes se recipere consueverunt, in maximum damnum et pessimum exemplum eorumdem civium.

Quibus reis assecuratio non sit concedenda.

§ 2. Quare nos subditorum nostrorum quieti consulere volentes, et ne exteris ob crimen ab eorum patria exulibus in eamdem civitatem et comitatum confugientibus per eorum assecurationem magis delinquendi occasio praebeatur, et ne etiam in totum facultas gubernatoribus civitatis eiusdem pro tempore existentibus ab immemorabili tempore citra concessa, assecurationes huiusmodi faciendi tollatur, aliquam rationabilem formam desuper praescribere volentes, constitutionibus felicis recordationis Pauli Papae tertii, Pii V et Sixti etiam V, praedecessorum nostrorum, inhaerentes, illasque quatenus opus sit innovantes, motu proprio, et ex certa nostra scientia et matura deliberatione, harum serie, praecipimus et volumus quod numquam de caetero perpetuis futuris temporibus in civitate praedicta eiusve territorio, et comitatu, laesae maiestatis et assassinii criminis rei, necnon monetarii, incendiarii, raptores, latrones, viarum grassatores, pacisque violatores, qui vel homicidia dolose, vel appensate, seu etiam similia pariave, seu maiora crimina commiserunt, et imposterum committent, eorumque omnium praedictorum complices, sequaces et fautores aliquo modo recipiantur, aut securi et tuti fiant, quinimmo si illuc pervenerint, capiantur et carceri mancipentur, donec per nos et successores nostros Romanos Pontifices, seu per illum cardinalem, qui super Status Ecclesiastici negociis consultationi praeerit, ordinatum fuerit, quid de ipsis facinorosis carceratis agendum sit.

Cautiones ponendae in permissis assecurationibus.

§ 3. Eos vero, qui non praedictorum, sed aliorum minorum criminum rei aut inquisiti fuerint, ad permanendum in eadem civitate, comitatu et territorio per illius gubernatorem nunc et pro tempore existentem, sub infrascriptis conditionibus assecurari tantum permittimus et indulgemus; hoc est, praestita per ipsos idonea cautione, attenta delicti et personarum qualitate, circa quantitatem tamen cautionis praestandae arbitrio gubernatoris, de bene, quiete et pacifice vivendo toto tempore, quo in eadem civitate, comitatu et territorio erunt permansuri, et ab eadem, eiusve territorio et comitatu non discedendo; quodque in supplicationibus per eos porrigendis pro affida, seu assecuratione huiusmodi obtinenda proprie, individue et explicite qualitatem delicti, pro quo assecurari desiderant, cum illius circumstantiis exprimere teneantur. Decernentes nullam generalem clausulam illis profuturam, et affidam atque assecurationem omnem contra, vel praeter formam huius nostrae constitutionis nullius esse roboris vel momenti, eisque in nihilo suffragari, ac in decretis per gubernatorem civitatis eiusdem desuper interponendis proprie, explicite et individue delicta cum eorum qualitatibus (pro quibus ipsos ad permanendum in eadem civitate, territorio et comitatu assecurari contingat) exprimi debere. Qua affida et assecuratione per eumdem gubernatorem, ut praedicitur, facta, debeat ipse de ea, infra quindecim dierum spatium, illi cardinali, qui nostrae et successorum nostrorum Romanorum Pontificum super Status nostri Ecclesiastici negociis consultationi seu consultae

praeerit, ipsarum precum et decreti desuper interpositi exemplum transmittere; affidatus vero seu assecuratus etiam infra duos menses affidae seu assecurationis huiusmodi confirmationem a praefata consulta petere et obtinere teneatur, quibus elapsis, et confirmatione, ut praedicitur, non obtenta, et per ipsum penes actu gubernatoris non exhibito, ut per illius notarium registretur; si ultra viginti quatuor horarum spatium in eadem civitate eiusve territorio et comitatu moram traxerint, affida seu assecuratione, quam a gubernatore obtinuerint, non obstante, tam per curiam praefati gubernatoris, quam per alium quemcumque ordinariam iurisdictionem in eadem civitate habentem, capi et carcerari, ac de criminibus etiam in regno patratis inquiri et puniri possit.

Magistro actorum gubernatoris mandatur ut concessas affidas registret.

§ 4. Mandamus etiam actorum magistro gubernatoris civitatis eiusdem pro tempore existenti, sub poena amissionis officii et inhabilitatis ad illud et similia imposterum obtinenda, et aliis poenis etiam pecuniariis arbitrio gubernatoris imponendis, ipso facto incurrendis, ut tam affidae seu assecurationes per gubernatores ipsos una cum illarum supplicationibus, quam etiam confirmationes per praedictam consultam, ut praedicitur, obtentas infra biduum a die, quo illae ipsi exhibitae fuerint, in libris ad id destinatis registrare, illasque videre volentibus, gratis et nulla penitus mercede recepta, etiam a sponte dantibus vel offerentibus, exhibere debeant et teneantur.

Assecurationes datae redduntur frustraneae per subsequens delictum in comitatu Beneventano patratum.

§ 6. Quodque in civitate eadem, eiusque territorio et comitatu, nemo cuiusvis status, gradus, dignitatis et conditionis existat, qui inimicitiam aliquam cum aliquo cive, vel incola, seu districtuali civitatis praedictae haberet, eiusve consanguineos, seu affines usque ad quartum gradum de iure canonico inclusive computandum offendisset interficiendo, vulnerando, aut percutiendo, ad permanendum in civitate eadem, eiusve territorio et comitatu affidari, seu assecurari nullo modo valeat. Quinimmo si ipsi, vel ipsorum aliquis, qui ad inibi permanendum fuerint affidati seu assecurati, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices, seu eorum Consultam, aliquam inimicitiam contraxerint cum civibus, vel incolis, seu districtuali civitatis eiusdem, illorum aliquem percutiendo, vulnerando, aut si mulierem pudicam attentaverint, vel iniuriam aliquam, etiam verbalem, atrocem tamen, attenta personarum qualitate, contra quemlibet ipsorum protulerint, aut in ipsis participes, seu auxiliatores fuerint, non tantum ad solutionem cautionis per ipsos praestitae de bene, quiete et pacifice vivendo teneri, sed etiam ipso facto disfidati censeantur, et amplius ad permanendum in eadem civitate affidari seu assecurari non possint, et quod tam pro huiusmodi delictis per ipsos tam in civitate Beneventana, eiusve territorio et comitatu, quam alibi commissis, etiamsi de eis affidati seu assecurati fuerint, inquiri et puniri possint per illius civitatis gubernatorem.

Poenae contra gubernatorem si praedicta non observaverit.

§ 7. Quod si gubernator ipse pro tempore existens praemissa omnia, iuxta eorum formam, seriem, et tenorem non observaverit, seu ab illis, ad quos spectat, observari non curaverit, privationis officii, et inhabilitatis ad illud et similia imposterum obtinenda, ac etiam aliis poenis arbitrio nostro et successorum nostrorum Summorum Pontificum pro tempore existentium ipso facto incurrat.

Clausulae.

§ 8. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, ac irritum et inane decernimus quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 9. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon statutis et consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIII novembris MDC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 13 novembris 1600, pontif. an. IX.

CCXLIII.

Institutio Congregationis Italicae fratrum Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, separatae a Congregatione Hispaniae, cum facultate novitios extra capitulum ad habitum recipiendi [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

In apostolicae dignitatis culmine, meritis licet imparibus, divina disponente clementia, constituti, ad ea nostrae mentis aciem libenter dirigimus, per quae sacrarum religionum in Ecclesia Dei pie sancteque institutarum (quarum professores vitae sanctitate et exemplo, ac sacrarum litterarum doctrina, fideli populo ad salutem prodesse student) propagationi et incremento, quantum cum Domino possumus, intendamus.

Exordium.

§ 1. Alias siquidem cum in Italia praeter monasterium seu collegium S. Annae civitatis Ianuensis nullum aliud extaret virorum monasterium, neque conventus, aut domus Ordinis fratrum Carmelitarum Discalceatorum nuncupatorum, nos cupientes Ordinem praedictum (cuius professores primitivae regulae a bonae memoriae Alberto patriarcha Hierosolymitano ipsi Ordini praescriptae, et a felicis recordationis Innocentio PP. IV, praedecessore nostro, prima septembris anni MCCXLVIII, pontificatus sui anno V, confirmatae, normam tum in regnis Hispaniarum, tum in Italia diligenter observant, et in utrumque instituti sui finem, priorem scilicet ac potiorem, qui est divina unio per orationem et contemplationem, et posteriorem, qui est salus proximorum, verbo, ac opere sanctorum prophetarum Eliae et Elisaei, aliorumque Sanctorum Patrum, quorum haeredes sunt, vestigiis insistentes incumbunt) in alma Urbe nostra propagari, unam eiusdem Ordinis domum apud ecclesiam B. Mariae de Scala nuncupatam, in regione Transtyberim de eadem Urbe, apostolica auctoritate, perpetuo ereximus, prout in nostris desuper in forma brevis expeditis litteris plenius continetur.

Laudat institutum Discalceatorum, et pro eius propagatione conventum in Urbe concedit.

§ 2. Porro, cum, praeter fide dignissimorum testimonia quae de huius Ordinis sanctitate ad nos perlata sunt, nos ipsi experientia cognoverimus, quantum utilitatis in ecclesia Dei piis eorum exercitiis, tum orationibus, mortificationibus, asperitate vitae, tum praedicationibus, confessionibus, et sacramentorum administratione, ad Dei laudem et christifidelium animarum salutem quotidie afferat: volentes ulteriori eiusdem Ordinis propagationi, quantum cum Domino possumus, opportune prospicere, motu proprio, et ex certa scientia, ac mera deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tam ex praedicta in Urbe per nos erecta, et alia supradictae Sanctae Annae Ianuensis et quibuscumque aliis domibus, seu conventibus in Italia forsan hactenus erectis (quas, et quos iam a Congregatione eiusdem Ordinis Hispaniarum per dictas nostras litteras separavimus), quam ex aliis qui-

Pro illius ergo in Italia propagatione erigit congregationem italicam ab omni alia separatam.

1 De hac separatione habes in const. LXXX: *Pastoralis*, tom. X, pag. 92.

buscumque domibus, et conventibus posthac in Italia et aliis quibusvis, praeter Hispaniam, locis, ac regnis erigendis, unam Congregationem fratrum Carmelitarum Discalceatorum a praefata Congregatione seu Ordine Hispaniarum, et quibuscumque aliis eiusdem Ordinis Congregationibus, seu provinciis, illarumque superioribus et fratribus prorsus distinctam et separatam, nobisque et Apostolicae Sedi immediate subiectam, ab uno praeposito cum definitorum interventu, iuxta regularia eiusdem Ordinis statuta, regendam et gubernandam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo erigimus et instituimus.

Ei omnia privilegia concedit, quae congregationi Hispan. concessa sunt vel erunt.

§ 3. Ipsique Congregationi sic erectae eiusque nunc et pro tempore existentibus domibus seu conventibus, ac superioribus et fratribus, ut quibuscumque privilegiis, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, praerogativis, favoribus, indulgentiis et aliis gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus supradictae Hispaniarum Congregationi per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos, et Sedem Apostolicam quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis, aut alias quomodocumque concessis, confirmatis et innovatis, ac imposterum concedendis, uti, frui et gaudere possit, sine aliqua prorsus differentia, perinde ac si eidem Congregationi Italiae, eiusque domibus, conventibus, superioribus et personis nominatim et aeque principaliter concessae fuissent.

Monasteria extra Hispaniam erigendi dat facultatem.

§ 4. Utque novas domos et conventus, in quibuscumque civitatibus, terris et locis, tam Italiae quam aliarum extra Hispaniam provinciarum, ac regnorum, recipere et erigere valeat; dummodo tamen in quacumque illarum duodecim religiosorum numerus ad minus commode ali et commorari possit.

Bona etiam stabilia donata, vel legata recipiendi.

§ 5. Necnon etiam ut quaecumque bona stabilia et mobilia ipsis domibus ex quibuscumque piorum christifidelium eleemosynis, largitionibus, donationibus, successionibus, legatis et aliis dispositionibus, acquirere et recipere, ac in eorumdem conventuum et domorum usus et utilitatem convertere possit.

Novitios ad habitum recipiendi extra capitula, praevia informatione hic descripta.

§ 6. Et praeterea, quia in eadem Congregatione capitula generalia vel provincialia, iuxta constitutiones, quotannis non celebrantur, ut in quibuscumque domibus et conventibus eiusdem novae Congregationis a superiore deputandis, novitii ad habitum per fratres eiusdem Ordinis gestari solitum, de licentia commissarii, seu praepositi generalis eiusdem Congregationis (servata tamen in reliquis forma sacrorum canonum constitutionumque apostolicarum, ac decretorum nostrorum „ ipsiusque Ordinis regularium statutorum) dummodo informationes pro novitiis admittendis receptae per vota secreta, per capitula conventus, in quo huiusmodi novitii recipiendi erunt, approbentur. Ipsasque informationes, nisi iam alias habeantur, superior Congregationis vel conventus aliquibus fratribus prudentia et zelo religionis praestantibus, recipiendas committat, qui commissarii illas recipiant de qualitatibus eorum, qui recipiendi erunt, ex praescripto constitutionum apostolicarum, et si extra locum conventus huiusmodi informationes recipiendae fuerint, idem superior illas modo praemisso recipiendas aliquibus personis fide dignis committat) recipi possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis, concedimus ac licentiam et facultatem opportunas impertimur.

Apostatas vel expulsos a Congreg. Hisp. recipi vetat.

§ 7. Et pro maiori huius instituti conservatione, in ipsa Congregatione aliquem etiam Discalceatorum Hispaniae, aut ab alia quacumque religione apostatam, fugitivum vel expulsum recipi posse pro-

hibemus. Quod si secus scienter vel ignoranter fieri contigerit, receptio et admissio huiusmodi nullius sit roboris vel momenti, et ipse receptus statim eiici debeat.

Monialium curam praeterquam monasterii Ianuen. prohibet.

§ 8. Nullum praeterea huius Congregationis religiosum curam aut gubernationem monialium, etiamsi huiusmodi habitus et regulae existant, praeterquam monasterii de Iesu Maria Ianuensis, suscipere vel habere permittimus.

Congregationis regimini Petrum de Matre Dei praeficit;

§ 9. Ipsius autem Congregationis Italiae regimini et prosperae gubernationi prospicere cupientes, dilectum filium Petrum de Matre Dei, priorem praedicti conventus S. Mariae de Scala de Urbe, eiusdem Congregationis commissarium generalem, hac vice, auctoritate et tenore praedictis, facimus et deputamus, eidemque Congregationem Italiae praedictam, eiusque domos et conventus quoscumque erectos et erigendos, regendi et gubernandi, ac omnia et singula alia quae, iuxta constitutiones praepositus ac definitores in eadem Congregatione facere et exercere possent, faciendi et exercendi, ac ubi censuerit, superiores eligi faciendi per vota secreta capituli conventus, facultatem et auctoritatem tribuimus.

Qui, erectis aliis duobus conventibus, capitulum convocet pro electione praepositi.

§ 10. At, ubi alii duo conventus iam conditi ac decenter stabiliti erunt, ad quos condendos specialem licentiam concedimus, omnes superiores cum eorum sociis et discretis canonice electis per eumdem Petrum ad capitulum convocari, et iuxta constitutiones ad electionem praepositi, et definitorum Congregationis, et ad reliqua, quae ad Congregationis bonum expedire crediderint, procedi debere, praepositumque rite iuxta constitutiones electum eo ipso confirmatum esse, et auctoritatem commissarii expirare, totamque in praepositum, iuxta tamen constitutiones, refundi statuimus et ordinamus.

Eoque interim decedente antiquior prior succedat.

§ 11. Sed, si ante expletam huiusmodi commissionem, praedictus Petrus e vita discesserit, eius vices priori antiquiori earumdem domorum gerendas committimus et demandamus.

Facultas erigendi confraternitates.

§ 12. Et ut huius sacrae vineae fructus pluribus prosint, societatem seu confraternitatem B. Mariae de Monte Carmelo instituendi, eique exercitia iuxta constitutiones praescribendi, personasque in eamdem confraternitatem admittendi congregationis commissario aut praeposito facultatem impertimur.

Clausulae praeservativae.

§ 13. Decernentes praesentes litteras nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quovis defectu, etiam ex eo quod quicumque interesse habentes vocati non fuerint, notari, argui, impugnari, aut ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari posse. Sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 14. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii PP. VIII, etiam praedecessoris nostri, qua cavetur expresse, ne qui fratrum Mendicantium professores loca ad inhabitandum recipere, seu recepta mutare audeant aut praesumant, absque dictae Sedis licentia speciali, de prohibitione huiusmodi expressam mentionem faciente, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis praedicti, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 15. Volumus autem, ut harum litte-

Fides transumptorum.

rarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die decimatertia novembris MDC, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 23 novembris 1600, pontif. an. IX.

CCXLIV.

Privilegia pro agricultoribus agri Romani; et prohibitio ne barones bannimenta circa agriculturam promulgent, vel subditos impediant quominus extra eorum statum alienos agros conducant, colant, etc.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Causae huius constitutionis.

Inter multiplices pastoralis muneris nostri curas et sollicitudines, ea nobis praecipue cordi est, ut alma Urbs nostra, ad quam quotidie tamquam ad Principis Apostolorum Sedem, et communem omnium fidelium patriam ac parentem, nationes omnes confluunt, et quam nos omnibus commodis et ornamentis augere studemus, non solum rei frumentariae inopia nequaquam vexetur, sed uberiore potius copia (quandoquidem agri illius ubertas id praestare potest) iugiter perfruatur. Verum considerantes annonae difficultates, quas ab aliquibus annis citra perpessa est, et nunc etiam patitur, et quibus nos maximo, etiam nostro et Camerae Apostolicae, dispendio occurrere non recusavimus, non tantum ex annorum sterilitate, et superioribus causis, quantum ex hominum culpa et negligentia provenisse, eo magis angimur et afflictamur. Cum, sicut accepimus, uberrimum et pernecessarium agriculturae exercitium in Urbis territorio et districtu, locisque finitimis paulatim negligi, seu potius deseri coeptum sit, ita ut ubi prius, vigente agricultura, non modo ipsi Urbi necessarium frumentum suppetebat, verum etiam ad externas nationes ingenti privatorum lucro, et non modico Camerae nostrae emolumento transmittebatur, nunc vero, cultivatione cessante, externum frumentum magno pretio et difficultate ab aliis conquirere, illudque etiam per mare vehendum expectare, et nonnunquam Urbis famem, ventorum arbitrio, non minori dedecore, quam periculo, metiri necesse est.

Sixti IV, Iulii II, Clementis VII et Pii V constitutionum innovatio, cum limitatione quod domini casalium illa locare non cogantur.

§ 1. Cui quidem malo, quantum in nobis est, occurrere, et nobilem ac fructuosam agriculturae artem in agro Romano restituere ac renovare cupientes, et ut omnes tenutarum et casalium domini, necnon quicumque agricultores et coloni spe lucri ad colendum et serendum alliciantur, praedecessorum nostrorum Sixti IV, Iulii II, Clementis VII, Pii V et aliorum Summorum Pontificum vestigiis inhaerentes, motu proprio, *etc.*, ex certa nostra scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine, dictorum praedecessorum nostrorum litteras, in favorem rei frumentariae et artis agriculturae editas (quorum tenores hic pro expressis, et de verbo ad verbum insertis, et registratis haberi volumus in his quae praesentibus nostris non adversantur, et quae usu recepta fuerunt, ita ut domini casalium et tenutarum cogi non possint ad illa vel illas, in totum seu in partem, ad quotam, seu alias locare, prout in dictis eorumdem praedecessorum litteris continetur, sed liberum sit ipsis dominis de illis ad libitum disponere) confirmantes et innovantes.

§ 2. Statuimus et ordinamus, quod omnes tam cives, quam forenses agricultores, mercatores et coloni, qui tam in propriis, quam alienis et conductis terris, tenutis, possessionibus et casalibus in territorio et districtu Urbis, necnon Latii, Campaniae et Maritimae provinciis existentibus agriculturam et sementem fecerint, singulis annis, quibus precium et valor frumenti communiter in Urbe per ipsos agricultores et mercatores vendendi a tempore messis et recollectionis, usque ad kalendas martii cuiuslibet anni summam iuliorum sexaginta in singula rubra non excesserint, possint et valeant quartam partem totius frumenti per eos eodem anno recollecti, deducto tamen semine, ad quaevis loca, praeter infidelium, et S. R. E. hostium, terra marique libere extrahere et asportare, seu extrahi et asportari facere; et hoc etiam intelligi volumus de frumento, quod domini et locatores tenutarum a conductoribus receperint et exegerint pro quota responsionis; quatenus tamen dictas tenutas, terras et casalia, ad quotam frumenti ex eis recolligendi, et non alias locaverint, dummodo tamen dicta quota quartam partem non excedat. Locatores vero, qui aliter quam ad quotam terras locaverint, extractionis beneficio pro frumento per eos exigendo frui minime possint. Dictae autem extractionis licentia, de mense martii cuiuslibet anni et non prius, concedi debeat per litteras patentes cardinalis Camerarii pro tempore existentis iuxta solitum, et solutis Camerae nostrae Apostolicae iuliis tribus pro quolibet rubro. Si autem per nos vel successores nostros, Camerarium aut annonae praefectos, ex quavis causa dicta licentia impediri contigerit, teneatur ipsa Camera eisdem agricultoribus seu dominis tenutarum pro interesse dicti impedimenti summam iuliorum sex pro quolibet rubro solvere, libere et absque ulla prorsus exceptione; dummodo tamen totum eorum frumentum ad Urbem conduxerint, seu licentiam obtinuerint illud extra Urbem dimittendi, et sub obligatione ad Urbem conducendi, et data nota summae et loci ubi dictum frumentum repositum fuerit. Teneantur etiam ipsi agricultores et coloni infra mensem post completam sementem, singulis annis in actis annonae notarii veram quantitatem et locum sementis, quam quisque fecerit, denunciare, alioquin privilegiis et beneficio praesentium litterarum nostrarum minime perfruantur.

Agricultores in agro Romano possint, certo modo et tempore, de Ecclesiastico Statu frumentum extrahere.

§ 3. Et ut agriculturae exercitium omnibus liberum sit, et agricultorum et colonorum numerus non modo non diminuatur, sed potius augeatur; statuimus et ordinamus quod omnes et singuli baronum, principum et domicellorum quorumcumque S. R. E. subiectorum subditi et vassalli, quascumque terras, praedia, possessiones et casalia eis benevisa, etiam extra statum et territorium eorumdem dominorum, per se vel alios colere, laborare et seminare, seu etiam aliis ad colendum et seminandum inservire, dictasque terras, possessiones et casalia, ad effectum colendi et seminandi ad quotam ut supra, seu alias conducere, et in eis artem agriculturae exercere libere et licite valeant. Nullusque ex dictis baronibus, domicellis et aliis quacumque dignitate, tam temporali quam ecclesiastica, praefulgentibus, etiamsi S. R. E. cardinales fuerint, ac etiam communitates dictos eorum vassallos, subditos et colonos, quavis causa, directe vel indirecte, per se vel alios, sub amissionis et privationis feudorum et statuum, aliisque nostro et successorum nostrorum arbitrio infligendis poenis, audeat vel praesumat cogere, impedire, vel prohibere, ne possint quascumque alias terras, possessiones et casalia, etiam extra eorum statum

Barones et alii libere permittant suos vassallos extra suos Status, aliorum agros colere, et cum animalibus inservire.

et iurisdictionem, conducere, colere et seminare, seu aliis, etiam conventa mercede, etiam cum eorum bovibus et animalibus inservire, etiam sub praetextu quorumcumque suorum, seu castrorum, civitatum et terrarum eisdem subiectarum, privilegiorum, statutorum, ordinationum, usuum et consuetudinum etiam antiquissimarum, seu iuramentorum eorumdem vassallorum; quae omnia, tamquam contra publicam utilitatem inducta, tollimus et abrogamus, eosdemque vassallos a quibuslibet iuramentis ad effectum praefatum absolvimus et liberamus. Conventiones autem et pacta, quae inter ipsos dominos et vassallos in consignatione, seu assignatione terrarum intercesserunt, dummodo iusta sint et reciproca, et ex causa vere onerosa, quae ipsi domini in Camera Apostolica deducere et exhibere teneantur infra mensem a die publicationis praesentium, observari debeant.

Bannimenta circa agricolturam non faciant.

§ 4. Volentes etiam quod omnia edicta proclamata, ordinationes et bannimenta, quae ipsi barones, principes et domicelli ad annonam et agriculturam pertinentia, et illam quomodolibet concernentia hactenus fecerint, teneantur illa cardinali Camerario nunc et pro tempore existenti exhibere, et in futurum nulla edicta, ordinationes et bannimenta ad annonam et agriculturam pertinentia, sub antedictis, ac etiam nullitatis et invaliditatis poenis, facere possint.

Clerici in terris propriis agriculturam licite exercere possint.

§ 5. Statuimus etiam quod clerici, in casalibus tamen propriis et non conductis, possint dictam artem agriculturae per se vel alios exercere et exerceri facere, nec eis vel eorum haeredibus per Cameram Apostolicam, seu illius ministros obiici aut imputari possit, quod illicitam negociationem fecerint, aut spoliis aliquo modo ex causa praefata subiaceant. Declarantes dictam artem agriculturae etiam ipsis clericis in eorum casalibus licitam et permissam.

Vituli nascituri in mense martii, aprilis et maii pro tertia parte alantur.

§ 6. Et quia, propter artis agriculturae praefatae intermissionem et desuetudinem, boves apprime cultivationi necessarii defecerunt, ut quanto citius eorum numerus ad necessariam quantitatem et copiam augeatur et reducatur, volumus et mandamus quod omnes, qui habent armenta, seu massaritias vaccarum, teneantur alere seu ali facere tertiam partem omnium vitulorum, qui in mense martii, aprilis et maii quolibet anno nascentur, tam marium quam foeminarum pro aequali portione.

Boves aratorii et iuvenci non macten tur.

§ 7. Et nullus macellarius iuvencos seu boves aratores, et qui apti sint ad arandum, nec etiam vaccas nisi reiiciendas (quas vulgo *Cacciatore* nuncupantur) seu veteres et quae pro massaria inutiles sint, macellare possit, sub amissionis dictorum animalium, vel eorum pretii, seu aliis arbitrio Camerarii vel praefecti annonae infligendis poenis; et si macellarii emerint boves veteres, qui ad arandum amplius apti minime reputentur, aliquis tamen illis ad arandum uti velit, teneantur macellarii tales boves eisdem pretio convento vel soluto tradere et relaxare, et dohanerii tam bovum quam vaccarum praedictarum gabellam recipere et exigere minime valeant, sub amissionis dictae gabellae aliisque arbitrio Camerarii seu annonae praefecti infligendis poenis.

Et de districtu non extrahantur.

§ 8. Ac insuper prohibemus ne extra territorium et districtum Urbis, boves et iuvenci etiam bubalini absque licentia extrahi possint, sub amissionis dictorum animalium per quoslibet extrahentes et pro qualibet vice incurrendis.

Decretum irritans.

§ 9. Sicque, et non aliter per quoscumque iudices, *etc.*, sublata, *etc.*, iudicari et definiri debere, irritum, *etc.*, decernimus.

§ 10. Mandantes dilectis filiis Camera-

Exequutores huius constitutionis deputantur.

rio et annonae praefecto, et eorum cuilibet in solidum, ut praesentes nostras litteras publicari, et ab omnibus inviolabiliter observari faciant. Dantes eis in praemissis et circa ea plenam et omnimodam, et eam, quam nos ipsi habemus, facultatem et potestatem, declarandi et decidendi si quid in praesenti nostra constitutione, declaratione et definitione opus esse videbitur, necnon quaecumque edicta, seu bannimenta pro praemissorum observatione et exequutione necessaria et opportuna faciendi et publicandi.

Clausulae derogatoriae.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Urbis, civitatum, terrarum, oppidorum et villarum quarumcumque iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, reformationibus et decretis, privilegiis quoque et indultis apostolicis communitatibus, universitatibus, baronibus, ac aliis praefatis a dicta Sede apostolica, vel a nobis forsan concessis. Quibus omnibus, etiam si de illis, *etc.*, illorum tenores, *etc.*, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum praefatum, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sola signatura sufficit.

§ 12. Volumus etiam quod praesentium sola signatura, etiam sine data et registratura, sufficiat, et tam in iudicio quam extra, regula contraria non obstante, plenam fidem faciant, et nihilominus litterae tam in forma brevis sub annulo Piscatoris, quam sub plumbo cum clausulis necessariis et opportunis, in amplissima forma expediri valeant.

Placet. Motu proprio. H.

CCXLV.

Institutio collegii Scotorum in Urbe pie in orthodoxa fide bonarumque artium studiis instruendorum, cum redituum assignatione.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis studium iuventutem exterarum nationum, praesertim haereticorum, in Urbe pie in fidei cultu instruendi.

In supremo militantis Ecclesiae solio, et apostolicae potestatis plenitudine, summa Redemptoris nostri benignitate, constituti, ad ea per quae non solum Urbis nostrae sed exterarum quoque nationum, praesertim haereticorum, et impiorum hominum pravitate ab orthodoxae fidei semitis aberrantium, iuventus in pietate ac optimis moribus et disciplinis, ipsiusque fidei cultu educari et instrui, nec non congruis reditibus ad vitae subsidium, et necessitatum suarum sublevamen confoveri valeant, libenter intendimus, ac in his pastoralis officii nostri curam et sollicitudinem, etiam per unionis beneficiorum ecclesiasticorum, ministerium, vel alias, prout rerum et temporum ratio postulat, favorabiliter interponimus.

Designatio loci in quo collegium Scotorum erigatur.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, monasterium S. Heliae de Melicania S. Benedicti vel alterius Ordinis, Miletensis dioecesis, quod bonae memoriae Innicus episcopus Portuensis cardinalis de Aragona nuncupatus, ex concessione et dispensatione apostolica in commendam ad eius vitam, dum viveret, obtinebat (commenda huiusmodi per obitum dicti Innici episcopi et cardinalis, qui nuper apud Sedem Apostolicam debitum naturae persolvit, cessante), adhuc eo quo ante commendam ipsam vacabat modo, vacaverit et vacet ad praesens, ac in Scotiae regno, quod nobilissimum existit, et inter prima, quae fidem praedictam susceperunt, numeratur, iampridem haeresi labefactato non desint christifideles, qui

summis conflictati calamitatibus, fidem ipsam tamen retineant, et plerique ex eodem regno proscripti et relegati, sub obedientia et devotione S. R. E. persistentes, ad Urbem praedictam limina Ss. Apostolorum visitandi, dictamque Sedem amplectendi et recognoscendi gratia confluere soleant; in ipsa vero Urbe nullus adhuc peculiaris locus ad puerorum et adolescentium nationis Scotiae huiusmodi (qui parentibus orbati, aut a patria exules, vel bonis suis spoliati, necessario subsidio, ac etiam spirituali pabulo indigent) receptionem et educationem, atque in pietate et christiana religione, nec non bonarum litterarum studiis instructionem constitutus reperiatur; aedes autem e conspectu ecclesiae B. Mariae de Constantinopoli nuncupatae, regionis Trivii de dicta Urbe, iuxta viam publicam a duobus, et domum dilecti filii Michaelis Sebastiani incolae eiusdem Urbis consistentes, et ad Cameram Apostolicam spectantes (quas dilectus filius Andreas de Spinosa familiaris, continuus commensalis noster ad praesens inhabitat) pro instituendo ibidem collegio ad usum et receptionem puerorum et adolescentium praedictorum inservire possint; nos felicis recordationis Caelestini et Honorii, aliorumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, qui praecipuam huius nationis curam habuerunt, vestigiis inhaerere, ac insigne pietatis opus huiusmodi promovere volentes, et sperantes omnino futurum ut ipsius collegii alumni tractu temporis multiplices fructus in dicto regno ad animarum salutem producere, ac etiam eliminata haeresi, collapsum fidei praedictae cultum et avitam religionem in sua patria restituere debeant.

Institutio dicti collegii.

§ 2. Motu proprio, non ad ipsius nationis, vel alterius pro ea nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, ac ex certa scientia nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, in aedibus praedictis unum collegium, nationis Scotiae nuncupandum, in quo iuvenes et adolescentes eiusdem nationis, ad id idonei recipi, bonisque moribus ornari, ac vera pietate sanaque doctrina, et reliquis christiano homine dignis virtutibus instrui debeant, apostolica auctoritate, perpetuo erigimus et instituimus.

Assignatio dotis.

§ 3. Illique sic erecto et instituto pro congrua eius dote ac commoda illius rectoris, oeconomorum, magistrorum, praeceptorum et scholarium in eo pro tempore existentium sustentatione, monasterium praedictum, quod cura animarum et conventu caret, ac cuius et illi forsan annexorum fructus, reditus et proventus centum et quinquaginta ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt quovis modo, (quem etiam si ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in corpore iuris clausa resultet, praesentibus haberi volumus pro expresso, et ex cuiuscumque persona, seu per liberam cessionem cuiusvis de illius regimine et administratione in Romana Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam) vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius provisio, iuxta Lateranensis statuta Concilii, ad Sedem praedictam legitime devoluta existat, et illa ex quavis causa ad Sedem eamdem specialiter vel generaliter pertineat, ac de illo consistorialiter disponi consueverit, seu debeat, necnon super eisdem regimine, et administratione inter aliquos lis, cuius statum etiam praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa (dummodo tempore datae praesentium praedicto monasterio de abbate provisum, aut illud alteri commendatum canonice non sit)

cum annexis huiusmodi, ac omnibus iuribus, membris et pertinentiis suis, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo unimus, annectimus et incorporamus. Ædes vero praedictas similiter cum adiacentiis, ac iuribus et pertinentiis suis universis, necnon unam vineam prope et extra portam Sancti Sebastiani etiam de Urbe iuxta bona dilectorum filiorum Actilii Lucii medici, et Petri Bolaelis, ac Antonii Mariae de Frascato, seu forsan alios veriores confines positam, et olim ad quondam Hugonem Grephenge, nunc vero ad dictam Cameram spectantes, ab ipsa Camera, eisdem auctoritate et tenore similiter, perpetuo separamus et dismembramus, illasque sic separatas et dismembratas, necnon quaecumque alia, res, proprietates et bona dicto collegio per quoscumque quomodolibet donanda, elargienda et relinquenda, eidem collegio, auctoritate et tenore similibus, pariter perpetuo donamus, concedimus, applicamus et appropriamus. Ita quod liceat ipsius collegii rectori, oeconomis, magistris, praeceptoribus et scholaribus pro tempore existentibus, corporalem, realem et actualem dicti monasterii illiusque regiminis et administrationis, ac annexorum, iuriumque, membrorum et pertinentiarum, necnon domus, vineae, proprietatum et aliorum bonorum praedictorum possessionem per se vel alium, seu alios, eorum ac eiusdem collegii nominibus, propria auctoritate, libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta ex eis provenientia quaecumque percipere, exigere, levare, recuperare, locare et arrendare, ac in eorum communes ipsiusque collegii usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita.

Æ les collegio datae, nec non aliae pertinentiae hic enumerantur.

§ 4. Et insuper collegium praedictum, illiusque rectorem, oeconomos, magistros, praeceptores et scholares, pro tempore in eo existentes, illorumque domesticos, officiales et ministros, necnon ipsius collegii bona mobilia et immobilia, praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis et quantitatis existentia, ac tam in dicta Urbe, quam extra eam ubicumque locorum consistentia, ab omni iurisdictione, dominio, superioritate et potestate pro tempore existentium vicarii, senatoris, conservatorum et reformatorum dictae Urbis, necnon rectoris studii generalis eiusdem Urbis, ac Ordinariorum locorum, aliorumque iudicum et officialium quorumcumque in ipsa Urbe, vel alias ubicumque constitutorum; nec non idem collegium in propriis suis bonis et rebus, ac dicti collegii ratione, scholares personasque in eo degentes, ac alios cum ipso contrahentes, ab omnibus et singulis portarum, molendinorum, farinae, trium pro centenario, ac quatuor iuliorum pro quolibet vegete vini solvi solitorum, aliisque datiis, pedagiis, vectigalibus, angariis, ac terrae marisque gabellis, dohanis, bollettinis et quibuscumque aliis oneribus ordinariis et extraordinariis, hactenus quomodolibet impositis, et imposterum quandocumque, quavis occasione vel causa etiam de necessitate exprimenda, imponendis, etiam ad instar exemptionis dilectorum filiorum clericorum dictae Camerae, etiam ratione Ripae, Ripettae, dohanae terrae et grasciae, etiam Urbis praedictae, necnon carnium, vini, granorum, pannorum, lini, lanae, serici, librorum, cartarum et aliarum quarumcumque rerum ad humanum victum et vestitum necessariarum, ex toto Statu nostro Ecclesiastico, et quibuscumque aliis locis extra dictum Statum consistentibus, ad dictum collegium tam per terram, quam per mare et aquam dulcem, et alias quomodolibet conducendarum, ac etiam

Illud sub protectione Sedis Apostolicae cum exemptione a iurisdictione et superioritate quorumcumque iudicum et officialium, solutioneque quarumcumque gabellarum, *etc.*

iam ad Urbem ipsam conductarum, et in ea existentium, ac pro eodem collegio in magna seu parva quantitate, tam in barcis quam in magazenis, et alias ubilibet emendorum, auctoritate et tenore praedictis, itidem perpetuo eximimus et liberamus, ac sub S. Petri et dictae Sedis atque nostra protectione suscipimus, nobisque et eidem Sedi immediate subiicimus.

Concessio omnium privilegiorum et gratiarum, quibus gaudent studium generale Urbis et caetera collegia.

§ 5. Praeterea collegio illiusque rectori, scholaribus, praeceptoribus, magistris, oeconomis, officialibus, ministris et personis praedictis, ut quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis et indultis, quibus studium generale dictae Urbis, necnon alia Germanicae, Anglicae, et Graecae nationum collegia in ipsa Urbe instituta, illorumque rectores, scholares, praeceptores, magistri, oeconomi, officiales, ministri et personae quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, in omnibus et per omnia uti, potiri et gaudere valeant, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo concedimus et indulgemus. Districtius quoque inhibemus vicario, senatori, conservatoribus et reformatoribus Urbis, ac rectori studii huiusmodi, aliisque iudicibus, officialibus, praesidentibus et clericis praedictis, nec non pro tempore existenti S. R. E. camerario, et quibusvis commissariis ad exequutionem decimarum, aliorumque onerum praedictorum pro tempore deputatis, ne quarumvis litterarum eis sub quibuscumque tenoribus et formis concessarum praetextu, collegium per praesentes erectum, illiusque rectorem, scholares, praeceptores, magistros, oeconomos, officiales et ministros huiusmodi, seu eorum aliquem, in praemissis quovis modo molestent aut molestari permittant.

Deputatio Camilli cardinalis Burghesii in dicti collegii protectorem, cum facultatibus hic relatis.

§ 6. Ut autem ipsius collegii per praesentes erecti conservationi bonoque regimini, tam in his quae ad instructionem et disciplinam, quam quae ad victum, vestitum, aliaque huiusmodi necessaria pertinent, opportune consulatur, dilectum filium nostrum Camillum, tituli Ss. Ioannis et Pauli, presbyterum cardinalem Burghesium nuncupatum, eiusdem collegii per praesentes erecti protectorem et defensorem (cuius consilio et ope omnia supradicta, ac alia quaecumque ad eosdem in ipsum collegium per praesentes erectum admittendos retinendosque scholares spectantia, ac alias quomodolibet necessaria agantur, statuantur, et ordinentur) constituimus et deputamus; ac Camillo cardinali, et pro tempore existenti protectori praedicto pro eiusdem collegii per praesentes erecti, illiusque personarum, bonorum, rerum, iurium tam spiritualium quam temporalium salubri directione et conservatione, rectores, praeceptores, magistros, oeconomos, advocatos, procuratores, caeterosque ministros et officiales in eo deputandi, amovendi, ac loco amovendorum alios sufficiendi, necnon statuta, ordinationes et decreta quaecumque, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et decretis Concilii Tridentini, ac constitutionibus apostolicis non contraria, faciendi et edendi, atque illa quoties pro eorum[1] et temporum qualitate, seu alias expediens videbitur immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi et etiam alia ex integro condendi; quae postquam immutata, correcta, reformata et condita fuerint, eo ipso dicta apostolica auctoritate confirmata et approbata sint et esse censeantur, ac ab omnibus, ad quos pro tempore spectabit, sub poenis in contravenientes statuendis, observari

1 Legendum forte *rerum* (R.T.).

debeant, plenam liberamque facultatem tribuimus.

Clausulae.

§ 7. Decernentes praemissa omnia et singula, ac praesentes litteras, nullo umquam tempore (etiam pro eo quod causae propter quas haec omnia facta sunt, coram dicto vicario, vel quocumque alio examinatae, verificatae et approbatae, ac quicumque interesse habentes ad ea vocati non fuerint, nec eisdem praemissis consenserint, sive alias quibuscumque causis) de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in ius vel controversiam vocari, seu ad terminos iuris reduci posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac Sedem eamdem, sub quibuscumque verborum formis et expressionibus, ac cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore quomodolibet factis comprehendi vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub posteriori data per rectorem, oeconomos, magistros, praeceptores, scholares et alios ministros collegii per praesentes erecti huiusmodi pro tempore existentes, quandocumque eligenda, concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, nec quemquam ad easdem praesentes in Camera praedicta iuxta constitutionem piae memoriae Pii Papae IV, etiam praedecessoris nostri, desuper editam, aut alias quandocumque praesentandum, insinuandum et registrari faciendum teneri, neque propterea illas irritas esse, sed omnino valere, ac si constitutio praedicta, et alia contraria minime emanassent. Sicque per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Deputatio exequutorum huius constitutionis.

§ 8. Quocirca dilectis filiis causarum curiae dictae Camerae generali auditori, ac archidiacono ecclesiae Miletensis, ac vicario venerabilis fratris nostri Episcopi Miletensis, in spiritualibus generali, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte protectoris, rectoris, oeconomorum, scholarium, magistrorum, praeceptorum, officialium, et ministrorum collegii per praesentes erecti huiusmodi pro tempore existentium, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis auxilio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter observari. Ipsosque protectorem, rectorem, oeconomos, scholares, praeceptores, magistros, officiales et ministros illis pacifice frui et gaudere, non permittentes illos, vel eorum quempiam desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super hoc habendis

servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio quorumcumque contrariorum.

§ 9. Non obstantibus Pii praedecessoris huiusmodi, et aliis praemissis, et quatenus opus sit, nostra de unionibus committendis, ad partes vocatis quorum interest, et exprimendo vero valore etiam beneficii, cui aliud unitur, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, et recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, similiter praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis expressis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a dicta Sede deputati extra civitatem, vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere audeant vel praesumant; ac in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis ac in synodalibus, provinciliabus et universalibus conciliis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon monasterii et ordinis ac Urbis et Camerae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis, necnon vicario, senatori, conservatoribus, reformatoribus, ordinariis, iudicibus, officialibus, camerario, praesidentibus, ac clericis praedictis, ac quibusvis dohaneriis, commissariis et aliis personis ad exequutionem pedagiorum, aliorumque onerum huiusmodi pro tempore deputatis, necnon dilectis filiis Populo Romano, ac quorumcumque locorum communitatibus, universitatibus et hominibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibuscumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Proviso tamen quod propter unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi, monasterium praedictum in spiritualibus non laedatur, et in temporalibus detrimenta non substineat, sed eius congrue supportentur onera consueta.

Clausulae poenales.

Nulli ergo omnino, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDC, nonis decembris, Pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 5 decembris 1600, pontif. an. IX.

CCXLVI.

Omnium Mendicantium Ordinum superioribus facultas conceditur regulares sui Ordinis ad missiones Iaponicas, Chinam aliasque Indiae Orientalis insulas mittendi; qui tamen servare debent quae in hac constitutione praescribuntur.

Clemens Papa VIII

Universis et singulis praesentes litteras inspecturis,

salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Onerosa pastoralis officii cura, meritis licet imparibus, nobis divina dispositione commissa, postulat, ut non solum ad proximos, sed etiam ad remotissimos orbis terrae populos mentis nostrae aciem dirigentes, quae ad illorum salutem et christianae religionis propagationem pertinent, diligenter prospiciamus.

Gregor. XIII religiosos Societatis Iesu, et non alios, ad provincias Iaponum proficisci iussit, praedicandi aut docendi causa. § 1. Alias siquidem, postquam Christi nomen et evangelium in extremis omnium terrarum insulis, regionibus et provinciis Iaponum annunciari, earumque populi, pulsa ethnicae superstitionis atque errorum caligine, christianae veritatis ac fidei lumine illustrari coeperant, felicis recordationis Gregorius XIII, praedecessor noster, considerans nullos verbi Dei praedicatores, praeter Religiosos Societatis Iesu, ad regiones et provincias praedictas penetrare, illosque solos dictis nationibus eiusdem veritatis ac fidei amplectendae auctores, praeceptores ac veluti parentes fuisse; his et aliis etiam tunc expressis causis adductus, omnibus patriarchis et episcopis, etiam provinciae Chinae et Iaponis, sub interdicti ecclesiastici et suspensionis ab ingressu ecclesiae ac pontificalium exercitio, aliis vero sacerdotibus, clericis et ministris ecclesiasticis tam saecularibus, quam cuiusvis Ordinis regularibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existerent, sub excommunicationis maioris poenis ipso facto incurrendis, interdixit et inhibuit, ne ad easdem regiones et provincias Iaponicas Evangelii praedicandi, vel doctrinam christianam docendi, aut sacramenta ministrandi, aliave munia ecclesiastica obeundi causa, sine sua et Sedis Apostolicae expressa licentia, proficisci auderent, prout in ipsius praedecessoris desuper in forma brevis, sub datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii, anno Domini MDLXXXV, pontificatus sui anno XIII, confectis litteris plenius continetur.

Sed cum populorum multitudini imparcs essent. § 2. Cum autem, sicut ex charissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici relatione nuper intelleximus, tam Chinae et Iaponum, quam aliae illis vicinae et adiacentes insulae, regiones et provinciae, ac finitima regna Indiae Orientalis amplissima et populis refertissima sint, ac pro tanta animarum multitudine ad fidem catholicam traducenda, et spiritualibus alimentis fovenda, plures operarii ac ministri necessarii sint, quam ex sola supradictorum religiosorum Societate Iesu haberi possint, et idcirco operae pretium esse videatur, etiam aliorum Ordinum, praesertim Mendicantium professores, doctrina insignes, et vita ac moribus probatos, ad dicta munera obeunda illuc destinari, ut auctis ibidem agri Dominici cultoribus, ipsi etiam Christianae religionis fructus augeantur:

Religiosos omnium Mendicantium illuc proficisci posse Clemens indulget, habita a superioribus suis licentia. § 3. Nos, pro officii nostri debito, super praemissis providere volentes, dictarumque Gregorii praedecessoris litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, omnibus et singulis Mendicantium Ordinum magistris, ministris seu prioribus generalibus, nunc et pro tempore existentibus, auctoritate apostolica, tenore praesentium, indulgemus, concedimus et im-

pertimur ut, cum necessitas postulaverit, quilibet Ordinis sui spectatae vitae et eruditionis religiosos (quos nimirum ad praedicta officia et ministeria idoneos et utiles fore in Domino iudicaverint) per Lusitaniam dumtaxat, et, suscepta inde navigatione, in Indias et civitatem Goanensem, atque ad superiores Ordinum in illis partibus existentes transmittere; et tam ipsi sic transmittendi, quam alii supradictorum Ordinum religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, et ad hoc munus obeundum a suis magistris, ministris seu prioribus generalibus, seu aliis superioribus electi et approbati tam ad Iaponicas praedictas, quam ad alias proximas et adiacentes, etiam Chinae et finitimorum regnorum et terrae firmae Indiae Orientalis insulas, regiones et provincias accedere.

Hortatur superiores ut missiones istas utiles esse curent.

§ 4. Monentes eosdem Ordinum Mendicantium magistros, ministros seu priores generales, missiones huiusmodi ita per eos fieri debere, ut futurae sint utiles et fructuosae ad infidelium conversionem et christianae fidei propagationem, absque ulla ministrorum inter se contentione, quae ipsos infideles a conversionis proposito avertat, et conversis scandali materiam praebeat.

Missi vero enarrata hic observent.

§ 5. Ipsi vero religiosi cum ad provincias et loca assignata pervenerint, in illis obedientiae suorum superiorum, iuxta eorum regulas et constitutiones, subiecti permanere, ibique verbum Dei praedicare, et sacramenta administrare debeant, sub obedientia tamen circa praedicationem et administrationem sacramentorum tantum illius episcopi, in cuius dioecesi praedicabunt, et sacramenta administrabunt, libere et licite valeant, nec desuper a quoquam molestari, perturbari vel inquietari debeant; et quamdiu ibidem permanserint, ac eis propria provincia a suis generalibus constituta non fuerit, de provincia Indiae Orientalis sui cuiusque Ordinis sint ac esse censeantur.

Religiosorum desuper controversias episcopi cognoscant, et graviora Papae significent.

§ 6. Quod si forte aliquae controversiae inter religiosos praedictarum religionum (quod Deus avertat) oriantur, episcopi locorum praedictorum pro tempore existentes, tamquam Sedis Apostolicae delegati, illas decidant ac terminent. Si vero graviora quaedam negocia occurrerint, ea ad nos et Romanos Pontifices successores nostros, quanto citius, ab eisdem episcopis referantur, ut quod in illis statui ac decerni debeat, matura consultatione adhibita, provideri possit.

Prohibitio ex insulis Philippinis et aliqua Indiarum Occidentalium parte, transeundi in insulas Iaponicas.

§ 7. Caeterum omnibus et singulis religiosis cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis fuerint, sub excommunicationis maioris (a qua non nisi a nobis, et Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi possint), nec non privationis vocis tam activae quam passivae, ac dignitatum, administrationum et officiorum quorumcumque, nec non inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda ac exercenda, poenis ipso facto, absque alia declaratione, incurrendis interdicimus et prohibemus, ne ex insulis Philippinis nuncupatis, sive qualibet alia Indiarum Occidentalium, vel quae pro partibus Indiarum Occidentalium nunc habentur, parte ad illas pertinente, in Iaponicas ac alias illis proximas adiacentes et finitimas insulas, provincias et regiones praedictas, etiam quorumcumque privilegiorum eis vel suis Ordinibus a nobis et Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, sub quibuscumque tenoribus et formis, in genere vel in specie, etiam super facultate praedicandi verbum Dei per universum mundum, hactenus concessorum, seu in posterum etiam concedendorum, approbandorum et innovandorum, nisi in illis de praesenti prohibitione et interdicto specialis, specifica et expressa mentio cum sufficienti

derogatione fiat, aut quovis alio praetextu et quaesito colore, proficisci et transire audeant vel praesumant. Et si qui hactenus vel imposterum secus fecerint, postquam moniti fuerint, statim sub eisdem poenis, omni mora et excusatione cessante, ad dictas insulas Philippinas, vel alias partes Indiarum Occidentalium reverti et redire omnino teneantur, et ad id per quoscumque iudices ecclesiasticos, sub eisdem et aliis eorum arbitrio infligendis poenis, cogi et compelli possint.

Iussio publicandi hanc bullam.

§ 8. Mandantes propterea universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac caeteris ecclesiarum et locorum etiam Regularium praelatis per universum orbem constitutis, ut praesentes litteras in suis quisque provinciis, civitatibus, dioecesibus, capitulis et iurisdictionibus ab omnibus inviolabiliter observari, et quoties ab Ordinum praedictorum religiosis requisiti fuerint, solemniter publicari curent et faciant.

Contrariorum derogatio.

§ 9. Non obstantibus interdicto et prohibitione, ac litteris dicti praedecessoris, aliisque praemissis, nec non apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, nec non praedictae Societatis Iesu aliarumque Religionum, provinciarum et regionum praedictarum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis eorumque praelatis, superioribus et personis, etiam particularibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, in genere vel in specie, ac alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, hac vice specialiter et expresse, in quantum nostris prohibitioni et interdicto, aliisque praemissis adversentur, harum serie derogamus, ac derogatum esse et censeri, neque illa eis ullatenus suffragari volumus et declaramus; caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§ 10. Et quia difficile foret praesentes litteras, ubicumque usus venerit, ostendi et publicari, volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu notarii publici vel alicuius dictarum Religionum secretarii subscriptis, et personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel cuiusvis ex generalibus praedictis sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII decembris MDC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 12 decembris 1600, pontif. an. IX.

CCXLVII.

Litterae monitoriales ne appellationes a tribunali episcopi Cenetensis alio interponantur praeterquam ad Sedem Apostolicam [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Clemens Papa VIII

Venerabili fratri episcopo Cenetensi ac dilectis filiis eius in spiritualibus vicario generali, nec non communitati et hominibus universis et singulis civitatis Cenetensis, caeterisque praesentes litteras visuris, lecturis et audituris, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem ecclesiarum omnium iura ac Apostolicae Sedis auctoritatem, prout ex pastoralis muneris debito tenetur, semper salvam atque illaesam prorsus in omnibus tueri et pro viribus defendere.

Monitorium, de quo in rubrica.

§ 1. Propterea cum civitas Cenetensis, etiam in temporalibus, venerabili fratri episcopo Cenetensi pleno iure subiecta sit, et ideo appellationes a sententiis pro tempore in tribunali curiae episcopalis Cenetensis latis, etiam in causis mere prophanis, tam civilibus quam criminalibus, ipso iure ad Apostolicam Sedem devolvantur, et in causis huiusmodi ecclesia Cenetensis in quasi possessione existat: nos, ne appellationes huiusmodi ad alios quoscumque, praeterquam ad ipsam Apostolicam Sedem, ut par est, a quoquam temere interponantur, opportune providere volentes, vos universos et singulos cives, incolas et habitatores civitatis Cenetensis praedicti episcopi Cenetensis non solum spirituali sed etiam temporali iurisdictioni subiectos per praesentes nostras monitoriales litteras, sub Dei omnipotentis, ac Beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius, ac nostrae indignationis, nec non excommunicationis latae sententiae poenis eo ipso incurrendis (a quibus non nisi a nobis, et Sede praedicta, praeterquam in mortis articulo, constitutus quisquam absolvi possit), monemus, vobisque universis et singulis districte praecipiendo mandamus, ne quisquam vestrum a quibuscumque sententiis in tribunali dictae curiae episcopalis super quibusvis causis, etiam mere prophanis, tam civilibus quam criminalibus, huc usque latis, aut deinceps imposterum quandocumque ferendis, appellationes ad quoscumque iudices saeculares, et principes, etiam senatum, rempublicam seu quoscumque alios, etiam ducali, regali, vel imperiali dignitate praefulgentes, cuiuscumque illi gradus, dignitatis et conditionis fuerint, interponere audeant vel praesumant, sed ad nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, Sanctamque Sedem Apostolicam (ad quos solos causarum dictarum appellationum cognitio pertinet) illas interponere omnino debeant.

Irritatio quarumcumque appellationum secus factarum, decretorum, sententiarum, *etc.*

§ 2. Inhibentes omnibus et singulis praedictis, sub eisdem censuris et poenis eo ipso pariter incurrendis, ne huiusmodi appellationes quovis modo recipiant et admittant, seu huiusmodi causas quovis modo cognoscant; annullantes, de plenitudine apostolicae potestatis, et irrita declarantes quaecumque decreta, leges et ordinationes circa praemissa, in contrarium quomodolibet facta, seu imposterum facienda, nec non appellationes ad praefatos et alios quoscumque interpositas seu interponendas cum omnibus inde sequutis et subsequuturis, et in specie quandam renunciationem factam a syndicis ruralium civitatis Cenetensis appellationis interpositae ad Sedem Apostolicam, ac illa et illas nullius roboris et momenti, ac minime attendendas esse.

Clausulae

§ 3. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus contigerit attentari decernimus.

Praesentium publicatio facienda.

§ 4. Fraternitati vero tuae, frater episcope, seu discretioni tuae, fili vicari, mandamus, ut easdem praesentes nostras

monitoriales in valvis ecclesiae Cenetensis affigi et publicari, ac in actis cancellariae episcopalis ad perpetuam rei memoriam registrari facias; volumusque et apostolica auctoritate decernimus, ut eaedem praesentes, seu illarum exempla ad valvas dictae ecclesiae affixae et publicatae, ita omnes arctent et afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae fuissent, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIII decembris MDC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 23 decembris 1600, pontif. an. IX.

CCXLVIII.

Reformatio regulae Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis in hospitalibus et extra ea degentibus [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Superna dispositione, cuius inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, ad apostolicae dignitatis apicem sublimati, ex debito pastoralis officii nobis commissi, votis illis, quae ad pauperum Christi infirmorum necessitates sublevandas, ac felicem progressum ad hoc institutarum Congregationum faciunt, libenter annuimus, et quae propterea per christifideles pie facta et ordinata fuerunt, ut firma, perpetua et illibata persistant, apostolico munimine roboramus, aliasque desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Sixtus Papa V, certis causis adductus, ex certa sua scientia Congregationem sub vocabulo seu nomine Ministrantium Infirmis in Urbe constitutam, per quasdam in forma brevis confectas litteras confirmavit. Sixtus V istam congregationem approbavit.

§ 2. Et deinde piae memoriae Gregorius Papa XIV, praedecessor noster, cum accepisset dilectos filios Camillum de Lellis, modernum dictae Congregationis praefectum generalem, et alios eius socios, ad perficiendam et conservandam unionem dictae Congregationis quamdam vivendi formulam, iuxta ea, quae ad propositum sibi finem conducere usu didicerant edidisse, dictam vivendi formulam motu proprio per alias litteras approbavit, prout in singulis litteris praedictis: Gregor. XIV eius regulam confirmavit.

§ 3. In quibus, videlicet dicti Gregorii praedecessoris, inter alia statutum fuit, quod paupertas dictae Congregationis ita interpretaretur, ut religiosorum esset paupertas mendicantium eorum, qui nec singuli nec universi fructus ullos ac reditus caperent; quae vero necessaria essent, ea ex humili exercitio ostiatim mendicando, vel ex eleemosynis fidelium eis sponte oblatis compararent: In qua particulariter declaratur quae esset paupertas confratrum,

§ 4. Praeterea totius Congregationis superioris praefecti generalis officium perpetuum esset, quoad viveret; ac socios haberet quatuor, qui consultores dicerentur, quique pariter officium perpetuum gererent, dum generalis praefectus esset superstes: Quodque esset officium praefecti et consultorum,

§ 5. Necnon, quod longe maior esse deberet laicorum quam sacerdotum numerus; ac ii tantum sacris ordinibus destinandi essent, quos praefectus generalis et consultores, vel de eorum licentia alii superiores, non aptos modo ad ipsos sacros ordines, sed etiam ad ministerium dictae Congregationis, ex constitutionum praescripto, congruentes ac necessarios iudicarent, plenius continetur. Et esset maior numerus laicorum quam sacerdotum.

1 Istam Congregationem approbavit Sixtus V in sua constitut. XXXV: *Ex omnibus*, tom. VIII, pag. 669; eique Regulam primo tradidit Gregorius XIV in constit. XL: *Illius*, tom. IX, pag. 479.

§ 6. Cum autem, sicut accepimus, multae difficultates hactenus circa formulam, et vivendi modum, et praesertim circa ministerium et servitium infirmorum, necnon regimen, gubernium, manutentionem et conservationem dictae Congregationis ortae essent, et res multo aliter, ut putabatur, evenisset, et propterea statutis dicti Gregorii praedecessoris, quae praesentibus expressa sunt, derogandum, seu illa et forsan alia immutanda seu abroganda in toto vel parte essent; dilectus filius magister Antonius Seneca notarius noster, ac praelatus Congregationis reformationis apostolicae, cui hoc universum negotium examinandum commisimus, cum dicto Camillo ac dilectis filiis Blasio de Oppertis et Sanctio Cicatello, ac Octaviano Variano, et Chromatio de Martino consultoribus generalibus dictae Congregationis stabilierunt, et nobis retulerunt seu proposuerunt unam formam sequentium statutorum, quorum tenor talis est.

Difficultates autem multae ortae sunt circa regimen et regulam d. Congregationis, ideo de mandato Clementis infrascripta reformatio constituta fuit.

§ 7. Cum omnis instituti nostri ratio posita sit in operibus misericordiae, tam corporalibus quam spiritualibus exhibendis, in iis praecipue, quae spectant ad aegrotos in nosocomiis, carceribus et privatis civium domibus laborantes, in Domino expedire iudicavimus, ut patres fratresque nostri in nosocomiis (ubi licebit et commode fieri poterit iuxta constitutiones edendas) aegrotis, tam in spiritualibus quam in corporalibus deserviant, atque in eisdem nosocomiis dies noctesque degant et habitent; tunc vero superiores nostrae religionis dabunt operam ut a nosocomiorum gubernatoribus seu administratoribus dimittantur alii sacerdotes et mercenarii ministri, quo facto in eorum locum nostri patres et fratres substituantur, ut in nosocomiis diversentur, et succedant ac praedicta misericordiae, tam spiritualia quam corporalia, munera obeunda. Quod si aliquando illud tempus incideret (quod Deus avertat), ut ad tollenda delictorum vel dissensionum semina, quae ex humana imbecillitate suboriri possunt, Sanctitas D. N. perpetuam illam habitationem et aegrotorum curam, ut supradictum est, in aliquibus aut in omnibus nosocomiis removendam censeret, tunc patres fratresque nostri omnino obstricti sint ac teneantur sui instituti vim incolumem custodire, quae sita est in eo, ut aegrotis spiritualiter et corporaliter deserviant, cum solitis visitationibus ac excubiis nocturnis diurnisque, iuxta constitutiones edendas.

Confratres servire debent infirmis tam circa spiritualia, quam corporalia opera misericordiae ubique.

§ 8. Ut autem hoc aegrotorum spirituale et corporale servitium et ministerium constans et perpetuum sit, ac, quemadmodum religiosos decet, illud exequamur volumus, ut antequam in aliquod nosocomium nostri ad aegrotis inserviendum recipiantur, inter alias conditiones ac pactiones, quae cum eius loci gubernatoribus ac dominis conveniendae erunt, illa sit praecipua, ne patres fratresque nostri, qui suam operam circa illius loci aegrotos impendent, aliorum quorumcumque, etiam superiorum ac dominorum, eorumdem nosocomiorum, quam Religionis nostrae obedientiae subiecti sint. Igitur ad nullum laicorum auctoritas deferenda est praecipiendi nostris, aut quoquomodo sese ingerendi in ea, quae pertinere ad personas ministeriumque nostrorum videbuntur. Quia vero praedictum ministerium, et perpetua nostrorum in nosocomiis habitatio, non ex nostrae Religionis voluntate, sed ex dominorum praesidum et gubernatorum externorum auctoritate dependet; idcirco statuimus ut si ob eam, quam diximus, causam, dicti ministerii nostri munus exequi nequiverimus, nihilominus tamen nostra Religio obstricta inserviendi nosocomiorum aegrotis utroque misericordiae ministerio ex instituti

Etsi hoc servitium in nosocomiis fiat, fratres non sint subiecti superioribus illorum, sed suae religionis.

nostri obligatione permaneat, ut supra demonstratum est.

Emittentes professionem quatuor solemnia vota emittent.

§ 9. Omnes et singuli patres fratresque, qui posthac ad habitum et disciplinam nostrae Religionis admittentur, postquam emiserint illa tria solemnia caeterorum Religiosorum vota, paupertatis videlicet, castitatis et obedientiae, debebunt quartum praeterea solemne votum emittere, quo nimirum voto Deo promittant, se infirmis, et praecipue in nosocomiis degentibus, in spiritualibus et corporalibus necessitatibus servituros, in quo tamquam in fundamento omnis instituti nostri ratio constituta est. Hoc vero quartum votum aeque volumus omnibus nostris tam sacerdotibus quam fratribus esse commune, sic ut omnes, qui in hoc instituto Deo vitam suam dedicare voluerint, huius quarti voti religione teneantur; eius autem formula erit haec, quae sequitur, eamque in professione facienda singuli pronuntiabunt.

Formula dictae professionis.

§ 10. Ego N. professionem facio et promitto omnipotenti Deo, coram Eius Virgine Matre, et universa coelesti curia, ac omnibus circumstantibus, et tibi, admodum reverendo patri generali Religionis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, locum Dei tenenti, et successoribus tuis (vel tibi reverendo patri provinciali, vel praefecto talis loci, *etc.*, nomine et vice praefecti generalis, et successorum eius locum Dei tenenti) perpetuam paupertatem, castitatem et obedientiam, et perpetuo inservire (quod est praecipuum nostri instituti ministerium) pauperibus infirmis, quos etiam pestis infecerit, secundum formam vivendi contentam in litteris apostolicis nostrae Religionis Ministrantium Infirmis, et in eius constitutionibus, tam editis iam quam imposterum edendis. Lecta professione a novo professo, admittens ad professionem dicat: Et ego N., auctoritate qua fungor, accepto professionem tuam, et unio te corpori mystico nostrae Religionis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Vel ego N., nomine et vice reverendi patris nostri praefecti generalis, auctoritate qua fungor, accepto professionem tuam, et unio te corpori mystico nostrae Religionis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Vota simplicia quotannis renovanda.

§ 11. Illud praeterea statuimus, ut omnes et singuli patres ac fratres, sive qui nunc in Religione sunt, sive qui imposterum futuri sunt, post quatuor haec solemnia vota, statim et immediate, alia quae sequuntur simplicia vota emittant, quae semel suscepta semper observent, nec per quemcumque iubilaeum, etiam anni sancti a sanctissimo Domino Nostro concessum aut concedendum, nec ob causam quamcumque a sequentibus votis simplicibus absolvi possint, quae de more quotannis renovare debebunt eo die, qui Sanctae Crucis Inventioni sacer est.

Primum votum simplex modum praescriptum non immutandi, inserviendi infirmis in nosocomiis.

§ 12. Primum igitur simplex votum est, quo spondent se nunquam acturos, nulloque tempore, quantum erit in ipsis, assensuros, ut mutetur vel alteretur praescriptus aegrotis inserviendi modus in nosocomiis, tam in spiritualibus quam in corporalibus, ut superius dictum est, nisi iustis de causis fieret, ut validius et vehementius adstringendus (auctoritate tamen apostolica) videretur.

Secundum votum simplex administrationem redituum nosocomiorum non recipiendi.

§ 13. Secundum, se nunquam daturos operam, nulloque modo consensuros ut redituum administrationem, aut nosocomiorum dominium habeant atque possideant, quo maiori cum animi puritate se totos in aegrotantium ministerium spirituale et corporale convertant.

Tertium votum simplex non procurandi praelaturas.

§ 14. Tertium, se nunquam curaturos, ne indirecte quidem, ut in aliquam praelationem vel dignitatem in Religione, et neque acturos, nec quantum in se fuerit, consensuros, ut extra Religionem in prae-

lationem aliquam vel dignitatem eligantur, vel promoveantur, nisi (sub poena peccati) a Summo Pontifice coacti.

Quartum votum simplex manifestandi procurantes eas.

§ 15. Quartum, singuli promittent se Religioni vel consultae generali manifestaturos, si quem ex nostris scirent aliquid praedictorum duorum, praelationem videlicet seu dignitatem, intra vel extra Religionem, curare seu praetendere.

Excommunicatio Papae reservata contra procurantes dominium vel administrationem redituum hospitalium.

§ 16. Quoniam vero nostrorum religiosorum est, caeteris curis praetermissis, propter divinum dumtaxat amorem, nudo ac puro ministerio misericordiae spiritualis pariter et corporalis erga aegrotos in nosocomiis defungi, idcirco nequando nostrum hoc institutum convelli aut labefactari possit, quo dominorum etiam gubernatorum nosocomiorum omnis suspicio tollatur, decernimus ad validiorem firmitatem huius Ordinis obtinendam, sub poena excommunicationis latae sententiae (cuius absolutio Sedi tantum Apostolicae reservetur), ne quisquam ex nostris patribus et fratribus, sive generalis sit, sive consultores, sive provincialis, vel quacumque dignitate fungens sive per se, sive per alios, directe vel indirecte, recipere nosocomiorum dominium, aut ius nullum, vel quamlibet eorum administrationem vectigalium, seu redituum audeat vel praesumat; immo quantum erit in ipsis nunquam assentiant, ut huiusmodi curae vel administrationes a Religione admittantur, cum nudum ac purum animarum et corporum aegrotantium ministerium sit tantummodo a nostris amplectendum.

Votum munus circa infirmos.

§ 17. Quamquam sacerdotes ex officio, quod illorum est proprium, ad sacramenta Ecclesiae administranda incumbere debebunt, utpote ad aegrotorum confessiones audiendas, ad sacratissimam Eucharistiam conferendam, ad Extremae Unctionis Oleum aegrotantibus exibendum ad sacrum missarum sacrificium faciendum, ad mortuos sepulturae mandandos; et ad agonizantium animas diu noctuque Deo commendandas; tamen ut voto satisfaciant, quod corporale et spirituale ministerium amplectitur, manus etiam ad aliquas corporales misericordiae functiones afferant, cuiusmodi sunt illae, aegrotantibus cibum subministrare, pituitosas linguas eorumdem detergere, ora colluere, confovere frigida membra, caeteraque huius generis charitatis officia. Conceditur etiam iisdem sacerdotibus (quibus tamen per superiores licebit), ut reliqua quoque fratrum ministeria corporalia, quae eorum propria sunt officia, circa aegrotantium necessitates exercere possint.

Fratrum ministeria circa infirmos.

§ 18. Item, quoniam ad proprium fratrum officium pertinet, infirmis in ministerio corporali servire, videlicet aegrotantibus adesse, vigilias et excubias consuetas peragere nocturnas atque diurnas, lectulos sternere, mensas escarias apponere et amovere, cibos et fercula deferre, illos cibatu reficere, cibum, si sit opus, in os inserere, linguas repurgare pituitosas, infirmos attollere subditis, si necesse fuerit, ulnis, algentes calore confovere, medicatas potiones, syrupos et pharmaca suis temporibus afferre, corporis cauteria curare, medicos aut chirurgos comitari, et caetera id genus officia praestare; ut tamen ipsorum fratrum voto satisfiat, quo ministerium etiam spiritualis misericordiae continetur (ad quem finem potissimum omnia nostrorum consilia referenda sunt, quandoquidem animarum curatio verus est instituti nostri scopus), ideo fratres ad peccatorum exactam confessionem et communionem infirmos praeparabunt, eosque ad patientiam et ad bene moriendum disponent. Praeterea quaedam alia sacerdotum propria ministeria (a superioribus tamen obtenta facultate) praestare poterunt, uti pauperes infirmos christianam doctrinam docere, eosdem in articulo potissimum mortis ad

fidei protestationes faciendas hortari, et agonizantium animas Deo commendare, aliaque similia pietatis officia eisdem impendere.

Munia a fratribus in nosocomiis obeunda.

§ 19. Atque ut facilius impleatur ministerium nostrum, quibus in nosocomiis, vel propter rei familiaris angustias, vel propter aliam quamlibet difficultatem, necessarius patrum et fratrum numerus ad praedicta charitatis officia obeunda, ali et sustentari non potest, cum maior numerus nostrorum esse debeat ministrorum mercenariorum numero, qui in ipsis nosocomiis haberi solitus est (saecularium enim corpora robustiora sunt, atque validiora quam religiosorum), statuimus ut pater generalis et consultores vel provinciales, seu alii Religionis superiores, diligentiam adhibendam curent, ut necessaria vitae praesidia, victus vestitusque nostris patribus et fratribus supra numerum praedictum mercenariorum in eisdem locis degentibus subministrentur. Decernentes praeterea ut ministri saeculares et mercenarii advocentur, nosocomiorum mercede conducti, ut molis onera tollant, graviorisque ponderis vasa vel aenea, vel lignea, crateres, curriculos, lebetes et labra, grabatos, culcitras paleatas, anaclinteria, accubitorias spondas transportent, prunas in clibanum et in focum ligna componant, atque succendant, aquam potoriam excoquant, fasciculos sive sarcinas indumentorum aegrotantium portent, sordidas vestes abluant, et ad foeminarum lavacra deferant, demortuos efferant, et sepeliant, capsulas et unguentorum ac oleorum repositoria, chirurgos atque unctores sequendo circumferant, nosocomiorum pavimenta verrant atque lavent, aenea vel lignea vasa tergant, polubra, matulas, catillos et alia huiusmodi purgamentorum vasa egerant, nec quisquam ex nostris ad praedictum ministeriorum genus exequendum teneatur nec compellatur, cum robustiorum opera sint, quae quidem a praedictis mercenariis melius exiguntur.

Quando in eorum locum mercenarii sint conducendi.

§ 20. Statuimus etiam, ne quisquam ex nostris in nosocomiis munere unctionis, clysterarii, coqui, cannavarii, dispensatoris, custodis vestium, pharmacopolae fungatur, neque stultorum seu dementium curam gerat, neque caeteris omnino huius generis muneribus praeficiatur. Quod si morbi difficultas aliqua maior, vel alicuius gravioris impedimenti necessitas patresque fratresque nostros urgebit (itaut explere officii sui partes et ministerium hoc spiritualis et corporalis misericordiae exequi non possent), tunc ut in supplementum ad tempus, nosocomiorum impensis, mercenarii conducantur, quoad ea necessitas urgebit, qua cedente, succedant iterum nostri, mercenarii vero dimittantur.

Quoto quisque tempore in nosocomiis morari debeat;

§ 21. Constituitur etiam ut omnes et singuli tantummodo fratres, qui aegrotantium curae in hospitalibus destinati fuerint, debeant in eisdem hospitalibus in singulos menses per tres hebdomadas commorari, habitare, degere, pernoctare et alimoniam ac cibum sumere; quartam vero uniuscuiusque mensis hebdomadam, in professorum nostrorum domibus, aut in locis animi relaxationibus assignatis, praefecti arbitrio, consument. Permittitur tamen quod si aliquis ex praedictis fratribus pro sua devotione et pia voluntate voluerit totum ipsum mensem apud eosdem nosocomiorum aegrotos explere, id efficere possit, ex dicti praefecti licentia. Quod si accidet ut in aliqua nostrorum domo maior numerus degat, quam nosocomiorum ministeria postulabunt, in hoc casu liberum erit praefecto illius domus, fratrum vices permutare, quemadmodum, et quo tempore convenire iudicaverit, in quibus urbibus, oppidis et locis (ut sunt initia rerum recenter inchoatarum) nostri

nondum domum formatam, sed habitationem tantummodo intra nosocomia habebunt.

Sub obedientia tamen superiorum Congregationis.

§ 22. Volumus, ut in his locis per id tempus diversentur et degant sub praefectorum et aliorum officialium obedientia, quos ad huiusmodi officia exequenda nostra Religio in domibus formatis creare consuescit.

Qui deputandi sint in hospitalibus, et a quibus.

§ 23. At in quibus urbibus, oppidis locisque non solum formatam domum, sed etiam certam habitationem nostri in nosocomiis habebunt, praedictarum domorum praefecti eligent superiores, nimirum sacerdotem unum, penes quem regimen et curam caeterorum sacerdotum ac fratrum in eisdem nosocomiis commorantium erit; fratrem item unum infirmarium, cuius officium erit caeteris fratribus praeesse in iis dumtaxat rebus, quae ad functiones pertinent corporales circa aegrotos. Intelligat tamen dictus frater infirmarius, sibi nullum ius esse datum cuilibet ex fratribus iniungendi poenas, quas, si necesse fuerit, praedictus pater exiget, qui patrum et fratrum omnium curam geret.

Oblati recipi possunt, absque aliqua votorum professione.

§ 24. Nequando vero charitatis fervor intepescat, aut impediatur in nostris fratribus in ministerio pauperum aegrotantium destinatis, nec sollicitudinibus domesticis nimiisque occupationibus (ut usu multorum annorum evenire comperimus) eorum spiritus obruatur, statuimus ut ad haec domesticorum negociorum et famularium ministeriorum munera peragenda devoti ac pii homines sub oblatorum nomine cooptentur, qui sine ulla votorum nostrorum promissione nec professione, voluntarii se totos praedictis in domibus nostris ministeriis impendant.

Foeminis aegrotantibus sacramenta quomodo administranda.

§ 25. Volumus etiam, Deo adiuvante, ut in illis dumtaxat nosocomiis, ubi nostris, ut supra dictum est, certus habitandi locus erit, foeminis aegrotantibus sacramenta diu noctuque nostri administrent, sed agonizantium praedictarum animas, interdiu tantum, non noctu commendentur, iuxta constitutiones edendas.

Facultas superiorum dispensandi cum inhabilibus ad onera supradicta.

§ 26. Verum quia patres et fratres, qui hoc tempore in religione vivunt, ob superiorum temporum labores, infirmi et quasi inhabiles reperiuntur ad haec onera modo praescripto sustinenda, ad quae prius ex instituti obligatione minime tenebantur, propterea decernitur ut praefecti superioresque maiores nostrae Religionis dispensare debeant ac teneantur, cum omnibus praedictis patribus et fratribus praesentibus, qui ad praedictos labores, denuo adiunctos circa ministerium spirituale et corporale hospitalium, exequuendos non se ipsos aptos sentient nec habiles iudicabunt. Decernentes tamen omnes patres et fratres praesentes teneri ministerium corporale et spirituale aegrotantium in hospitalibus dies noctesque exequi, quemadmodum obstricti tenentur illi patres et fratres, qui mittentur e nostris domibus ad aegrotis inserviendum in nosocomiis, in quibus tamen non habitant, ut supra constitutum est.

Capitulum generale celebrandum erit sexto quoque anno, et aderint officiales hic enunciati

§ 27. Capitulum generale ordinarie sexto quoque anno celebretur, cui capitulo interesse debent pater generalis, consultores generales, arbiter consultae generalis, procurator generalis, secretarius dictae consultae et provinciales; praeterea ex suis quibusque provinciis singuli cum duobus sociis vocalibus, quorum alter sacerdos, alter frater erit, a suis provincialibus capitulis electi et attributi. Statuimus etiam ut fratres professi, qui hoc tempore in nostra Religione vivunt, et sacris ordinibus initiati seu initiandi sunt, eligi possint, et in hoc generale capitulum convenire eo iure quo patres; verum in posterum qui futuri sunt, huius iuris erunt expertes, et

in illis eligendis modus praescriptus observandus est, idest unus sacerdos et unus frater.

Generalis per sex annos praefecturam geret.

§ 28. Praefectus generalis post mortem huius, qui perpetuus est, sex annos praefecturam geret, quae quidem praefectura semel, una tantum vice, cum auctoritate Summi Pontificis, prorogari in alterum sexennium possit; qui, exacto generalatus sexennii tempore, nisi ad aliud officii munus eligatur, ad suum privati subditique locum redibit, nulla praerogativa, nulloque titulo honoris aut nominis insignitus.

Consultores generales sexto quoque anno eligantur,

§ 29. Ex quatuor consultoribus patris generalis, duo sacerdotes erunt, et duo fratres, qui quidem consultores id officium quemadmodum generalis praefectus per sexennium obtinebunt. Similiter etiam, ut supra definitum est, quoad superstes erit praesentis temporis praefectus generalis, cuius item generalatus perpetuus est, tam dictum capitulum, quam electio dictorum consultorum sexto quoque anno facienda est.

Electioque semper fiat in capitulo generali.

§ 30. Item decretum est, ut supradicti pater generalis, consultores et arbiter consultae semper in generali capitulo eligantur.

Defuncto generali, primus consultor erit vicarius generalis, *etc.*

§ 31. Quod si generalis intra prius triennium suae praefecturae mortem obibit, qui primus consultor generalis erit eo tempore, succedat in eius locum in tres illos priores annos, unius tantum suffragii iure et vicarii generalis nomine contentus. In consultoris autem succedentis locum substituatur arbiter, qui in ordine suae proferendae sententiae consessus ultimum locum, inter consultores sacerdotes, tenebit. Circumactis autem prioribus tribus annis capitulum generale cogendum est, quo in capitulo novi generalis electio facienda est. At vero si intra posterius triennium generalis praefectus e vita decesserit, decernimus ut idem primus generalis consultor vicarii generalis nomen et personam gerat in sex tantum menses: quo tempore teneatur indicere et cogere generale capitulum, in quo generalis praefectus creandus est. Simul illud adverti debet, ut quotiescumque novi generalis fiet electio, creari pariter debeant generales consultores et consultae generalis arbiter, ex quibus si aliquis intra supradictum sexennium deficeret, observetur quod in capitulis generalibus statutum vel statuendum erit.

Definitores capituli generalis, eorumque munus.

§ 32. Praeterea in capitulis generalibus quatuor definitores ex antiquioribus et expertioribus patribus et fratribus capituli eligantur; ex patribus sacerdotes duo, totidemque ex fratribus, qui simul omnes una cum patre generali veluti praesidente, debent examinare, perpendere, approbare vel improbare res, quae suggerentur, ut ad capitulum referri debeant; et nemini liceat, nec quisquam possit quidquam ad capitulum referre, quod non ante cognitum, examinatum et approbatum a supradictis patre generali et definitoribus fuerit. Quocirca post obitum huius patris generalis, praeter quatuor supradictos definitores, eligendus erit etiam praesidens capituli, qui una cum definitoribus cognoscet, expendet, approbabit vel improbabit res ad capitulum aut referendas aut secus, ad quas approbandas vel refutandas ea ratio suffragiorum habenda est, ut id fiat, quod maior numerus suffragiorum faciendum esse censuerit.

Superiores Religionis sunt eligendi ex numero vocalium sacerdotum.

§ 33. Sancitur etiam ut praefectus generalis, arbiter consultae, procurator generalis, secretarius dictae consultae, provinciales, visitatores, praefecti domorum professarum et novitiatuum, et generalium valetudinariorum, et praesidens capituli generalis omnino cooptentur et eligantur ex corpore et numero voca-

lium sacerdotum. At vero caeteri subordinati officiales, cuiusmodi sunt ministri, subministri, rerum domesticarum providitores ac eleemosynarum procuratores, sacristae vel aeditui, constitui poterunt ex numero fratrum etiam non vocalium, dummodo propter has occupationes nihil earum rerum omittatur, quae circa curam aegrotorum ex dictorum fratrum sedulitate requiruntur.

Provincialium et praefectorum consultores.

§ 34. Omnes provinciales, item praefecti professarum domorum et novitiatuum, et valetudinariorum generalium, singuli binos consultores, sacerdotem unum alterum fratrem, habebunt, quorum consultorum vota dumtaxat consultiva erunt, non decisiva.

Fratres, proprie ii dicuntur qui sacerdotes non sunt.

§ 35. Animadvertendum tamen est, quoties mentio fit fratrum eligendorum, illos tantum fratres a nobis intelligi, qui ad sacerdotium destinati non sunt.

Praecedentia quae sit inter eos.

§ 36. Statuimus etiam ut inter fratres, ad quorum numerum referuntur omnes quicumque sacerdotes non sunt, nullus praecedendi et subsequendi ordo servetur, praeterquam in capitulis, tam generalibus quam provincialibus et localibus, in quibus habenda est ratio dignitatum et personarum.

Praecedentia inter sacerdotes.

§ 37. Idem decernimus de patribus, hoc est sacerdotibus; hos enim tantummodo patres appellari et nominari, et sic in nostra Religione intelligi perpetuo volumus, inter quos patres nullum observabitur dignitatis aut loci discrimen, nec praecedentia, nisi in supradictis capitulis, in quibus si loquimur de patribus et fratribus praesentis temporis, primum sententiae locum et primi loci dignitatem obtinebunt, qui religionem prius sunt ingressi; si vero de futuris, praecedere debebunt qui primum professionem ediderint.

§ 38. In domibus professis, in quibus novitii erunt admittendi, quatuor examinatores novitiorum eligantur a patribus et fratribus vocalibus simul, sine suffragiorum distinctione, quorum examinatorum duos sacerdotes, et duos fratres esse oportebit; quod si evenerit, dum de aliquo novitio approbando suffragia feruntur, ut aequalis esset suffragiorum numerus, in eo casu, praefectus quinti suffragii ius habebit, ad eamque partem accedet, quae melius sentire et iudicare videbitur, et quod ita constituetur firmum erit.

Examinatores novitiorum atque ipsorum numerus et suffragia.

Ætas novitiorum.

§ 39. Nullus posthac novitius ad religionem minor octodecim annis natu, nec quinque et quadraginta grandior, admittatur, nisi tamen (habito ad maiorem aliquam evidentemque religionis utilitatem respectu) secus patri generali eiusque consultoribus videretur.

Novitii, exacto biennio, ad studia promoveantur.

§ 40. At si cum aliquibus octodecim annis natu minoribus esset dispensandum, id nullo modo concedi debet, nisi quibus saltem sextusdecimus annus expletus erit. Ii porro novitii ad habitum Religionis admissi, ut ad studia, si linguam latinam intelligent, destinentur, postquam biennium in novitiatu peregerint, ad religionis studia promoveantur, quae erunt humaniores litterae, logica et casus conscientiae: quae quidem studia omni cum perfectione sunt a praedictis addiscenda, cum illud praecipue requiratur in nostris, ut promptissimi, resoluti, perfectissimique casistae sint, praesertim quibus ex officio convenit et domi docere discipulos nostros, et foris sine ulla dubitationis haesitatione conscientiae nexus exolvere, et sanctissima Ecclesiae sacramenta fidelibus ministrare, cum hoc potissimum nostri instituti ratio requirat. Simul illud volumus ab iis, qui vigesimum primum annum excedentes ad Religionem admitti petunt, ut in iis ea sit litterarum facultas, ut continuo possint ad conscientiae casus discendos ap-

plicari: qui vero latinam linguam non intelligent, in fratrum numerum litteras non discentium cooptentur.

Novitiorum biretum.

§ 41. Nulli novitiorum, tam eorum qui litteris operam daturi sunt, quam eorum qui Domino in simplicitate absque litteris servient, gestare liceat pileum quadratum presbyterale quoad in novitiatu legitimum tempus exegerit, fratribus sacris ordinibus initiatis exceptis.

Omne litterarum studium interdicatur novitiis ante biennium.

§ 42. Interdicimus praeterea omnibus novitiis, qui studiis sunt applicandi, ut supra diximus, omnem studiorum tractationem, nisi novitiatum ante peregerint; qui quidem exercitandi sunt non solum in functionibus spiritualibus, sed etiam indistincte in nosocomiorum exercitationibus, iuxta consilium et auctoritatem super his, qui in novitiis instituendis respicere et consulere debebit institutionis formulam illam, quae ad novitios in Domino, et spiritualiter et corporaliter, dirigendos tradetur.

Examen novitiorum sexto quoque mense fiat.

§ 43. Praefecti domorum professarum, cum suis consultoribus, item examinatores et magistri novitiorum, si tamen erunt, cum patre et fratre infirmario superioribus nostrorum, qui in nosocomiis cohabitant, sin minus praedicti (absque dictis patre et fratre infirmario), sexto quoque mense congregentur, et in singulorum novitiorum, quos instituendos acceperint, vitam et mores inquirant; deinde de singulis secreta vota decisiva ferantur, ut illi dumtaxat in novitiatu retineantur aut inde dimittantur, quos retinendos aut dimittendos votorum maior pars in Domino iudicaverit. Verumtamen praefectis domorum professarum aliisque maioris potestatis superioribus liberum esse volumus, ut e novitiatu dimettere possint per se ipsos, quos dimittendos censuerint, nullis initis suffragiis caeterorum, si intra quodlibet sex mensium spatium in aliquo novitio aliquod publicum vel occultum delictum comperierint, aut aliud quodpiam impedimentum, quo satis constaret illum minime futurum ad Religionem idoneum. Si tamen illorum examinibus intervenire superiores maioris potestatis voluerint, hoc est pater generalis consultoresque generales, qui cum eo illo tempore reperirentur, aut provincialis, aut visitator generalis, praemonitis ante praefectis, tum illorum conventus expectetur, etiamsi semestre spatium prorogandum esset, maxime vero si proximum professioni semestre in illorum adventum incideret, ii nimirum superiores maioris potestatis cum supradictis superioribus deputatis convenire debebunt ad suffragia ferenda, et quod maior pars faciendum censuerit, id fiat.

Habitatio novitiorum communis.

§ 44. Omnes novitii, tam illi qui litteris operam navare debent, quam qui non debent, in novitiorum domibus habitabunt, atque haec habitatio communis erit utriusque status, et in novitiatu communis omnium erit cura et disciplina, sub regimine eorum, qui magistri pariter et praefecti et superiores illarum domorum erunt.

Quartum votum indistincte emittendum absoluto novitiatus tempore.

§ 45. Omnes ii qui ad religionem admittentur, absoluto novitiatus sui tempore, si apti iudicati fuerint, quartum votum solemne aegrotantibus serviendi spiritualiter et corporaliter, ut supra dictum est, indistincte emittant; quo facto, ad id exequuendum sese accingant, quod superiores, qui locum Dei obtinent, ipsis iniungent.

Quibus in locis erigi possint novitiatus.

§ 46. Novitiorum nostrorum domus in illis potissimum civitatibus, oppidis et locis constituantur, ubi nostra Religio commodum habebit in nosocomiis habitandi locum, ut infirmis ministrent: relinquimus tamen patri generali et consultoribus generalibus, aut quibus ipsi mandaverint, liberam potestatem fun-

dandi huiusmodi novitiatus in aliis etiam civitatibus et locis, in quibus intra nosocomia neque ministerium, neque habitatio nostrorum collocata esset aut collocari posset, modo tamen in illis civitatibus, oppidis et locis nosocomia reperiantur, in quibus nostri integre exercere possint instituti ministeria.

Ius suffragii activi et passivi non datur ante decennium.

§ 47. Nullus ex patribus et fratribus, qui nostrae Religionis ministerio sese in posterum emancipare voluerint, ius utriusque suffragii activi vel passivi consequetur, nisi post decem annos in professione transactos, in bono exemplo et mortificatione, si tamen habiles idoneique iudicabuntur a patre generali eiusque consultoribus, qui ob Religionis necessitates dispensare poterunt cum iis, quos idoneos iudicabunt, modo non prius id fiat, quam post expletos quinque professionis annos.

In omnibus domibus numerus Religiosorum praefigatur secundum eleemosynas.

§ 48. Statuimus ne post hac, ulla in domo, quaecumque illa sit, cuiusque provinciae, maior nostrorum numerus alatur, quam quotidianarum eleemosynarum largitas patiatur; in numero vero nostrorum constituendo illa cautio adhibenda sancitur, ut in aliquibus locis plures sacerdotes quam fratres, et, e contra, in aliis plures fratres quam sacerdotes, constitui debeant, prout ipsorum locorum conditio postulabit, quo liberius et perfectius instituti nostri ministeria exequuantur non solum in aegrotis hospitalium, in necessitatibus spiritualibus et corporalibus curandis, sed etiam in iis visendis, qui sparsim in civium privatorum domibus et carceribus aegrotant, et in agonizantium animis Deo rite commendandis, quod omnino observandum, et in Religione nostra posthac semper custodiendum statuimus, non obstante clausula bullae felicis memoriae Gregorii XIV, Pontificis Maximi, ad ea verba *Nostri instituti ratio postulat*, ut longe maior esse debeat laicorum quam sacerdotum numerus.

Fratres professi pileo presbyterali uti possint.

§ 49. Omnes professi fratres, tam illi qui nunc vivunt quam qui venturi sunt in Religionem nostram, quadrato presbyterorum pileo uti possint, non autem tonsura clericorum, iis exceptis, qui aliquem ordinem consequuti, deinceps ad sacerdotium praeparantur.

Omnium habitus sit uniformis.

§ 50. Tunica et pallium nostrorum patrum et fratrum ex eiusdem qualitatis panno, eademque forma et prolixitate esse debeant, induentes se uti pauperes et honesti sacerdotes.

Concessio capacitatis quorumcumque reddituum pro infirmorum et officialium substentatione.

§ 51. Etenim multorum annorum experientia compertum est, professorum nostrorum domos alere, substinere ac manutenere non posse novitios, aut alios infirmos ad obeunda nostri instituti munera inhabiles, sancitur, ut nostra Religio posthac in singulis quibusque provinciis possit erigere unum vel plures novitiatus, necnon unum vel plura valetudinaria generalia pro nostris professis infirmis et inhabilibus, pro quorum dumtaxat novitiatuum et generalium valetudinariorum substentatione et manutentione ipsa Religio capax sit omnium bonorum stabilium, censuum, reddituum, legatorum et aliarum subventionum, tam temporalium quam perpetuarum. Generalis autem et consultores facultatem habebunt mittendi in dicta valetudinaria generalia eos infirmos et inhabiles, quos ipsi vel alii superiores de eorum licentia iudicaverint esse mittendos, modo et forma in constitutionibus praescribendis. Statuimus etiam ex eiisdem novitiatuum et valetudinariorum reditibus praefectos caeterosque officiales ac personas eorumdem locorum vivere debere.

Bona Religioni relicta arbitrio generalis et consultorum applicentur novitiatibus et valetudinariis.

§ 52. Volumus item ut ex iisdem reditibus novitiatuum et valetudinariorum generalium, eleemosynae nomine, si necessitas flagitabit, necessaria submini-

strentur particularibus domorum professarum valetudinariis. Praeterea si Religioni nostrae, donatione vel testamento, census, reditus, stabilia bona, sive mobilia, sive alia quaecumque legata perpetua distributa vel assignata, vel quoquo modo relicta fuerint, decernimus, eorum bonorum dominii Religionem nostram esse capacem ad effectum dumtaxat eadem bona applicandi quibusvis valetudinariis generalibus nostrorum professorum, vel nostris quibuscumque novitiatibus, arbitrio et iudicio praefecti generalis eiusque consultorum.

Domus autem professae de eleemosynis vivant.

§ 53. Animadvertendum est omnes domos nostras professas debere tantum de eleemosynis vivere, prout paupertatis nostrae votum exigit: idcirco caveant nostri professi ne praedictis valetudinariorum seu novitiatuum reditibus, seu aliis quibuscumque perpetuis fructibus alantur, nisi quibus permissum est, modo quo supra.

Perpetuae missarum obligationes non recipiantur, nisi etc.

§ 54. Quotidianarum et temporalium missarum obligationes facile non suscipiantur, ne nostrae domus intolerabili persolvendi debiti necessitate graventur. Quocirca perpetuae necessitates sive obligationes eiusmodi missarum persolvendarum suscipi non poterunt a nostris quibuscumque, nisi praefectus generalis eiusque consultores, propter aliquam evidentissimam utilitatem, secus iudicaverint; explicamus tamen, legata aut bona, quae cum praedictis oneribus relinquentur, converti debere in tot census, reditus et bona stabilia, ut si perpetua obligationis missarum necessitas fuerit, fructus etiam redituum perpetuus esto. Qua de re, ad primum generale capitulum plenam rationem referendam volumus, ad quod pertinere debet ea restituere, quae diximus bona, quotiescumque minime videretur expedire huiusmodi perpetuis oneribus obligari. Quae vero bona stabilia sive reditus, ob illas missarum necessitates et obligationes, ad nostros pervenerint, ea praefectus generalis eiusque consultores applicandi assignandique potestatem habeant iis valetudinariis nostrorum aut novitiatibus, quorum maiores videbuntur esse rei familiaris angustiae.

Patres possint in ecclesiis fidelium confessiones audire, publice sermocinari et omnia alia ecclesiastica exercitia in illis exercere.

§ 55. Statuimus praeterea ut patres, qui senes sunt aut inhabiles ad instituti praedicti ministeria, tam in hospitalibus quam in privatis civium aegrotantium domibus atque carceribus impendenda, necnon patribus, qui suam hebdomadam in hospitalibus, et sui partes officii in agonizantium animabus commendandis expleverint (iuxta constitutiones quas super his ministeriis edentur), possint vacationis suae diebus, de praefectorum vel aliorum superiorum facultate, in ecclesiis fidelium confessiones audire, et in illis etiam publice sermocinari (non autem concionari), possintque alia devota ecclesiastica exercitia in iisdem ecclesiis exercere, quas tamen exercitationes ad eum finem assumi et dirigi volumus, ut velut mediis et instrumentis necessariis promptiores instructioresque ad animarum et corporum aegrotantium salutem procurandam nostri reddantur.

Prohibetur dispensatio a ministerio infirmis in nosocomiis serviendi.

§ 56. Quam ob rem decernimus ut praefectus generalis, sive quicumque alius superior, nulla causa possit cum aliquibus ex nostris patribus dispensare, ut suum diem vel suam hebdomadam in ministrando nosocomiorum infirmis intermittant; ut fidelium etiam quorumcumque benefactorum vel benefactricium confessionibus audiendis operam dent, qui si confessariis nostris uti volent, hoc modo contenti erunt. Quod si bina haec pietatis officia simul in idem tempus inciderent, idest, hebdomada vel die quo nostri patres in nosocomia mittendi sunt, et officium in ecclesiis confessionum audiendarum; tunc potius confessionum officium,

quam nosocomiorum ministerium, omittendum est.

Novitii a quibus recipiendi,

§ 57. Nullus ex superioribus ad habitum nostrae Religionis admittere poterit ullum novitium, nisi facultatem expressam a praefecto generali eiusque consultoribus habuerit.

Provinciae a quibus dividendae,

§ 58. Quorum etiam intererit dispertire atque describere provincias, valetudinaria generalia et novitiatus; itidem applicare seu convertere, et constituere, per quos administratores, et quo pacto supradicti novitiatuum et valetudinariorum generalium reditus, aliaque sive mobilia sive stabilia bona, quae nostrae Religioni vel dono vel testamento relinquenda sunt, impendi et tractari debeant.

Domusque et hospitalia a quibus admittenda.

§ 59. Similiter praefecti generalis et consultorum erit admittere sive remittere quemvis locum, aut domum, aut nosocomii cuiuslibet habitationem.

Generalis est tollere dubitationes in praedictis.

§ 60. Simul illud explicamus et definimus, ad praedictos spectare declarationem, interpretationem et decisionem (non autem immutationem) earum rerum, de quibus super praedictis omnibus capitulis vel statutis dubitatio fuerit orta.

Statuta praedicta Clemens confirmavit.

§ 61. Cum autem huiusmodi formam statutorum a nobis examinatam ad prosperum regimen et felicem progressum dictae Congregationis, quem enixe exoptamus, necessariam et opportunam fuisse et esse cognoverimus, nos dictarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, ac Camillum et Blasium, ac Sanctium, et Octavianum ac Chromatium praedictos, et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, motu simili, non ad dictorum Camilli et Blasii, ac Sanctii, et Octaviani, ac Chromatii, aut alicuius eorum desuper nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula statuta praedicta superius expressa, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus. Ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus: illaque ab omnibus et singulis dictae Congregationis religiosis, quovis officio seu dignitate fungentibus, ubicumque existentibus, praesentibus et futuris, integre, et cum effectu, et ad unguem, perpetuo et inviolabiliter observari mandamus, ac sub privationis officii, necnon vocis activae et passivae, et aliis a generali et consultoribus dictae Congregationis in contrafacientes eorum libero arbitrio imponendis poenis, ne quisquam eorum illi contradicere, aut repugnare vel adversari, directe seu indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio, aut contra illa seu illorum aliquid quoquomodo tractare audeat seu praesumat, districtive inhibemus, illaque de novo, quatenus opus sit, eisdem auctoritate et tenore, edimus et facimus.

Constitutionem Gregor. XIV et suam circa novitiorum receptionem editas et alias similes in partibus contrariis revocat.

§ 62. Necnon statuta in litteris ipsius Gregorii praedecessoris contenta, et superius expressa huiusmodi, ac quoddam nostrum circa receptionem novitiorum, die XIII martii, anni Domini millesimi quingentesimi nonagesimi quarti, pontificatus nostri anno tertio, edictum, ac quaevis alia statuta et ordinationes his proximis statutis contraria, seu in toto vel parte repugnantia, aut illa immutantia, in perpetuum, eisdem auctoritate et tenore, revocamus et abrogamus, ac revocata et abrogata esse decernimus, et illorum observationem prohibemus.

§ 63. Litteris dictorum praedecessorum ac nostris praedictis alias in suo robore permansuris, quas omnes et singulas suum omnino effectum alias sortiri volumus, illisque robur apostolicae confirmationis adiicimus.

Sixti V et Gregor. XIV constitutiones in caeteris confirmat.

§ 64. Decernentes easdem praesentes litteras, nullo umquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae aut quopiam alio defectu, etiam ex eo quod interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari posse; sicque per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dictae Congregationis superiores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari ac definiri debere, necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae praeservativae.

§ 65. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Tusculanensi episcopis, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta, motu pari, mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, seu alios, praesentes litteras, ac omnia et singula in eis contenta, ubi et quando expedierit, ac quoties pro parte praefecti et sociorum dictae Congregationis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa omnia observari. Non permittentes praefectum ac socios praedictos desuper a quoquam quomodolibet molestari; contradictores, praedicta auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo.

Exequutores deputat.

§ 66. Non obstantibus recolendae memoriae Bonifacii Papae VIII, qua, inter alia, cavetur expresse ne quis extra suas civitatem et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam, a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices ab eadem Sede deputati, extra civitatem et dioecesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere praesumant, et de duabus diaetis in concilio generali edita, dummodo aliquis auctoritate praesentium ultra tres diaetas ad iudicium non trahatur; ac dictorum Sixti et Gregorii praedecessorum, ac nostris litteris, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Derogat contrariis.

§ 67. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Transumptis credi iubet.

§ 68. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, mandatorum, inhibitionis, editionis, facti, revocationis, abrogationis, decretorum, inhibitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, *etc.*

Sanctionem poenalem adiicit.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo, quarto kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 29 decembris 1600, pont. an. IX.

——

CCXLIX.

In causis ad sanctam Inquisitionem haereticae pravitatis spectantibus, iudices et officiales gratis omnia expediant, et mandata universalis Inquisitionis Romanae omnino exequantur, eiusque litteris quam primum respondeatur [1].

Officiales Sanctae Inquisitionis gratis omnia expediant.

§ 1. Sanctissimus Dominus noster volens ac intendens providere, ut causae et negocia quovis modo spectantia ad sanctam Inquisitionem cognoscantur et expediantur omni qua decet integritate, amotis quibusvis sordibus ac pecuniariis solutionibus, statuit et decrevit, ut in posterum omnes patriarchae, archiepiscopi, episcopi, ac quivis Ecclesiarum praelati, seu inferiores Ordinarii, eorumque vicarii et officiales, in causis et negociis Sancti Officii, pro examine testium seu principalium reorum, pro sportulis sententiarum, pro quovis decreto, seu actu, seu quacumque expeditione, nihil omnino exigant et recipiant, etiam a sponte dantibus, sed gratis omnia expediant.

Secretarii et notarii nihil recipiant de his, quae mittuntur ad Inquisitionem Romanam.

§ 2. Ac eorum secretarii, cancellarii et notarii pro scripturis processuum informativorum, seu repetitionis testium fisci, quas mittunt ad sanctam et universalem Inquisitionem Romanam, nihil penitus exigant, sed gratis illas mittant.

Omnes respondeant quamprimum litteris dictae Inquisitionis, et mandata exequantur.

§ 3. Insuper mandavit omnibus supradictis eorumque vicariis et officialibus, ut cum aliquid eis significatur, nomine supradictae Inquisitionis, quam primum litteris rescribant, et negocia iniuncta exequutioni demandent.

§ 4. Et hoc decretum, tam ipsi praelati inviolabiliter observent, quam ab aliis observari curent, et eius exemplaria in eorum cancellariis affixa retineri, ut omnibus innotescat, et in archiviis registrari faciant, sub poena indignationis Sanctissimi Domini nostri, et aliis arbitrio Sanctitatis Suae infligendis.

Hoc decretum affixum retineatur, et in archiviis registretur.

§ 5. In generali Congregatione sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habita in palatio apostolico, apud Sanctum Petrum coram Sanctissimo D. ac illustrissimis et reverendissimis DD. S. R. E. cardinalibus, adversus haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus. Nonis ianuarii, anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCI.

QUINTILIANUS ADRIANUS, Not.

Decret. die 5 ianuarii 1601, pontif. an. IX.

1 De institutione huius Congregationis Universalis Inquisitionis, vide in Pauli III const. XLIII: *Licet*, tom. VI, pag. 344; et de eiusdem facultatibus habes in constit. CXVII, Sixti V: *Immensa*, tom. VIII, pag. 985.

CCL.

Confirmatio statutorum editorum ab exequutoribus testamentariis Catharinae reginae Portugalliae super institutione legati annui MD *scutorum ab eadem relicti pro sustentatione viginti monialium* [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Decet Romanum Pontificem pias institutiones a christianis pietate illustribus reginis factas, et statuta seu ordinationes pro earum exequutione edita, libenter confirmare, cum praesertim catholicorum regum vota id exposcunt, ac alias in Domino salubriter conspicitur expedire.

Legatum Catharinae reginae.

§ 1. Nuper siquidem, charissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae et Algarbiorum regis catholici nomine, nobis expositum fuit, clarae memoriae Ca-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tharinam Portugalliae et Algarbiorum reginam, in eius testamento, inter alia, reditum annuum mille et quingentorum scutorum legasse in favorem viginti puellarum, quae moniales fieri vellent, ut in diversis monasteriis sustentarentur, et huius piae institutionis protectorem et patronum Portugalliae et Algarbiorum regem pro tempore existentem deputasse, ac nonnullis exequutoribus ab ea in testamento nominatis ordinasse, ut statuta et ordinationes pro felici exequutione dictae piae institutionis conderent, quae postea ab Apostolica Sede confirmarentur.

Exequutores testamentarii edita a se super illo statuta petunt confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, capitula et ordinationes huiusmodi ita condita fuerint, tam circa qualitates monialium quam circa modum illas nominandi, cumque idem Philippus rex cupiat eadem statuta et ordinationes, quae nobis examinanda et corrigenda proponi fecit, apostolicae firmitatis robore perpetuo communiri; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmat Clemens.

§ 3. Nos igitur eiusdem Philippi regis piis votis annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eadem statuta et ordinationes, quae a dilectis filiis nostris Camillo sanctorum Ioannis et Pauli, Burghesio, et Pompeio S. Balbinae titulorum, presbyteris Arrigonio nuncupatis S. R. E. cardinalibus, examinari, et nobis referri, quae inferius ad verbum inseri voluimus, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus, eademque statuta et ordinationes perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtineri.

Clausulae.

§ 4. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus. Volumus autem ut viginti cruciati annui qui, iuxta quintum caput dictorum statutorum, unicuique ex dictis monialibus pro earum indumento dari debent, de manibus suae superioris a qualibet ex eisdem monialibus capiantur; praecipientes in virtute sanctae obedientiae dilectis in Christo filiabus abbatissis, priorissis et aliis praelatis ac monialibus et conventibus monasteriorum, in quibus dictae viginti moniales sunt receptae, ac sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis officiorum, vocisque activae et passivae ipso facto incurrendis poenis, quatenus omnia et singula in dictis capitulis et ordinationibus contenta observent; praecipue vero, cum aliqua loca earumdem monialium vacaverint, intra tempus in dictis capitulis praefixum, praedicto regi significare teneantur.

Exequutores huius constitutionis deputati.

§ 5. Quocirca dilectis filiis decano Ulixbonensi, ac decano capellae regiae etiam Ulixbonensis per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi, quando et quoties opus fuerit, solemniter publicantes, faciant, auctoritate nostra, capitula et ordinationes praedictas ab iis, ad quos spectat et in futurum spectabit, perpetuo observari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

Tenor autem capitulorum et ordinationum huiusmodi est qui sequitur, videlicet:

CAPUT I.

De annuis reditibus, seu de censibus perpetuis, quos quodlibet ex monasteriis, in quibus moniales recipiendae erunt, habere debebit.

Primo monasteria, in quibus viginti moniales huius institutionis receptae forent, habebunt suos annuos reditus, sive census perpetuos unicuique applicatos, secundum numerum monialium in eo recipiendarum ad rationem triginta millium *Reis* annuorum (triginta millium *Reis* constituunt septuaginta quinque scuta monetae) pro qualibet ex praedictis monialibus, cum conditionibus in hoc compromisso et contractu, cum praedictis monasteriis iniendo, declarandis, et conservatio seu administratio dictorum annuorum perpetuorum censuum spectabit ad praedicta monasteria et ad praelatas et officiales illorum, quae sunt et pro tempore fuerint, et ad quas spectat administratio et cura bonorum praedictorum monasteriorum, et pro praemissorum effectuatione unumquodque ex praedictis monasteriis penes se habebit in arca communi titulum census sibi pro rata accommodati dictorum annuorum censuum cum praesenti compromisso, qui census annuus est perpetuus, sine pacto de retrovendendo, et fundatus super gabella carnium civitatis Ulixbonensis.

Reditus.

CAPUT II.

Quod reges istorum regnorum sint patroni istius institutionis, ad quos spectet provisio monialium.

Secundum ordinationem relictam a sua celsitudine, reges, qui pro tempore fuerint istorum regnorum, erunt protectores et patroni huius institutionis, et ad eos in solidum pertineat provisio locorum dictarum religiosarum, ut possint, hoc medio, consulere aliquibus filiabus personarum de eis benemeritarum, servando ordinem in huiusmodi statutis declaratum, et cum eorum provisione admittentur illae, quae admittendae erunt in praedictum numerum, ut superiores et praelati praedictorum monasteriorum videant, atque examinent, si ita praesentatae habent partes et qualitates iuxta huiusmodi institutionem, et eorum respective constitutiones et ordinationes necessarias.

Patroni.

CAPUT III.

De qualitatibus et conditionibus, quas habere debent admittendae ad dicta monasteria.

Nulla admitti possit ad numerum dictarum viginti monialium, nisi nata fuerit ex legitimo matrimonio, super quo numquam dispensatio petatur, neque obtenta suffragetur, et erunt christianae veteres, omni penitus iudaica ac maurica stirpe exemptae et alienae (hoc enim necessarium est pro maiori istorum monasteriorum institutionis auctoritate), aetatis duodecim annorum adimpletorum, et non excedent aetatem quadraginta annorum, et erunt bonae vitae et famae, et bona corporali valetudine fruentes, necnon scientia, iudicio atque discretione requisitis ad profitendum vitam religiosam, cum caeteris aliis qualitatibus, quae in ordine, in quo admittendae erunt, requiruntur. Et quia huiusmodi institutionis intentio ad aliud non tendit, quam opitulandis pauperibus puellis indotatis, ac omni alio auxilio destitutis, animadvertendum erit, si in caeteris erunt aequales, quod pauperiores praeferantur, et inter aequaliter pau-

Qualitates admittendarum.

peres, praeferantur magis nobiles et melioris stirpis.

Caput IV.

Quod non admittantur ad computum sexcentorum millium Reis *plusquam viginti moniales, ad rationem triginta millium* Reis *pro qualibet.*

Monialium numerus.

Item, cum magnae sit importantiae, et plurimum intersit religiosis, quod provideantur de omnibus sibi necessariis, ne indagatio remedii suarum indigentiarum eis occasionem praebeat distractionis, nullo modo (licet pium esse videatur) augendus erit numerus viginti ad computum dictorum sexcentorum millium *Reis*, quia, ut dictum est, unicuique moniali saltem et ad minus triginta mille *Reis* erunt applicandi anno quolibet.

Caput V.

Quod unicuique ex viginti monialibus dentur viginti cruciati, anno quolibet, pro earum indumento.

Indumenta.

Item, sicut eis dantur triginta mille *Reis* pro qualibet, loco portionis victus singulis earum assignatae, dabuntur viginti cruciati annui (constituunt viginti scuta monetae) unicuique ex dictis monialibus pro earum indumento et calceamento; nam circa alia necessaria pro earum sustentatione et aliis indigentiis occurrentibus, tam in valetudine quam in infirmitate, fiet provisio ex ordine communitatis.

Caput VI.

De haereditatibus futuris, et quid moniales admittendae in earum admissione afferre debebunt.

Haereditates.

Cum istius institutionis intentio sit favere illis, quae ita pauperes sunt, ut non habeant unde possint dare dotes monasteriis, si religiosae esse vellent, neque commode alium vivendi modum habere, si aliqua habebit bona, non quidem sufficientia ad aliquid ex supradictis, ad monasterium spectabunt, in quo recipietur; et si postquam professionem emiserit, aliqua bona ex testamento sive donatione, aut alias ad eam pervenient, monasterio eidem pariter acquirentur, quia licet peti ab eis non possit maior dos, quam datur iure istius institutionis, neque sint obligatae afferre, nihilominus monasterium non amittet ius, quod in haereditatibus legitimis seu aliis bonis, quovis modo, religiosae praedictae habere poterunt; et ut observetur mos et consuetudo monasteriorum, et solemnitates fieri solitae in ingressibus religiosarum, et pro illarum consolatione, illae quae recipiendae erunt, adducent duo cubilia solita in dormitorio et infirmaria, et decem mille *Reis* pro ientaculo (constituunt viginti quinque scuta monetae), et quinque pro cera, ultra suum indumentum, quia videtur nulla fore adeo miserabilis et destituta, ut praedicta afferre non valeat.

Caput VII.

Quod nemini detur caedula seu fiat promissio, priusquam vacet locus, in quo admitti debeat.

Nominationes.

Ad evitanda igitur nonnulla inconvenientia, quae procul dubio succedere possent, si contrarium fiet, nulla persona providebitur, neque nominabitur in aliquo ex dictis locis, antequam vacet locus, in quo admitti debeat, eique nulla dabitur caedula neque fiet promissio aut expectativa, aut memoria, unde certitudo aliqua haberi possit de futura admissione ante vacantiam, et tales caedulae, promissiones, expectativae et assignationes erunt nullae, et persona, cui dabuntur, remanebit inhabilis et incapax in futurum ad quaecumque loca, quae vacare contingent.

Caput VIII.

De modo, qui observandus erit circa provisionem locorum vacantium.

Provisio locorum vacantium.

Quando aliqua ex praedictis monialibus ex hac vita discedet, abbatissa seu priorissa monasterii ubi obierit, erit obligata intra trium dierum spatium primo sequentium illud notificare capellano maiori regis istorum regnorum qui pro tempore fuerit; et in absentia capellani maioris, decano suae capellae, qui illico suae celsitudini nuntiabit unum locum vacare per obitum unius monialis, de quo est facienda provisio in tali monasterio; et statim, intra decem dies, dictus locus providebitur, praesentando ad illum personam, quae sibi servitio Dei magis idonea et apta videbitur, iuxta ista statuta, et obtinebitur desuper provisio; qua provisione data et obtenta, post alios decem dies, a data dictae provisionis computandos, persona praesentata erit obligata certiorare abbatissam seu priorissam praedicti monasterii de sua praesentatione, ut se informent et sciant an in ea concurrant partes et qualitates requisitae, iuxta istum compromissum et constitutiones suae Religionis, et reperto eam illas habere, illico et incontinenti admittetur in praedicto loco, et postquam admissa fuerit, erit obligata ingredi monasterium in spatio triginta dierum primo sequentium, et illa quae intra decem dies non certioravit monasterium post praesentationem suam, ut dictum est, vel si postquam fuerit admissa intra dictos triginta dies non fuerit ingressa monasterium, praesentatio facta per regem, et admissio per conventum ei minime suffragentur, et talis persona de illo loco non poterit provideri, et habebitur pro vacante, et poterit provideri alteri; quae ad unguem observanda erunt, ne praebeatur occasio dilationis et discursus temporis, et ne numerus dictarum viginti monialium, contra institutionis istius et institutricis intentionem atque voluntatem, plenus non sit.

Caput IX.

Quod non adsit divisio inter viginti moniales et alias monasteriorum, quin immo in omnibus aequales omnino sint et conformes.

Monialium aequalitas.

Ad conservandum igitur pacis vinculum, necnon ad quamcumque discordiae occasionem tollendam, praedictae viginti moniales, seu quaevis illarum pars, in monasterio, in quo eas degere contigerit, in nihilo ab aliis discrepabunt vel differentes erunt, neque in choro, neque in refectorio, neque in dormitorio, immo in omnibus istis locis et in aliis communitatibus, et in officiis et ministeriis Religionis, observabitur inter illas et alias ordo, qui servari solet generaliter in monasterio, ita quod nullus locus sit pro illis separatus; et praelati et praelatae, et confessarii habebunt particularem curam, ut inter moniales evitentur omnes occasiones divisionum et discordiarum, immo quod unio et conformitas Religionis conservetur.

Caput X.

Quod particulariter commendare debent Deo Domino nostro reginam dominam nostram, et quod teneantur diebus singulis recitare tertiam partem rosarii Beatae Mariae.

Orationes.

Praedictae religiosae particularem curam habebunt commendandi Deo animam reginae dominae Catharinae dominae nostrae, quae ordinavit istam institutionem, et regis Don Ioannis III mariti sui, et regis Don Sebastiani sui nepotis, qui in coelis maneant, et principum filiorum suorum et regum et reginarum istorum regnorum, et salutem prosperitatemque

regis domini nostri, ac regum et reginarum, qui postea venerint, necnon bonam conservationem et augmentum istorum regnorum, et propter particularem devotionem, quam celsitudo sua habebat erga Rosarium Beatae Mariae, quolibet die, recitabit quaevis ex istis monialibus tertiam partem praedicti rosarii, videlicet quinquaginta *Ave Maria*, et quinque *Pater noster* pro praedicta intentione.

Caput XI.

Quod scribatur in aliquo lapide in claustro posito substantia istius institutionis.

Institutionis memoria.

Et ut de huiusmodi institutione imposterum memoria habeatur, et oblivioni minime tradatur, apponetur lapis in pariete claustri uniuscuiuslibet monasterii, in quo aliquae ex praedictis monialibus receptae erunt, in quo scribetur illius substantia, cum brevibus verbis, et numerus monialium, quae in singulis monasteriis recipientur.

Caput XII.

Quod obtineatur confirmatio apostolicae istius institutionis.

Confirmatio S. Sedis petenda.

Et ut institutio ista firma sit et valida, et nullo unquam tempore immutari valeat, petenda erit a S. Sede Apostolica confirmatio, cum omnibus et singulis clausulis et censuris necessariis ad obligandum monasteriorum praelatos pro observatione contentorum in isto compromisso, tam quoad tangentia provisionem necessariam praedictarum religiosarum, quam alias obligationes, quae in eo declarantur, et in contractu inito cum praedictis monasteriis. Monasteria autem, in quibus praefatae viginti moniales sunt assignatae et acceptatae, sunt sequentia. In monasterio de Odivillas, Cisterciensis Ordinis, sito extra muros civitatis Ulixbonensis sunt assignatae tres moniales. In monasterio de Sperança Ordinis S. Clarae civitatis Ulixbonensis tres moniales. In monasterio S. Annae civitatis Ulixbonensis duae moniales. In monasterio *das Chagas*, Ordinis S. Francisci, oppidi de Villa Vicosa, Elborensis dioecesis, una monialis. In monasterio S. Monicae civitatis Elborae, Ordinis S. Augustini, una monialis. In monasterio Dominae nostrae *de Graca*, Ordinis S. Dominici, oppidi de Abrantes, Egitaniensis dioecesis, decem moniales.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIII ianuarii MDCI, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 23 ianuarii 1601, pontif. an. IX.

CCLI.

Erectio oppidi Burgi S. Domnini in civitatem, et collegiatae ecclesiae Sancti Domnini in cathedralem [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Super universas orbis Ecclesias, Eo disponente qui cunctis imperat et cui omnia obediunt, meritis licet imparibus, constituti, dignum, quin potius debitum arbitramur, in irriguo militantis Ecclesiae agro novas episcopales sedes ecclesiasque plantare, et dioecesum partes commodioris regiminis causa dividere, ac alias circa illa propensis studiis intendere, per quae divinus cultus et popularis devotio augeatur, salusque animarum subsequatur; necnon oppida insignia, et incolarum multitudine referta, condignis titulis et honoribus illustrentur, ipsique incolae propriorum praesulum assistentia et regimine, apostolicae potestatis plenitudine, suffulti, proficiant in Domino, et quod in temporalibus sunt adepti, non careant in spiritualibus incremento.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Oppidi huius, eiusque collegiatae ecclesiae decor et dignitas.

§ 1. Sane cum oppidum Burgi S. Domnini nullius dioecesis, inter Parmae et Placentiae civitates, in via Claudia nuncupata, sub temporali dominio dilecti filii nobilis viri Raynutii Parmae et Placentiae ducis consistens, muris undique cinctum, et siti antiquitate, ac platearum, palatiorum et aedificiorum pulchritudine, nec non plurium nobilium et divitum, diversarumque artium et scientiarum professorum frequentia, populi multitudine, aeris salubritate, territorii decem et septem villis, ac pluribus domiciliis referti amplitudine, rerumque omnium ad victum necessariarum abundantia plurimum insigne, ac in eo una collegiata Sedi Apostolicae immediate subiecta sub invocatione eiusdem S. Domnini, eleganti opere constructa, et tres parochiales ecclesiae, tria virorum et duo mulierum monasteria, quinque hospitalia, et plures confraternitates laicorum cum Monte Pietatis, necnon in ipsa collegiata ecclesia, cuius fabrica in annuo reditu circiter ducentorum scutorum dotata est; una praepositura, dignitas inibi principalis, cuius fructus, reditus et proventus ad valorem annuum mille et trecentorum ducatorum auri de Camera, secundum communem extimationem, ascendunt; octo canonicatus et totidem praebendae, nonnullaque alia beneficia ecclesiastica instituta, ac una sacristia omnibus ad divini cultus usum necessariis optime instructa; necnon corpus eiusdem S. Domnini, et quamplures aliae Sanctorum reliquiae existant, ipsiusque collegiatae ecclesiae praepositus pro tempore existens iurisdictionem ordinariam in oppido et territorio praedictis, curamque animarum eidem collegiatae ecclesiae etiam parochiali incumbentem una cum duobus capellanis ad eum in hoc adiuvandum deputatis, exerceat, usumque mitrae et baculi pastoralis, nec non prope ecclesiam collegiatam huiusmodi unum palatium pro sua habitatione commodum cum viridario, aliisque suis membris et pertinentiis habeat, ac dictus Raynutius dux, pro oppidi et collegiatae ecclesiae praedictorum maiori devotione et honore, divinique cultus augumento, et animarum salute, oppidum in civitatem, et collegiatam ecclesiam huiusmodi in cathedralem erigi, aliaque infrascripta fieri, pro affectu desideret.

Erectio de qua in rubrica.

§ 2. Nos, praemissis et certis aliis rationabilibus causis, diligenter discussis atque perpensis, adducti, ac etiam precibus eiusdem Raynutii ducis nobis in hac parte porrectis inclinati, habita prius desuper cum fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de illorum consilio et assensu, ac apostolicae potestatis plenitudine, in dicta collegiata ecclesia praeposituram praedictam dilecti filii magistri Papirii Pritdi nuper ipsius collegiatae ecclesiae praepositi, iuris utriusque doctoris, in utraque Signatura nostra referendarii et familiaris nostri ad hoc accedente consensu, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo supprimimus et extinguimus, nec non ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac gloriosissimae eius Genitricis Virginis Mariae, totiusque coelestis curiae honorem, et animarum salutem, oppidum in civitatem Burgi S. Domnini nuncupatam, et collegiatam ecclesiam huiusmodi in cathedralem (quae dictae Sedi immediate subiecta sit) sub invocatione praedicta cum dignitate, sede et mensa episcopalibus, ac omnibus et singulis privilegiis, honoribus, iuribus, et insignibus debitis et consuetis pro uno episcopo Burgi S. Domnini etiam nuncupando, qui ipsi ecclesiae Burgi S. Domnini praesideat, et iurisdictionem episcopalem, omniaque et singula, quae ordinis, iurisdictionis et cuiuscumque alterius muneris episcopalis sunt, habeat et exerceat.

§ 3. Ac in eadem ecclesia Burgi S. Domnini unum archidiaconatum, qui maior post pontificalem pro uno archidiacono, ac unum archipresbyteratum, qui secunda dignitas inibi existant (et magistris in sacra theologia, seu doctoribus, aut licentiatis in decretis, si fieri poterit, conferantur) ac cum canonicatibus et praebendis dictae ecclesiae Burgi S. Domnini incompatibiles sint, nec insimul ullo unquam tempore obtineri possint pro uno archipresbytero, qui quidem archidiaconus et archipresbyter supra omnes canonicos ipsius ecclesiae Burgi S. Domnini tam in illius choro, quam capitulo sedeant, vocemque activam et passivam habeant, necnon ultra praedictos octo inibi ad praesens existentes, quatuor alios canonicatus, et totidem praebendas pro quatuor aliis canonicis, qui omnes una cum archidiacono et archipresbytero, aliisque octo canonicis praedictis capitulum huiusmodi constituant, et apud dictam ecclesiam Burgi S. Domnini illi in divinis laudabiliter deserviendo personaliter resideant, habitumque canonicalem tam in choro quam capitulo praedictis, nec non processionibus, et aliis actibus per canonicos aliarum cathedralium ecclesiarum, et dignitates in eis obtinentes gestari solitum, deferant, ac unam perpetuam vicariam pro uno perpetuo vicario, qui curam animarum praedictam ibidem exerceat, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo erigimus et instituimus.

Efformatio Capituli.

§ 4. Necnon ab ecclesia dioecesis Cremonensis totam et integram partem citra dimidium fluminis Padi versus agrum Parmensem, sub temporali dominio eiusdem Raynutii ducis existentem, quae Bulsetum, Monticellum, Libellum, Polosinum, et nonnulla alia oppida, terras, villas, pagos et loca continet, cum illorum iuribus, districtibus, territoriis, clero, personis, ecclesiis etiam collegiatis, monasteriis, prioratibus et aliis beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura saecularibus, ac Ordinum quorumcumque, etiam Militiarum, et piis locis Regularibus, etiamsi venerabilis fratris nostri moderni episcopi, ac dilectorum filiorum capituli Cremonensis et cuiuscumque alterius ad id non accedat assensus, neque ipsi ad praemissa vocati fuerint, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo separamus et dismembramus; illaque sic separata et dismembrata ab omni et quacumque iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione et potestate episcopi nunc et pro tempore existentis, ac capituli Cremonensis praedictorum, et quorumvis aliorum Ordinariorum, eorumque vicariorum, necnon solutione quorumcumque iurium et decimarum eisdem episcopo et capitulo Cremonensibus, ratione iurisdictionis et superioritatis praedictarum, ac alias quomodolibet debitorum nihil prorsus illis reservato, auctoritate et tenore similibus, pariter perpetuo eximimus et totaliter liberamus, necnon ipsi ecclesiae Burgi S. Domnini oppidum sic in civitatem erectum, eiusque incolas et habitatores pro civitate et civibus; comitatum vero, territorium et districtum eiusdem civitatis, ac integram partem a dicta dioecesi Cremonensi, ut praefertur, separatam et dismembratam, cum omnibus et singulis suis oppidis, villis, pagis, locis et districtibus pro dioecesi, necnon personas ecclesiasticas et saeculares earumdem civitatis et dioecesis Burgi S. Domnini pro clero et populo, ac palatium prope ecclesiam S. Domnini huiusmodi cum eius viridario, omnibusque iuribus et pertinentiis universis suis pro futuri episcopi Burgi S. Domnini habitatione, auctoritate et tenore paribus, itidem perpetuo concedimus et assignamus.

Dioecesis assignatio.

§ 5. Insuper mensae episcopali omnes

Dos Episcopo et Capitulo assignata.

et singulos fructus, reditus et proventus suppressae praepositurae praedictae, demptis tamen ex eis centum scutis monetae: archidiaconatui vero centum, et archipresbyteratui aliorum centum, nec non singulis quatuor canonicatibus et praebendis noviter erectis quinquaginta scutorum similium reditus annuos et perpetuos per dictum Raynutium ducem illis donandos et assignandos, ex nunc prout ex tunc, postquam donati et assignati fuerint, vicariae autem praedictis alia centum scuta ultra emolumenta ratione exercitii curae animarum provenientia ex fructibus, reditibus et proventibus suppressae praepositurae huiusmodi, ut praefertur, detracta pro suis respective dotibus, et futurorum episcopi, archidiaconi, archipresbyteri, quatuor novorum canonicorum et vicarii praedictorum sustentatione; ita quod liceat ipsis illorum omnium corporalem, realem et actualem possessionem per se, vel alium, seu alios, eorum respective nominibus pro sua cuiusque rata parte seu portione apprehendere, et perpetuo retinere; fructusque, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta inde provenientia percipere, exigere et levare, ac in suos, mensaeque episcopalis, dignitatum, canonicatuum et praebendarum, per praesentes erectorum, necnon vicariae huiusmodi usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita, auctoritate et tenore praemissis, etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Privilegiorum episcopis, capitulis et cathedralibus competentium concessio.

§ 6. Praeterea episcopo pro tempore existenti, ac capitulo, clero, civitati et dioecesi Burgi S. Domnini huiusmodi, illorumque incolis, civibus et habitatoribus praedictis, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, gratiis, favoribus et indultis, quibus aliarum ecclesiarum cathedralium praesules, capitula, civitates, dioeceses, clerus, cives, incolae et habitatores quomodolibet utuntur, potiuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt, similiter uti, frui, potiri et gaudere; ipsique episcopus et capitulum Burgi S. Domnini quaecumque ordinationes et statuta, licita tamen et honesta, ac decretis Concilii Tridentini, sacrisque canonibus non contraria, super celebratione divinorum officiorum, et personali residentia, ac divisione et participatione distributionum quotidianarum (ita quod medietas, vel ad minus tertia pars fructuum, dignitatum et canonicatuum, et praebendarum praedictorum in usum ipsarum distributionum convertatur) condere et edere, illaque mutare, alterare et alia de novo edere libere et licite valeant, eisdem auctoritate et tenore, similiter perpetuo indulgemus, plenamque et omnimodam desuper licentiam et facultatem concedimus et elargimur.

Theologalis et Poenitentiarius inibi creati.

§ 7. Ulterius statuimus et ordinamus quod ex octo antiquis canonicatibus et praebendis praedictis unus et una pro magistro in theologia, qui Sacram Scripturam legat et interpretetur; alter et altera primo vacaturis pro poenitentiario, qui et confessiones audiat, et munus poenitentiarii exerceat, perpetuo affecti existant, nec aliis ullo unquam tempore, quavis auctoritate, conferri debeant, et aliter factae de eis collationes nullae sint.

Parmensi duci concessum iuspatronatus super archidiaconatu, archipresbyteratu quatuorque canonicatibus.

§ 8. Postremo eidem Raynutio duci, postquam archidiaconatui, et archipresbyteratui, ac quatuor canonicatibus et praebendis noviter erectis praedictis, reditus annuos usque ad quantitatem superius pro unoquoque illorum praescriptam perpetuo donaverit et assignaverit, ut praefertur, eiusque haeredibus et successoribus quibuscumque iuspatronatus et praesentandi Romano Pontifici pro

tempore existenti, seu loci Ordinario ad archidiaconatum et archipresbyteratum, ac quatuor canonicatus et praebendas noviter erectos, tam hac prima vice ab illorum primaeva erectione et institutione huiusmodi vacantes, quam deinceps, quoties illos perpetuis futuris temporibus simul vel successive, quibusvis modis, et ex quibuscumque personis qualitercumque qualificatis in Romana Curia vel extra eam, et in aliquo ex mensibus dictae Sedi Apostolicae per Cancellariae Apostolicae regulas, ac etiam ratione verae et actualis familiaritatis, et continuae commensalitatis Romanorum Pontificum, aut eiusdem S. R. E. cardinalium etiam tunc viventium, seu ex quavis alia reservatione, etiam in corpore iuris clausa, et ex quocumque capite quomodolibet resultante reservatis seu affectis, aut ordinariis collatoribus per easdem regulas, seu litteras alternativarum, vel alias quomodolibet concessis vacare contigerit, personas idoneas per eumdem Romanum Pontificem seu loci Ordinarium in illis ad praesentationem huiusmodi instituendas, auctoritate et tenore similibus, pariter perpetuo reservamus, ac etiam concedimus et assignamus.

Iuspatronatus huiusmodi competere ex fundatione et dotatione eisdem ducibus declaratur.

§ 9. Decernentes iuspatronatus huiusmodi Raynutio duci ac eius haeredibus et successoribus praedictis, ex meris fundatione et dotatione, non autem ex privilegio, competere, nec illi ullo umquam tempore, quacumque ratione vel causa, aut quovis praetextu, etiam cum expressa et specifica, ac de verbo ad verbum illius mentione derogari posse, nec derogatum censeri, et si illi quoquo modo derogetur, derogationes huiusmodi cum inde sequutis nullius fore roboris et efficaciae; sicque et non aliter per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata ipsis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 10. Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit, nostris de iure quaesito non tollendo, ac de unionibus committendis ad partes, exprimendoque valore aliisque Cancellariae Apostolicae regulis, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictarum ecclesiarum Burgi Sancti Domnini et Cremonensis iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis illis, necnon episcopo Cremonensi ac praeposito et capitulis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie etiam motu proprio, et ex certa scientia ac de eiusdem apostolicae potestatis plenitudine, et consistorialiter, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dum-

taxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae poenales.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, concessionis, assignationis, applicationis, appropriationis, indulti, elargitionis, statuti, ordinationis, reservationis, assignationis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo primo, pridie idus februarii, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 12 februarii 1601, pontif. an. x.

CCLII[1].

Renovatio sacrae Eremi Sanctae Mariae Montis Senarii prope civitatem Florentiae, Ordinis Fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis; et praefinitio constitutionum pro recto eius regimine: novitiatusque in ipsa Eremo institutio.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem in his auctoritatis suae partes libenter interponere, per quae divinus cultus augeatur, et Regularium Ordinum reformatio felices in Domino progressus facere, et maiora quotidie valeat suscipere incrementa.

Proponitur Papae restitutio primaevi instituti Eremi Montis Senarii Ord. Fr. Servorum B. M. V.

§ 1. Sane dilectus filius noster Alexander tituli Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis Florentinus, nomine dilectorum filiorum Laelii Ballioni de Florentia prioris generalis Ordinis Fratrum Servorum Beatae Mariae, ac prioris et fratrum domus eiusdem Beatae Mariae Annunciatae civitatis Florentiae dicti Ordinis, nobis nuper exposuit, quod cum dicti Ordinis prima institutio a septem nobilibus et religiosis viris Florentinis, quodam in monte, Senario nuncupato, octavo a civitate Florentina lapide posito, ubi dictorum institutorum corpora requiescunt, originem duxerit, et eodem loco conventus tenuis reditus et angustus dudum extructus fuerit, in quo nunc tres soli fratres dicti Ordinis commorari solent: dicti prior generalis, et prior, et conventus dictae domus Annunciatae primaevi dicti eorum Ordinis instituti et originis memoria excitati, eodem in loco augustiorem domum et ecclesiam extruere, illucque septem fratres professos praedicti Ordinis, qui ad primaevi dicti Ordinis instituti normam, perpetuis futuris temporibus, coelestium divinarumque rerum contemplationi vacantes, gratum Altissimo in eremitica vita famulatum praestent, et aliquot alios fratres conversos, qui omnes annum vigesimumquintum excedant, introducere decreverunt.

Ubi haec inter alia, praecipua sint exercitia.

§ 2. Ipsisque fratribus in dicto conventu Montis Senarii, cui sacra Eremus Montis Senarii Ordinis denominatio erit, ultra alia spiritualia Ordinis praedicti exercitia, quae in ipsis Ordinis constitutionibus et S. Augustini regula, sub qua degunt, praecipiuntur, haec nominatim imposita esse volunt onera.

Carnibus nusquam vesci.

§ 3. Ut nimirum nullo tempore carnibus, sed lacticiniis tantum vesci possint.

1 In Clementis VIII constitutionibus ordinandis, quum ad eius Pontificatus annum decimum pervenissemus, sub numero CCLXIV romanae editionis tres bullas nacti sumus, quarum prima data die XII octobris an. MDXCIII, qui erat eiusdem Summi Antistitis pontificatus annus alter; secunda XXIX decembris an. MDC, qui erat nonus; postrema XX februarii MDCI, qui decimus. Quae priores pontificatus annos folia capiunt cum iam praelo commissa essent, nihil nobis aliud superfuit quam supradictas tres constitutiones (quae unum simul efficiunt), innixi notis chronologicis tertiae, in annum decimum tranferre; quod etsi non optimo, rationabili tamen consilio factum a nobis fuisse prudens lector iudicabit. (R. T.).

Ieiunare secunda, quarta et sexta feria, ac in Quadragesima et Adventu,

§ 4. Secunda, quarta, et sexta feriis totius anni ieiunare, sed in ipsa sexta semper, et in reliquis secunda et quarta feriis huiusmodi in Adventu et Quadragesima ieiunium cum pane et aqua tantum facere teneantur.

Proprietatemque non agnoscere.

§ 5. Utque in eo conventu illud regularis vitae institutum, quod a primis illis institutoribus observabatur, servari debeat, ita ut vere sint illis omnia communia, cor unum et anima una in Domino, iuxta Beati Augustini regulam, quam profitentur.

Dicti Eremi gubernium spectare ad conventum Annunciatae civitatis Florentiae, eiusque membrum perpetuo esse.

§ 6. Intendunt praeterea fabricam dicti conventus sumptibus et impensis praedictae domus Annunciatae facere, ac deinde fratribus huiusmodi in eodem conventu pro tempore degentibus, victum et vestitum aliaque necessaria, tam pro divino cultu, quam pro conventus restauratione ex annuis eiusdem domus Annunciatae reditibus subministrare; dummodo tamen ipse conventus seu sacra Eremus, tamquam ipsius domus Annunciatae membrum, ab ipsa domo dependeat, ac superiorum dictae domus, priorisque provincialis provinciae Tusciae (in qua dicta domus Annunciatae consistit) atque prioris generalis pro tempore totius Ordinis Fratrum Servorum iurisdictioni tam in spiritualibus, quam in temporalibus, prout aliae omnes domus et conventus praedicti Ordinis, subsit, nec ullo umquam tempore quavis de causa, colore vel ingenio a dicta superioritate et obedientia subtrahi, vel quoquo modo eximi possit; sed singulo transacto biennio, iusta constitutionum Ordinis formam, a priore et a fratribus eiusdem conventus Annunciatae de vicario provideatur, qui sub obedientia dicti prioris conventus Annunciatae, prout alii vicarii conventuum illi unitorum, ex praescripto litterarum felicis recordationis Gregorii Papae decimitertii, praedecessoris nostri, super regimine dicti conventus Annunciatae emanatarum subsunt, maneat.

Pontificia confirmatio a priore generali et priore et conventu Annunciatae domus petitur.

§ 7. Cum autem dicti Laelius prior generalis, ac prior et conventus domus Annunciatae praedictae, cupiant praemissa omnia, ut perpetuo firmiora subsistant, apostolicae nostrae auctoritatis patrocinio communiri; nobisque propterea humiliter supplicari fecerint, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Conceditur que.

§ 8. Nos piis Religiosorum votis, divini praesertim cultus et regularis observantiae incrementum respicientibus, quantum cum Domino possumus, benigne faventes, huiusmodi supplicationibus inclinati, laudabile dictorum prioris generalis, ac prioris et conventus Annunciatae propositum huiusmodi plurimum in Domino commendamus, ipsiusque erectionem, extructionem, introductionem, aliaque omnia et singula praemissa, prout supra expressum est, accedente tamen Ordinarii loci consensu, et sine cuiusquam praeiudicio, faciendi, statuendi, ordinandi et exequendi plenam et liberam, apostolica auctoritate, tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur; eademque omnia et singula, si et postquam facta fuerint, auctoritate et tenore praedictis confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae confirmationis robur adiicimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus.

Eremi Senarii titulus conceditur et membrum domus Annunciatae declaratur.

§ 9. Atque domum seu conventum Montis Senarii, cui sacrae Eremi Montis Senarii Ordinis Servorum denominationem et titulum concedimus et assignamus, tamquam membrum dicti conventus Annunciatae dependere, ipsiusque vicarium singulo quoque biennio per priorem et conventum Annunciatae eligendum.

§ 10. Ac fratres et religiosos ipsius

Superioribus dicta domus, ac priori provinciali et generali perpetuo subiicietur.

conventus Annunciatae, superioribus et priori provinciali ac generali praedictis subesse, neque ab huiusmodi obedientia, quovis praetextu, causa, ingenio vel quaesito colore subtrahi aut eximi posse.

Prior et conventus Annunciatae necessaria Eremo subministrent.

§ 11. Ipsos vero priorem et conventum Annunciatae, victum et vestitum, aliaque necessaria tam pro divino cultu, quam pro manutentione et restauratione domus praedictae sacrae Eremi, illiusque fratribus et religiosis in perpetuum subministrare debere.

In contrarium attentanda, irritantur.

§ 12. Sicque per quoscumque dicti Ordinis superiores, et alios iudices ordinarios et delegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Exequutores huius constitutionis deputantur.

§ 13. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Florentino, ac dilectis filiis ipsius Ordinis, apud nos et apostolicam Sedem protectori, ac nostro et apostolicae Sedis apud magnum Etruriae ducem nuncio, nunc et pro tempore existentibus, per praesentes committimus et mandamus, ut ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alios, ubi et quando opus fuerit, praesentes litteras solemniter publicantes, atque pii huiusmodi et laudabilis operis institutioni et conservationi efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra omnia et singula praemissa, per eos, ad quos spectat et pro tempore spectabit, exequi et observari; praesertim vero dictos priorem et conventum Annunciatae ad idem sanctum opus exequendum et manutenendum, ut supra (ne impii Daemonis astu, temporumve iniquitate, aut fratrum incuria perire aut intermitti valeat) excitent, et si opus sit, cogant et compellant. Contradictores quoslibet per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria removentur.

§ 14. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus, et sinodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac Ordinis praedicti, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXII octobris MDXCIII, pontificatus nostri anno II.

Dat. die 22 octobris 1593, pontif. an. II.

Sequitur alia ordinationum dictae sacrae Eremi praefinitio.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In his rebus auctoritatis nostrae partes libenter interponimus, per quae religiosorum statui prospere dirigendo opportune provideatur.

Confirmatur praecedens constitutio.

§ 15. Cupientes igitur prospero statui et felici gubernio domus et Eremi Montis Senarii, Ordinis Servorum B. Mariae, Florentinae dioecesis, quantum cum Domino possumus, salubriter consulere, supplicationibus pro parte dilectorum filiorum prioris generalis dicti Ordinis, ac prioris conventus B. Mariae Annunciatae civitatis Florentinae eiusdem Ordinis Fratrum Servorum, necnon vicarii et fratrum dictae Eremi Montis Senarii, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eos omnes et singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie

absolventes, et absolutos fore censentes, ex sententia et voto venerabilis fratris Iulii Antonii, episcopi Praenestinensis, cardinalis S. Severinae nuncupati, ultra ea, quae per alias nostras in simili forma brevis litteras sub dat. XXII octobris MDXCIII, pontificatus nostri anno secundo, expeditas, quorum tenorem praesentibus pro expressis haberi volumus, pro dicta Eremo Montis Senarii concessimus, quae omnia et singula per praesentes etiam perpetuo confirmamus et approbamus, ac perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore decernimus.

Vicarius Eremi eligatur ex ipsis eremitis.

§ 16. Quod vicarius eligendus pro regimine domus et Eremi praedictae Montis Senarii pro tempore in perpetuum sit et esse debeat unus ex ipsis eremitis, sacerdos aetatis annorum supra XXXIII, qui saltem per biennium in Eremo vixerit, in illius defectum ille ex eremitis pro vicario eligatur, qui magis accedit ad huiusmodi conditiones.

Eremitarum professio, quae esse debeat.

§ 17. Quodque omnes fratres eremitae probationis annum in dicta Eremo agere debeant, quamvis alias in familia aliorum fratrum eremitarum professionem emiserint; quo anno elapso, solemniter profiteri in manibus prioris conventus Annunciatae supradicti teneantur, promittendo, iuxta constitutiones factas et faciendas, inter fratres ipsos eremitas perpetuo vivere.

Post eam ab Eremo diverti non possit.

§ 18. Post emissam vero professionem ab huiusmodi instituto, a superioribus cuiuscumque gradus sint, etiam si cardinalatus dignitate praefulgeant, quoquo modo, etiam ad breve tempus, diverti non possint, et quacumque relaxatione seu dispensatione penitus explosa.

Superiorum auctoritas dandi licentiam circa chori servitium et ieiunium.

§ 19. Liceat tamen superioribus licentiam concedere infirmis et aliis ob aliquam legitimam causam, ut servitio chori sint immunes, nec ab observatione ieiunii a constitutionibus Eremi indicti generaliter, quando dies festus solemnis incidit in ferias ieiuniorum, seu ad ieiunandum, quo causa [1] altera die eiusdem hebdomadae fratres ieiunent, itaut in qualibet hebdomada trium dierum ieiunium compleatur.

Recipiendorum novitiorum forma datur.

§ 20. Quod saeculares novitii recipiendi et admittendi, sint saltem aetatis annorum viginti duorum, ac recipi et admitti non possint, nisi de consensu capituli fratrum ipsius domus et Eremi, necnon prioris et magistri novitiorum conventus Annunciatae, quorum insimul convenientium suffragia obtinere debeant, aliorum superiorum consensu minime requisito. Fratres vero de familia iam professi, qui vitam et observantiam fratrum eremitarum profiteri voluerint, non admittantur, nisi praecedente etiam consensu capituli conventus Annunciatae. Reiici autem vel admitti ad professionem debeant tam fratres de familia praedicti, quam alii a saeculo venientes novitii, de voto et auctoritate tantummodo fratrum ipsius Eremi; et post emissam professionem unusquisque contentus sit loco sibi debito ratione temporis emissae professionis, nullo habito respectu graduum magisterii, baccalaureatus, vel alterius dignitatis cuiuscumque.

Usus carnium infirmis dumtaxat concedendus.

§ 21. Quod non liceat fratribus huius Eremi, etiam iter agentibus, vesci carnibus, nisi ex causa infirmitatis, et tunc de consilio medici physici, et de licentia superioris Eremi.

Aliis vero in Eremo eis vesci vetitum.

§ 22. Quinimmo in ipsa Eremo, nec etiam quibusvis aliis, cuiuscumque gradus, status et conditionis sint, permittatur carnes comedere, sed cibis ipsis concessis, et non aliis uti debeant.

Hospites per duos dies tantummodo recipiantur.

§ 23. Et quicumque illi sint, exceptis superioribus, et quibus a priore conventus ad poenitentiam iniunctum esset, ut eamdem vitam cum ipsis eremitis per plures dies ducerent, per duos tantum

1 Legimus *quo casu*. (R. T.).

dies ad hospitium recipiantur; quibus elapsis, hospitii et victus subministratio omnibus denegetur.

Eremus quaecumque legata et eleemosynas habere possit.

§ 24. Quod fratres possint exigere, consequi et habere quaecumque legata, et eleemosynas, quae ipsi Eremo fient, necnon quaecumque bona mobilia et immobilia ac semoventia, quae Eremo quomodolibet obvenient, per ingressum et professionem novitiorum, seu alios quomodocumque ac qualitercumque.

Quae sint ipsius eremi, pro substentatione et augmento.

§ 25. Quae legata, eleemosynae et bona sint et esse intelligantur Eremi praedictae, ut ex eis, eorumque reditibus, non solum fratrum ibi degentium substentationi ac sacristiae necessitati provideri valeat, sed etiam ut, absque gravamine conventus Annunciatae, possit augeri eremitarum numerus, liceatque novas cellas construere, etiam pro iis, qui vitam vellent ducere omnino solitariam, quod fiat de consensu discretorum dicti conventus Annunciatae, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus, atque concedimus et indulgemus.

Contrariis derogatur.

§ 26. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Eremi et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIX decembris MDC, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 29 decembr. 1600, pontif. an. IX.

Sequitur erectio novitiatus in dicta Eremo.

Clemens Papa VIII.

Ad propagationem dicti eremi novitiatus ibi instituitur.

§ 27. Ordinis vestri conservationi et propagationi, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes, motu proprio, et ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, in sacra Eremo Montis Senarii novitiatum vestri Ordinis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, erigimus et instituimus.

Receptionis norma datur.

§ 28. Vobisque, ut in Eremo praedicta novitios qui qualitates requisitas iuxta constitutionem nostram super receptione novitiorum nuper editam habeant, servata in omnibus et per omnia dicta constitutionis forma, ad habitum per eremitas vestri Ordinis gestari solitum recipere, et deinde elapso probationis anno ad professionem per eosdem eremitas emitti consuetam regulares admittere libere et licite possitis et valeatis, auctoritate et tenore praesentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Derogat contrariis.

§ 29. Non obstantibus probatione facta, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XX februarii MDCI, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 20 februarii 1601, pontif. an. X.

CCLIII.

Decreta generalia pro reformatione regularium, tam monachorum quam mendicantium, cuiuscumque Ordinis et Instituti[1].

Clemens Papa VIII.

De servitio Chori;

Nullus omnino, praetextu cuiuscumque privilegii, vel superioritatis, etiam generalatus, a servitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum lectoribus autem et praedi-

1 Sic efformatum a Cherubino Summarium obsequii causa non immutavi. Sed ex § 28 et 29 satis manifeste apparet, hanc constitutionem esse peculiarem pro Ordine Servitarum.

catoribus superiores (iis tantum diebus, quibus eos legere, aut praedicare contigerit) dispensare possint. Idem quoque praestare valeant cum aegrotis et studiorum causa legitime impeditis. In eos vero qui negligentes aut inobedientes fuerint, salutari poenitentia superiores animadvertant, ad praescriptum regulae et constitutionum, alimentis etiam, si opus fuerit, subtractione.

Lectione Sacrae Scripturae vel casuum conscientiae in conventibus;

§ 1. Lectio Sacrae Scripturae vel casuum conscientiae, bis in hebdomada, praescriptis diebus in singulis conventibus habeatur, ad quam fratres omnes conveniant; eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam sese utiliter exerceant.

Paupertatis voto observando;

§ 2. Quod Tridentini Concilii decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, praecipitur ut nullus ex fratribus, etiamsi superior sit, bona immobilia vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro missis tam in propria ecclesia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore et causa, et quocumque nomine acquisita (etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint) tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere possit, sed ea omnia statim superiori tradantur, et conventui incorporentur, atque cum caeteris illius bonis, reditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit. Neque superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem fratribus, aut eorum alicui, bona stabilia, etiam ad usufructum vel usum, administrationem aut commendam, etiam depositi aut custodiae nomine concedere. Eorum vero, quae ad necessitatem concessa erunt, nullus quidquam possideat, ut proprium, neque ut proprio utatur. Qui in praemissorum aliquo deliquerit, poenas nedum a Concilio Tridentino praescriptas, sed alias quoque multo graviores, superiorum arbitrio imponendas, incurrat. Nulla quorumcumque superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona mobilia vel immobilia, fratres excusare possit, quo minus culpae et poenae ab eiusdem concilii decretis impositae, et ipso facto incurrendae, obnoxii sint; etiamsi superiores asseverent huiusmodi dispensationes aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.

Vestitu et suppellectili;

§ 3. Fratrum vestitus et suppellex cellarum ex communi pecunia comparetur, et omnino uniformis sit fratrum et quorumcumque superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conveniat, ita ut nihil superflui admittatur, nihil etiam quod sit necessarium alicui denegetur. Quaecumque fratrum vestes, sive laneae sive lineae, omnisque alia suppellex in aliquem commodum conventus locum deferantur, ibique ab uno vel duobus fratribus huic muneri deputatis, diligenter custodiantur, ut inde superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportune possint.

Cibo;

§ 4. Omnes etiam superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino eodemque obsonio, sive eadem, ut aiunt, pitantia, in communi mensa prima vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur; neque singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utatur, ullo modo afferri possit; si quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem et aquam.

Administratione et ratione officiorum.

§ 5. Superiores omnes, etiam generalis, qui reditus aut praestationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta et expensa in libro distincto fideliter et diligenter adnotari curent, neque in alios usus quam ratione officii sui

necessarios, quidquam expendant. Cum vero contigerit, ipsos in aliquo conventu commorari, eam pecuniae quantitatem in commune conferant, ex qua sibi et iis, qui secum erunt, victus ad praescriptum regulae et constitutionum suppeditetur.

Administratione bonorum conventus.

§ 6. Nullus ex superioribus locorum administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum et redituum sui conventus, etiam nomine conventus, per se ipsum habere sive exercere possit, sed universum id onus tribus fratribus eiusdem conventus a generali ita demandetur, ut unus rerum et bonorum, redituumque colligendorum ac exigendorum curam habeat, alter tamquam depositarius pecunias ac caetera ab illo collecta et exacta fideliter asservet, alius de pecuniis et rebus a depositario acceptis priori et fratribus ac conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam veluti bonus dispensator provideat: officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta. Caeterum hi tres tam impensi quam accepti singulis mensibus suo priori, adhibitis etiam duobus vel tribus fratribus eiusdem conventus probatioribus, rerumque usu peritis, rationem reddant; deinde ipsimet rursus praesentibus priore et peritis praedictis, generali, cum advenerit, denique ipse generalis in quolibet proximo capitulo generali, saltem coram tribus iudicibus, ab ipso capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, universamque suae administrationis tam publicae quam privatae rationem reddere teneantur; cuius etiam exemplum authenticum ex actis capituli describatur, ad hoc ut ad omne mandatum nostrum vel Sedis Apostolicae Romam transmitti possit.

§ 7. In unoquoque conventu fratrum, is tantum deinceps constituatur et imposterum retineatur numerus, qui ex reditibus illis propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscumque obventionibus in commune, ut praefertur, conferendis, commode possit sustentari; reditus vero et supradicta omnia in communi loco ac tuto diligenter asserventur.

Numero fratrum cuiusque conventus.

Prohibitione declarandi Concilii Tridentini decreta et istas reformationes.

§ 8. Superioribus autem, ne Concilii Tridentini, aut haec nostra decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo possint, omnino interdicimus et prohibemus. Decernentes irritum, *etc.* Si quis autem contra praesumpserit attentare, is eo ipso omni gradu officioque privatus, et ad ea perpetuo inhabilis existat.

De praedicatoribus et lectoribus.

§ 9. Nullus, nisi actu legat vel praedicet, aliquo sui gradus privilegio gaudeat.

Socio ex causa necessaria alicui concedendo.

§ 10. Si alicui ex necessaria causa, generalis iudicio probanda, socius ex eodem Ordine, qui illi ministret, concedendus erit, is nisi vigesimum quintum agat annum, et qui communi servitio sit deputatus, non concedatur, et si commode fieri potest, sit laicus conversus.

Clausura.

§ 11. Ut omnis scandalorum et vagationis occasio tollatur, conventus clausura perpetuo ac diligenter servetur; ac propterea a superiore ianitor constituatur, qui diligentia ac morum integritate maxime commendetur; is ianuae custodiendae semper assistat, eamque nemini fratrum aperiat, nisi socium et exeundi licentiam obtinuerit.

Exitu e conventu et reditu.

§ 12. Nullus e conventu egredi audeat, nisi ex causa et cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta a superiore; qui non aliter eam concedat, nisi causa probata; sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eumdem saepius. Licentiae vero generales exeundi nulli omnino concedantur. Contravenientes autem poena gravi, etiam carceris,

ad superioris arbitrium plectantur; eamdem etiam ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit. Cum autem quis in conventum revertitur, superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui a socio itineris rationem, et quid rei actum sit, diligenter perquirat.

Adventu ad Urbem.

§ 13. Nullos fratres Romam venire superiores permittant, nisi prius a generali vel protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetraverint. Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire praesumpserit, voce activa et passiva biennio privatus existat, subiturus etiam alias arbitratu superiorum infligendas poenas. Quae item omnia adversus eos, qui supradictos admiserint et receperint, sine ulla exceptione, locum habeant.

Visitatione cellarum.

§ 14. Habeat superior clavem ita fabrefactam, ut cum sibi videtur, cellas omnes reserare possit; et propterea nullus cellam, etiam noctu, ita claudat, quin semper a superiore possit aperiri.

Lampade in dormitorio.

§ 15. In medio dormitorii totam noctem lampas colluccat.

Cellis et suppellectili.

§ 16. Nullus, etiam superior, cellas sive in claustro, sive alibi separatas a communi dormitorio habeat, sed unusquisque unica cella, eadem cum caeteris aliorum fratrum coniuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto et mensa humilibus, uniformique suppellectili, ut praefertur, quemadmodum religiosos decet, contentus sit. Possit tamen generalis alicui ex superioribus conventuum, si eorum muneris et officii necessitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere. Cellae sive aediculae, quae extra dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut alias ad communem usum et commoditatem conventus redigantur. Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt. In privatis cellis nulli camini permittantur, sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam e parietibus convulsis, ut res illa non ad tempus facta, sed perpetuo duratura videatur, cellis tamen generalis, aut alterius superioris ac praedicatoris exceptis.

Fenestris conventus.

§ 17. Conventus fenestrae omnes, quae in vias publicas aut in vicinas laicorum aedes prospiciunt, muro ita obstruantur, ut omnino is prospectus impediatur.

Infirmaria.

§ 18. Valetudinarium in singulis conventibus certo ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ ac fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo fratres omnes, cum aegrotabunt, curentur, nec inde, nisi recuperata sanitate, abire permittantur. Qui vero infirmorum curae praepositi sunt, omni sedulitate ac charitate operam suam praestabunt, ac curabunt ne quid aegrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

Degentibus extra claustra.

§ 19. Ineatur ratio qua, sublatis licentiis ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extra conventus claustra ad ea quamprimum revocentur; nec de caetero, nisi ex gravissima causa a Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint.

Receptione novitiorum.

§ 20. Nulli imposterum ad habitum aut professionem admittantur, nisi in conventibus per Sedem Apostolicam in qualibet provincia deputandis.

Hospitalitatis observantia et largitione munerum.

§ 21. Curent superiores, ut constitutio interdicens largitiones munerum, et praescribens hospitalitatis formam, ab omnibus in quolibet conventu inviolabiliter observetur.

Ambitu.

§ 22. Ut omnis officiorum ambitus occasio praecludatur, caveant omnes a directa vel indirecta vocum seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quam pro aliis, tum in capitulis locorum, tum in caeteris, praesertim generalibus capitulis, aut congregationibus, seu alibi,

Quicumque secus fecerint, praeter alias poenas et censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in poenam privationis officiorum, quae obtinent, eo ipso incidant, et ad futura quaecumque pariter inhabiles habeantur; super quo cum eis dispensari a nemine possit nisi a nobis, vel successoribus nostris, et pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porro supradictas omnes poenas ad complices, ac simpliciter scientes et non revelantes extendimus.

Superiorum et officialium electione.

§ 23. In superiorum et officialium omnium electionibus, forma praescripta a sacro Concilio Tridentino et Ordinis constitutionibus inviolabiliter servetur, iurentque electores, secundum veritatem cuiusque conscientiae, probiores ac magis idoneos se electuros; ac propterea, priusquam ad electionem deveniatur, in primis et ante omnia, praelegantur constitutiones de qualitate et requisitis eligendorum. Ad officia, gradus et praelaturas illi praecipue eligantur, qui possint et consueverint regulas Ordinis et constitutiones observare, praesertim quae pertinent ad servitium chori, ac vestitum et victum communem.

Probatione praedicatorum, lectorum, confessorum et promovendorum ad ordines sacros.

§ 24. Eligantur in capitulo generali vel provinciali aliquot graves et periti ex fratribus cuiuslibet provinciae, saltem tres, qui admittendos ad praedicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum fratrum, ac lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur et ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curae sit examinare et probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores, promovendos ad quoscumque ordines; in quo servetur decretum Congregationis interpretum sacri Concilii Tridentini, hac de causa nuper editum et promulgatum.

§ 25. Illud porro superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio invigilent, ut quae in eorumdem Ordinis regulis et constitutionibus de oratione mentali, silentio, ieiuniis, capitulo culparum, aliisque spiritualibus exercitiis prudenter ac pie sancita sunt, ea omnia et singula ad unguem observentur; intelligantque super his veluti fundamentis omnium religionum aedificia construenda et amplianda esse; quae ut faciliorem exitum sortiantur, et fructus uberiores in animis fratrum producant, valde opportunum erit si in quolibet conventu, singulis hebdomadis, habeatur sermo de religiosa disciplina regularique observantia.

Observantia regularum et constitutionum.

Tabella munerum quotidie explendorum.

§ 26. Quo vero omnia ordinate peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo uniuscuiusque conventus, in qua distincte adnotetur, quid singulis horis cuiusque diei quilibet frater praestare debeat, ut certo quoque signo praemonitus maiori animi praeparatione suo muneri satisfacere possit. Quae Ordinis constitutiones his decretis non adversantur, inviolate custodiendae erunt.

Poena inobedientium.

§ 27. Quibus horum decretorum capitibus certa poena praescripta non est, arbitrio generalis vel alterius immediati superioris infligatur.

Prohibitione has reformationes declarandi.

§ 28. Ut autem haec decreta (donec alia, quae ad pleniorem supradicti Ordinis reformationem facient, edantur) ab omnibus observari possint, districte praecipimus generali ac omnibus aliis quibuscumque superioribus, ad quos hoc spectat, ut curent ac efficiant ea omnia inter alias eorumdem Ordinis constitutiones perpetuo valituras redigi, interdicta omnino eorum singulis facultate illas declarandi, et adversus eas umquam dispensandi. Alioquin sciant se in poenam generalatus et officiorum privationis, ac

inhabilitatis perpetuae ad alia quoque munera, ipso facto et sine ulla exceptione, respective incidisse.

Tempus ad parendum praefinitum.

§ 29. Ne vero, praetextu dilatae publicationis, eorum observatio quoquo modo differri possit aut impediri, volumus ut post illorum publicationem in conventu Sancti Marcelli de Urbe factam, generalem aliosque Ordinis superiores, caeterosque quoscumque fratres praesentes statim, reliquos vero absentes citra montes, unius mensis, ultra montes, trium mensium spatio ita arctent, ac si eorum singulis personaliter intimatae fuissent.

Publicatio earumdem.

§ 30. Insuper mandamus, quod generalis in singulis conventibus citra montes unius mensis, ultra vero montes trium mensium cursu decreta supradicta publicari faciat, sub poena privationis generalatus, aliisque arbitrio nostro imponendis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die vigesima quinta mensis iulii, millesimo quingentesimo nonagesimo nono.

Dat. die 25 iulii 1599.

Declaratio circa licentias veniendi ad Urbem; et contrafacientibus poenam privationis inflictam.

§ 31. Decretum illud, quo fratribus Romam petere cum generalis et protectoris licentia dumtaxat permissum est, Sanctitas Sua extendi ad provincialem decrevit, ita ut provincialis ipse ex causa communi totius Provinciae dumtaxat facultatem huiusmodi facere valeat. Declaravitque poenam privationis vocis activae et passivae contrafacientibus inflictam, Sanctitati Suae reservatam esse, interdicta omnino eorum superioribus singulis, etiam generali ac protectori, facultate illam moderandi ac relaxandi.

Datum Romae die XX martii MDCI.

Dat. die 20 martii 1601, pontif. an. x.

Sequuntur decreta pro reformatione Ordinis Fratrum Servorum B. Mariae.

§ 32. Ex iis, quae S. D. N. Clemens Papa VIII ad Regularium monasteriorum rectam gubernationem instituit et decrevit, eorumque superioribus adamussim exequenda praecepit, nihil fuit, vel re ipsa sanctius, vel necessitatis occasione opportunius, vel religiosae utilitatis ratione optabilius, quam ut vetus et regularis disciplina viris religiosis salutaris ac necessaria, ubi collapsa est, instauretur, et ubi conservata est, perpetuo custodiatur, ut nihil esset, quod obedientiae, paupertatis et castitatis, ac peculiarium votorum observantiam, necnon communem vitam, victum et vestitum impediret, aut per calumniam inficeret. Cum autem compertum sita fratribus Ordinis Servorum, superiorum incuria, saluberrima Sanctissimi Pastoris decreta penitus neglecta esse, ut huiusmodi incommodo occurratur, Congregatio Visitationis et Reformationis Apostolicae eiusdem Ordinis priori generali nuper electo, eiusque pro tempore successoribus in virtute sanctae obedientiae et privationis officii poena proposita praecipit ac mandat, ut statim praedicta decreta pontificia inter ipsius Ordinis constitutiones redigi, et ab omnibus suis fratribus observari, ac praeter illa, quae decretis ipsis praescripta sunt, haec quae sequuntur, speciali Sanctitatis Suae mandato constituta, inviolabiliter ac perpetuo observari curent. Causae huiusmodi decretorum.

De officii divini recitatione.

§ 33. Primum ad ea, quae de divino officio persolvendo statuta sunt, illud additur, ac decernitur, ut poena subtractionis alimenti contrafacientibus proposita, nec a priore, nec ab eo, qui eius vices gerit, remitti possit illi, qui horis canonicis, sive diurnis sive nocturnis, cessante legitima causa, non interfuerit. Deinde ut qui officii initio ad chorum non convenerit, genuflexus in medio chori tamdiu maneat, quamdiu surgendi licentiam a priore impetrarit; tum in refectorio, horam canonicam, quam ob huiusmodi negligentiam omisit, aliis cibum

sumentibus, etiam genuflexus recitare teneantur. Curae sit prioris, ut officium divinum in choro a Fratribus suis locis considentibus devote cum punctis et pausis persolvatur, et ut missae non nisi ex Missalis Romani praescripto, nec nimia celeritate celebrentur; qua in re observabit an in recitatione canonis tantum temporis, quantum ad illius verba devote exprimenda exigitur, a singulis insumatur; et contrafacientes moneat, ac salutaribus poenitentiis coerceat. Ad *Salve Regina* post Completorium cantandum, omnes quotidie etiam officiales et conversi omnino conveniant; et post *Salve Regina*, litaniae Beatae Mariae Virginis pro felici statu S. R. E., pro populo, et pro religionis augumento devote recitentur. Diebus vero festis, post Vesperas et *Salve Regina*, statim cantentur; qui defuerint, eos prior publice corrigat, ac etiam cibi subtractione puniat; quae omnia an servata fuerint, provincialis in visitatione diligenter inquiret, et si priorem negligentem invenerit, illum officio prioratus absolvet.

Ecclesiis aperiendis et claudendis, et allocutione fratrum prohibita tempore divinorum officiorum.

§ 34. Prior curet, ut ecclesia diebus festis hora competenti, pro locorum consuetudine, claudatur et aperiatur; cum autem eam patere necesse fuerit, sacrista vel alius probatae vitae semper adsit, qui indigna ibi fieri prohibeat: peractis divinis officiis, fores Ecclesiae feriatis diebus omnino claudantur, nec nisi ex praescripto constitutionum aperiantur, quod etiam de foribus monasterii cautum intelligatur. Provincialis in visitatione poenam privationis officiorum transgressoribus imponet. Caveant autem fratres ne, quacumque de causa, tempore divinorum officiorum, personas aliquas in ecclesia, vel ad illius sacristiae, aut monasterii ianuas, nisi de licentia prioris, alloquantur, sub poena unius publicae disciplinae.

Exitu a monasteriis.

§ 35. Neque prior, poena suspensionis ab officio eo ipso incurrenda per sex menses proposita, quemque fratrum solum, aut cum socio extra claustra, in via aut aedibus monasterio proximis tunc temporis, aut alias commorari permittet.

Delinquentibus non recipiendis.

§ 36. Neque bannitos, criminosos et delinquentes, seu decoctores in conventu retineat aut retineri patiatur, sub poena privationis officii perpetuo eo ipso incurrenda; eamdemque poenam subeat qui aliquem ex praedictis, etiam annuente priore, in cella aliqua conventus excepérit.

Confugientibus.

§ 37. Confugientes vero ad ecclesiam, et ad alia eorum loca sacra, superiores teneantur, quamprimum commode poterint, deferre episcopo, seu alii loci Ordinario.

Scholis puerorum non admittendis.

§ 38. Nullus puerorum saecularium, etiam clericorum, scholam grammaticae, aut cuiuscumque artis liberalis intra monasterium, sub poena amissionis utriusque vocis ipso facto incurrenda, exerceat, seu aliquem ipsorum doceat, quam poenam etiam prior, qui id permiserit, incurrat. Nec extra conventuum septa quicquam docere liceat, nisi de Sedis Apostolicae licentia, eadem poena proposita.

Extraneis non permittendis.

§ 39. Prior nullo modo, neque praetextu servitutis ecclesiae, in monasterio extraneum quemquam commorari ad edendum, vel ad discendum, sive aliud quidpiam agendum permittat, poena illi suspensionis ab officio per sex menses ipso facto proposita.

Lectorum electione.

§ 40. Verum nemo recte legendi munus suscipiat, nisi is qui duplici doctrina discipulos sibi subiectos instituat, scientia nempe et innocentiae conservatione. Idcirco deinceps huic muneri praeficiatur is, cuius probitas ac mores seniorum patrum testimonio commendentur, ac diligenti adhibito examine de vitae innocentia et doctrina, a priori generali

facultatem in scriptis habeat, qui in lectoribus et magistris constituendis non ingenii solum et eruditionis, sed etiam regularis disciplinae mortificationisque rationem habeat.

Baccalaureatus gradibus concedendis.

§ 41. Ad baccalaureatus gradum nemo deinceps promoveatur, nisi spectatae vitae, religionis et disciplinae regularis observantiae, qua in re diligens fiat a generali, sive eius vicario, provinciali et socio in visitationibus inquisitio per secretum examen, cum iuramento prioris et fratrum eius conventus, in quo proximo triennio commoratus fuerit, ac nisi conclusiones publice egregie sustinuerit, circa illas prius singillatim a generali, sive ab eo deputandis interrogatus, ac idoneus repertus ad eas honorifice sustinendas, nec item eo gradu aliquis decoretur, quem scientiae et aliarum virtutum spes magisteriatus honore dignum non ostendat. Quae omnia in actis referantur, ac in litteris patentibus exprimantur, et si secus factum fuerit, promotio ipso iure nulla sit, ac promoventes poenam privationis officii ipso facto incurrant. Quod etiam in promovendis ad magisterium, eisdem propositis poenis, strictius servari decernitur.

Studentibus recipiendis.

§ 42. Nullus in studentium numero adscribatur, nisi bona indole ac probis moribus excultus, habita fide cum iuramento a priore et fratribus conventus, in quo maiori ex parte resederit, ac nisi grammaticam adeo calleat, ut latine expedite loquatur, ac ad latinos auctores approbatos intelligendos aptus existat; cuius quidem intelligentiae periculum ita fiat: obiiciantur examinando duo auctores nempe ex difficilioribus, ex quibus caput unum saltem ex improviso per alia verba latina interpretetur; poena privationis vocis utriusque ipso facto incurrenda per biennium ipsis adscribentibus, si secus fiat, proposita. Neque aliquis ad philosophiam audiendam nisi probe in dialectica versatus, neque ad theologiam, nisi physica plene instructus, admittatur.

Libris pravis non retinendis in studiis.

§ 43. In studiis vero, praesertim humanioribus, nullus liber adhibeatur, ex quo mores depraventur, et vitae innocentiae periculum immineat.

Qui et quando legere debeant.

§ 44. Regens baccalaureatus conventus et magister studii quotidie legant, spatio unius horae, diebus festis, et die iovis, si festum nullum in hebdomada occurrat, exceptis, a secunda Dominica post Pascha, usque ad xv iulii, a prima die septembris, usque ad xx diem decembris, atque a prima die ianuarii usque ad septuagesimam. Quibus diebus nulli studentium abesse liceat, neque de licentia provincialis, quavis de causa, sub poena privationis studii, ipso facto, incurrenda. Ea vero ratione legent, ut regens toto triennio tres priores libros Magistri sententiarum ex sententia D. Thomae interpretetur (quarto singulis diebus festis post vesperas ab eodem explicato) teneaturque saltem semel in hebdomada lectionem ex metaphysica, vel ex libris ethicorum Aristotelis, prout sibi magis expedire videbitur, habere. Baccalaureus conventus libros Physicae, de Coelo, Generatione et de Anima, iis omissis, quae ob facilitatem omitti solent, eodem tempore explicabit. Magister studii totam logicam, hoc est, librum Praedicabilium, Praedicamentorum, Perihermenias, et Posteriorum exacte; Priorum vero, Elencorum, Topicorum per compendium declarabit. Conclusiones singulis diebus, quibus legitur, ex theologia, philosophia et logica ab unoquoque studentium ex ordine sustineantur, aliis de more per vices arguentibus.

Silentio in disputationibus.

§ 45. Nec liceat alicui ad evitandam confusionem, nisi baccalaureo qui partes sustinentis adiuvabit, et magistro stu-

dii qui partes arguentis fovebit, aliquid, nisi de regentis licentia, dum disputatur, dicere.

Regens omnia studia visitet.

§ 46. Regens ter in anno, expletis lectionibus, per litteras quid et quantum lectum fuerit priori generali significare teneatur, qui semel in anno studia omnia visitare, studentesque singulos, electis iis qui non profecerint, per se vel per alium idoneum examinare debebit.

Qui et quando praedicare possint.

§ 47. Nullus ad praedicandum, nisi magister, aut baccalaureus mittatur; possit tamen generalis aliquem ex studentibus in sacra theologia diu versatum, et ad id munus diligenti examine idoneum repertum, mittere tempore dumtaxat quadragesimali, aliis vero temporibus nulli, neque baccalaureo, neque etiam regenti liceat, neque etiam in propria ecclesia praedicare, ne statutae lectiones deserantur aut intermittantur.

Theologiae tractatio semel in hebdomada habenda.

§ 48. Et quia sacrarum et humanarum litterarum studia cum pietate, bonitate et virtutum omnium exercitatione coniuncta esse debent, ideo semel in hebdomada, die a priori generali constituto, de theologia practica habeatur tractatio, in qua praecipue de virtutibus, quibus alimur in vita spirituali, et de vitiis oppositis, quae tamquam morbos animae caveamus, agatur.

Profectus studiorum a priore generali recognoscendus.

§ 49. Quotannis, certo stato tempore, a priore generali singulorum studentium progressus recognoscantur, cui recognitioni, praeter priorem conventus et lectores, etiam provincialis intersit, seu alius a generale delectus; ii de omnibus quae circa studia providenda erunt, et praecipue de promovendis discipulis ad superiores classes, et de lectoribus et regente, ac ipsismet studentibus mutandis, cum priore generali communicent, neque circa studia aliquid statuatur sine eiusdem patris generalis consensu.

§ 50. Generalis in visitatione baccalaureos quoscumque diligentissime examinabit, et si quos minus idoneos invenerit, itaut sufficienti ad huiusmodi gradum eruditione careant, illos pro ignorantiae modo, aut suspendet, aut privabit. Quod etiam circa alios studentes observetur.

Baccalaurei quoque examinandi.

Lectio sacrae Scripturae, vel casuum conscientiae, qualibet hebdomada habeatur.

§ 51. Curet prior cuiuscumque conventus, ut lectio Sacrae Scripturae, vel casuum conscientiae, ex praescripto decreti apostolici singula hebdomada habeatur. Neque ipse prior ab huiusmodi lectione aliquem abesse permittet. Lectio autem cum collatione non minus spatio unius horae durabit, teneanturque singuli sacerdotes circa propositas a lectore dubitationes interrogati, quid sentiant ex ordine respondere, quibus etiam liceat circa materiam praelectam dubitationes excitare, iisque lector satisfacere teneatur, ac propterea summam saltem aliquam casuum conscientiae habere singuli debebunt. Si lector non legitime impeditus a legendo per hebdomadam cessaverit, voce activa et passiva per annum privatus existat; si per aliam hebdomadam in munere suo obeundo defecerit, per biennium eamdem subeat poenam. Si in contumacia per tertiam hebdomadam steterit, ultra vocis activae et passivae privationem, per quinquennium iure legendi suspensus sit. Si fratres vero studio adscripti lectioni non adfuerint, pro prima et secunda vice, in refectorio panem et aquam publice edant; si tertia deliquerint, voce activa et passiva per triennium, aliisque etiam poenis, arbitrio provincialis, plectantur.

Prioris eligendi qualitates.

§ 52. Ut autem fratres omnes in conscientiae casibus magis versati fiant, nullus deinceps in priorem eligatur, qui non prius ad confessiones audiendas admissus fuerit, aut saltem spatio sex mensium proxime futurorum, ab episcopo loci, in quo prior est electus, admitti se curave-

rit; alias officium illius ipso iure vacare intelligatur.

Et confessoris.

§ 53. Neque aliquis ad confessiones audiendas, antequam praesentetur Ordinario, minor triginta annis a generali admittatur, et qui prius, rigoroso examine, circa doctrinam, mores, et disciplinam, a provinciali, et duobus magistris, onerata ipsorum conscientia, non fuerit approbatus.

Vestimentorum fratrum qualitates.

§ 54. Etsi vestitus exterioris, qui unus esse debet, sicuti una est Religio, et interioris qualitas, in constitutione Ordinis, cap. XIX, satis exprimitur, quia tamen quorumdam temeritas et regularis disciplinae contemptus ita inolevit, ut potius laici, quam religiosi ex habitu videantur, prioribus conventuum, sub poena privationis officii, ac inhabilitatis ad alia officia ipso facto incurrenda, praecipitur ut, omni abusu sublato, vestes fratrum tam interiores quam exteriores ad praescriptum constitutionum corrigant, itaut tunicae talares sint non longiores neque breviores, neque apertae nisi ante pectus, manicae non rugosae, zona non nisi coriacea, caligae tantum albae, vestes interiores albi aut nigri, non mixti aut alterius coloris, camisiae laneae, lineae vero (quae non nisi ob infirmitatem permittuntur) omnino exterius non appareant; cappae non sint rugosae, pilei uniformes, non eminentes, bireta non sint angularia, sed potius rotunda, quae intra claustra tantum, a Paschate Resurrectionis usque ad festum omnium Sanctorum, permittantur; pallia, quibus non nisi cum pluit, ac in itinere utendum est, simplicia; habitus per Urbem semper integer, omnis denique ornatus sericus, argenteus aut aureus, et color in omni re, quamvis minima, praeter in Constitutione expressum, omnisque luxus et superfluitas tollatur, poena fratribus non exeundi septa monasterii per sex menses proposita. Nullus praeterea, quamvis magister, quacumque de causa, annulos, aureos aut argenteos, vel alterius materiae in digitis gestare praesumat, sub poena privationis vocis utriusque ipso facto incurrenda, quam poenam prior remittere non valeat, teneaturque semel saltem in mense cellas et indumenta fratrum quorumcumque diligenter visitare, neque ullo modo aliquid sericum, vel ad arcendum sudorem in biretis aut pileis, aut in alia quavis re permittet. Nemo item barbam sibi circa maxillas, et mentum abradi faciat, sed illam, prout natura protulit, deferat, neque capillos circa tempora prominentiores, aut longiores gestet, quam in occipite, sub poena privationis vocis utriusque ad arbitrium generalis; poena quoque priori, qui permiserit, privationis proposita; provincialis etiam diligenter in visitationibus perquiret, an priores circa praedicta aliquid adversus constitutionem permiserint, ac eos qui in culpa fuerint, officio privabit. Quod si generalis provincialem quoque in re hac negligentem fuisse deprehenderit, possit illum ab officio suspendere, aut etiam pro culpae qualitate privare. Curae sit prioris generalis abusus omnes tollere, et maxime in litteris familiaribus describendis, ut non saeculari, sed religioso more se invicem tractent, aliqua praescripta forma, quae humili religionis statui conveniat.

Syndici officio.

§ 55. Syndicus omnem pecuniam ad manus fratrum quomodolibet pervenientem, in libro reditus, in quo aliae conventus pecuniae adnotari solent, describet, atque cum pecuniis conventus prorsus confusam depositario servandam tradet, ut inde communis victus et vestitus, ut praefertur, suppeditetur, aliisque fratrum necessitatibus de prioris licentia succurratur, iuxta decretum Sanctissimi D. N.

§ 56. Confessarii, praedicatores et le-

Eleemosynis, *etc.*, consignandis priori vel syndico.

ctores, sub poena privationis vocis activae et passivae ad biennium ipso facto incurrenda, eleemosynas, salaria sive mercedes integras priori sive syndico cum aliis bonis conventus confundendas consignare teneantur; teneantur tamen superiores eorum religiosis necessitatibus praecipue, et ea qua decet charitate et providentia, supplere et providere.

Cibum vel potum nemo sumat ante communem refectionem.

§ 57. Nemini liceat ante refectionem communem et benedictionem, praesertim in refectorio, aliquid comedere aut bibere; qui secus fecerit, aut disciplina publica plectatur, aut cibo ea vice careat, quas poenas prior sub poena suspensionis ab officio, provincialis seu generalis arbitratu infligenda, irrogare teneatur.

Neque saecularibus negociis se immisceat.

§ 58. Ne Deo militantes saecularibus negociis implicentur, omnibus et singulis fratribus cuiuscumque gradus existant, inhibetur, ne quis alicuius principis, aut nobilis viri vel alterius, etiam consanguinitatis praetextu, procurator aut negociorum gestor sit, nec in negociationibus ullo modo, aut mercaturis, interpretis sive mediatoris vices, aut aliud saeculare negocium gerat, poena privationis activae et passivae vocis incurrenda illi proposita, praeter alias, arbitrio generalis, irrogandas.

Arma gestare non praesumat.

§ 59. Nullus frater, quovis praetextu, arma cuiuscumque generis gestare, vel apud se retinere, etiam sibi in custodiam ab aliis tradita, sub poena vocis utriusque eo ipso amittendae per annum, ac per sex menses e monasterio non exeundi, praesumat; quod si arma ex prohibitis (uti sunt sclopi rotarii) fuerint, poenam triremium per triennium eo ipso incurret, quam poenam provincialis, omni excusatione remota, sub poena privationis officii, exequi teneatur. Prior autem, qui scienter permiserit, officio omnino privetur.

Bis tantum in hebdomada ex conventu exeundum.

§ 60. Caveat autem prior ne, sub poena privationis officii ipso facto incurrenda, fratribus exeundi licentiam, nisi ad praescriptum constitutionum, hoc est, nisi bis in hebdomada, ac nisi genuflexis, benedictionemque petentibus et cum socio concedat, nec quemquam diebus festis exire permittet, nisi ob casum necessitatis, qui differri non possit.

Fenestris conventus obturandis.

§ 61. Decretum SS. D. N. de fenestris, quae in vias publicas aut in vicinas laicorum aedes prospiciunt, muro obstruendis, quamprimum executioni mandetur, et si lux aliunde non possit, saltem ita obturentur, sive fixe aptentur, ut nulla ratione a vicinis fratres videri queant. Priori poena privationis officii proposita, si secus factum fuerit.

Prioris et fratrum commoratione in eodem conventu.

§ 62. Prior cuiusque conventus non collegiati, expleto biennio, in conventum collegiatum reducatur, nisi ad alterum biennium eius officium pro loci utilitate contingat prorogari. Familia vero ultra biennium in huiusmodi conventibus commorari non permittatur, sed in aliquo collegiato, ubi disciplina regularis vigeat, omnino collocetur, neque prior aut quisquam eiusdem familiae frater possit in conventu non collegiato, nisi post sex annos, collocari. Provincialis autem, qui huius decreti temerarius extiterit violator, per annum ab officio suo noverit se suspensum, quam etiam poenam prior ipse generalis, si contra fecerit, omnino luat.

Transitu fratrum de conventu ad conventum.

§ 63. Fratres ab eo conventu, in quo degunt, ad alium absque prioris licentia in scriptis cum termino ad redeundum praefixo, sub poena carceris non transeant, poena suspensionis ab officio per mensem priori, qui huiusmodi licentiam non perquisierit, et legerit, aut aliquem sine illa, et breviario aut corona, si laicus fuerit, receperit, proposita.

Silentio et aliis.

§ 64. Prior non modo tabellam, decreto apostolico praescriptam, in qua

horarum distributio contineatur, appendi curabit, sed et sub poena suspensionis, vel etiam privationis officii, quam provincialis relaxare non possit, quae de silentio in constitutione praecepta sunt, omnino servari faciat, fratresque sub eadem poena strepitantes, aut mutuo contendentes vel etiam obscoena verba proferentes, minasque aliis intentantes, publica disciplina aut relegatione monasterio, vel etiam carceratione, pro modo culpae puniantur.

Datum Romae, die XXII augusti MDCIV.

Antonius Seneca, *Refor. Apost. Secr.*

Tituli, qui Fratribus in scribendis litteris permittuntur.

Forma scribendi aliis fratribus.

§ 65. Nos frater Philippus prior generalis, decreto sacrae Congregationis Visitationis et Reformationis Apostolicae inhaerentes, omnibus et singulis Ordinis nostri fratribus, in virtute sanctae obedientiae, ac sub poena privationis vocis utriusque per annum ipso facto incurrenda, praecipimus ne posthac in scribendo aut etiam loquendo quemquam, quamvis generalem, dominum suum aut patronum vocari, aut se alicuius servitorem sive servum dicere praesumant. Sed pro personarum conditione patris aut fratris, aut filii, vel etiam servi in Domino nominibus utantur. Neque in scribendo aliquem multum reverendum, praeter procuratorem Ordinis generalem, vicarium generalis et provincialem, nec reverendum nisi priorem et magistrum, neque venerabilem, nisi sacerdotem quadragenarium ac baccalaureum nominare velint, sub eadem poena.

CCLIV.

Philippus III Hispaniarum rex absolvitur a quacumque censura quod proventus ex Cruciata, subsidio excusato et prima decima, in alios, quam eos, quorum intuitu concessi sunt, usus converterit, et huiusmodi indulta ad alia pia opera extenduntur [1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico

Clemens Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Propensa nostra in maiestatem tuam charitas facit, ut securitate conscientiae tuae, quantum cum Domino possumus, libenter consulamus, ac ea maiestati tuae concedamus, per quae gratiis et indultis a nobis et Apostolica Sede tibi concessis liberius frui valeas.

Regis petitio.

§ 1. Exposuit siquidem nobis tuo nomine dilectus filius nobilis vir Antonius dux Suessae, tuus apud nos et Apostolicam Sedem orator, quod cum indulgentiae et gratiae spirituales et temporales, quae a Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, clarae memoriae Philippo genitori tuo, et aliis Hispaniarum regibus catholicis antecessoribus tuis, eorumque subditis concessae, et ab ipsis praedecessoribus ac a nobis pluries etiam pro maiestate tua ac subditis tuis prorogatae fuerunt, intuitu et occasione expeditionis contra Turcas, Mauros et Saracenos concessa fuerint, tu cuperes easdem indulgentias et gratias ad expeditiones etiam contra alios quoscumque infideles, ac etiam haereticos, schismaticos et catholicae fidei hostes extendi, et praeterea cum in concessione subsidii quadrigentorum viginti millium ducatorum

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

eisdem regibus per eosdem Romanos Pontifices facta, et per nos etiam pro tua maiestate pluries prorogata ordinatum reperiatur, ut ex proventibus inde percipiendis sexaginta triremes sustentari deberent; cum proventus huiusmodi ad tot triremes sustentandas non sufficiant; tu pariter cuperes super hoc a nobis opportune provideri. Ac demum, quia interdum necessitatibus ita exigentibus, proventus ex supradictis et primae decimae gratiis perceptos non in supradictos, sed in alios quam eos, quorum intuitu concessae et prorogatae fuerunt, usus convertere coactus fuisti, super hoc tibi pro tuae conscientiae securitate gratiose indulgeri desiderares.

Absolutio, de qua in rubrica.

§ 2. Nos itaque eamdem maiestatem tuam, ob eius eximia in nos et Apostolicam Sedem merita, amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac litterarum apostolicarum super concessionibus et prorogationibus dictarum gratiarum, et cuiusvis illarum etiam in forma brevis, aut alias quomodolibet expeditarum tenores ac datas, praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus eius nomine, per dictum Antonium ducem oratorem tuum nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati; te in primis a quibuscumque censuris et poenis ecclesiasticis forsan incursis, et quocumque peccati reatu et conscientiae scrupulo, ex eo quod pecunias et proventus ex supradictis gratiis, indulgentiarum nimirum, subsidii, et primae decimae perceptos in alios quam eos, ad quorum effectum concessae fuerunt, usus, quomodocumque converteris, auctoritate apostolica, tenore praesentium, in utroque foro gratiose absolvimus et plenissime liberamus, ac censuras et poenas huiusmodi, necnon quamcumque eorumdem proventuum etiam notabilem, ac notabilissimam summam per te in alios huiusmodi usus conversam, tibi remittimus et condonamus.

Extensio indultorum Cruciatae, *etc.*, ad alia pia opera.

§ 3. Praeterea maiestati tuae, ut indulgentiae et gratiae spirituales et temporales ex causa expeditionis contra Turcas, Mauros et Saracenos a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessae, et a nobis novissime prorogatae eidem maiestati tuae, ac aliis universis et singulis non solum pro expeditione contra Turcas, Mauros et Saracenos, sed etiam contra quoscumque alios infideles, ac etiam haereticos et schismaticos, et catholicae fidei hostes, dominiis haereticis subditos, necnon pro tuitione tuorum regnorum et ditionum suffragentur; tuque illis ad hos etiam effectus libere uti et frui valeas, perinde ac si ab initio his etiam de causis concessae, et deinde semper prorogatae fuissent, et ulterius, ut ex proventibus, quos ex subsidio, supradicto percipis, eum tantummodo triremium numerum, quem vere et cum effectu, secundum conscientiam tuam, sustentare poteris, et non ultra, sustentare tenearis, litteris apostolicis super concessionibus dictarum gratiarum, et illarum prorogationibus in reliquis semper salvis, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis et quibusvis aliis conditionibus, clausulis et decretis in dictarum gratiarum, et cuiuscumque illarum concessionibus et prorogationibus appositis, et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII aprilis MDCI, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 12 aprilis 1601, pontif. an. x.

CCLV.

Declaratur omnia regni Sardiniae beneficia indigenis, et in dicto regno natis, necnon naturalibus dumtaxat esse conferenda [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Romanum decet Pontificem uti vigilem, *etc.*, opportuna.

Causae edendae huiusce constitutionis. § 1. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum deputatorum trium statuum, brachiorum nuncupatorum, regni Sardiniae petitio continebat, quod in dicto regno parvus dignitatum ac canonicatuum et praebendarum, nec non parochialium, et sine cura ecclesiarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum numerus institutus reperitur, eorumque fructus et reditus annui tenues, ipsum vero regnum studentium multitudine refertum, ac in eo diversa publica litterarum studia ad illius indigenarum, atque adeo aliorum omnium eo confluentium, ac theologiae et aliis optimis scientiis vacare affectantium instructionem et profectum instituta, Sardorumque ingenia litterarum studiis apta et maxime dedita existunt, ac eorum permulti tum ad alias, tum ad eas, quae apud ipsos leguntur facultates capessendas, tum vero ad studiorum suorum lauream consequendam in Italiam, et alias partes magnis suis sumptibus et periculis terra marique transire, quin etiam omnes fere litterarum studiosi ad statum ecclesiasticum aspirare, et vel nobilissimi viri alterum ex duobus filiis Deo consecrare consueverunt, ex quo ecclesiasticorum status non parum illustratur, et multorum miserabilium pauperies sublevatur. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, quamplures alienigenae etiam ex Hispaniarum regnis, provinciis et dominiis, ac illis adiacentibus insulis oriundi, dignitates, canonicatus et praebendas, aliaque beneficia ecclesiastica in dicto regno Sardiniae consistentia ambientes, sibi de illis, sive per venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos dicti regni, qui, ut plurimum et pro magna parte, exteri esse solent, sive alias, auctoritate apostolica provideri, ac fructus eorumdem, seu pensiones desuper reservari procurent, et passim absque ullo obstaculo ad beneficia, fructus et pensiones huiusmodi recipiantur et admittantur; ipsius vero regni Sardiniae indigenae, in aliis regnis, provinciis, dominiis et insulis praedictis, praetextu quorumdam privilegiorum et indultorum apostolicorum, seu constitutionum, aut sanctionum pragmaticarum nuncupatarum, vel consuetudinum ibidem vigentium, a consequutione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum in illis consistentium, necnon perceptione fructuum et pensionum omnino excludantur et repellantur, et exinde plerique eorum, qui assiduis laboribus et vigiliis, maximisque impensis in litterarum studiis virtutis et doctrinae semina susceperunt, et in agro Dominico, si ad illius culturam vocarentur, salutaria germina, quae Altissimo lectissimos fructus suo tempore redderent, producere, sibique ipsis et aliis ad salutem, et catholicae religionis, fideique propagationem et conservationem prodesse possent, nequeuntes beneficia ecclesiastica, aut fructus, vel pensiones pro eorum decenti substentatione, neque in patrio solo propter exterorum illa occupantium frequentiam, minusque extra illud assequi, exacta iam aetate, et facultatibus suis consumptis, veluti inertes aerumnosam ac miserabilem vitam ducere, et pauperatem in senectute (quod durissimum est) tolerare cogantur, aliisque illorum con-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

ditione perterriti, et spe assequutionis beneficiorum huiusmodi frustrati se clericali militiae adscribi, ac in disciplinis et ministeriis ecclesiasticis, sacrarumque litterarum studiis se exercere non curent, imo ab eis a suis parentibus et aliis ad saecularia negocia revocentur. Et denique proceres, nobiles et alii incolae eiusdem regni Sardiniae a beneficiorum fundatione, ac iurium eorumdem, libertatisque ecclesiae defensione et tuitione quodam modo retrahantur; praeter haec vero idioma ipsum Sardiniae ita varium et difficile esse noscatur, ut ab exteris perfecte haberi nunquam possit, adeo ut ipsimet archiepiscopi et episcopi interpretes adhibeant, ac proinde exteri praedicti ecclesiis et beneficiis, quae ibi assequuntur, necnon parochianis, quorum curam susceperunt, parum aut nullo modo prodesse, nec oves suas amore connaturali pascere possint, et collectis multis pecuniis gravibusque impositis pensionibus, sua tandem beneficia, nacta occasione, dimittant, aliaque damna et incommoda ex admissione exterorum huiusmodi proveniant; pro parte deputatorum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsorum indigenarum statui et indemnitati consulere, ac alias in praemissis, *etc.*, dignaremur.

§ 2. Nos igitur aequum et rationi consonum esse censentes, ut ipsi indigenae in beneficiorum eiusdem regni assequutione exteris praeferantur, ac propterea ex pastoralis officii nostri debito praemissis incommodis occurrere, et desuper opportune providere volentes, deputatos praedictos eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, *etc.*, censentes, nec non beneficiorum tam saecularium quam regularium in dicto regno Sardiniae consistentium qualitates, quantitates, invocationes, nuncupationes, denominationes, situationes et illorum fructuum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, hac nostra in perpetuum valitura constitutione, statuimus et ordinamus quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus omnia et singula beneficia ecclesiastica in universo regno Sardiniae huiusmodi, nunc et pro tempore consistentia, etiamsi canonicatus et praebendae, dignitates etiam maiores post pontificales et principales, personatus, administrationes et officia etiam curata et electiva in metropolitanis, et aliis cathedralibus, vel collegiatis, aut aliis ecclesiis, nec non parochiales ecclesiae, seu earum perpetuae vicariae, ac in Romana Curia vel extra eam litigiosa, et de iurepatronatus laicorum etiam nobilium et illustrium, seu eorum et clericorum mixtim, etiam ex fundatione vel dotatione, aut indulto apostolico, seu alias quomodolibet qualificata sint vel fuerint, quoties illa per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, vel amissionem, aut privationem ea pro tempore obtinentium, seu ius in illis, vel ad illa habentium, aut alias quovis modo etiam apud Sedem praefatam, aut etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium beneficiorum ecclesiasticorum dispositio nobis et dictae Sedi etiam per constitutiones apostolicas seu Cancellariae Apostolicae regulas est vel pro tempore fuerit reservata, vel etiam ordinariis collatoribus per easdem constitutiones seu regulas, vel litteras alternativarum, aut alia privilegia et indulta concessis hactenus et imposterum concedendis simul vel successive vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut praefertur, vel alias quibusvis modis, et ex quorumcumque personis vacent, ac ex eo quod beneficia ipsa obtinentes, seu in illis vel ad illa ius habentes nostri et quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum, praedecessorum

Decretum, de quo in rubrica.

seu successorum nostrorum, aut Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium etiam viventium, et in dicta Curia praesentium familiares, continui commensales, seu dictae Sedis notarii, subdiaconi, acolyti, capellani, litterarum apostolicarum abbreviatores, scriptores, cubicularii, scutiferi proventuum et iurium Camerae Apostolicae debitores, collectores et subcollectores seu quicumque alii curiae et Sedis praedictarum officiales, etiam sub diversis constitutionibus felicis recordationis Pauli Papae IV, praedecessoris nostri, suorum et pro tempore existentium Romanorum Pontificum familiarium continuorum commensalium declaratoriis comprehensi praesentes et futuri, quocumque nomine nuncupati, seu ex quavis alia causa dispositioni apostolicae specialiter, vel alias generaliter reservata, aut ex generali reservatione apostolica affecta seu ad Sedem eamdem devoluta existant vel fuerint, solis indigenis dicti regni Sardiniae vere, realiter et non ficte in eo natis et nascituris, ac etiam illis, qui a parlamento generali in illo regno celebrari solito iuxta eiusdem regni laudabilem consuetudinem naturales facti fuerint, affecta et debita; praefatique alienigenae ad huiusmodi beneficia, in titulum, commendam, administrationem vel alias quomodolibet obtinendum, aut illorum fructus, reditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque, seu super eis quasvis pensiones percipiendum omnino inhabiles et incapaces existant, etiamsi ad praesens beneficium in eo quocumque titulo obtineant, nec non quicumque ordinarii et alii inferiores collatores et patroni, qui contra praemissa quidquam attentare praesumpserint a quacumque beneficiorum collatione, provisione, electione, praesentatione, institutione et quacumque alia dispositione, prout cuiquam competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem a Romano Pontifice pro tempore existente meruerint obtinere. Notarii vero et tabelliones, etiam apostolica vel imperiali aut regia, seu alia quacumque auctoritate creati (qui super adipiscenda possessione cuiuscumque beneficii in dicto regno Sardiniae consistentis pro tempore rogabuntur, nisi prius eis fide dignorum testimoniis, aut alias legitime constiterit eum, cui possessio ipsa fuerit tradenda, vere, realiter et non ficte in eodem regno Sardiniae natum fuisse) nullum omnino super actu possessionis huiusmodi instrumentum publicum, nec quamcumque aliam etiam privatam scripturam conficere seu in protocollum redigere valeant, et quicumque iudices ordinarii vel delegati, coram quibus litem contra quemcumque alienigenam in quovis beneficio, contra praesentium tenorem, intrusum tam in dicta curia quam extra eam moveri contigerit, quamprimum sibi legitime constiterit beneficium ipsum ab alienigena detineri, possessionem ac fructus, reditus et proventus eiusdem beneficii, donec eis, ad quos de iure spectabunt, adiudicentur, sequestrare et sub arcto et firmo sequestro ponere debeant et teneantur; ita tamen ut si in fundationibus beneficiorum de iurepatronatus laicorum, seu illorum, et clericorum mixtim, ut praefertur, existentium, nunc aut quandocumque caveatur expresse, quod non nisi per clericos seu presbyteros de ipsorum fundatorum genere et parentela oriundos obtineri possint, eo dumtaxat casu, etiam alienigenae degenere seu familia fundatorum huiusmodi, ad illa praesentari, ac in eis institui, et alias ad illa ac eorum fructus, et pensiones super illis admitti, quique ad praesens aliqua ex dictis beneficiis obtinent, quandocumque illa resignaverint, etiamsi alienigenae fuerint, pensiones super eorum sic resignatorum vel etiam aliorum beneficiorum

fructibus, reditibus et proventibus, vel eorum loco fructus ipsos (ex causa resignationis huiusmodi tantum canonice sibi reservandos vel assignandos) levare et percipere libere possint; nec ipsi quoad hoc, neque etiam beneficia de iurepatonatus charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici existentia, ad quae etiam alienigenae personae praesentari valeant, sub praesenti statuto comprehendantur.

Provisiones, si secus fiant, nullae sint.

§ 3. Decernentes omnes et singulas collationes, provisiones, commendas, electiones, acceptationes, praesentationes, institutiones et quasvis alias dispositiones de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis dicti regni Sardiniae, ut praefertur, vel alias quomodolibet qualificatis, ac reservationes illorum fructuum, redituum, proventuum et pensionum super eisdem in favorem dictorum alienigenarum contra praesentis statuti formam et tenorem, et per nos, et quoscumque alios Romanos Pontifices successores nostros, dictamque Sedem, ac illius legatos, etiam de latere, et nuncios, omnesque et singulos alios ius; et facultatem conferendi, providendi, commendandi, eligendi, praesentandi, instituendi et alias quomodolibet de huiusmodi beneficiis disponendi, illorumque fructus, reditus et proventus, ac super eis pensiones reservandi ab ipsa Sede habentes; nec non ordinarios, et alios inferiores collatores etiam ad patronorum praesentationem, seu de illorum consensu pro tempore factas, ipso iure nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, ac pro nullis et infectis haberi, nec per eas cuiquam ius, vel etiam coloratum titulum possidendi tribui posse, ipsosque alienigenas illarum prorsus usu et commodo carere, nec cancellariae Apostolicae regulas, seu constitutiones de annali et triennali possessoribus etiam propter quantumvis diuturnam continuatae possessionis tolerantiam, aut quodcumque ius, vel aliud beneficium ullo tempore illis suffragari, sed beneficia huiusmodi, ut prius vacare, et quae ex illis tempore dispositionis apostolicae dictis alienigenis factae eidem dispositioni reservata seu affecta fuerint, sub eadem reservatione, seu affectione remanere, et tam illa quam etiam omnia alia non reservata, neque affecta, de quibus a dicta Sede, vel illius legatis seu nunciis, aut aliis ius et facultatem conferendi ab eadem Sede, ut praefertur, habentibus in huiusmodi alienigenas, quandocumque dispositum fuerit, ad novam Romani Pontificis pro tempore existentis dispositionem dumtaxat pertinere: ab ordinariis vero et aliis inferioribus collatoribus, cessantibus reservationibus seu affectionibus apostolicis, eisdem pro tempore collata, ac etiam ea, quae de iurepatronatus huiusmodi fuerint, si contingat ad illa quemquam contra praesentis statuti formam praesentari, devolutioni ad Sedem praedictam immediate eo ipso subiacere, illaque omnia ab alienigenis dicti regni et a Sede praedicta dumtaxat impetrari posse, nec ius ullum ad resignantes aut cedentes, etiamsi in possessione etiam diutina remanserint, et resignationes seu cessiones huiusmodi publicatae non fuerint, redire vel penes eos remanere. Impetrationes vero, ac motu proprio concessiones, quae de eisdem beneficiis pro tempore fient, quibuscumque derogationibus fuerint suffultae, nunquam sub clausulis generalibus aut vacationum modis conditionalibus vel implicitis comprehendi, sed specialiter et expresse, ob non servatam praesentis statuti formam, cum declaratione nominum et cognominum ipsorum alienigenarum dispositione, et non conditionaliter, neque per aequipollens omnino fieri debeat.

§ 4. Eisdemque praesentibus per quas-

Clausulae pro praesentium litterarum firmitate.

cumque alias litteras apostolicas, etiam quasvis generales vel speciales, etiam derogatoriarum derogatorias, aliasque efficaciores et insolitas clausulas, ac irritantia et alia decreta, sub quibuscumque verborum formis concepta in se continentes nullatenus derogari posse, nec derogatum censeri, nisi earumdem praesentium tenor, de verbo ad verbum nihil penitus omisso, insertus, ac urgens et sufficiens causa expressa, ac per trinas distinctas in forma brevis litteras earumdem praesentium tenorem continentes, tribus distinctis vicibus cum unius mensis intervallo, ordinibus seu deputatis trium statuum huiusmodi prius legitime intimata et insinuata, ac derogationes ipsae motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine consistorialiter de Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium pro tempore existentium consilio factae fuerint, et ordinum seu deputatorum trium statuum huiusmodi ad hoc expressus accesserit assensus, appareatque Romanum Pontificem illis expresse derogare voluisse; et aliter factas derogationes nemini suffragari, et clausulam implicitae derogationis, videlicet, quod eorum, vel earum, seu praesentium tenores latissime extendi, et eaedem praesentes, earumque tenores habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in quibusvis concessionibus, gratiis, et litteris a nobis et successoribus nostris pro tempore emanatis appositam, nihil penitus operari; nec in litteris apostolicis desuper conficiendis, quidquam ultra id quod in concessionibus et gratiis huiusmodi specifice fuerit expressum, narrari posse, nec quemquam ad parendum litteris derogatoriis huiusmodi, et decretis super illis processibus, ac eorum exequutoribus et subexequutoribus, illorumque mandatis et munitionibus teneri, sed illis firmiter resistere et litterarum earumdem exequutionem omnino impediri, necque ratione resistentiae huiusmodi aliquibus censuris vel poenis ecclesiasticis, seu pecuniariis per eosdem exequutores et subexequutores innodari; nec easdem praesentes etiam ex eo quod causae, propter quas emanarunt, coram locorum Ordinariis, etiam tamquam a Sede praedicta delegatis, vel alias quomodolibet examinatae, iustificatae, verificatae, purificatae et approbatae ipsique Ordinarii et alii inferiores collatores et patroni ac alienigenae, nec non quicumque interesse habentes ad id legitime vocati non fuerint, neque praemissis consenserint, seu etiam enormis et enormissimae laesionis, vel alio quocumque praetextu, aut ex alia quavis causa quantumvis legitima, urgenti et iuridica, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus eas quodcumque iuris, vel facti, vel gratiae remedium impetrari posse, necque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus a nobis, vel quibuscumque aliis Romanis Pontificibus, ac dicta Sede, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, pro tempore emanatis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum, restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub data posteriori, per ordines seu deputatos trium statuum huiusmodi eligenda, concessas, validasque et efficaces fore et esse, ac vim validi et efficacis contractus, inter nos et dictam Sedem ex una, ac ordines seu deputatos trium statuum huiusmodi ex altera partibus, recte et rite initi et stipulati, ac

etiam utrimque iurati habere, et perpetuo obtinere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et ab omnibus inviolabiter observari. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, *etc.* attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis, ac in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, nec non ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi fuerint, ac regnorum, provinciarum, dominiorum et insularum huiusmodi, iuramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis statutis et consuetudinibus, etiam quantumvis longissimo tempore observatis, ac legibus etiam municipalibus et pragmaticis, aliisque sanctionibus; privilegis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam super facultate beneficia praedicta ipsis alienigenis conferendi, seu de illis providendi, ac alias quomodolibet disponendi, ipsosque alienigenas ad beneficia, fructus et pensiones huiusmodi recipiendi et admittendi eisdem ecclesiis, illarumque praesulibus et capitulis, necnon regnis, provinciis, dominiis, et insulis praedictis, eorumque communitatibus, universitatibus, hominibus, incolis et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam vim validi et efficacis contractus, seu statuti perpetui vel legis habentibus et inducentibus per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores nostros, ac nos et dictam Sedem, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, seu etiam ad imperatoris, regum, reginarum seu aliorum principum instantiam, vel eorum contemplatione et intuitu, in genere vel in specie, aut alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesens concessio, indultum ac statutum eos tantummodo alienigenas a beneficiis et pensionibus in dicto regno Sardiniae obtinendis excludat, qui in his regnis, provinciis, dominiis, insulis et locis nati sunt, ubi indigenae dicti regni Sardiniae beneficia, fructus et pensiones obtinere prohibentur, ita ut caeteri omnes ex quibuscumque regnis, provinciis, dominiis, insulis et locis orti, in quibus indigenae praefati regni Sardiniae beneficia, fructus ac pensiones huiusmodi obtinere et percepire possunt, etiam ad similia beneficia, fructus et pensiones in dicto regno Sardiniae libere et indifferenter, absque aliquo obstaculo, perinde ac si ibidem nati essent, vicissim admitti debeant, et ad illa habiles et capaces censeantur.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum, *etc.*

Si quis autem, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo primo, pridie idus aprilis, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 12 aprilis 1601, pontif. an. x.

CCLVI.

Nuncius apostolicus apud Belgas deputatus iudex ordinarius et commissarius apostolicus in locis Leodiensis dioecesis, temporali Brabantiae ducum dominio subiectis [1].

Venerabili fratri episcopo Tricarensi moderno ac pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae nuncio in Belgicis ditionibus

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Brabantiae duces suos subditos ad tribunal episcopi Leodiensis in iudicium vocari non posse asserebant.

§ 1. Intelleximus nuper quod, ob certas veteres discordias, quae inter Leodienses episcopos et priscos Brabantiae duces subortae fuerant, ipsi duces praetendentes sibi licere prohibere, ac etiam forsan indultum aut alias concessum fuisse, ne subditi sui et personae ecclesiasticae in finibus ditionis eorum huiusmodi ducatus existentes, extra eosdem fines in ius vocarentur per eorum officiales, et alios ministros, clerum et incolas oppidi Traiectensis et aliorum adiacentium locorum Leodiensis dioecesis, quae vel ipsa clero subsunt, vel a dominio dictorum ducum in temporalibus pendent, impediverunt quominus in causis etiam mere ecclesiasticis tribunal dictorum episcoporum pro consequenda iustitia adire possent; a quo tempore huiusmodi clerus et praesertim dilecti filii decanus et capitulum insignis ecclesiae Sancti Servatii dicti oppidi una cum eorum subditis coram diversis eisdemque laicis iudicibus distracti et evocati magnam in eorum nedum rebus, bonis, et iuribus, immo etiam personis et disciplina ecclesiastica cladem et confusionem perpessi fuerunt, ac ad praesens patiuntur et sustinent, in grave praeiudicium et laesionem libertatis ecclesiasticae et privilegii illius fori, quod apud omnes personis ecclesiasticis specialiter prodesse debet. Siquidem plerique particulares exinde audaciores effecti, ut vident disciplinam ecclesiasticam isthic convelli, nec adesse qui eos in officio contineant, ad quaevis illicita, temerario ausu, impune prolabuntur, seque ab observatione statutorum, quantumvis commendabilium, subducunt, sicuti inter eos, qui de Capitulo praedictae ecclesiae existunt, non semel factum fuisse accepimus.

Praeiudicium hinc grave ecclesiasticae auctoritati inferebatur.

Clemens nuncium apostolicum illorum iudicem ordinarium constituit.

§ 2. Ne igitur ingravescens hoc malum latius diffundatur, debita animadversione compescere, et antequam radices altius agat, quantum nobis ex alto conceditur, praecidere cupientes, motu proprio et ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, te ac pro tempore existentem in Belgio nostrum et Sedis Apostolicae nuntium, in praepositi, decani, capituli et canonicorum, ac aliorum beneficiatorum, necnon totius cleri, ac personarum ecclesiasticarum tam dictae S. Servatii, quam caeterarum aliarum ecclesiarum, capellarum cum cura et sine cura saecularium ac monasteriorum et domorum cuiusvis Ordinis regularium, tam virorum quam mulierum, necnon hospitalium, confraternitatum, aliorumque locorum piorum, ac fabricarum eorumdem in oppido Traiectensi necnon pagis, locis, ac districtibus, et territoriis Leodiensis dioecesis (quae temporali dominio dictorum Brabantiae ducum tam ratione ipsius ducatus, quam

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

aliorum feudorum ad eosdem duces spectantium, seu ab eis dependentium subsunt) conservatorem, defensorem et iudicem tam ordinarium quam a Sede praedicta, et auctoritate apostolica, specialiter deputatum, vices etiam nostras, et eiusdem Sedis gerentem, necnon visitatorem apostolicum, coram quo, seu a te etiam pro tempore deputando vel deputandis probis viris in dignitate ecclesiastica constitutis, in dictoque oppido commorantibus, seu post eorum huiusmodi deputationem commoraturis, etiam uti moderni ac pro tempore existentis episcopi Leodiensis officialibus et vicariis foraneis, a nobis tamen dumtaxat dependentibus, omnes et singulae lites, causae, quaestiones et molestiae, civiles et criminales ac mixtae, etiam matrimoniales inter supradictas personas ecclesiasticas regulares et saeculares, ac mere laicas et super quibuscumque illarum et cuiuslibet ipsarum bonis, rebus, iuribus, actionibus aliisque praemissis cuiuscumque qualitatis existentibus, etiam ab eisdem laicis motae et movendae, ad forum tamen, vel tribunal, aut iudicium ecclesiasticum pertinentes cum omnibus et singulis earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, tam in spiritualibus quam temporalibus tractari, cognosci, et prout iuris fuerit, decidi debeant, ita et cum hoc quod quoties, ac quamdiu vel te vel alios huiusmodi nuncios aut revocari aut alias abesse, seu deesse contigerit, nihilominus qui in vicarium seu vicarios, aut officialem seu officiales foraneos hoc pacto deputati pro tempore fuerint, in huiusmodi causis et rebus supra et infrascriptis procedere possint, donec nuntii apostolici deinceps pro tempore illis in partibus constituendi eosdem vicarios seu officiales duxerint revocandos, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum constituimus et deputamus.

Facultatemque eidem concedit erigendi tribunal, *etc.*

§ 3. Tibique ac pro tempore futuro eiusdem Sedis nuntio praedicto ad hunc effectum tribunal in dicto oppido erigendi, ac erectum tenendi, et in eodem sedendi, necnon per te, aut unum, vel plures viros, ut supra, deputandos, qui ius sedendi, etiam uti officiales et vicarii foranei ibidem habeant, eorumque sedem constituant, omnes et singulas huiusmodi lites, causas et differentias, tam civiles quam criminales et mixtas inter personas praedictas, et contra illas, nec non super bonis, rebus, iuribus, actionibus et aliis praemissis, ac eorum occasione, necnon interesse dicti cleri, tam in capite quam in membris tamquam principaliter, ac etiam per viam necessariae defensionis, ac alias quomodolibet concernentibus, coniunctim vel divisim, ac tam active quam passive, ultro citroque ab invicem, vel alias etiam ad instantiam personarum laicarum quomodolibet motas vel movendas, ad dictum tamen forum seu tribunal, aut iudicium ecclesiasticum, quavis occasione vel causa, spectantes et pertinentes, in prima instantia non solum uti iudex ibidem ordinarius, episcopum scilicet seu officialem Leodiensem repraesentans, sed etiam tamquam a dicta Sede specialiter delegatus cum omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, totoque negotio principali, etiam privative quoad dictum episcopum seu officialem, omnesque et singulos alios iudices ordinarios et delegatos, eorumque curias et tribunalia ecclesiastica vel saecularia in eisdem spiritualibus vel temporalibus audiendi, cognoscendi et fine debito, prout iuris fuerit, terminandi; nec non quoscumque interesse habentes tam in oppido Traiectensi quam in pagis, locis, districtibus et

territoriis praedictis etiam per edictum publicum, constito summarie et extraiudicialiter de non tuto accessu, citandi et monendi, ac quibusvis etiam ipsius oppidi, aliisque iudicibus et personis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, quacumque dignitate, potestate aut facultate praepollentibus, quibus et quoties opus fuerit, sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis arbitrio vestro infligendis, inhibendi, et in eventum non paritionis ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi procedendi, ac sententias, mandata, decreta, vel ordinationes desuper ferendas debitae exequutioni demandandi seu demandari faciendi: contradictores quoslibet et rebelles per similes censuras, aliaque opportuna iuris et facti remedia compellendi, ac etiam auxilium brachii saecularis ad hoc, si et quoties, ac ubi et quando opus fuerit, invocandi, necnon quaecumque dubia et differentias (si quae praemissorum occasione quomodolibet oriri contigerit) declarandi et interpretandi; ac insuper tam Sancti Servatii, eiusque praepositum et decanum, quam caeteras ecclesias et earumdem capitula, canonicos, beneficiatos, caeterosque de dicto clero, tam saeculares quam regulares, ac ipsorum monasteria, domos, conventus, hospitalia, confraternitates et alia loca etiam exempta, dictaeque Sedi immediate subiecta, ac quocumque alio privilegio suffulta in oppido Traiectensi, necnon in pagis, locis, districtibus et territoriis praedictis consistentia, tam in capite quam in membris, cum primum tibi opportunum videbitur, visitandi, ac praesertim in eos, qui in causis correctionum et reformationum morum, litterarum concessionum, sive indultorum apostolicorum, reservationumque ex vel ab iis resultantium interpretatione, statutorumque super residentia, atque aliorum observantia, aliisque id genus processibus ad laicos et saeculares variis confictis praetextibus recursus habuerunt, aut deinceps habuerint, eorumque, et quorumvis aliorum statum, formam, regimen, statuta, consuetudines, instituta, decreta, ordinationes, vitam, excessus, mores, et disciplinam, nec non titulos, sive provisiones diligenter inquirendi, utque a similibus deinceps abstineant, caeterisque bono exemplo esse possint, severe puniendi et compescendi; evangelicae quoque et apostolicae doctrinae, sacrorum canonum et generalium conciliorum decretis, et sanctorum Patrum traditionibus atque institutis inhaerendo, ac alias, prout occasio, rerumque, locorum et personarum qualitas exegerit, quaecumque correctione, emendatione, mutatione, revocatione et renovatione, vel etiam ex integro editione indigere cognoveris, reformandi, mutandi, corrigendi et etiam de novo condendi, condita sacris canonibus non repugnantia, confirmandi, abusus quoscumque tollendi, regulas, institutiones et observationes, canonicam et ecclesiasticam disciplinam, ubicumque illa exciderit, restituendi, et quidquid inde statueris et ordinaveris perpetuo observari faciendi; nec non, si quos in aliquo culpabiles vel criminosos, delinquentes et rebelles, vel suspectos reperieris, cuiuscumque dignitatis, ordinis et conditionis fuerint, puniendi et castigandi; eos vero qui, vere et ex animo, ad cor reversi fuerint, a censuris et poenis quibuscumque propterea incursis, iniuncta inde eis pro modo culpae poenitentia salutari et aliis, quae de iure fuerint iniungenda, absolvendi et in pristinum statum, si tibi ita expedire videbitur, restituendi, caeteraque alia omnia et singula in praemissis necessaria, aut alias quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et exequendi, vicesque tuas sive

totas sive in parte alii vel aliis, si et quoties tibi videbitur, delegandi, et eosdem vicarium seu vicarios, aut officiales foraneos per te, ut supra, pro tempore deputandos, ab eorum huiusmodi officio arbitrio tuo revocandi et amovendi, aliumque et alios illorum loco surrogandi et sufficiendi, et alia denique omnia et singula, quae Ordinarii locorum, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, facere et exequi possunt, faciendi et exequendi, plenam, liberam, omnimodam et absolutam potestatem, facultatem et auctoritatem, earumdem tenore praesentium, concedimus et elargimur.

Obedientiam ei praestari iubet.

§ 4. Mandantes in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis praeposito, decano, capitulo et canonicis ecclesiae Sancti Servatii Traiectensis aliisque omnibus et singulis praedictis, ut tibi in praemissis obedientiam et reverentiam debitas et devotas exhibeant, tuaque salubria monita, iussa et mandata cum effectu suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam seu sententias, quam seu quas in rebelles et contradictores, tibique morem gerere recusantes rite tuleris, faciemus, auctore Domino, usque ad condignam satisfactionem firmiter et inviolabiliter observari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus praemissis et constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Leodiensis et quarumvis aliarum ecclesiarum iuramento, confirmatione apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus et litteris apostolicis Leodiensi ac Sancti Servatii, aliisque ecclesiis praedictis earumque praesulibus, praepositis, capitulis, canonicis et aliis superioribus, et personis in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores nostros, ac nos et Sedem eamdem quomodolibet, etiam motu, scientia et potestate similibus, etiam ad imperatoris, regum, ducum et quorumvis aliorum principum instantiam, sive eorum intuitu et contemplatione, etiam consistorialiter, ac per modum legis vel statuti, aut contractus perpetui, ac alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si praeposito, decano et capitulo ecclesiae Sancti Servatii, et aliis praedictis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII aprilis MDCI, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 13 aprilis 1601, pontif. an. x.

CCLVII.

Confirmatio concordiae super Silvam Verdedae per deputatos factae, et ab universitatibus Vignolae et Savignani, marchionatus Vignolae, ac Seravallis, comitatus Bononiensis, ac a duce Sorae, marchione Vignolae, nec non etiam duce Mutinae, ac vicelegato et assumptis Bononiensibus ratificatae[1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Paterna nostra erga quoscumque christifideles, et praesertim nobis et S. R. E., etiam in temporalibus subditos, charitas nos inducit, ut ad ea libenter intendamus, per quae inter eos pax et concordia concilietur et conservetur, ac iis, quae propterea facta fuisse dicuntur, ut firmiora perpetuo subsistant, apostolicae confirmationis robur adiicimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Concordia inter partes super Silva Verdedae. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, dudum inter Iacobum marchionem Vignolae, et locorum comitatus Bononiensis in finibus Silvae Verdedae, occasione dictae silvae, plures controversiae, dissensiones ac inimicitiae viguerint, et nonnulla hic inde delicta commissa fuerint, et graviora in dies committi posse dubitaretur; novissime ad illis obviandum, et incolas praedictos, videlicet Vignolae, Savignani et Seravallis, ad mutuam inter eos pacem et quietem inducendos, et perpetuo conservandos, nonnulli a locorum superioribus, et interesse habentibus ad hoc specialiter deputati fuerunt, illique ad locum differentiae convenerunt, et illum pluries visitaverunt, tandemque ad infrascriptam concordiam devenerunt, videlicet.

§ 2. Nel nome di Dio. A dì XVII di settembre MDC. Havendo noi infrascritti visitato più volte la *Selva di Verdeda*, che si trova ne' confini fra il commune di Seravalle, territorio di Bologna, e il territorio del marchesato di Vignola, ed altri confini: ed udito e considerato quello, che dagli uomini d'ogni parte è stato allegato, il sito del luogo e le cause delle controversie e pretensioni, per le quali spesso erano successi vari disordini, ed avuta frà di noi longa e matura discussione sopra tutte le cose, attendendo solo al buon servitio di Signori Superiori Padroni da ogni lato, ed al benefizio degli uomini sudetti, siamo concordemente venuti in parere, che per sedare dette controversie, e levare ogni materia di suscitarne di nuovo, ma introdurre e conservare frà detti popoli buona e pacifica vicinanza, e ad ogn'altro meglior fine ed effetto, siamo dico di parere, che per modo di provisione, e senza pregiudicare o toccare in modo alcuno proprietà, giurisdizioni, possessi o quasi, stato o qualsivoglia altra pretensione di alcuna delle parti, o per qualunque loro rispettivamente ragione o interesse in detta Selva o fuori d'essa, ma solo quanto risguarda nell'avenire la semplice libera percezzione, e godimento de legnami, pascoli ed altri qualsivoglia frutti di detta Selva; sì che fuori di detta percezzione e godimento, nel resto non sia nè s'intenda espressamente o tacitamente toccato, pregiudicato, o acquistato ragione ad alcuna delle parti più di quello che al presente habbia, si fosse potuto venire all'infrascritto accordo e composizione, nel modo che qui sotto seguirà. Il qual nostro parere non doverà essere, nè intendiamo che sia di effetto alcuno, nè haver vigore, sinchè da Sig. Superiori da ogni parte a quali spetta detta concordia non sarà con modi legittimi stata accettata, ratificata e solennemente di nuovo

Concordiae tenor.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

contrattata. Intendendo inoltre che per buona esecuzione di detta concordia, quando però sia approvata come è detto, siano e s'intendano senza altro levati, cancellati, ed estinti tutti li processi, querele, denonze, notorj, sentenze, bandi, condennazioni, e qualsivoglia altra molestia o pretenzione della Corte e Fisco da ciascheduna delle parti contro qualsivoglia degli uomini di dette Communità, ed altri ancora formati, formate, o seguite, nate però ed occasionate da detta Selva per frutti o altra cosa dependente da essa, e non per altra causa fino al presente giorno, e come se mai non fossero state. A noi dunque, come di sopra, parrebbe che si dovesse fermare un punto o termine fabricato di pietra nel confine di detta Selva, nella strada che corre frà dette Selve e quello del commune di Marano, e ciò per spazio almeno d'un piede di sotto dalla via, che traversa detta Selva, e si chiama la via di Marano, e mette capo nella detta via dove si haveria a mettere il termine, e fermare un'altro punto ò termine di pietra appresso la Casa di Monfestino, dove si trovano tre quercie grandi verso la Selva, pigliando quella di sopra verso la strada, e ponendo il termine à drittura di quella nell'uno e l'altro de' quali luoghi abbiamo con una buca e palo fitto in terra designato il luogo delli termini da fabricarsi. E frà detti punti e termini tirare una linea retta, sì come da' Periti questo dì habbiamo fatto tirare e signare con tagli, dove è caduta tal linea a traverso la Selva per dover poi a filo di detta linea, subito seguita l'approbazione della presente, fare un viale o strada di larghezza almeno di quattro piedi, cioè due da ogni lato, levando e nettando di quella ogni albero, frascha o altro impedimento, ed il legname che si levasse dovesse dividersi egualmente frà dette parti, ed ogni spesa ed opera, che occorresse in qualunque modo per tale impresa, dovesse parimente toccare la metà per ciascuna di esse, e tal strada dovesse essere comune e conservarsi netta, ed a ciascuna delle parti fosse lecito a mantenerla tale all'effetto, e per distinzione come è detto di sopra, e non per altro, sì che di tutta quella Selva, che da detta via, o limite rimanesse verso Vignola, il frutto e godimento dovesse nell'avvenire spettare solo à detti Vignolesi, e in quella non potessero ingerirsi Bolognesi, e di tutta quella che restasse verso il Bolognese, ogni frutto e godimento parimente fosse de' Bolognesi, ed in quella non havessero che fare in modo alcuno li Vignolesi; intendendo però che tal provisione habbia luogo, quanto a quella parte di Selva, che è del Publico, restando intiere le loro ragioni a quelli particolari che oggi godono di detta Selva, e per quella parte che godono e possedono. E tutto questo si dovesse osservare ed eseguire per modo di provisione fra dette parti, come è detto sino che altrimente fosse giudicato frà dette parti da Giudice competente, o le medesime Parti altrimente fossero in concordia; e la presente sarà duplicata, restandone una appresso ciascuna delle Parti firmata e sottoscritta.

Io Lorenzo Poggioli, Commissario in questa parte dell'Illustrissimo Monsignore Spinola Vice-Legato di Bologna, dico e son di parere come di sopra.

Io Griffon Ruggieri, Governatore di Vignola, dico e sono di parere come di sopra.

Io Giovanni Bazzano fui presente a quanto di sopra si contiene, e mi sottoscrissi.

Io Ambrogio Moroni fui presente a quanto di sopra si contiene, e mi sottoscrissi.

Io Vincenzo Seccadenari fui presente a quanto di sopra si contiene, e mi sottoscrissi.

Io Orazio Leonori fui presente a quanto di sopra.

Supplicatur Pontifici ut eam confirmet.

§ 3. Cumque, sicut etiam accepimus, concordiam praedictam acceptaverint et ratificaverint dilecti filii nobiles viri Iacobus Boncompagnus dux Sorae et marchio Vignolae, ac Caesar Mutinae et Regii dux, tamquam dominus directus dicti marchionatus, universitas et homines terrae Vignolae, universitas et homines Savignani, universitas et homines Seravallis, necnon vicelegatus et assumpti civitatis nostrae Bononiensis, prout in diversis instrumentis desuper de annis MDC et MDCI, respective celebratis dicitur contineri, et pro eiusdem concordiae firma et stabili validitate nostra et Apostolicae Sedis approbatio, ratificatio et confirmatio tantummodo reliqua sit; propterea nobis fuerit humiliter supplicatum, ut illi robur apostolicae confirmationis adiicere, de benignitate apostolica, dignaremur.

Confirmat Clemens.

§ 4. Nos dictorum instrumentorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ac universos et singulos praefatos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie, absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertam concordiam, ac omnia et singula inde sequuta, auctoritate apostolica, tenore praesentium, acceptamus, ratificamus, ac perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae ac inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus.

Eamque servari mandat.

§ 5. Decernentes concordiam ipsam, ac inde sequuta quaecumque perpetuo valida, firma et efficacia esse et fore, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum spectabit, firmiter observari debere: sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac terrarum et locorum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XIII aprilis MDCI, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 13 aprilis 1601, pontif. an. x.

CCLVIII.

Canonizatio S. Raymundi Barchinonensis, professoris Ordinis fratrum S. Dominici, eiusque relatio in numerum Ss. Confessorum: et institutio festivitatis pro die VII *mensis ianuarii.*

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Romana Catholica Ecclesia, quae *supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu* aedificata, divinitus a Spiritu Sancto regitur, et ineffabili eius aeternae sapientiae providentia mirabiliter

gubernatur, in eadem unitate fidei et doctrinae veritate, quam a Christo suo sponso et apostolis accepit, perpetua confessione perseverans, a Deo, patre misericordiarum, continuis gratiae coelestis benedictionibus cumulatur, ac veluti foecunda mater multiplici Sanctorum prole aucta, eorumdem meritis ac virtutibus illustratur. Atque hanc fidei catholicae unitatem unus idemque Spiritus per multas gratiarum divisiones in corpore Christi, cuius nos membra sumus, antea operatus est, et nunc etiam operatur. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, qui unum Dominum, unam fidem, unum baptisma praedicarunt, ac veritatem facientes in charitate creverunt in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum est per omnem structuram subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri. Praecipua vero huius mystici corporis membra sunt viri sancti, quos elegit Deus et praedestinavit in vitam, qui eamdem fidem semper tenuerunt, et pro eius defensione legitime certantes adepti sunt repromissiones, et in coelis coronari meruerunt.

§ 1. Huius autem fidei unitatem, in qua unum corpus in uno spiritu efficimur, iam inde ab ipsius Ecclesiae nascentis initio ad haec usque tempora, principes et potestates tenebrarum, multis haeresum procellis ac turbinibus excitatis, labefactare et convellere tentarunt. Sed divina Christi sapientia, quae Ecclesiam suam supra firmam petram fundavit, adversus quam portae inferi praevalere numquam poterunt, potenti sua dextera eam semper defendit, et usque ad consummationem saeculi conservabit. Atque in hoc admirabilis Dei providentia maxime elucet, quod omnium pene saeculorum aetatibus, et his praecipue temporibus, quibus religio catholica tyrannorum atrocitate et haereticorum perfidia impugnata est, invictos martyres, athletas fortissimos, gloriosos confessores et viros sanctos, magnos in virtute ac prudentia praeditos, adversus tyrannorum saevitiam atque haereticorum iniquitatem excitarit, qui suo sanguine fidem christianam decoratam, ac vitae integritate, doctrinis, virtutibus et miraculis confirmatam latissime propagarunt.

Omni tempore quo Ecclesia catholica tyrannorum et haereticorum perturbationes passa est, Deus suscitavit aliquem Sanctum, qui fidem propagavit.

§ 2. Ac superioribus quidem saeculis ex gloriosi Patris Sancti Dominici familia, beatus Raymundus a Peñafort Barchinonensis extitit, qui amator verae sapientiae, quae numquam marcescit, spretis omnibus mundi divitiis, dives factus est in gratia Dei, quae data est in Christo Iesu in omni verbo et scientia, dives in humilitate et virtute, dives in bonis operibus, in quo denique Deus ostendit abundantes divitias gratiae et gloriae suae. Nam vocavit eum in partem sortis Sanctorum, et implevit agnitione voluntatis suae in omni sapientia et intellectu spirituali, ita ut plenus Spiritu Sancto et fide, in medio regum et magnatum sapientiam loqueretur, non sapientiam huius saeculi, neque principum huius saeculi, qui destruuntur, sed Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est a sapientibus huius mundi, et revelata parvulis, nimirum verus Dei minister in paupertate, in omni patientia, in orationibus, in laboribus Dei gloriam quaerens, ac mysterium fidei in conscientia pura fidelibus et infidelibus summa charitate patefaciens, permultos in coecitate cordis a via salutis aberrantes, verbo veritatis et innocentia vitae, in rectam mandatorum Dei semitam traduxit, et adversus haereticorum impetum et audaciam, se tamquam murum fortissimum et inexpugnabilem opposuit.

Raymundus Barchinonens. Ordinis S. Dominici vir sanctus et virtutibus plurimis ornatus, multos ad bonam frugem reduxit.

§ 3. Insuper Deus, qui est mirabilis in sanctis suis, dedit ei gratiam curationum, ac sanctitatem eius in virtute Spiritus Sancti per signa et prodigia, cum in eius vita tum post obitum, ita manifestavit, ut eius gloria per amplissima Hispaniarum regna permanarit. Haec enim est summa Dei benignitas, qua sanctos suos, qui in contemptione honorum, in omni rerum humanarum despicientia, et in cruce Christi Domini nostri gloriantes, in hac vita Eius laudem et honorem amplificarunt, nunc eosdem glorificat, in quibus ipse honorificatus est, veluti quadam vicissitudine honoris, omnium bonorum felicitate in coelis remunerat, et tribuit eis nomen sempiternum quod nunquam interibit. Quamobrem ad eorum virtutes imitandas vehementer incitari debemus, cum huiusmodi homines aversos ab honoribus, in tribulationibus, in angustiis tantam adeptos esse gloriam videamus, ut sua tenuitate et humilitate omnium regum amplitudinem, omnem huius mundi existimationem et dignitatem longe superarint. Nam diversae sunt viae Dei a viis hominum, qui in vanis cogitationibus et curis inanibus occupati loquuntur sublimia gloriantes. Deus autem sedes ducum superborum destruxit, et cessare fecit memoriam eorum a terra, memoriam vero humilium sensu reliquit, et maximis honoribus amplissimisque monumentis consecravit.

Gratia curationum et vitae sanctitate praefulsit.

§ 4. Quare beatum Raymundum merito laudamus et Deum in eo benedicimus, qui singularibus gratiarum donis et summis virtutibus eum ornavit, de cuius vita, morum sanctimonia, fidei puritate et admirabilium signorum multitudine pauca solum ad communem totius Ecclesiae utilitatem proponimus, ut omnes intelligant quibus tandem ille gradibus in coelum ascenderit, ac Deo gratias immortales agant eius nomen in Ecclesia Dei, publico hoc nostro et Sedis Apostolicae decreto, numero Sanctorum fuisse adscriptum.

Miraculis clarus, quorum aliqua mox recensentur.

§ 5. Beatus Raymundus Barchinonensis ex nobili familia de Peñafort originem duxit. Prima in pueritia religionis Christianae rudimentis imbutus, iam magnum aliquid portendere videbatur, cum esset eximia corporis et animi indole, et naturae quodam instinctu ad virtutem et pietatem in dies magis propenderet.

Oriundus ex Barcinona.

§ 6. Adolescens humaniores litteras tam avide arripuit, ut exiguo tempore maximos progressus fecerit, et eas artes quas plane didicerat, Deo adiuvante, summa cum laude plurimos Barchinonae gratis docuerit.

Plures gratis docuit.

§ 7. Atque, ut e talentis sibi a Domino concreditis lucrum faceret amplissimum, Bononiam, velut ad commune bonarum artium domicilium, disciplinarum emporium profectus est, ubi tempus sibi ad negotiationem sapientiae datum, non insumpsit in vanis et carnalibus desideriis, quibus aetas illa iuvenilis a studio virtutis abripi saepe solet; sed pietatis officiis, ac pontificio civilique iuri toto pectore incubuit, ac tandem doctoris laurea caeterisque doctrinae insignibus decoratus, sacros canones publice, magna cum hominum admiratione, absque ullo stipendio, est interpretatus, cui postea cum Senatus Bononiensis, ob praeclaram eius eruditionem, honorarium ex aere publico decrevisset, ipse labores suos Domino sanctificans, datae sibi a Senatu pecuniae, omniumque rerum, quas sua industria comparasset, Deo primitias ac suo parocho decimas fideliter offerebat.

Bononiam proficiscitur ubi creatur doctor, ac publice docet canones.

§ 8. Quo in munere docendi cum aliquot annis egregiam navasset operam, et iam eius eruditionis fama per Italiam increbuisset, Berengarius Barchinonensis episcopus, eius virtutibus ac scientia permotus, Roma ad suam ecclesiam rediens,

Creatur canonicus Barchinonensis.

Bononiam iter instituit, ubi B. Raymundum convenit, ac multis ultro citroque sermonibus habitis, Berengarius virum admiratus, ac secum ipse reputans eum ingenti ecclesiae suae ornamento et utilitati futurum, vehementer institit ut secum ad ecclesiam Barchinonensem, ubi educatus fuerat, reverteretur; quod tandem magnis ab eo precibus obtinuit; quem etiam, aliquando post, eiusdem Ecclesiae canonicatu et quadam praepositura addita ornavit. Hoc beneficio et dignitate auctus, omnibus canonicis et universo illius civitatis populo integritatis ac doctrinae splendore praefulgebat, eratque tanta eius in omni gestu motuque corporis modestia, et totius vitae consuetudine suavitas, ut omnium aetatum atque ordinum homines in amorem sui raperet et admirationem. Deiparam Virginem singulari pietatis affectu venerabatur, eiusque honorem et cultum pro viribus semper auxit.

Annunciationis B. Mariae festum solemniter celebrari curat.

§ 9. Nam cum festus Annunciationis eiusdem Virginis dies ea in Ecclesia minus celebris haberetur, ipse ab episcopo et capitulo impetravit ut duplici ritu solemniter perpetuo coleretur, atque ex praeposituræ suae reditibus censum annuum attribuit canonicis in distributiones erogandum, qui sacris officiis eo die interessent.

Magna fuit apud omnes Raymundi auctoritas et sanctitatis opinio.

§ 10. Magnam hac ratione apud omnes auctoritatem et sanctitatis opinionem sibi conciliarat, totiusque civitatis oculos animosque omnium, ac praecipue praelatorum et principum in se converterat, cum inanem mundi gloriam, instar foeni arescentis decusso flore, marcescentem apud se ipse contemplans, ad sublimiorem vitae statum aspiravit. Venerant tunc in eam urbem recenter Fratres Ordinis praedicatorum qui, apostolicum in morem, evangelium Christi praedicando, populum docebant, et ad cultum Dei studiumque pietatis incitabant, quorum usu et consuetudine primum delectari beatus Raymundus, deinde etiam ad idem vitae institutum amplectendum vehementer coepit inflammari, neque anceps aut difficilis sua cogitatio fuit. Nam inclinatum eius animum et in via salutis ambulantem, speciosi illi pedes evangelizantium pacem, in montem Domini, perfectionis nimirum evangelicae apicem, facile deduxerunt.

Ordinem Fratrum Praedicatorum ingreditur, et in eo professionem emittit,

§ 11. Itaque iam matura aetate, annum circiter quintum supra quadragesimum agens, abdicatis honoribus spretisque omnibus divitiis, assumpsit pennas, ut columba, atque in requiem Domini evolans, in Ordine Fratrum Praedicatorum solemnem professionem emisit. Quod ut omnibus admirationi fuit, hominem genere nobilem, doctrina praestantem, affluentem bonis, dignitate et fama celebrem, suscepto religiosae vitae instituto, spontaneam paupertatem opibus, suique contemptum honoribus et commodis praetulisse, ita eius exemplo complures litterati ac studiis doctrinisque dediti nobiles viri eumdem Ordinem sunt amplexi, ac propterea magnum ea Religio in dicta civitate suscepit incrementum.

In quo virtutibus elucet.

§ 12. Hic iam novus Christi miles, adversus humani generis hostem fortiter dimicare apud se statuens, ac turrim eternae salutis aedificans, ut sapiens architectus, humilitatis religiosae, quae caeterarum est parens custosque virtutum, fundamenta facere decrevit.

Humilitatis fuit tenacissimus.

§ 13. Itaque etsi omnibus eruditione et prudentia antecellebat, hoc tamen ipso demissius sentire de se, aliis omnia, sibi nihil tribuere, singulos honore debito prosequi, denique libentius delitescere quam in lucem prodire consueverat, cuius ille virtutis tenacissimus in omni vita fuit; et quoniam obedientia humilitatis vita est, ad hanc tuendam atque conservandam, exemplo Mediatoris et Salvato-

ris Domini nostri Iesu Christi, *qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem,* vir iustus die ac nocte meditabatur obedientiam, ac sepulto propriae voluntatis arbitrio, mortuus huic saeculo, vitam cum Christo in Deo absconderat, ac totus a superiorum nutu pendebat.

Paupertatem toto pectore amplexus est.

§ 14. Beatam paupertatem regni coelorum praemio dignam, et Christi ore laudatam, toto pectore amplexus est, ac eam veluti fraternae pacis fundamentum, munditiam vitae, curarum huius mundi abdicationem, proximam denique et quasi compendiariam ad Deum viam studiosissime semper coluit, ac semetipsum tamquam aurum igne probatum, in camino paupertatis expurgabat.

Amantissimus castitatis fuit.

§ 15. Castitatis, quae coelestis et angelicus thesaurus est, amantissimus fuit, ac praecinctus lumbos, et lucernam boni operis in manibus habens, eam in fictili corporis vase in santificatione et honore portans, incorruptam et integram usque ad extremum vitae diem conservavit.

Dei Matrem intemeratam Virginem Mariam assidue invocabat.

§ 16. Et qua erat in Dei Matrem et intemeratam Virginem Mariam pietate, in cuius fidem et clientelam se iamdiu ante contulerat, nullum firmius ad daemonis vires conterendas, quam eiusdem Virginis praesidium inveniri posse certum exploratumque habens, eius patrocinium assidue invocabat, ac tantus erat eius in oratione fervor et perseverantia, ut ex variis occupationibus se ipse frequenter colligens sederet solitarius, et levans se super se, divinae contemplationi vacaret, in qua coelestes plane spiritus hauriebat, et de fontibus Salvatoris aquas sapientiae salutaris accipiens, tanto gratiarum imbre omnes vitae suae actiones irrigabat, ut flumina aquae vivae de ventre eius in aliorum utilitatem promanarent.

§ 17. In pauperes, ac praecipue captivos dura servitute ab infidelibus detentos propensissimus erat, nullumque officii genus unquam praetermisit quo eos liberari posse existimaret, quorum hoc etiam maiorem curam et sollicitudinem gerendam esse censebat, quo in graviori periculo Christianae fidei abiurandae, et amittendae salutis aeternae versarentur. Cum itaque eius hortatu Petrus Nolascus, natione Gallus, cuius confessiones beatus Raymundus audiebat, vir opibus florens et insigni pietate praeditus, ad inopes alendos, et maxime ad captivos ex Barbarorum vinculis redimendos, suas copias et opes cum alacritate ac libenti animo conferret, egregium pii ac liberalis animi officium, pro sua infinita bonitate, gratum Deus habuit. Nam proxima nocte insequente, Beatissima Virgo Dei Mater eidem Petro (qui sanctis meditationibus et orationi vacans, cogitabat qua ratione calamitatibus christianorum in captivitate degentium succurri posset) serena fronte se conspiciendam dedit, et acceptissimum sibi ac unigenito suo Filio fore dixit, si suum in honorem institueretur Ordo Religiosorum, quibus cura incumberet captivos e tyrannide Turcarum liberandi, ac illa ipsa nocte eadem Virgo Sanctissima Beato Raymundo, et Iacobo primo Aragoniae Regi apparuit, id ipsum de Religiosis admonens.

Pauperum et captivorum curam praecipuo gerebat.

Ordinis Redemptionis Captivorum statuta praescripsit, et primum magistrum generalem creavit.

§ 18. Quare hi, collatis inter se consiliis, et consentientibus animis, Ordinem Beatae Mariae de Misericordia seu de Mercede, Redemptionis Captivorum, fundaverunt, cui beatus Raymundus certas vivendi leges praescripsit ad istius Ordinis vocationem accommodatissimas (quarum approbationem aliquot post annos a felicis recordationis Gregorio nono, praedecessore nostro, impetravit), et dictum Petrum, qui eidem Ordini omnia sua prompte dederat, primum etiam generalem magistrum, suis ipse manibus habitu eodem indutum, creavit.

§ 19. Haec beatus Raymundus, quae ad unius Dei gloriam et proximi utilitatem gesserat, etsi occultissima esse volebat, tamen ardentem illius in egenos charitatem, et vitae sanctimoniam iam ubique fama vulgaverat, et sanctae eius doctrinae odorem manifestabat in omni loco. Quamobrem bonae memoriae Ioannes cardinalis episcopus Sabinensis, eruditionis et pietatis laude clarissimus, ab eodem Gregorio nono, praedecessore nostro, in Hispaniam ad crucem adversus Saracenos praedicandam, aliaque Sedis Apostolicae negocia pertractanda legatus de latere missus, multorum sermonibus singularem eius integritatem intelligens, eum sibi legationis accepit adiutorem. Quo in munere beatus Raymundus tanta cum prudentia, tanta humilitate et charitate versatus est, ut omnibus esset bonus odor Christi ad vitam. Nam etsi honestissimo loco natus esset, et iam aetate provectus, multisque virtutibus cumulatus, magna apud omnes auctoritate polleret; in hoc tamen longinquo et difficillimo itinere nullis umquam ab eo precibus obtineri potuit, ut equo veheretur; sed verus Christi discipulus, calceatus pedes in praeparationem Evangelii pacis, et assumpto spiritus gladio, quod est verbum Dei, iter suis comitatus sociis pedibus faciebat, et cardinalem, quo erat venturus, praeveniens, quasi viam ante faciem eius in benedictione praeparans, evangelio Christi praedicando, permultos, adiuvante Domino, ad arctam salutis semitam a via lata et spatiosa traducebat, et confessiones audiendo, a censuris et a peccatorum nexibus liberabat. Quodque omnibus mirum fuit, toto illo itinere nihil umquam de solita ciborum abstinentia, vigiliis, ieiuniis, praedicationibus, totiusque Religionis severitate remisit, sed observantissimus constitutionum sui Ordinis, ne latum quidem unguem ab illius statutis et legibus discedebat. Quare suscipiebant ipsum universi, et colebant omnes, Ioannes cardinalis summopere diligebat, qui perfunctus legatione ad Urbem rediens, cum beatum Raymundum una secum adducere decrevisset, numquam id tamen ab eo potuit impetrare.

Cum Io. card. episcopo Sabinensi in Hispaniam proficiscitur, praedicatque, *etc.*

§ 20. Sed cum ad eumdem Gregorium nonum, praedecessorem nostrum, de rebus legationis referret, tam multa eaque praeclara de huius beati viri virtutibus dixit, ut idem Gregorius praedecessor illius videndi desiderio incensus, eum ad se confestim evocarit, cuius ille dicto audiens, quamquam religiosae quietis avidissimus, Romam venit.

A Gregor. IX vocatus Romam venit.

§ 21. Excepit eum amanter et benigne praedictus Gregorius praedecessor, ac brevi, perspectis et exploratis eius animi dotibus summisque virtutibus, capellani sui officio (quod tunc temporis idem erat, quod nunc est causarum palatii apostolici auditorum) et poenitentiarii dignitate ornavit, ac tanti semper fecit ut, non nisi adhibito eius consilio, graviores causas tractaret; quem cum etiam a sacris sibi confessionibus praefecisset, is, qua erat in egenos charitate, poenitentiae loco illi iniungebat ut inopum preces et iustas petitiones statim audiret, eorumque negocia expediret et quam citissime conficeret; quare ab eodem Gregorio praedecessore pater pauperum est appellatus.

Capellanus et poenitentiarius constituitur.

§ 22. Decreta Romanorum Pontificum, quo quaequae tempore[1] condita erant, diversis in epistolis et conciliis sparsa, quae obscuritatem et incertitudinem inducere videbantur, ad communem omnium et maxime studentium utilitatem, in ordinem et compendium redigi iamdiu omnibus fere placuerat, sed tanto operi vir idoneus quaerebatur. Itaque Gregorius praedecessor beatum Raymundum huic muneri aptissimum esse ratus,

Decretales in compendium redigit.

1 Forte *quae quoquo tempore.* (R. T.).

id oneris ei imposuit, quod tandem ipse ingenti labore, trium annorum spatio, feliciter absolvit, quemadmodum in ipso Decretalium prooemio, gravissimo eiusdem Gregorii testimonio, est comprobatum. Hisce lucubrationibus et assiduo humilitatis studio, quamdiu Romae vixit, contra otiosam mentis evagationem et inanis gloriae cupiditatem se ipse tuebatur diligentissime.

Archiepiscopatum Tarraconensem recusat.

§ 23. Quare oblatos etiam honores et amplissimas Ecclesiarum cathedras omni conatu repudiavit. Nam cum Gregorius archiepiscopatum Tarraconensem ei deferre decrevisset, id ille adeo graviter et moleste tulit, ut illico febri correptus aliquot dies ingenti corporis animique dolore torqueretur. Itaque ab huius mundi gloria alienissimus, omni ope contendit ut eam a se dignitatem averteret; quod cum per se non posset, adhibitis multorum precibus et quorumdam cardinalium auctoritate, eiusdem Gregorii praedecessoris animum ita inflexit, ut illius Ecclesiae onus in eum transtulerit, quem ei muneri B. Raymundus aptissimum esse iudicavit.

Barchinonem redit.

§ 24. Hac difficultate perfunctus exultabat in Domino, ac veluti suo iuri reditus, gratiis Deo peractis, ad solitos labores sese contulit, quorum tandem magnitudine et diuturnitate confectus, in tam gravem morbum incidit, ut illi certam mortem medici denunciarent, nisi patrium solum repeteret. Itaque, dimisso confessarii eiusdem Gregorii praedecessoris munere, et obtenta abeundi facultate, Barchinonem rediit, et eum animi candorem ab omni ambitionis labe intactum et illaesum, quo imbutus ad Urbem venerat, in patriam reportarit.

B. Raymundo data fuit gratia sanitatum et operatio virtutum.

§ 25. Vix ab Urbe recesserat, cum statim ei divinitus per Spiritum data est gratia sanitatum, atque operatio virtutum. Nam cum ad eum Cathaloniae portum, quem Tossa vocant, appulisset, advectum ad se levi cymba quemdam eius loci incolam, Barcelo de Faro nuncupatum (qui dum in messem incumberet, adeo gravi et repentino correptus erat morbo, ut statim omnibus orbatus sensibus, nullos neque clamores, neque admotos corporis stimulos perciperet, sed humi iacens exanimis, mortuus esse crederetur), beatus vir miseratus, Deum, qui dives est in misericordia, ardentissime est deprecatus, ut ei vitam, quae satis esset ad confitendum peccata, produceret; tum magna in Deum fide nixus, infirmum proprio compellans nomine rogavit an vellet peccatorum sordes sacra confessione diluere; confestim ille, velut e somno excitatus, oculos sustulit, receptoque vocis usu, id velle se ac vehementer optare dixit, et confessione facta, atque exonerata peccatorum conscientia perceptaque absolutione, nihil amplius eloquutus spiritum Deo reddidit. Id circumstantes admirati glorificaverunt Deum, quod talem homini dedisset potestatem.

Quidam semimortuus eius precibus vitam, quae satis fuit ad confitendum peccata, obtinet.

Poenitentiarii munere, quo etiam absens ab Urbe fungebatur, sponte se abdicavit.

§ 26. Atque ubi Barchinonem appulit, confirmatis paulum viribus, statim ad res divinas et coelestes contemplandas animum adiecit. Eius vero Barchinonem adventus simul atque per Hispaniam innotuit, ingens hominum concursus ad eum fieri coeptus est, partim visendi gratia, partim consulendi (nam poenitentiarii potestatem concessione eiusdem Gregorii, etiam ab Urbe absens, exercebat), quos omnes consolabatur in Domino, et spiritualibus monitis mirifice recreabat; eius enim scientia, quasi inundatio in omnibus abundabat, et consilium eius, sicut fons vitae, salutem animae plurimis afferebat. Hac autem poenitentiarii potestate, quo liberius Deo sibique vacaret, sponte se abdicavit, quamquam eius etiam absentis opera idem Gregorius praedecessor, caeterique Romani

Pontifices, qui eum sequuti sunt, praedecessores item nostri, utebantur, ut ex ipsorum litteris facile constat, quibus ei gravissima negocia committebant. Conscripsit etiam *Summam casuum conscientiae*, qui solent in foro poenitentiae frequenter occurrere, magnae doctrinae, atque auctoritatis tam confessariis, quam confitentibus valde utilem et necessariam.

Magister generalis Praedicatorum Ordinis absens Bononiae declaratur.

§ 27. Dum sacris et suavibus hisce studiis, et iuvandi proximi occupationibus distinetur, anno humanae salutis millesimo ducentesimo trigesimo octavo, Iordanus eiusdem Ordinis secundus generalis magister ex hac vita decessit. Quare novo generali magistro deligendo capitulum generale Bononiae est congregatum, ubi cum, dissidentibus sententiis, non satis patres inter se convenirent, ad Sancti Dominici corpus preces indictae sunt, atque inde ad suffragia ventum, quibus omnibus, nullo penitus refragante, beatus Raymundus absens, generalis magister est declaratus. Cuius ille rei nuncio perculsus, atque animo perturbatus, primum repugnare vehementer coepit; sed provectioribus aetate ac sapientia patribus Bononia Barchinonem adventantibus, qui eam omnium et Dei voluntatem esse confirmarunt, aegre tandem acquievit, ac magistratum iniit. Itaque aliorum precibus et auctoritate victus, animum ad regendam eam familiam adiecit.

Biennio elapso, magistratu sponte se abdicavit.

§ 28. Quam cum integro biennio sanctissime et magna cum laude administrasset, facto, ipso postulante, superiore anno ex communi Patrum sententia decreto, ut liceret magistro generali officium magisterii renunciare proximo insequente capitulo Bononiae item habito, affectam aetatem infirmamque valetudinem incusans, pristinae nimirum quietis vitaeque privatae avidissimus, magistratu moerentibus omnibus sponte se abdicavit, quo veluti onere deposito, laetus et alacer ad consuetas pietatis exercitationes, et proximi ad virtutem incitandi studium se quamdiligentissime retulit, ac nihil unquam antiquius habuit, quam ut religionem catholicam longe lateque propagaret, et pro viribus ab haeresum labe vindicaret.

Iacobo I regi Aragoniae, ut officium inquisitionis in suis regnis institueret, suasit.

§ 29. Quamobrem clarae memoriae Iacobo regi Aragoniae, eius nominis primo, in primis suasit ut sacrum Inquisitionis officium suis in regnis institueret, ad haeresim videlicet, quae tunc ex nefaria Valdensium secta recenter exorta erat, omnesque alias procul a finibus eius regni arcendas; atque hanc ob causam, concilio provinciali Tarraconae adversus eosdem sectarios habito, iussu ipsius Iacobi regis interfuit.

Ut Saracenis Christi evangelium praedicaretur eidem Iacobo regi auctor fuit. Una cum eodem Iacobo rege ad maiorem insulam ex Balearibus proficiscitur.

§ 30. Sub idem vero tempus Saraceni, qui nobilissimas Hispaniae civitates et finitimas insulas impia sui generis stirpe multo ante infecerant, armata manu, vehementer etiam infestabant, quibus ut in suis regnis Evangelium Christi praedicaretur, eidem Iacobo Regi auctor fuit. Hunc etiam ad maiorem insulam ex Balearibus proficiscentem, eius rogatu, comitatus est, tum ut ei a sacris confessionibus esset, tum etiam ut verbo Dei praedicando, fideique catholicae mysteriis explicandis, Hebraeos et Agarenos, qui ibidem magno numero erant, ad christianam religionem adduceret. Ubi cum idem Iacobus rex, vesano amore captus, cuiusdam foeminae consuetudine uteretur, beatus Raymundus, qua erat dicendi libertate ac prudentia, illum blando primum sermone ab ea conatus est revocare; verum, ubi se nihil proficere animadvertit, tum orare, proque sua in Deum fide, precibus omnibus coepit obtestari, ne ob exiguam corporis voluptatem male se ipsum perderet; sed neque preces quidquam profuere.

Miraculum transportationis beati Raymundi. Extenso super aquis pallio centum sexaginta milliaria sex horis conficiens Barcinonem appulit.

§ 31. Hic tum beatus Raymundus animo dubius et incertus quo se verteret, consulto tandem precibus divino numine, statuit nihil gravius sibi faciendum, quam ut ex insula discederet, ne libidinem eiusdem Iacobi regis, quam ferre amplius non poterat, probare sua praesentia videretur. Itaque eum adiit, serioque ac severe admonitum, suae voluntatis certiorem fecit. Iacobus vero rex, eius apud se retinendi cupidus, nautas omnes praemoneri iussit, atque capitali edicto prohiberi, ne ullus eum traiiceret. Interim ignarus huiusce consilii beatus Raymundus in portum porrexit, ubi ab omnibus naviculatoribus communi consensu reiectus, cognita Iacobi regis voluntate, in portum *Sollar* profectus est, itineris sui comiti hoc unum firmissime asseverans, ibi aeternum regem sibi non defuturum. At cum neque in eo portu a nautis admitteretur, id secum ipse demiratus, hoc magna fide pronunciavit, regem quidem mortalem ita statuisse, sed regem aeternum aliter provisurum. Itaque omnibus in littore salutatis, per quasdam rupes et praerupta saxa in mare porrecta aliquantulum progressus, in mare descendit, ac socium alloquutus: Videbis, inquit, quemadmodum Deus optimam navem providebit. Quare fiduciae plenus, expanso super aquis pallio, reductaque eius ora instar veli ad baculum, quo tamquam malo uteretur, Dei opem invocans, ac signo crucis se muniens, relicto in insula suo, modicae fidei ac dubitante, socio, mari se commisit, ac leni prosperoque inflante vento perambulans semitas maris, ac benedicens Deum, qui dominatur potestati eius, centum sexaginta milliaria sex horis confecit, omnibusque circum littora insolitum navigandi genus admirantibus, Barcinonem appulit, ubi resumpto pallio, quod ne quidem aqua perfusum erat, ad monasterium sui Ordinis sub meridiem se contulit; quodque non minus admirandum est, ianuis clausis illud ingressus, populi acclamationes evitans ad gratias Deo peragendas in templum secessit, cuius rei fama totam urbem finesque illius brevi pervasit. Auxit etiam huius miraculi magnitudinem eiusdem Iacobi regis emendatio subsequuta. Extant autem usque in hunc diem vestigia turris et capellae eo in loco ex quo in mare descenderat extructae, atque ipsum etiam pallium, ut continuata apud eos populos traditione receptum est, cuius contactu multi a variis corporis infirmitatibus quotidie liberantur.

Eius studium in procuranda conversione Hebraeorum et Saracenorum.

§ 32. In procuranda Hebraeorum et Saracenorum salute magno charitatis ardore semper incensus fuit, omnemque operam dedit ad eos in fidei Christianae documentis excolendos, ac pro viribus adiuvandos, quod ut ei facilius esset, seminarium (in quo nonnulli sui Ordinis religiosi hebraico et arabico sermone erudirentur) Castellae et Aragoniae regum impensis instituit, quod opus toti Hispaniae ornamento, atque infidelibus adiumento fuisse ex eo satis constat, quod illius ope atque auxilio, ingens eorum multitudo christianam religionem amplexa sit. Neophytos non minori charitate doctrinae christianae praeceptionibus imbuebat, atque tam assiduus erat in illis instituendis, ut eorum parens esse videretur et, ne alimenta iis ad vitam necessaria deessent, undique eleemosynas corrogabat.

Humanitas in omnes.

§ 33. De rebus dubiis saepe consultus, singulari prudentia ac divina plane sapientia omnibus respondebat, atque inter caetera beneficia, quae accepit, hoc praecipue donum a Deo est consequutus, ut eos, quibuscum ageret, mira consuetudinis suae dulcedine ac voluptate perfunderet.

§ 34. Orandi contemplandique sum-

Consuetudo orandi et contemplandi.

mam diuturno usu adeptus est facultatem; nam et si variis gravibusque negociis distineretur, tamen ubi se ad orationem composuerat, tanta subito divini Spiritus suavitate rapiebatur, ut omnium rerum mortalium cura exutus esse videretur, ac saepe, intempesta nocte, clam observatus est in secretiori templi recessu, tam crebra altaque suspiria inter orandum edere, ut audientes ad lacrymas commoveret. In divinis officiis erat assiduus, atque incredibilem psallendo capiebat voluptatem.

Fervor cum sacrum celebraret.

§ 35. Sacrosanctum missae sacrificium fere quotidie celebrabat; quanta vero esset eius in sacrificando animi puritas ac devotionis fervor, vel ex eo facile existimari potest, quod adstantes ex eius solo aspectu ad orationem incitarentur, ac petita a Deo patre misericordiarum beneficia eius precibus impetrarent.

Christus in eius celebrantis manibus apparet.

§ 36. Nam frater Martinus, eiusdem Ordinis conversus, cum antequam suavi se Christi iugo subiiceret, voluptatibus carnis liberius indulsisset, ac tunc earum rerum quibus ante assueverat recordatione, suique corporis illecebris, quasi quibusdam stimulis agitatus, mirum in modum vexaretur, omnem huius tentationis propulsandae spem in beati Raymundi meritis collocavit. Igitur eius sacrificiis saepe interesse, ac summis precibus a Deo flagitare coepit ut tanto suo malo remedium aliquod afferret; quod dum perseveranter peteret, quodam die ex manibus beati Raymundi celebrantis, ac sacram hostiam populo ostendentis, Christus Dominus, sub augustissima pueri specie clarissima luce radiantis, spectandum ei se praebuit; quo viso, tanto est repente gaudio delibutus, ut ex eo tempore ad extremum usque diem, divina gratia et bonitate, ab omni concupiscentiae carnis commotione fuerit praeservatus.

Summa eius cum Angelo Custode familiaritas.

§ 37. Cum coelestis militiae Angelo tanta inerat ei familiaritas et amicitia, quae maximum est puritatis et sanctimoniae argumentum, ut ab eo frequenter ad orandum, a somno excitatus, invitaretur.

Ieiunium fere quotidianum.

§ 38. Cibi potusque parcissimus fuit; totam enim hebdomadam, excepto die Dominico, ieiunabat.

Mira patientia et humilitas.

§ 39. Nullum umquam in eo contumaciae vel arrogantiae vestigium animadverti potuit, quinimmo lenitate ac patientia fuit maxima, et in Deum tanta charitate, ut eius amore omnia arbitratus sit ut stercora, ex quo etiam egregia illa in proximos charitas redundabat.

Perpetua animi vigilia.

§ 40. Omnibus demum virtutibus cumulatissimus, devexa iam aetate, in perpetua quadam erat animi vigilia, expectans Dominum, ut ad coelestes nuptias ab Eo vocaretur.

Beata mors.

§ 41. Igitur, annos fere centum natus, cupiens dissolvi et esse cum Christo, in lethalem morbum incidit, atque sacramentis omnibus rite munitus, orantibus ad lectulum fratribus, deficiente sensim omni vitae sensu, ipso die Epiphaniae, Barcinone obdormivit in Domino, salutis humanae anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto.

Exequiae.

§ 42. Vulgata eius morte, ingens hominum concursus ad monasterium videndi causa repente factus est, ac tanta fuit eius sanctitatis apud omnes opinio, ut multi episcopi, complures praelati, ac nobiles viri, clerus etiam et populus Barcinonensis universus, funus eius summa doloris significatione sint prosequuti. Communem vero illam eius sanctitatis famam auctoritate sua magnopere auxerunt Alphonsus Castellae, et Iacobus Aragoniae reges, qui ad eius exequias sua praesentia cohonestandas, comitantibus filiis ac domesticis omnibus, summa cum veneratione et fama sanctitatis beati huius viri convenerunt. Itaque corpus eius magno

Sepulchrum.

Corporisque translatio.

totius civitatis luctu, ac principum virorum dolore, honorifice humatum est, quod paucis annis post in sepulchrum marmoreum translatum fuit.

Miraculis claret.

§ 43. Barchinonensis populus beato Raymundo vita functo, quasi totius patriae lumine extincto, moerore afflictus graviter angebatur, atque ob recentem virtutum eius ac beneficiorum memoriam, eo carere omnibus acerbissimum erat. Sed pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui secundum multitudinem dolorum consolationibus suis timentium se corda laetificat, beati Raymundi meritis beneficia in omnes conferendo, plebem suam mirifice recreavit. Nam fidelissimi huius servi integritatem et sanctimoniam, multis quidem in vita miraculis claram, pluribus signis post obitum ingenti omnium laetitia comprobavit. Atque ut omnes etiam intelligerent quam Deo placita esset anima eius, eo ipso tempore, quo ex hac vita migravit ad Dominum, insigni miraculo est declaratum.

Guillelmus Villaragut lepra mundatur.

§ 44. Erat in ea civitate Guillelmus de Villaragut qui, inveterata corporis lepra, graviter laborabat, neque eum foeditas morbi dolorisve acerbitas in publicum prodire, solitasque exercitationes et negocia obire patiebatur. Medici, adhibitis frustra medicamentis omnibus, deplorata re, animum desponderant; ipse vero, Deo ita disponente, qui Sanctum suum clarificaturus erat, in aedes quasdam monasterio Ordinis Praedicatorum vicinas, ea ipsa nocte, qua beatus Raymundus excessit e vita, diverterat, ubi cum gravissimo elephantiae dolore torqueretur, a pio quodam viro, Bernardo de Molendis nuncupato, canonico Barchinonensi admonitus est ut beati Raymundi, qui eo tempore dormierat in Domino, meritis se commendaret; quod ille recuperandae valetudinis cupidissimus, simul atque diligenter praestitit, confestim omnis lepra ex eius membris collapsa est, ac sanum corpus reliquit; in cuius rei signum et accepti beneficii memoriam idem Guillelmus monumento suspenso in templo rem omnibus testatam esse voluit, et posteritatis memoriae commendavit.

Margarita puella restituitur vitae.

§ 45. Illud vero maximum est eius sanctitatis argumentum, quod mortuos etiam ad vitam revocarit. Nam quaedam puella, Margarita nomine, Ioannis physici filia, quatuor aut circiter annos nata, diuturna febri continuisque alvi fluxionibus exhausta, diem obierat extremum, eamque vere mortuam esse pallor ipse vultus, contractae nares, oculi extincti, horridi dentes, caeteraque indicia confirmabant, quin et idem Ioannes pater, medicae artis expertissimus, asseruit omnia mortis, nulla vitae vestigia in eius corpore extitisse. Honesta interim mulier Romea eiusdem Margaritae mater, quae paulo ante ad beati Raymundi sepulchrum accesserat, et auxilium ab eo filiaeque valetudinem precabatur, ubi de morte filiae certior a Ioanne eius marito facta est, ab eodem saepius domo revocata fuit, quo illa nuncio perculsa tanto filiae recuperandae desiderio inflammata est, ut neque inde se abituram, neque domum reversuram affirmaret, nisi, beati huius viri meritis et intercessione, Margarita eius filia vitae restitueretur. Itaque lacrymis ac lamentis omnia miscere, et ardentius orationi instare, atque a Deo, per beati viri merita, summis precibus flagitare coepit ut filiam vitae sibique redderet; cuius perseverantem firmissima fide orationem respexit Deus, nec sprevit deprecationes eius. Nam sub occasum solis Margarita filia, paulo post meridiem defuncta, non modo vitae, sed etiam integrae valetudini est penitus restituta, quae postridie in templum pedes adiit ad gratias pro tanto beneficio agendas, et decem et quatuor annos supervixit.

Romea de Sala ob partus difficultatem periclitans liberatur.

§ 46. Altera item honestae conditionis foemina, Romea appellata, Michaelis videlicet de Sala hominis pii uxor, beati Raymundi opem experta est. Nam cum maturo iam foetu acerbissimis pariendi doloribus premeretur, ac infantis caput enixa, reliquo intus recluso corpore, tribus integris diebus ac noctibus gravissimo cruciatu torqueretur, nihil propius factum est, quam ex hac vita decederet; nam ob languentis stomachi fastidium, cibos omnes, haustusque respuebat, atque a sensibus alienata vocisque usu privata iacebat exanimis; quo tam praesenti uxoris suae periculo praedictus Michael vehementer animo consternatus, ad templum illico excurrit, beati Raymundi opem subsidiumque implorans, qui simul ac domum rediit, Romea felicissime partum edidit, atque omni dolore est liberata.

Iuvenis morti proximus saluti restituitur.

§ 47. Praeterea iuvenis quidam continuos viginti dies acutissima febri agitatus, viribusque exhaustus in superiorem aedium partem a suis delatus fuerat, ut aura puriore frueretur, animumque relaxaret, quo ex loco deorsum in lapides et saxa corruens, ita convulsus fractusque membris fuit ut, immotus humi prostratus, ab omnibus mortuus esse putaretur. Eo, ut fit, cum multi videndi et iuvandi causa accurrissent, adstantium quidam pulveres ex beati Raymundi sepulchro desumptos, quos religiose ac pie secum gestabat, in iacentis ac moribundi os iniecit, colloque appendit, atque aeger ille continuo valetudini est integrae restitutus. Et illa quidem aliaque quam plurima multo ante tempore contigerunt, haec vero recentiora sunt.

Michael Amat peste correptus omni morbo liberatur.

§ 48. Anno millesimo quingentesimo octuagesimo nono, dum pestilentia Barchinone grassaretur, atque ingenti hominum clade invalesceret, quidam probus vir, Michael Amat appellatus, peste mortifera correptus, ac desperata valetudine a medicis destitutus, sacramentorum atque Extremae Unctionis susceptione ad mortem se comparabat, sensim vero per omnia corporis membra serpente morbo, in eas redactus erat angustias ut, praeclusis faucibus, loqui amplius non posset. Quare intimo cordis et animi affectu beatum Raymundum est deprecatus, ut eam a se infirmitatem depelli precibus suis impetraret; qua in oratione beatum Raymundum sibi videre visus est, atque extensa manu se contingere, quo ex facto ita omni repente morbo levatus est, ut eodem ipso die convaluerit.

Anna Beneta fluxu sanguinis liberatur.

§ 49. Hoc aliquanto recentius est. Nam anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, pia quaedam mulier Anna Beneta vocata, Barchinone honestis parentibus orta, ipso Epiphaniae festo copioso sanguinis profluvio in summum vitae periculum adducta erat, neque adhibita medicorum remedia sanguinem ullo modo sistere poterant, neque ipsa in proximum diem victura putabatur. Quare eorumdem hortatu cum sanctissimae Eucharistiae atque Extremae Unctionis sacramenta pie et devote sumpsisset, mortem expectabat. Interim in beati Raymundi praesidium toto animo confugit, ac pulveres ex eius sepulcro ad se deferri, atque in cyatho misceri sibi iussit, quibus epotis, melius se habere coepit, et absque ullo prorsus alio pharmaco, vitae discrimen evitavit.

Pulvis ex eius sepulchro enascens salubris.

§ 50. Illud vero perpetui cuiusdam miraculi vim obtinet, quod ex primo eius sepulcro terra quaedam tenuis seu pulvis saluberrimus enascitur, qui licet magna in copia inde exportetur, numquam tamen deficit, ac multae magnaeque corporis infirmitates eo curantur.

Ludovicus de Clamarunt olfactum recuperat.

§ 51. Anno itidem millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, cum iudices constituti ad explorandas beati huius viri reliquias, arcam ubi erant reconditae

aperuissent, tantus illico odor ex eius corpore (qui vivens in odorem suavitatis Deo se consecrarat) exhalavit, ut multi qui eo confluxerant, nihil eo percipi posse iucundius affirmarent, quinimmo egregius vir Ludovicus de Clamarunt, ex gravi morbo sensu odoratus a sexdecim annis orbatus, cum in ea hominum multitudine videndi desiderio incitatus propius accessisset, eum etiam odorem suavissimum sensit, quo repente ita recreatus est, ut lacrymas prae gaudio continere nec ullam vocem emittere ullo modo posset, verum tacitus apud se cogitans dubitabat num istius solummodo odoris olfactum recuperasset, an etiam rerum aliarum: sed domum reversus ubi se varios odores percipere animadvertit, miraculum subito evulgavit.

Odor ex Beati sepulchro manans.

§ 52. Neque vero haec odoris fragrantia eo solum tempore ex eius corpore emanavit, sed ex aperto quodam eius sepulcri meatu idem suavis odor quandoque afflatur, qui ab iis sentitur, quos divina bonitas eo munere dignatur.

Reges populique Aragoniae eius canonizationem efflagitant.

§ 53. His pluribusque aliis miraculis, quae referre longum esset, corda regum inclinata plurimique ecclesiarum antistites et praelati, populique integri regni Aragoniae divinitus excitati, una voce et consensu a multis Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, frequenter petierunt ut beatus Raymundus in Sanctorum numerum referretur.

Ac primo quidem a. MCCLXXIX in synodo Tarraconensi;

§ 54. Et quidem, quarto ab eius obitu anno, salutis videlicet humanae millesimo ducentesimo septuagesimo nono, archiepiscopus Tarraconensis, ac decem episcopi regni Aragoniae, multique abbates in concilio provinciali Tarraconae congregati, litteras ad felicis recordationis Nicolaum Papam III, praedecessorem nostrum, dederunt, quibus singularem eius in Deum charitatem, vitaeque innocentiam coram Deo et hominibus testificati, ut eum, praevia virtutum ac miraculorum eius inspectione, Sanctorum numero adscribere vellet, humiliter supplicarunt.

Deinde sub Bonifacio VIII;

§ 55. Cum autem ipse Nicolaus III praedecessor e vita migrasset, praefecti civitatum regni Aragoniae et principatus Cataloniae, totaque civitas Barchinonensis, quin et priores, caeterique fratres Ordinis Praedicatorum, qui eas provincias incolebant, idem a felicis recordationis Bonifacio octavo, etiam praedecessore nostro, enixe flagitarunt.

Mox sub Ioanne XXII et Alexandro VI;

§ 56. Verum, ipso Bonifacio praedecessore ab humanis etiam erepto, concilium provinciale Tarraconae denuo convocatum, apud sanctae memoriae Ioannem vigesimum secundum, praedecessorem etiam nostrum, primam petitionem renovavit, quo tempore frater Arnaldus Burgvetus, Ordinis praedicatorum, inquisitor ac procurator, a capitulo generali ad hanc causam prosequendam institutus, multos testes super miraculis, quae de hoc beato viro vulgabantur, examinari curavit. Sed cum per dicti Ioannis praedecessoris obitum res transigi non potuisset, clarae memoriae Petrus Aragoniae rex, datis ad felicis recordationis Clementem sextum, similiter praedecessorem nostrum, litteris, vehementer instetit, ut beatus hic vir humanis laudibus extolleretur in terris, quem divinae providentiae sublimitas, quemadmodum in eius litteris habebatur, honorare voluerat in excelsis.

Paulus III, ut eius officium in ecclesiisPraedicatorum Ordinis regni Aragoniae recitaretur, concessit.

§ 57. Cum vero huius rei tanta sit gravitas et magnitudo, ut exiguo tempore perfici non potuerit, omnis huius causae tractatio usque ad tempora sanctae memoriae Pauli III, similiter praedecessoris nostri, fuit intermissa, qui tandem precibus bonae memoriae fratris Ioannis a Toleto, tituli Sancti Sixti, cardinalis Burgensis nuncupati inclinatus, concessit ut in omnibus monasteriis et ec-

clesiis Ordinis Praedicatorum in regno Aragoniae existentibus solemne officium de beato Raymundo celebrari posset.

Philippus II petit a Clemente VIII ut causa huiusce canonizationis concluderetur.

§ 58. Interiecto autem diuturni temporis intervallo, cum Deus, qui est gloria virtutis Sanctorum, beati Raymundi meritis et intercessione, plurima in dies beneficia toti Hispaniae largiretur, clarae etiam memoriae Philippus II Hispaniarum rex catholicus, per litteras, et per dilectum filium nobilem virum Antonium de Corduba et Cardona, Suessae ducem, suum apud nos et Sedem Apostolicam oratorem supplicavit, ut huic causae sub tot Romanis Pontificibus inchoatae ipsi vellemus finem imponere; quo sane pio regis studio vehementer sumus recreati.

Remissa ad congregationem S. Rituum.

§ 59. Nam cum ab ipso pontificatus nostri principio nihil magis, quam Dei gloriam et catholicae religionis exaltationem spectaverimus, gaudebamus in Domino, cum utramque hisce regis supplicationibus promoveri cerneremus. Itaque ut religioso eius desiderio satisfaceremus, venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus Congregationis Sacrorum Rituum iniunximus, ut acta omnia, quae prius hac in re confecta erant, diligenter inspicerent et examinarent. Hi autem fuere ex triplici ordine assumpti, venerabiles fratres episcopi Alphonsus Ostiensis Gesualdus, Inicus Avalos Portuensis de Aragona, Gabriel Sabinensis Paleottus, et dilecti filii nostri Alexander Sanctae Mariae Transtyberim Medices, Franciscus Sancti Petri ad Vincula de Gioiosa, Augustinus Sancti Marci Veronensis, Dominicus Sancti Chrysogoni Pinellus, Franciscus Maria Sanctae Mariae in Ara coeli de Monte, Ascanius Sanctae Pudentianae titulorum presbyteri Columna, Odoardus Sancti Eustachii Farnesius, Antonius Sanctorum Quatuor Coronatorum Fachinettus diaconi nuncupati Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales.

Procurator nonnullas producit scripturas;

§ 60. Coram quibus rite congregatis, cum dilectus filius Michael Llot, sacrae theologiae doctor, frater eiusdem Ordinis Praedicatorum, professus ac procurator legitime hac in causa constitutus, pro suo munere, in quod per sex annos continuos diligenter incubuit, quasdam scripturas ad hanc ipsam causam spectantes protulisset; quia tamen multae probationes addi poterant, litterae ad archiepiscopum Tarraconensem, atque ad Barchinonensem et Vicensem episcopos cum opportuna facultate missae sunt, ut alias omnes scripturas et probationes annis superioribus hoc in negocio factas Barchinone extraherent, et ea denique agerent, quae ad hanc causam requiri videbantur, omniaque ad nos transmitterent, quae cum essent omni iure confecta, summaque auctoritate firmata, et debita cum diligentia et fide transmissa:

Quae tribus Rotae auditoribus examinandae traduntur.

§ 61. Nos tribus viris, doctrina et integritate praestantibus, ac usu peritissimis, Seraphino videlicet Olivario Razzalio decano, Petro Francisco Gipsio, et Francisco Peniae causarum palatii nostri auditoribus commisimus, ut ea summo studio quantaque possent diligentia legerent, expenderent, ac totius causae merita exactissime ponderarent. Quo in munere cum sedulo et accurate versarentur, Philippus II Hispaniarum rex catholicus, cuius memoria in benedictione sit, magno in primis nostro et totius orbis christiani dolore ac detrimento, viam universae carnis ingressus est.

Philippus III causae prosequutionem urget.

§ 62. Quare charissimus in Christo filius noster Philippus III, Hispaniarum item rex catholicus eius filius, non modo regnorum, verum etiam paternarum virtutum haeres, statim a primo regni sui exordio, ut se suaque omnia in beati Raymundi praesidium ac patrocinium conferret, litteris, et per eumdem Antonium Suessae ducem oratorem item suum no-

bis supplicavit, ut in hac causa progredi vellemus. Idcirco vehementer laetabamur et benedicebamus Domino, qui pios reges perpetuo suscitat, ad Sanctos suis honoribus prosequendos, quos elegit in aedificationem corporis Christi, quod est Ecclesia.

Processibus itaque in d. congregatione examinatis et approbatis;

§ 63. Cum igitur praedicti auditores in discutiendis actis in universo processu diuturnam et assiduam navassent operam, nihilque eorum quae ad hanc rem peragendam pertinent praetermisissent, omnem rei gestae seriem suumque iudicium scripto nobis tradiderunt, quorum integram relationem nos eisdem cardinalibus Congregationis Sacrorum Rituum per eosdem auditores tradi iussimus, atque ut plurium iudicio tota haec causa examinaretur, alios etiam cardinales prioribus adiunximus, nimirum dilectos filios nostros Federicum Sanctae Mariae Angelorum in Thermis Borromaeum, Antonium Mariam S. Agnetis in Agone Gallum, Caesarem Sanctorum Nerei et Achillei Baronium, Sylvium Sancti Salvatoris in Lauro titulorum presbyteros Antonianum, atque Andream Sancti Angeli in foro Piscium Perettum diaconum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, quos omnes monuimus, ut acta omnia de beati Raymundi puritate fidei, morum integritate, ac miraculorum evidentia, tanto studio perpenderent, quantum et rei gravitas requirebat, et nos merito expectabamus; qui cum privatim, multisque congregationibus inter se habitis, dilecto filio Pompeo Molella, fisci nostri procuratore semper citato, et partes suas diligenter praestante, singula rerum capita et acta omnia sedulo examinassent, ac processum, testes, instrumenta et huius causae monumenta cum auditorum sententiis diligenter contulissent, eoque adducta essent omnia, ut ad nos referri oporteret:

§ 64. Nos consistorium secretum pro more convocari iussimus, in quo praefatus Alphonsus cardinalis Gesualdus, suo et totius Congregationis nomine, primum retulit scripturas, processum omniaque huius causae acta legitime confecta esse, ac maximae auctoritatis probataeque veritatis vim obtinere; deinde tota beati Raymundi vita, multisque miraculis enarratis, se et caeteros dictae Congregationis cardinales, una voce unaque mente in eam sententiam venisse dixit, beatum Raymundum (si ita nobis videretur) posse catalogo Sanctorum aggregari. In quorum sententiam cum reliqui cardinales suo quisque suffragio ex ordine ivissent, magnam animi voluptatem capiebamus, quod beati huius viri sanctitatem in dies magis elucere videremus. Atque ut in hoc gravissimo negocio nihil de pristina nostra consuetudine ac debita diligentia remitteremus, nos ipsi facta studiose et accurate perlegimus, atque eorumdem Rotae Auditorum, et venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium relationem verissimam esse comperimus.

Facta de omnibus in consistorio relatione, atque a Pontifice seorsim examinatis.

Factaque in consistorio publico instantia,

§ 65. Quare, lapsis paucis post diebus, ex Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum instituto, consistorium publicum indiximus, in quo praeter cardinales, patriarchae, archiepiscopi, episcopi, praelati nostrique familiares nobis adfuerunt, ac in eo dilectus filius Bernardinus Scottus consistorialis aulae nostrae advocatus, eximia beati Raymundi charitate, vitae innocentia et miraculis copiosa oratione explicatis, charissimi in Christo filii nostri Rodulphi Romanorum regis illustris in imperatorem electi, et eiusdem Philippi III regis Hispaniarum catholici, et principatus Cataloniae totiusque Ordinis Praedicatorum nomine, ut beatum Raymundum Sanctis adiungere vellemus, a nobis suppliciter flagitavit.

Clemens publicas, privatasque

§ 66. Quae cum audiremus, benedicebamus Domino, et gratias Deo agentes

ad Deum preces fieri iubet.

laetabamur Philippum III regem catholicum in ipso regnandi principio hunc sibi ad felicem regnorum suorum administrationem patronum tanto ardore postulare. Itaque respondimus, sanctam eius petitionem nobis esse gratissimam, et eam ad Dei gloriam in primis, et communem totius christianae reipublicae utilitatem pertinere, quod nimirum Deus (qui splendor et gloria Sanctorum est) in Sanctis suis magis laudatur, et christifideles eo facilius divinae gratiae munera, auctis intercessoribus, obtinent, quo maior cultus et honor Sanctis adhibetur. Praeterea singularem regis pietatem commendantes, optare nos pio eius desiderio satisfacere diximus; huius tamen rei tantam esse gravitatem, ut maturius adhuc cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus et caeteris episcopis deliberandum esse censeremus. Itaque omnes eos in Domino hortati sumus, ut omnia quae ad beati Raymundi vitam et miracula spectarent, omni studio et diligentia examinarent; deinde orantes in spiritu et in ipso vigilantes, quod nos facturi eramus, Deum precarentur ut daret nobis spiritum sapientiae et revelationis, quo haec arcana coelestia, quae ratione humana comprehendi non possunt, cognosceremus, et illuminaret oculos cordis nostri, ut quid in hac gravissima causa statuendum esset, deliberare possemus.

Indicta solemnitas canonizationis die Dominica in Albis.

§ 67. His peractis, secretum aliud consistorium indiximus, cui etiam patriarchas, archiepiscopos et episcopos, qui tunc erant in Urbe, ac nostros et Sedis Apostolicae notarios, necnon palatii nostri auditores et secretarios voluimus interesse, in quo nos ex gratiae coelestis abundantia (qua nostra tenuitas in hac suprema pastorali vigilia, domus Dei, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis constituta est), ea diximus, quae ad hanc causam spectare nobis visa sunt; deinde ab iisdem fratribus nostris petivimus ut, consideratis atque examinatis omnibus actis, id praecise dicerent, quod Spiritus Sanctus eis daret eloqui, et an beatus Raymundus Sanctis adscribendus esse videretur. Itaque primum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, deinde patriarchae, tum archiepiscopi et episcopi ibidem praesentes, suo quisque loco dictis sententiis, omnes communi consensu ex iis, quae in universo processu explorata erant, merito a nobis beatum Raymundum inter Sanctos referendum esse censuerunt. Gratias igitur Deo agebamus, qui fratres nostros omnes in unitate spiritus idem sentire facit, tribuens omnibus cor unum et animam unam, eosque monuimus ut interim precibus, ieiuniis et eleemosynis Dei gratiam et auxilium nobiscum invocarent. Cumque omnia iam ad praescriptum et normam sacrorum canonum confecta essent, quod supererat acturi, post aliquot menses diem canonizationis diximus tertium kalendas maii, Dominicam videlicet in Albis, qua Paschalis solemnitas terminatur, neophytorum habitus candore animi permanente commutatur, et evangelium in Ecclesia legitur, quo Christus Dominus post resurrectionem ad discipulos ianuis clausis ingressus, insufflato eis Spiritu Sancto, potestatem remittendi et retinendi peccata est elargitus; in quo magna nobis laetitiae materia oblata est, quia videlicet memineramus, beatum Raymundum et sacramenti poenitentiae ministrum extitisse, et post traiectionis miraculum ianuis clausis monasterium sui Ordinis Barchinone ingressum esse; deinde etiam quod eodem solemnitatis et laetitiae die nos ab hinc septem annis Sanctum Hyacinthum Polonum eiusdem Ordinis Fratrum Praedicatorum, beati Raymundi coaetaneum, in Sanctos retuli-

mus: ad quam quidem animi nostri voluptatem non mediocris accessio facta est, quod hoc ipso die Sanctae Catharinae Senensis, ac Sancti Petri martyris festum in Ecclesia solemniter celebretur, qui sub eadem Sancti Dominici disciplina vitam sanctissime traduxerunt. Quam ob rem in tam accommodata totius Ecclesiae ac Sanctorum eiusdem Ordinis ad hanc celeberrimam actionem festivitate, nos beato Raymundo eumdem honorem decernere statuimus, qui sanctis confessoribus adhibetur.

Ritus canonizationis in Basilica Vaticana celebrati.

§ 68. Cum igitur praescripta Dominica in Albis, hodierna scilicet dies advenisset, nos cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, qui in capella nostra pontificia hanc ob causam convenerant, vestibus sacris induti, hymnum *Ave Maris Stella* inchoavimus, reliquum capellae nostrae choro prosequente, ad Beatae Mariae Virginis opem implorandam, atque ita cantantes in viis Domini, Romanae Curiae praelatis, officialibus et familiaribus nostris, et saeculari ac religioso clero longo ordine praecedentibus, singulis cereos accensos gestantibus, ex nostro palatio apostolico ad augustissimam Principis Apostolorum basilicam processimus vario ornamentorum genere instructam, eamque ingressi ad sanctissimum Eucharistiae Sacramentum genuflexi procubuimus, orantes ut Deus hanc celeberrimam actionem, ad laudem et gloriam nominis sui dirigeret. Inde ad supremam ecclesiae partem ascendimus, alto et sublimi fornice admirandam, ubi amplum regioque sumptu suggestum erectum erat coram altari Sancti Petri Principis Apostolorum, in quo sacram pontificalem missam celebraturi eramus, omniaque facibus cereisque ardentibus collucebant; ac plurimae circum imagines beatum Raymundum erecto corpore egregie pictum referebant, dextera manu clavem in potestatis atque officii poenitentiarii memoriam, sinistra librum doctrinae ac decretalium monumentum gerentem, ubi statim nobis in mentem venit nos iisdem, quibus beatus Raymundus, capellani videlicet, seu causarum palatii apostolici auditoris munere, antequam in numerum cardinalium assumeremur, et in ipsa cardinalis dignitate summi poenitentiarii officio, quamquam non exacte ac perfecte, functos fuisse, ac propterea Deum in spiritu humilitatis non sine lacrymis precabamur, ut si quid istis in muneribus ex nostra imbecillitate a nobis omissum, vel commissum fuisset, id eius bonitas atque clementia, beati Raymundi meritis atque intercessione, nobis condonaret. Deinde in suggestum delati ante idem altare Principis Apostolorum oravimus, ut suo nobis auxilio praesidioque adesset, mox in excelso e regione altaris throno considentes, eosdem cardinales, patriarchas, archiepiscopos et episcopos sacris indutos vestibus obedientiam nobis de more praestantes excepimus; tum dilectus filius noster Odoardus Sancti Eustachii cardinalis Farnesius nuncupatus, regni Aragoniae protector, catholici regis nomine semel, iterum, ac tertio supplici-ter a nobis flagitavit, ut beatum Raymundum in Sanctos referremus, cuius singulis petitionibus opportune respondimus, ac per interiecta totidem intervalla, litanias, hymnos precesque adiunximus.

B. Raymundus Ss. albo adscribitur, eiusque festus die VII ianuar. celebrandus proponitur.

§ 69. Denique absolutis perfectisque omnibus iis, quae a Romanis Pontificibus hoc in genere instituta sunt, communibus precibus implorata Spiritus Sancti ope, ad honorem Sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et religionis christianae augmentum, auctoritate eiusdem Sanctae Trini-

tatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, omniumque patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Romana Curia existentium consilio, communique consensu, beatum Raymundum a Peñafort, Ordinem fratrum praedicatorum expresse professum, ac in ecclesia Sanctae Catharinae eiusdem Ordinis Barchinone sepultum, de cuius innocentia vitae et miraculis nobis plane constat, Sanctum esse definivimus, ac Sanctorum confessorum numero et catalogo adscribendum esse decrevimus, prout per praesentes definimus, decernimus et adscribimus, statuentes ut ab universa Ecclesia quolibet anno, die septima ianuarii, festum eius et officium, sicut pro uno confessore non pontifice ad normam in rubricis Breviarii Romani praescriptam devote celebretur. Insuper omnibus vere poenitentibus et confessis, qui singulis annis, eodem die, praedictam ecclesiam Sanctae Catharinae Barchinonensis, in qua corpus eius conditum est, pie et devote visitaverint, easdem indulgentias et peccatorum remissiones concessimus et elargiti sumus, quemadmodum concedimus et elargimur, quae caeteris dicti Ordinis monasteriis et ecclesiis diebus festis Sanctorum eiusdem Ordinis concessae sunt.

Concessae praesentibus indulgentiae.

§ 70. Itaque omnibus, quae ad beati Raymundi canonizationem spectabant, rite peractis, atque hymno ad Dei laudem et gratiarum actionem decantato, divinaque ope Sancti Raymundi meritis, peculiari in eius honorem oratione, quam nos ipsi fecimus, et clara voce recitavimus, invocata, nos in eodem loco et altari principis Apostolorum missam solemnem de octava Dominicae Resurrectionis, cum eiusdem beati Raymundi commemoratione, celebravimus, omnibusque christifidelibus, qui et canonizationi et missae interfuerunt, ad Dei laudem et Sancti sui gloriam, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessimus. Quare Deum mirabilem in Sanctis suis benedicamus, et gratias immortales Ei agamus, quia suscepimus misericordiam in medio templi eius, novum videlicet in Ecclesia intercessorem, cuius meritis ac suffragiis, in omnibus animae corporisque periculis adiuvemur. Ac singulari plane divinae providentiae munere factum est, ut hisce difficillimis temporibus, quibus religio catholica inimicorum telis assidue impugnatur, hunc patronum et advocatum universi christifideles consequuti sint, ad Ecclesiae pacem in primis et tranquillitatem, ad optatam principibus christianis concordiam, ac haereticis in errorum tenebris a via salutis errantibus lucem veritatis impetrandam.

Fides danda transumptis.

§ 71. Caeterum, quia nimis difficile foret praesentes nostras litteras ad singula quaeque loca deferri, volumus ut earum transumptis etiam impressis, manu publici notarii subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides ubique habeatur, quae hisce praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Clausulae.

§ 72. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum definitionis, decreti, adscriptionis, statuti, concessionis, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo primo, tertio kalend. maii, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 29 aprilis 1601, pontif. an. x.

Papae et cardinalium subscriptiones.

✠ **Ego Clemens catholicae Ecclesiae episcopus.**

Protector noster aspice Deus.

† Ego Ptolomaeus episcopus Portuen., card. Comensis.

† Ego Iulius Antonius episcopus, cardin. Praenestinus et S. Severinae.

† Ego Hieronymus episcopus Sabinensis, cardinalis Rusticucius.

† Ego Alex. Episcopus Albanen., card. de Florentia.

† Ego Antonius Maria, tit. S. Mariae Transtyberim, card. Salviatus.

† Ego Augustinus, tit. S. Marci, presbyter card. de Verona.

† Ego Simeon, tit. S. Laurentii in Lucina, presb. card. de Terranova.

† Ego Dominicus, tit. S. Chrysogoni, presbyter card. Pinellus.

† Ego Fr. Hieronymus Bernerius, tituli S. Mariae super Minervam, presbyter card. Asculan.

† Ego Antonius, tit. S. Stephani in Monte Coelio, presb. card. Saulius.

† Ego Fr. Gregorius, tit. S. Augustini, presbyter card. de Montelparo.

† Ego Paulus, tit. S. Caeciliae, presbyter card. Sfondratus.

† Ego Benedictus, tit. S. Marcelli, presbyter card. Iustinianus.

† Ego Franciscus Maria, tit. S. Mariae in Aracoeli, card. a Monte.

† Ego Octavius, tit. S. Alexii, presbyter card. Paravicinus.

† Ego Hieronymus tit. S. Pancratii, presbyter card. Matthaeius.

† Ego Octavius, tit. S. Mariae de Populo, presbyter card. Aquaviva.

† Ego Flaminius, tit. S. Mariae de Pace, presbyter card. Platus.

† Ego Lutius, tit. Ss. Quirici et Iulittae, presbyter card. Saxus.

† Ego Franciscus Maria, tit. S. Bartholomaei in Insula, presbyter card. de Senis.

† Ego Camillus, tit. Ss. Ioannis et Pauli, presbyter card. Burghesius.

† Ego Caesar, tit. Ss. Nerei et Achillei, presbyter card. Baronius, S. R. E. bibliotecarius.

† Ego Laurentius, tit. S. Laurentii in Pane et Perna, presbyter card. Blanchettus.

† Ego Franciscus, tit. S. Crucis in Hierusalem, presb. card. de Avila.

† Ego Franciscus, tit. S. Thomae in Parione, presb. card. Mantica.

† Ego Pompeius, tit. S. Balbinae, presbyter card. Arigonus.

† Ego Dominicus, tit. S. Petri in Monte Aureo, presb. card. Tuscus.

† Ego Arnaldus, tit. S. Eusebii, presb. card. Ossatus.

† Ego Paulus Æmilius, presb. cardin. Sancti Marcelli.

† Ego Silvius, tit. S. Salvatoris in Lauro, presb. card. Antonianus.

† Ego Rob., tit. S. Mariae in Via, presbyter card. Bellarminus.

† Ego Bonvisus, tit. S. Blasii de Annulo, presbyter card. Bonvisius.

† Ego Franciscus diaconus card. Sfortia, S. Mariae in Via lata.

† Ego P. S. Nicolai in Carcere diaconus card. Aldobrandinus, S. R. E. camerarius.

† Ego Cynthius diaconus cardin. Sancti Georgii.

† Ego Bartholomaeus S. Mariae in Porticu diaconus card. Coesius.

† Ego Io. Baptista S. Mariae in Cosmedin diaconus card. Detus.

CCLIX.

Civibus Comaclensibus nonnulla privilegia conceduntur[1].

Dilectis filiis communitati et hominibus civitatis nostrae Comaclensis

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Comaclensium erga Sedem Ap. fidem commendat.

Sincerae fidei et devotionis affectus, quem erga nos et Apostolicam Sedem gerere comprobamini, nos inducit ut vos specialibus favoribus et gratiis libenter prosequamur.

Concessa iam sibi privilegia confirmat novaque addi petunt.

§ 1. Cum itaque alias vobis diversas gratias, concessiones et indulta per nostras in forma brevis, sub datum Ferrariae XVIII iulii MDXCVIII, pontificatus nostri anno septimo, expeditas litteras concesserimus, prout in eisdem litteris plenius continetur; et sicut pro parte vestra exhibita nobis nuper petitionis series continebat, nonnumquam super eisdem gratiis, concessionibus et indultis aliqua dubia suboriantur, ac tam pro eorum declaratione, quam pro maiore istius populi, et praesertim pauperum, commoditate cupiatis, ut infra, per nos opportune provideri.

Concedit Clemens.

§ 2. Nos supplicationibus vestro nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, vos amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, privilegia, indulta et gratias per nos vobis concessas, ut praefertur, ac litteras praefatas desuper expeditas, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, inviolate perpetuo observari debere statuimus et ordinamus; et quoad extractionem frumenti, vini, bladorum, leguminum et alterius cuiusvis annonae generis, ubi necessario requiruntur superiorum licentiae, illas cuicumque Comaclensi gratis concedi iubemus; et quoniam, ut asseritis, ad appaltatoris pellium civitatis nostrae Ferrariensis instantiam, impedimini super extractione carnium, seu belluarum ad carnes pro esu vestro ex districtu et comitatu Ferrariae; nos volumus pariter et praecipimus, quod cum ista civitate Comaclensi et eius habitatoribus agatur, sicut agitur cum caeteris locis districtus Ferrariae, et quod dictus appaltator seu conductor pellium nullo modo possit impedire quin vos pro usu vestrae civitatis carnes et belluas ex districtu et comitatu Ferrariae extrahere valeatis. Praeterea omnibus et singulis habitatoribus civitatis Comaclensis ut iuxta tenorem praedictarum litterarum, quocumque anni tempore, quodvis annonae genus, sine aliqua licentia, praeterquam quoad frumentum ex districtu et comitatu Ferrariensi extrahere pro eorum usu libere possint et valeant; utque similiter in quocumque alio loco Status Ecclesiastici mediate vel immediate subiecto, praeter frumentum iam in praedictis litteris concessum, carnes, oleum et quodcumque aliud annonae genus pro usu et victu eorum, sine alicuius vectigalis seu gabellae (etiam Camerae nostrae Apostolicae solvi solitae, excepta tamen illa, quae solvitur pro carnibus tam mortuis quam vivis) solutione, emere et ad dictam civitatem Comaclensem conducere, habita tamen prius licentia, quoad animalia et oleum a S. R. E. camerario, iuxta solitum, possitis et valeatis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, li-

Frumenta, blada, animalia et id genus cetera extrahere possunt.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

centiam concedimus et indulgemus. Insuper ut pascua, quae ad vestram communitatem pertinent, et vere ab eadem communitate fuerunt possessa, et nunc possidentur, sita inter Magnavaccam et Primarum inter cives Comaclenses, qui illa ad culturam reducere intendunt, cum interventu gubernatoris civitatis Comaclensis (reservato communitati praedictae directo dominio) dividere et ad tertiam generationem, solutis quotannis eidem communitati libris quingentis illius monetae in totum pro rata quemlibet tangente, concedere valeatis. Utque etiam unum Montem Pietatis, in quo pecuniae pauperibus super pignoribus mutuari possint, in eadem civitate erigere, dummodo non exigatur aliquid supra sortem ultra expensas necessarias ministrorum et domus dicti Montis ab Ordinario taxandas erigere possitis, auctoritate et tenore praedictis, facultatem impertimur. Ad haec, ut cancellaria civilis eiusdem civitatis Comaclensis a notario Comaclensi, quolibet anno a vestra communitate deputando, exerceri debeat cum capitulis et conditionibus eidem communitati benevisis, dummodo notarius, qui illam per annum exercuerit, debeat vacare et abstinere ab eiusdem exercitio per triennium proximum, nec ipsa communitas dispensare aut permittere valeat, ut idem notarius possit alium substituere; itaut omnes notarii Comaclenses, dummodo sint idonei, eodem beneficio frui possint, auctoritate et tenore praedictis, indulgemus. Demum quia ut pariter asseritis, magister postarum Ferrariensis nunc existens, hospitem postae Magnavaccae ad vos spectantis, ad solutionem annuam viginti quinque scutorum, et ad nonnullas alias recognitiones seu regalias gravare intendit, nos harum serie decernimus dictum hospitem aut vos in praemissis, ultra solitum, nullo modo molestari debere.

Pascua quomodo dividenda; Mons Pietatis erigendus.

§ 4. Sicque in praemissis omnibus et singulis ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam nostrum et Apostolicae Sedis in civitate et ducatu Ferrariensi de latere legatum, ac Sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Mandantes nihilominus praedictis legato, ac eius collegae, seu vicelegato et camerario, ut vobis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, vos et alios quoscumque, ad quos pertinet, praemissorum effectu perpetuo pacifice frui et gaudere, non permittentes vos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari.

Executores designati.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae provinciae et civitatis et ducatus, aliorumque quorumcumque locorum Status nostri Ecclesiastici, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, necnon omnibus illis, quae in praefatis litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die x maii MDCI, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 10 maii 1601, pontif. an. x.

CCLX.

Subsidium quinquaginta millium scutorum super fructibus beneficiorum ecclesiasticorum, in dominio republicae Venetae existentium, ad gravissimas

Apostolicae Sedis necessitates sublevandas, imponitur [1].

Venerabili fratri Offredo episcopo Melphitensi, nostro et Apostolicae Sedis in dominio Venetorum nuncio,

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Causae huius imponendi subsidii.

§ 1. In summis Apostolicae Sedis necessitatibus, et pro substinendo gravissimarum expensarum onere, cum Apostolicae Camerae reditus supplere non possunt, ad Ecclesiae peculium recurrere, et necessaria subsidia a personis ecclesiasticis, praeter nostram intentionem, exigere cogimur. Hoc igitur tempore potissimum id facere compellimur, quo graviora onera, pro imminentibus christianae reipublicae periculis propulsandis, subire tenemur.

Impositio subsidii, de quo in rubrica.

§ 2. Propterea motu proprio, et ex certa scientia maturaque deliberatione nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine subsidium quinquaginta millium scutorum auri in auro super omnibus et quibuscumque fructibus, reditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis omnium et quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, nec non collegiorum, monasteriorum et conventuum, ac etiam mensarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praeposituratum, praepositatuum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum etiam maiorum et principalium, personatuum, administrationum et officiorum, caeterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura et sine cura, saecularium, et quorumvis ordinum et militiarum ac hospitalium, ac etiam eorum, qui proprietates reditusque certos, ex privilegio apostolico aut alias, possident, et quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus regularium in universo dominio reipublicae Venetorum existentium, licet aliis oneribus gravati existant, pro una vice tantum, tenore praesentium, indicimus et imponimus.

Mandatum nuncio apostolico de eo exigendo.

§ 3. Ac propterea fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus ut subsidium huiusmodi ab universis et singulis venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis capitulis, clericis, beneficiatis, nec non abbatibus, prioribus, praepositis, administratoribus, conventibus, collegiis, militibus et aliis quibuscumque personis ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis Ordinum et Militiarum, ac hospitalium huiusmodi, regularibus, utriusque sexus, ecclesias, monasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus, dignitates, administrationes, officia, caeteraque beneficia ecclesiastica huiusmodi saecularia vel regularia aut militaria obtinentibus (exceptis tamen a subsidio huiusmodi Congregatione Monachorum Cassinensium, S. Iustinae nuncupatae, et aliis quibusdam Congregationibus Regularibus, quas felicis recordationis Pius Papa V exemit et immunes fecit, et quas etiam nos de novo ab huiusmodi subsidio, atque onere per praesentes eximimus et immunes facimus), licet in impositione decimarum eidem dominio reipublicae Venetorum, per felicis recordationis Gregorium XIII, praedecessorem nostrum, et per nos, quinquennio iam elapso, concessarum, ratam ipsas Congregationes tangentem hactenus solverint, volumusque propterea, ut tota illa portio ac rata huiusmodi subsidii, quae dictas duodecim Congregationes, si, ut praefertur, immunes atque exemptae non essent, contingeret, quaeque ab illis alias exigenda foret, ab aliis personis ecclesiasticis superius nominatis, proportionabiliter et pro rata exigatur, nec non etiam exceptis S. R. E. cardinalibus, ac fratribus hospitalis Sancti

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Ioannis Hierosolymitani, nec non fratribus Mendicantibus, ac beneficiis ecclesiasticis Officio Inquisitionis haereticae pravitatis in dicto dominio instituto unitis, annexis et applicatis (quos scilicet cardinales ac Fratres Hospitalis supradicti, et beneficia inquisitioni haereticae pravitatis unita, in totum, Fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat ab eodem subsidio et illius solutione immunes ac exemptos esse, iuxta exemptionem in praedicta impositione decimarum eidem dominio Venetorum, praedicto quinquennio iam elapso, per nos concessarum, hactenus ad favorem earumdem personarum, ut praefertur, exceptarum factam) volumus et decernimus petere, exigere et colligere, eisque tam in genere quam in specie, ut dictum subsidium cum effectu solvant, sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos obtentorum, aliisque, arbitrio tuo, imponendis poenis, etiam pecuniariis, ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas, etiam saepius aggravandas, mandare et percipere.

Addita facultate subcollectores deputandi.

§ 4. Ac pro faciliori dicti subsidii exactione, unum vel plures subcollectores, cum pari vel limitata potestate in unaquaque civitate, diocesi et loco eiusdem dominiis per locorum Ordinarios deputandos, approbare: et si qui ex locorum Ordinariis, intra aliquem brevem terminum arbitrio tuo praefigendum, viros idoneos ad id deputare neglexerint, tu, sine illorum etiam consensu, illos arbitrio tuo libere deputare, aliosque eorum loco, quoties tibi placuerit, substituere et surrogare.

Renuentes cogendi.

§ 5. Ac solvere recusantes vel differentes, ac generaliter quoscumque alios contradictores et rebelles, ac ne subsidium huiusmodi exigatur et persolvatur, quomodocumque suadentes vel impedientes directe vel indirecte, per praedictas poenas et censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescere, auxiliumque brachii saecularis propterea invocare, et demum in exactione subsidii huiusmodi, prout alias in exactione decimarum, dicto dominio, ut praefertur, quinquennio iam elapso, concessarum fieri consuevit, et iuxta taxam in illarum exactione hactenus observari solitam, salvis praemissis, quoad exceptionem supradictarum Congregationum et aliarum personarum, ut praefertur, exceptarum procedere: solventes vero de solutis quietare et liberare, ac a censuris et poenis, quas dicta de causa incurrerint, absolvere, ac omnia et singula alia in praemissis et circa ea necessaria et opportuna facere, mandare, et ordinare, et exequi auctoritate nostra cures et cum effectu facias: nos enim tibi super his omnibus et singulis plenam, liberam, amplam et universam facultatem tribuimus et impertimur.

Modus in huiusmodi exactione servandus.

§ 6. Et ulterius, auctoritate et tenore praemissis, decernimus et declaramus, subsidium huiusmodi integrum et liberum ab omni et quocumque alio onere et gravamine, nec non etiam ab universis provisionibus et expensis collectorum et subcollectorum, vel aliorum ministrorum in eiusdem subsidii exactione intervenientium, quorumcumque esse debere, et ad illius contributionem unumquemque supradictum pro rata fructuum et redituum suorum, secundum verum annuum valorem; nec non quoscumque etiam pensionarios pro rata pensionum super fructibus, reditibus et emolumentis quarumcumque Ecclesiarum et beneficiorum supradictorum ad ipsorum favorem reservatarum, etiam quantumvis a similibus subsidiis, vel aliis oneribus exemptarum, quae rata in solutione pensionum detrahi debeat, et similiter reservatarios eorumdem fructuum, redituum et emolumentorum quorumcumque, pariter pro illorum

rata omnino obligatos esse et teneri, nec aliquem ipsorum pensionariorum aut reservatariorum quocumque privilegio, immunitate, exemptione et indulto suffultum, ab huiusmodi contributione se excusare et eximere posse; et recusantes seu differentes, aut alias quomodolibet contradicentes per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, per censuras et poenas ecclesiasticas huiusmodi cogi et compelli posse et debere; sicque ab omnibus censeri, et ita per praedictos iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere: ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tolluntur.

§ 7. Non obstantibus nostra, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam in provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac quarumcumque ecclesiarum, ordinum, et monasteriorum, ac militiarum, et aliorum regularium locorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus et litteris apostolicis eisdem ecclesiis, ordinibus, monasteriis, militiis ac aliis regularibus locis, eorumque praesulibus, abbatibus, prioribus, conventibus, collegiis, militibus, et aliis personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, utriusque sexus, nec non pensionariis, ac fructum reservatariis praedictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda esset, ac etiamsi in litteris reservationum pensionum, aut fructuum huiusmodi caveatur expresse, quod pensionarii, vel forsan reservatarii supradicti ad contributionem faciendam minime teneantur, sed quod provisi de beneficiis, super quorum fructibus pensiones impositae fuerint, ratam ad pensionarios spectantem persolvere, et onus dictam ratam solvendi in se suscipere debeant, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, ac latissime derogamus, et derogatum esse volumus. Aut si patriarchis, archiepiscopis, episcopis, praepositis, capitulis, conventibus et aliis personis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod ad solutionem vel contributionem subsidi alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die x maii MDCI, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 10 maii 1601, pontif. an. x.

CCLXI.

Declaratio et extensio constitutionis Sixti V, de non alienandis per subditos Status Ecclesiastici bonis, quae in eo-

dem Statu existunt, favore non subditorum absque Sedis Apostolicae licentia[1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanum decet Pontificem suorum praedecessorum constitutiones innovare, ac quandoque eas declarare et extendere, ne illarum observantia propter aliquorum pravam interpretationem retardetur, vel ob hominum malitiam earumdem effectus eludatur.

Indicatio bullae Sixti PP. V.

§ 1. Alias siquidem felicis recordationis Sixtus Papa V, praedecessor noster, *etc.* [2].

Abusus nonnulli ac dubia in illius exequutione, vel etiam in fraudem exorta sunt.

§ 2. Cum autem, sicut experientia docuit, posteaquam praedictae Sixti praedecessoris litterae emanarunt, nonnulli Status nostri Ecclesiastici habitatores et subditi, praetextu permissionis in dictis Sixti praedecessoris litteris contentae, quod nimirum omni dicti Status Ecclesiastici habitatori, sive extraneo sive subdito, licitum sit de bonis suis stabilibus in eodem Statu Ecclesiastico existentibus, quocumque alio quam venditionis, seu permutationis, et donationis titulo disponere, vel in consanguineos, vel in alios de dicto Statu non existentes (qui tamen intra triennium, vel in eumdem Statum habitatum veniant, vel bona ipsa in alium, seu alios habitatores et subditos, ut praefertur, transferant), licet iidem habitatores et subditi non ignorent in praedicta Sixti praedecessoris permissione, iuxta verisimilem illius mentem, illos tantum comprehendi, qui in eumdem Statum Ecclesiasticum habitatum vel venire possunt, vel verisimiliter venturi sunt, nihilominus dictas Sixti praedecessoris litteras perperam interpretantes, illarum et aliorum etiam Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionum contra ipsos quovis modo disponentium effectum eludere conantes, et in illarum fraudem, sive amore, sive odio in suos et alios moti, sive alia quavis ratione ducti, de suis bonis stabilibus in eodem Statu Ecclesiastico existentibus, non solum in consanguineos et alios de dicto Statu non existentes privatos, sed in quascumque etiam communitates, universitates, collegia, ac etiam in principes extraneos tam nobis, et eidem Sedi ratione feudi, aut alia quacumque causa subiectos, quam non subiectos (qui videlicet in propriis ditionibus, vel alibi degentes, in eumdem Statum Ecclesiasticum habitatum vel, ut praefertur, venire non possunt, vel verisimiliter venturi non sunt) testamento, codicillis, legato, fideicommisso, donatione ex causa mortis, vel alia quacumque ultima voluntate libere disponere posse praetendant, seu disponant, ea forsan intentione atque consilio, ut communitates, universitates, collegia, ac principes extranei huiusmodi, ad quos dicta bona de iure pervenire non possunt, et qui alioquin praedictis bonis non indigent, eadem bona in fraudem legis consequentes, illa vel alia illorum loco personis ad dicta bona obtinenda incapacibus et inhabilibus, via scilicet confidentiaria aut alia ratione, tribuant et in illas transferant, atque ita evenire possit et eveniat, ut dictae personae incapaces et inhabiles, id quod per se ac directe obtinere non valent, per interpositam personam et indirecte consequi sperent et consequantur, contra verisimilem dicti Sixti praedecessoris intentionem, qui ex praedictis atque aliis etiam causis animum suum tunc moventibus in permissione superius expressa de ipsis communitatibus, universitatibus, collegiis et principibus extraneis praedictis,

1 Consonat Constit. VIII Clementis VI: *Etsi solertem*, vol. IV, pag. 484. Constitutio autem Sixti V quae praesenti declaratur, legitur vol. VIII, pag. 580, eiusque initium: *Sollicitudo.*

2 Omittitur residuum huius narrativae, quia indicationem bullae habes in praecedenti nota.

specificam mentionem non fecit, sed illas et illos in dicta permissione non comprehensas neque comprehensos esse censeri voluit.

Clemens, innovata praedicta Sixti constitutione,

§ 3. Nos, ad quos potissimum spectat praedecessorum nostrorum constitutiones non solum innovare, sed etiam dubia, quae super illis emergunt, declarare, et hominum malitiis ac fraudibus occurrere, attendentes ad nostrorum et eiusdem Sedis subditorum quietem et tranquillitatem, et ad bonorum eorumdem subditorum penes ipsos conservationem id magis pertinere; nec non etiam ipsius Status nostri Ecclesiastici utilitati et commodo, ac etiam securitati maxime convenire, quibus praecipue rationibus idem Sixtus praedecessor, ut supra dictum est, ad praemissa statuenda motus fuit, ut ad omnem ambiguitatem tollendam, dictam Sixti praedecessoris constitutionem innovemus, declaremus, atque extendamus et ampliemus, ac alia infrascripta ad Status nostri Ecclesiastici, nostrorumque et Apostolicae Sedis subditorum commodum, utilitatem et securitatem spectantia, necessaria et opportuna statuamus. His ac aliis iustis et rationabilibus causis adducti, super praemissis opportune providere volentes, et eiusdem constitutionis Sixti praedecessoris tenorem, acsi ad verbum insereretur, praesentibus pro expresso habentes, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus in consistorio nostro secreto deliberatione matura, de illorum consilio et assensu, ac motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia et matura deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine Constitutionem dicti Sixti praedecessoris, auctoritate apostolica, tenore praesentium, innovamus, ac de caetero ab omnibus, ad quos spectat, inviolate observari volumus.

Declarat in hac dispositione quascumque universitates et collegia comprehendi, quae non sint ecclesiastica, necnon et principes.

§ 4. Insuper de consilio et assensu, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus, declaramus, quascumque communitates, universitates et collegia, quae extra Statum Ecclesiasticum existunt, et ecclesiastica non sunt, necnon etiam quovis principes extraneos, etiam imperiali, regali, ducali, vel alia quacumque auctoritate et dignitate, quae specialem et individuam mentionem requireret, praeditos, etiamsi illi alias nobis, et dictae Sedi ratione feudi, aut ex alia causa subditi sint (qui nimirum in propriis ditionibus, vel alibi degentes in eumdem Statum Ecclesiasticum, vel habitatum venire non possunt, vel verisimiliter venturi non sunt, aut si aliquando venerunt vel venient, recedere tamen solent, et postea etiam verisimiliter non reversuri inde recesserunt, aut recedent) bona aliqua stabilia, non solum in finibus eiusdem Status Ecclesiastici, et iuxta terminos, ac limites ditionum eorumdem Principum, sed etiam in quacumque alia eiusdem Status Ecclesiastici parte, et in ipsa urbe existentia, necnon census, aliqua bona, ac iura quae pro stabilibus habentur (non tamen officia Romanae Curiae, nec portiones, et loca Montium) cuiuscumque illa quantitatis, qualitatis et valoris sint, nullo venditionis, permutationis, donationis, aut alterius contractus, praeterquam ex causa dotis inter vivos titulo, ac ne quidem ex testamento, codicillis, legato, fideicommisso, donatione ex causa mortis, aut ex alia dispositione in ultima voluntate quorumcumque testatorum, aut de bonis stabilibus, et aliis supradictis contra praemissa in ipsorum favorem alias disponentium facta vel facienda, acquirere, illaque habere, retinere et apprehendere hactenus potuisse, neque deinceps posse.

Eam ad quoscumque contractus, testamenta, *etc.*, extendit.

§ 5. Et nihilominus constitutionem eiusdem Sixti praedecessoris ad quaecumque etiam genera contractuum, praeterquam

ut praefertur, ex causa dotis et dispositionum inter vivos, ac etiam ad testamenta, codicillos, legata, fideicommissa, donationes causa mortis, et alias ultimas voluntates huiusmodi, ut praefertur, factas et faciendas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, extendimus et ampliamus.

Et dispositiones secus factas et faciendas invalidat.

§ 6. Ac neminem ex habitatoribus et subditis Status nostri Ecclesiastici, cuiuscumque ille dignitatis, gradus, ordinis et conditionis, ut supra dictum est, fuerit, de suis bonis stabilibus et aliis supradictis contra formam constitutionis dicti Sixti praedecessoris, et praesentis declarationis et extensionis nostrae, disponere potuisse et posse, ac ipsas respublicas, communitates, universitates, collegia extra dictum Statum Ecclesiasticum existentia, et non ecclesiastica, necnon principes extraneos huiusmodi ad bonorum stabilium, et aliorum supradictorum acquisitionem fuisse et esse omnino inhabiles, nullumque ius illis (in quos dicta bona, iura et alia supradicta praetextu eiusdem permissionis hactenus translata fuerunt, seu in futurum transferri contigerit) acquisitum fuisse, aut acquiri posse, sed ipsa bona stabilia, iura et alia supradicta quoad dispositiones iam factas, ad eos, ad quos illa de iure (si disponentes ab intestato decessissent, et dispositiones huiusmodi factae minime fuissent) pervenire debuissent et deberent, spectasse et pertinuisse, ac spectare et pertinere, servata in reliquis forma constitutionis eiusdem Sixti praedecessoris, necnon instrumenta, contractus, testamenta, legata, codicillos, donationes et alias quascumque dispositiones in illa et illos, quovis titulo, ut praefertur, factas et faciendas, sive etiam principes praedicti aliquo consanguinatis seu affinitatis vinculo ipsis disponentibus coniuncti sint, sive non, et inde sequuta quaecumque fuisse et esse nulla et nullas, nulliusque roboris et momenti, ac instrumenta et scripturas desuper edita et editas, sive edenda et edendas, etiam iuramento vallata et vallatas, similiter fuisse et esse nulla et nullas, ac nullius roboris et momenti, nullamque fidem fecisse et facere, nec ex illis audiri, agi et excipi potuisse et posse in iudicio et extra.

Poenas inobedientibus notariisque instrumenta rogantibus imponit.

§ 7. Et ulterius tabelliones publicos, ac nostros et Sedis Apostolicae notarios, etiam ex numero participantium, et alios quoscumque de instrumentis, et aliis dispositionibus supradictis se rogare, aut illa conficere nullo modo potuisse et posse. Quinimmo eos ipsa instrumenta et scripturas iam facta et factas, teneri infra mensem, a die publicationis praesentium computandum, nobis et Sedi, ac Camerae Apostolicae revelare, et cum effectu exhibere. Habitatores praeterea et subditos nostros praedictos, ut praefertur, in futurum disponentes, poena amissionis dictorum bonorum, et aliorum supradictorum, ita quod Sedes et Camera Apostolica eo ipso possit illa propria auctoritate capere, et penes se renitere, viventibus ita disponentibus, ipsis vero defunctis eadem bona, et alia supradicta, de quibus dispositum fuerit, ad eos, ad quos de iure (si disponentes ab intestato decessissent, vel dispositiones huiusmodi factae non fuissent), pervenire debent, omnino perveniant. Tabelliones vero et notarios etiam ex numero participantium, et alios quoscumque praedictos, instrumenta et scripturas huiusmodi conficientes, seu iam facta et factas, ut praefertur, non revelantes et exhibentes, poenam quoque falsi, ac privationis tabellionatus et notariatus, etiam ex numero participantium huiusmodi, et aliorum officiorum, quae obtinent, ac perpetuae inhabilitatis ad illa et alia exercenda, eo ipso incurrere decernimus.

Et Sixti constitutionem circa haereditates

§ 8. Caeterum declaramus dispositiones tam factas, quam pro tempore facien-

ad extraneos de iure pertinentes servari mandat.

das, in earum rerumpublicarum, communitatum, universitatum, collegiorum extra Statum Ecclesiasticum existentium non ecclesiasticorum, nec non in principum extraneorum huiusmodi favorem, ad quas et quos tempore obitus disponentium illorum bona, alias de iure (si disponentes ipsi ab intestato decessissent) pervenire debuissent seu deberent, in praesenti nostra constitutione non esse, nec fore comprehensas, pro ea tamen rata, in qua dictae respublicae, communitates, universitates, collegia et principes praefati de iure communi, vel alias ab intestato, tempore mortis dictorum disponentium, et non ante fuissent et essent successuri; et tunc quoque volumus servari formam constitutionis dicti Sixti praedecessoris, quod scilicet respublicae, communitates, universitates, collegia et principes praefati teneantur intra triennium bona ipsa in habitatores dicti Status Ecclesiastici transferre.

Prohibet quominus quis sua bona protectione communitatum vel principum extraneorum subponat,

§ 9. Volumus autem ut unicuique privato, sive nostro et Status nostri Ecclesiastici subdito, sive extraneo, liberum ac licitum sit, in alma Urbe nostra (quae communis patria, et nationum omnium domicilium est) cum eius ad decem millia passuum circuitu, non solum officia Romanae Curiae, et portiones, ac loca Montium, sed quaecumque bona stabilia et alia quae stabilium loco habentur, tam ex quocumque genere contractus, quam ex quavis dispositione in ultima voluntate, ac etiam ab intestato acquirere, habere, retinere et apprehendere posse, iuxta constitutionis dicti Sixti praedecessoris continentiam et tenorem. Insuper, ut malitiis etiam et fraudibus, quae in similibus excogitari aut fieri possent, occurramus, motu et auctoritate similibus, inhibemus quibuscumque subditis Status nostri Ecclesiastici supradictis, cuiuscumque similiter dignitatis, ut praefertur, fuerint, ne de caetero aliquis eorum audeat vel praesumat, sese, aut civitates, oppida, terras, castra, fortalitia, iurisdictiones, feuda, res et bona stabilia in quacumque eiusdem Status Ecclesiastici parte existentia, quovis modo submittere vel supponere alicui protectioni, defensioni, commendationi, sive commendigiae, salvae guardiae, submissioni ac confoederationi seu etiam custodiae rerumpublicarum, communitatum, universitatum, collegiorum extra ictum Statum Ecclesiasticum existentium, ac principum extraneorum supradictorum, cuiuscumque pariter dignitatis, ut praefertur, fuerint, aut eorum capitaneorum et militum; seu, ut submissiones aut alia praemissa fiant, auctores esse, aut consensum praestare, sub confiscationis ipsarum civitatum, oppidorum, terrarum, castrorum, iurisdictionum, feudorum et bonorum stabilium supradictorum, et aliorum quorumcumque Camerae Apostolicae ipso iure applicandorum, nec non criminis laesae maiestatis et rebellionis in primo capite eo ipso absque alia declaratione incurrendis poenis, quas nihilominus in supradictis omnibus casibus vere et realiter, et ipso facto incurrisse et incurrere per praesentes declaramus.

Aut sua bona in dicto Statu existentia pro eis obliget sub poenis quae hic recensentur.

§ 10. Praeterea, ut subditorum nostrorum utilitati, ac Status Ecclesiastici tranquillitati magis consulamus, quod de caetero nullus ex subditis Status nostri Ecclesiastici praefatis, aliquas fideiussiones, cautiones, promissiones et obligationes pro rebuspublicis, communitatibus, universitatibus, collegiis, quae extra Statum Ecclesiasticum existunt, et ecclesiastica non sunt, nec non pro principibus extraneis quibuscumque supradictis, seu illorum, ac alicuius eorum contemplatione et intuitu, facere, dare et praestare, ac alias quoquo modo sese, eorumque civitates, oppida, terras, castra, iurisdi-

ctiones, feuda, res et bona stabilia supradicta, in quacumque eiusdem Status Ecclesiastici parte, ac in ipsa etiam Urbe existentia, ac iura eis quovis modo competentia, et alia bona quae loco stabilium habentur, ut praefertur, ad ipsos quovis modo spectantia, tam pro eis, et aliquo eorum, ac eorum vel alicuius eorum intuitu et contemplatione, ad favorem quorumcumque extraneorum, vel etiam subditorum eiusdem Status nostri Ecclesiastici, quam pro aliis quibusvis, et aliorum quorumcumque intuitu ac contemplatione, ad favorem et commodum ipsorummet principum extraneorum, et aliorum supradictorum, obligare et hypothecare, aut etiam bona quaecumque stabilia, et alia supradicta, in commendam, aut in erectionem commendarum alicui ex militiis regularibus, quibus reges aut principes extranei, nobis et Sedi Apostolicae non immediate subiecti, in administratores, seu magnos magistros deputati sunt, concedere, aut ut concedantur, aliquo modo consentire, sine expressa praecedente nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentis licentia, sub poena amissionis dictorum bonorum contra tenorem praesentium, ut praefertur, obligatorum et concessorum eo ipso similiter incurrenda, et Sedi ac Camerae Apostolicae applicanda, possit et valeat; ita quod in casu contraventionis eidem Sedi et Camerae Apostolicae liceat, viventibus supradictis ita obligantibus et concedentibus, dicta bona capere, et penes se retinere, illis vero defunctis ad eos, ad quos de iure pervenire debent, omnino perveniant. Quodque tabelliones et notarii, etiam ex numero participantium, et alii quicumque praedicti super praemissis scripturas et instrumenta conficientes, poenas privationis officiorum, quae obtinent, et perpetuae inhabilitatis ad illa et ea exercenda eo ipso incurrant: et nihilominus fideiussiones, cautiones, obligationes, hypothecae, necnon concessiones et consensus praedicti per ipsos, ut praefertur, faciendae et praestandi respective sint nulli, ac nullius roboris et momenti, nec alicui quovis modo prosint, aut scripturae et instrumenta similiter super praemissis conficienda fidem faciant, vel ex illis audiri, agi, vel excipi possit, in iudicio vel extra, perpetuo statuimus et ordinamus.

Decretum irritans.

§ 11. Sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Publicatio huius constitutionis.

§ 12. Mandantes eisdem legatis, vicelegatis, gubernatoribus ac iudicibus, nunc et pro tempore in toto Statu Ecclesiastico praedicto existentibus, et eorum cuilibet, ut declarationem, extensionem, decretum, inhibitionem, praeceptum et mandatum, statutum et ordinationem nostram huiusmodi in eodem Statu Ecclesiastico, ab omnibus, ad quos spectat et spectabit, perpetuo observari mandent et faciant; contradictores quoscumque opportunis iuris et facti remediis, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§ 13. Non obstantibus nostra de non tollendo iure quaesito, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibuscumque fideicommissis purificatis et purificandis, ac ultimis voluntatibus, donationibus et pactis quibuscumque, ac legibus etiam municipalibus necnon Urbis, et aliarum civitatum, terrarum et locorum Status nostri Ecclesiastici, etiam iuramento,

confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac privilegiis et gratiis, et indultis, eisdem rebuspublicis, communitatibus et universitatibus, et collegiis extra dictum Statum Ecclesiasticum existentibus, et non ecclesiasticis, necnon principibus extraneis, ac etiam militis praefatis, quorumcumque Ordinum regularibus, ac almae Urbi, nec non Populo Romano, et quibuscumque civitatibus, terris et locis, nobis et Sedi Apostolicae subiectis, etiamsi tales essent, quae sub generali expressione non venirent, sed de illis specialis et individua mentio habenda foret, in genere vel in specie, et sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, in contrarium praemissorum hactenus quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis, et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; nec non omnibus illis, quae praedictus Sixtus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Forma publicationis faciendae.

§ 14. Volumus autem ut praesentes, quae in consistorio nostro, et de Fratrum nostrorum consilio et assensu praedicto, promulgatae sunt, quoscumque tam praesentes quam absentes, et ubicumque etiam extra Statum nostrum Ecclesiasticum existentes, perinde obligent et arctent, acsi unicuique eorum nominatim intimatae fuissent. Et nihilominus, ut illae magis innotescant, mandamus eas valvis ecclesiae S. Ioannis Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et in acie Campi Florae appendi, et publicari; ac etiam volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra habeatur, quae ipsismet praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum confirmationis, innovationis, declarationis, extensionis, ampliationis, decretorum, inhibitionis, praecepti, mandatorum, voluntatum, statuti et ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo primo, pridie nonas iulii, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 14 iulii 1601, pontif. an. x.

Papae et cardinalium subscriptiones.

✠ **Ego Clemens catholicae Ecclesiae episcopus.**

Protector noster aspice Deus.

† Ego Iulius Antonius episcopus, cardin. Praenestinus et S. Severinae.

† Ego Hieronymus, episcopus Sabinensis, card. Rusticucius.

† Ego Alex. episcopus Albanensis, card. de Florentia.

† Ego Antonius Maria, tit. Sanctae Mariae Transtyberim, card. Salviatus.

† Ego Augustinus, tit. S. Marci, presbyter card. de Verona.

† Ego Simeon, tit. S. Laurentii in Lucina, presbyter card. de Terranova.

† Ego Dominicus, tit. S. Chrysogoni, presbiter card. Pinellus.

† Ego Fr. Hieronymus Bernerius, tit. S. Mariae super Minervam, presbyter card. Asculanus.

† Ego Ant. Maria, tit. S. Praxedis, card. Gallus.

† Ego Antonius, tit. S. Stephani in Monte Coelio, card. Saulius.

† Ego Evangelista, tit. S. Mathaei in Merulan., card. Cusentinus.

† Ego Marianus, tituli Ss. Marcellini et Petri, card. de Camerino.

† Ego Fr. Gregorius, tit. S. Augustini, presbyter card. de Montelparo.

† Ego Paulus, tit. S. Caeciliae, presbyter card. Sfondratus.

† Ego Benedictus, tit. S. Priscae, presbyter card. Iustinianus.

† Ego Franciscus Maria, tit. S. Mariae in Aracoeli, presbyt. card. a Monte.

† Ego Octavius, tit. S. Alexii, presbyter card. Paravicinus.

† Ego Hieronymus, tit. S. Pancratii, presbyter card. Matthaeius.

† Ego Flaminius, tit. S. Mariae de Pace, presbyter card. Platus.

† Ego Lutius, tit. Ss. Quirici et Iulittae, presbyter card. Saxus.

† Ego Franciscus Maria, tit. S. Bartholomaei in Insula, presbyter cardin. de Senis.

† Ego Camillus, tit. Ss. Ioannis et Pauli, presbyter card. Burghesius.

† Ego Caesar, tit. Ss. Nerei et Achillei, presbyter card. Baronius.

† Ego Laurentius, tit. Laurentii in Pane et Perna, presbyter cardin. Blanchettus.

† Ego Franciscus, tit. S. Thomae in Parione, card. presbyter Mantica.

† Ego Pompeius, tit. S. Balbinae, presbyter card. Arigonus.

† Ego Dominicus, tit. S. Petri in Monte Aureo, presbyter card. Tuscus.

† Ego Arnaldus, tit. S. Eusebii, presbyter card. Ossatus.

† Ego Paulus Æmilius, presbyter card. Sancti Marcelli.

† Ego Silvius, tit. S. Salvatoris in Lauro, presbyter card. Antonianus.

† Ego Rob., tit. S. Mariae in Via, presbyter card. Bellarminus.

† Ego Bonvisus, tit. S. Blasii de Annulo, presbyter card. Bonvisius.

† Ego A. S. Laurentii in Damaso, diaconus card. Montaltus, S. R. E. vicecancellarius.

† Ego Antonius, diac. card. Ss. Quatuor Coronatorum.

† Ego P. S. Nicolai in Carcere, diaconus card. Aldobrandinus, S. R. E. camerarius.

† Ego Cynthius, diaconus cardinalis Sancti Georgii.

† Ego Bartholomaeus, S. Mariae in Porticu, diaconus card. Caesius.

† Ego A. S. Angeli in foro Piscario, diaconus card. Perettus.

† Ego Ioann. Baptista, S. Mariae in Cosmedin, diac. card. Detus.

CCLXII.

Praefinitio formae communicationis indulgentiarum orationumque, etc., *servandae a Fratribus Beatae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum, statis diebus, quibus ipsi generalem benedictionem facere consueverunt* [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Cum nos alias, ut in universo Ordine Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, dies festi S. Laurentii martyiris, quo die Ordo praedictus fundatus

Clemens concesserat ut in hoc Ordine celebrarentur dies festi S. Laurentii et S. Antonii.

1 Consimilem formam hic idem Pontifex praescripsit Ordini Fratrum Sanctissimae Trinitatis Redempt. Captiv. in constit. inferius ponenda, quae incipit: *Decet.*

fuit, ac Sancti Antonii Abbatis, quo die ipse Ordo a felicis recordationis Gregorio papa nono, praedecessore nostro, confirmatus fuit, in fundationis et confimationis huiusmodi memoriam, singulis annis solemniter celebrarentur, concesserimus, prout in nostris, sub dat. die x martii MDC, expeditis litteris plenius continetur.

In eo absolutio generalis indicatis hic diebus fieri consuevit.

§ 1. Cumque ex antiquo eiusdem Ordinis instituto, diebus S. Catharinae virginis et martyris, feriae quartae *Cinerum*, et feriae quintae in *Coena Domini* in ipso Ordine absolutio et benedictio generalis fieri soleat, quae etiam per nos pridem confirmata fuit, prout in aliis nostris, sub dat. die xx aprilis MDXCII, pontificatus nostri anno I, expeditis in forma brevis litteris plenius etiam continetur.

Eam etiam dictis festis Ss. Laurentii et Antoni fieri concedit.

§ 2. Nos volentes Ordinem praedictum eiusque religiosos amplioribus favoribus et gratiis prosequi, supplicationibus dilecti filii Bernardi de Vargas eiusdem Ordinis procuratoris generalis super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, ut similis absolutio et benedictio generalis, etiam supradictis duobus diebus festis S. Laurentii et S. Antonii in praedicto Ordine, eiusque monasteriis et conventibus fieri possit, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Obstantia tollit.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 4. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem, quae praesentibus ipsis, fides habeatur.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii, millesimo sexcentesimo primo, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 24 iulii 1601, pontif. an. x.

Sequitur forma benedictionis.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Fundationem huius Ordinis eiusque merita recensel.

Cum ad uberes misericordiae fructus, quos Ordo B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, qui divino instinctu per eiusdem Beatissimae semper Virginis Mariae revelationem B. Raymundo de Peñafort nuper a nobis in Sanctorum numerum relato, et clarae memoriae Iacobo Aragonum regi, ac Petro Nolasco dicti Ordinis primo professori factam institutus, et a felicis recordationis Gregorio papa IX, praedecessore nostro, confirmatus fuit, in agro militantis Ecclesiae pro Redemptione Captivorum, qui in misera servitute et salutis animae periculo a Mauris et aliis infidelibus detinentur, continuo producere dignoscitur, nostrae dirigimus considerationis intuitum, facile inducimur, ut Ordinem praedictum specialibus favoribus et gratiis libenter prosequamur, et ea quae circa spiritualium eiusdem Ordinis indulgentiarum communicationem, pro maiori fidelium devotione et aedificatione, per eiusdem Ordinis religiosos fieri solent, nostrae declarationis stabilitate roboremus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Causae praescribendi normam indulgentias communi caudi.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in eiusdem Ordinis conventibus ac regularibus Ecclesiis, ab immemorabili tempore, ex Summorum Pontificum auctoritate et concessione, indulgentiarum communicatio sub quadam precationum forma, certis quibusdam anni diebus fieri soleret, et circa huiusmodi communicationem quosdam abusus irrepsisse, nec certam formam, auctoritate apostolica, constitutam esse appareret:

Antiquam formam abrogat, novamque instituit.

§ 2. Nos pro nostri pastoralis muneris debito fidelium animarum saluti, ac eiusdem Ordinis decori consulere, ac certam in praemissis formam statuere, aliasque

desuper opportune providere volentes, ex voto etiam venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi Sacrorum Rituum praepositorum, quibus hoc negocium examinandum commisimus, ac ex certa nostra scientia et matura deliberatione, quoad institutum et ritum absolutionis, quam vocant, et communicationem indulgentiarum, quae in praedicto Ordine fieri solent, hanc de caetero formam (antiqua consuetudine prorsus perpetuo abrogata) in perpetuum servari volumus, atque apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus, ut nimirum diebus solitis, aut ab Apostolica Sede concessis, communicatio indulgentiarum, quas praedictus Ordo Beatae Mariae de Mercede, ex concessione et indulto Sedis Apostolicae aliis potest communicare, non autem absolutio, ut prius fiebat, fieri possit.

Communicationem indulgentiarum fieri, ut hic iubet;

§ 3. Huiusmodi vero communicationem indulgentiarum tantummodo confratribus et consororibus eiusdem Ordinis in ecclesiis ipsius Ordinis praesentibus et non aliis, et diebus supradictis, cum psalmis, versiculis et orationibus, quae iam Romae recognita, et a dilecto filio nostro in Urbe vicario probatae, et a dicta Congregatione reformatae sunt, fieri liceat. Et ad dictam communicationem indulgentiarum singulis diebus praedictis obtinendam, confratres et consorores praedicti sint contriti, confessi, ac sacra Communione refecti, alias praedictas indulgentias non consequantur.

Prout etiam bonorum operum communicationem.

§ 4. Communicationem etiam orationum, ieiuniorum, missarum, aliorumque bonorum operum, quae fiunt in dicto Ordine supradictis diebus, confratribus tantum et consororibus, qui praesentes fuerint, ut de indulgentiis supra dictum est, fieri posse permittimus et concedimus. Forma autem huius communicationis fieri volumus nudis et simplicibus verbis in hunc fere modum, videlicet: Item communicamus vobis, fratres, orationes, ieiunia, missas, peregrinationes et labores pro redimendis etiam captivis susceptos, caeteraque opera bona, quae per Dei gratiam in nostra Congregatione et Ordine fiunt. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Populus non invitandus.

§ 5. Caeterum expresse prohibemus ne populus in civitatibus, terris et locis publice invitetur a dicti Ordinis Fratribus ad suas ecclesias ad consequendam supradictam communicationem indulgentiarum, et bonorum operum; hoc est in plateis, viis et locis publicis non apponantur cedulae impressae, seu manuscriptae, quibus indicetur et promulgetur talis communicatio indulgentiarum.

Huius constitutionis observantiam praescribit.

§ 6. Mandantes propterea universis et singulis eiusdem Ordinis superioribus et fratribus, ut praescriptam hanc formam perpetuo observare studeant, nec illam quovis modo praeterire audeant seu praesumant: irritum nihilominus decernentes et inane quicquid secus super his ab ipsis, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Ordini, ac supradictis illius superioribus et fratribus, ac quibusvis aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis ac approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die IX Iulii, millesimo sexcentesimo secundo, Pontificatus nostri anno XI.

Sequitur forma dictae communicationis a vicario Papae probata, et supra enunciata [1].

Forma absolutionis et orationum servanda a Fratribus Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Hieronymus episcopus Sabinensis, Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Rusticucius nuncupatus, Sanctissimi Domini Nostri Papae vicarius generalis, Romanaeque Curiae iudex ordinarius.

Dilectis nobis in Christo ministris et fratribus Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, salutem Deique benedictionem.

Etsi cunctae Orbis Ecclesiae, sub Sanctorum fundatae vocabulis, sint pia devotione fidelium venerandae, illas tamen, quae in honorem et sub vocabulo sacrosantae et individuae Trinitatis dicatae noscuntur, eo excellentiori memoria convenit venerari, quo ipsa sancta Trinitas immediatius et perfectius vota fidelium dirigit, et ad gratiam exauditionis admittit. Cum ergo Ordo Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, nutu divino, per felicis recordationis Innocentium Papam III, sub tali titulo et nomine institutus esse dignoscatur, merito a Sancta Sede Apostolica specialibus gratiis et favoribus decoratur. Et nos ut christifidelium devotio visitandi Ecclesias dicti Ordinis in dies augeatur, necnon ad acquirendas gratias in eisdem concessas eo ferventius et devotius disponantur, auctoritate apostolica a SS. D. N. Papa specialiter nobis concessa, ut preces et orationes, ac denique absolutionem, quae in ecclesiis et monasteriis dicti Ordinis diebus *Cinerum, Coenae Domini,* et Sanctae Catharinae virginis et martyris, dici et fieri consuetum est, etiam in omnibus festivitatibus Sanctissimae Trinitatis dicere et facere, publice et solemniter, praesentium tenore, licentiam et facultatem eisdem ministris et fratribus concedimus atque impertimur.

Orationum normam praefinit.

§ 1. Quoniam autem formam absolutionis praedictae viris probis et doctis nostrae Sacrae Congregationis, auctoritate praedicta, examinandam commisimus, ne aliquis scrupulus sive ambigendi locus circa eam imposterum relinquatur, absolutionem ipsam, preces et orationes, modo quo recitari debent, ut evidentius exprimatur, his praesentibus adnotandas duximus, videlicet:

Antiphona.

Intret oratio mea. *Deinde dicantur Septem Psalmi Poenitentiales, in totum, vel in partem: quibus finitis, repetitur*

Antiphona.

Intret oratio mea in conspectu tuo, Domine, inclina aurem tuam ad preces nostras; parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti sanguine tuo pretioso, ne in aeternum irascaris nobis.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus, *etc.*
℣. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion, *etc.*
℣. Esto eis, Domine, turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis, *etc.*
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus, *etc.*
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

1 Aliqua verba in § XI et XII fuerunt correcta, ut notatur in margine. Et hanc correctionem hic idem Pontif. tradit infra in constitutione edita pro fratribus Sanctissimae Trinitatis et Redemptionis.

Oremus.

Orationes praescribit.

§ 2. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, exaudi clementer, ut quem non electione meriti, sed dono gratiae tuae constituisti tui operis ministrum, da fiduciam tui operis exequendi, et in meo ministerio, quod tuae pietatis est, operari. Per Christum, *etc.*

§ 3. Exaudi, Domine, preces nostras et confitentium tibi parce peccatis, ut quos conscientiae reatus accusat, indulgentia tuae pietatis absolvat. Per Christum, *etc.*

§ 4. Praeveniat hos famulos tuos, quaesumus, Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates eorum celeri indulgentia deleantur. Per Christum, *etc.*

§ 5. Praesta, quaesumus, Domine, his famulis tuis dignum poenitentiae fructum, ut Ecclesiae tuae sanctae, a cuius integritate deviarunt peccando, amissorum reddantur innoxii veniam consequendo. Per Christum, *etc.*

§ 6. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab his famulis tuis clementiae tuae longinqua miseratio, sana, eorumque remitte peccata, ut nullis iniquitatibus a te separati, tibi Domino semper valeant adhaerere. Per Christum, *etc.*

§ 7. Domine Deus noster, qui offensione nostra irasceris, sed satisfactione placaris, respice, quaesumus, super hos famulos tuos, qui se tibi graviter peccasse confitentur; tuum est absolutionem criminum dare, et veniam praestare peccantibus, qui dixisti poenitentiam te malle peccatorum, quam mortem: concede ergo, Domine, his, ut tibi poenitentiae excubias celebrent, et correctis actibus suis, conferri sibi a te semiterna gaudia gratulentur. Per Christum, *etc.*

§ 8. Deus, humani generis benignissime conditor, et misericordissime reformator, qui hominem, invidia Diaboli, ab aeternitate deiectum, unici Filii tui sanguine redemisti, vivifica hos famulos tuos, quos tibi nullatenus mori desideras; et qui non derelinquis devios, assume correctos. Per Christum, *etc.*

§ 9. Moveant pietatem tuam, quaesumus, Domine, haec famulorum tuorum lacrymosa suspiria, tu eorum medere vulneribus, tu iacentibus manum porrige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, ne grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiae tuae damno inimicus exultet, ne renatos lavacro salutari mors secunda possideat. Per Christum, *etc.*

§ 10. Tibi ergo, Domine, supplices preces cum fletu cordis effundimus, tu parce confitentibus, ut sic in hac mortalitate peccata sua te adiuvante defleant, quatenus in tremendi iudicii die sententiam aeternae damnationis evadant, et nesciant quod terret in tenebris, quod stridet in flammis; atque ab erroribus ad iter reversi, iustitiae nequaquam vulneribus saucientur, sed integrum sit eis atque perpetuum, quod grâtia contulit, et quod misericordia reformavit. Per Christum, *etc.*

Hic non dicitur Oremus.

Absolutionisque formam ponit.

§ 11. Concedimus vobis fratribus facultatem, ex auctoritate nobis a Pontificibus Romanis indulta, ut consequi possitis omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones nostrae huiusmodi sacrae Religioni concessas, iuxta privilegiorum tenores ab eadem Sede Apostolica obtentorum, et in quantum vestra expetit oratio, et ad nos pertinet iurisdictio; sit vobis omnipotens Deus indultor omnium criminum vestrorum, deleat atque dimittat omnia peccata vestra Dominus noster Iesus Christus, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Hic non dicitur Oremus.

§ 12. Dominus noster Iesus Christus, qui Beato Petro apostolo dedit licentiam

animas ligandi atque solvendi, ille vos absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeatis vitam aeternam, et vivatis in saecula saeculorum.

Hanc formam ab omnibus Clemens servari praecipit.

§ 13. Quam quidem formam et tenorem praedictos a quoquam innovari, immutari, sive impediri, in virtute sanctae obedientiae, et sub excommunicationis poena eo ipso incurrenda omnino prohibemus, et secundum eam, et non aliter, liceat praedictis fratribus in futurum praedicta absolutione et orationibus, pacifice et quiete uti, frui, potiri et gaudere, quibuscumque non obstantibus. In quorum omnium et singulorum fidem has praesentes nostras litteras exinde fieri, et per reverendissimum Dominum Paulum de Curte episcopum Iserniensem nostrum vicesgerentem, nec non per notarium Curiae nostrae subscribi, sigilliique nostri, quo in talibus utimur, iussimus et fecimus impressione muniri.

Datum Romae ex aedibus nostris, anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo, indictione decima tertia, die vero vigesima mensis maii, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Clementis divina providentia papae octavi, anno eius nono.

Paulus Episc. Iserniens. Vicesger.

CCLXIII.

Committitur vicelegato Avenionensi ut curet in Comitatu Venaissino observari constitutionem de bono regimine redituum communitatum Status Ecclesiastici[1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Venerabili fratri Carolo episcopo Anconitano in civitate nostra Avenionensi et comitatu Venaissino vicelegato

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Clemens iusserat constitutionem, de qua agitur, observari in Comitatu Avenionensi.

§ 1. Cupientes pro nostra paterna erga subditos nostros charitate, ut eorumdem subditorum nostrorum, et praesertim communitatum et universitatum bona recte administrentur, superioribus annis constitutionem super bono regimine redituum et bonorum communitatum et universitatum Status nostri Ecclesiastici edidimus, cuius exemplar nuper tibi ad effectum, ut illam in civitate Avenionensi observari faceres, transmisimus.

Eamdem observari praecipit in comitatu Venaissino.

§ 2. Huius autem constitutionis observantiam in civitatibus, terris et locis comitatus nostri Venaissini introduci summopere cupimus; et propterea de tuae fraternitatis fide, prudentia et integritate plurimum in Domino confisi, eidem fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut eiusdem constitutionis (quam cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis et decretis ad praedictas civitates, terras et loca comitatus Venaissini, eorumque communitates, universitates et homines nominatim extendimus, eosque comprehendere volumus et declaramus, perinde ac si in dicta constitutione nominatim expressi et comprehensi fuissent) observantiam, auctoritate nostra apostolica, introduci cures, super quo plenam et amplam tibi facultatem et auctoritatem per praesentes impertimur.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus quibusvis dictarum civitatum, terrarum et locorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem civitatibus, terris et locis

praedictis, eorumque communitatibus, universitatibus et hominibus, seu quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die prima septembris MDCI, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 1 septembris 1601, pontif. an. x.

CCLXIV.

Translatio ecclesiae cathedralis, ac residentiae episcopi Elnensis ad ecclesiam Sancti Ioannis Baptistae oppidi Perpiniani[1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Superna dispositione, cuius inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, ad apostolicae dignitatis apicem, meritis licet imparibus, *etc.*, expedire.

Causae translationis faciendae. § 1. Sane charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, qui et Cathaloniae princeps, ac Rossilionis et Ceritaniae comes existit, tam suo quam venerabilis fratris nostri moderni episcopi Elnensis, nec non dilectorum filiorum capitulorum et canonicorum Elnensium ac S. Ioannis Baptistae oppidi Perpiniani, Elnensis dioecesis, ecclesiarum nominibus, nobis nuper exponi fecit, quod civitas Elnensis in comitatu Rossilionis, principatus Cathaloniae, sita, et littore maris per tria milliaria, vel circa, distans, ob vicinos haereticos, ac frequentes et propemodum assiduas piratarum et aliorum praedonum terra marique incursiones, depraedationes et insultus, quibus exposita et obnoxia, immo etiam in direptionem et excidium aliquando reducta fuit, et adhuc infestatur, usque adeo de suo vetere splendore decidit, ut omnes fere nobiles et primarii cives ex ea iampridem discesserint, ac soli artifices et plebei ibidem remanserint, ipsaque civitas quodammodo depopulata, ac ad ducentos et quadraginta pauperum incolarum domos reducta, immo etiam omni propemodum commercio destituta iaceat, et dictus episcopus, ac plerique ex canonicis ipsius ecclesiae Elnensis a pluribus annis usque ad hanc diem propter imminentia pericula, ac bonorum et personarum angustias in dicta civitate commorari desierint; dicta vero ecclesia Elnensis ab inde citra proprii pastoris et canonicorum suorum praesentia absque solatio destituta, magnam veteris splendoris diminutionem substinere, et iacturam pati coeperit: oppidum autem praefatum, quod sex milliarium spatio dumtaxat a civitate praedicta distat, munitissimum, et nedum commercii frequentia, sed etiam nobilium et primariorum, qui ex dicta civitate olim excedentes sese in illud receperunt, habitationem tum etiam ministrorum regiorum pro rebus et controversiis, tam praefati Rossilionis quam etiam Ceritaniae comitatuum, cognoscendis atque decidendis illic commorantur, ac curiam et audientiam regiam constituentium, nec non complurium aliorum armis et litteris praestantium residentia insigne existit, et post Barchinonensis caetera comitatus Rossilionis, ac etiam principatus Cathaloniae huiusmodi oppida et loca populo, situ, fama et aeris amoenitate antecellit, ac in eadem ecclesia viginti quatuor ca-

Status miserrimus civitatis Elnensis.

1 Ex Regest. in Canc. Apost.

nonicatus, et totidem praebendae instituti, et ex illis duo mensae episcopali Elnensi, aliique et aliae officio inquisitionis haereticae pravitatis dicti principatus unitae reperiuntur, ipsiusque ecclesiae Elnensis canonici reliquos canonicatus et praebendas huiusmodi obtinentes Capitulum inibi constituunt, ac ex annuis mensae suae capitularis reditibus bismille ducatos auri de Camera, vel circa, percipere solent, ac ultra canonicatus et praebendas huiusmodi, nec non quatuor dignitates in eadem ecclesia Elnensi existentes (videlicet tres archidiaconatus et sacristia maiores, quas pro tempore obtinentes stallum quidem in choro, non tamen vocem in Capitulo habent) et quinquaginta et forsan plures beneficiati esse noscuntur, ex quibus triginta ad minus residere solent, ipsique beneficiati ita inter se distinguuntur, ut eorum aliqui de maiori, alii vero de minori choro censeantur; rursus ex beneficiatis de choro maiori duo haebdomadarii perpetui, qui reliquos ubique praecedunt, et alterius hebdomadis missas matutinales inter primam et tertiam horas singulis diebus decantare, et curam animarum incolarum totius civitatis praefatae exercere, eisque ecclesiastica Sacramenta administrare tenentur, eoque nomine in annuo reditu ultra centum ducatos cuilibet ipsorum obveniunt, omnes vero beneficiati de choro maiori huiusmodi communitatem inter se efficiunt, ac in annuis proventibus ad bismille ducatos similes, vel circiter, etiam percipiunt, et ex illis massam communem distributionum tam Capituli quam beneficiatorum huiusmodi constituunt; eamque interventu duorum canonicorum administrant, et pro eorum insignibus cappas nigras pelliceas in choro deferunt, et per eas a beneficiatis de choro minori illas non deferentibus etiam distinguuntur; ecclesia autem S. Ioannis

Capitulum, canonici et dignitates ecclesiae Elnensis, nec non reditus referuntur.

Baptistae praefata in primis structura et aedificio admodum venusta, paramentis autem et ornamentis ad divinum cultum necessariis satis decenter instructa, iuxta eam palatium ad dictam mensam episcopalem legitime spectans, et episcopali residentiae commodum consistit, et in ea viginti quatuor canonicatus et totidem praebendae, ac ex illis unus et una mensae episcopali, ac alter et altera officio inquisitionis huiusmodi etiam uniti, reliqui vero collativi, et ultra canonicos ipsius ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae illius Capitulum ibidem efficientes quinquaginta et forsan plures beneficiati una cum ipsis canonicis, ut plurimum inibi coniunctim residere soliti existunt, et collegium seu communitatem efficiunt, et annui proventus eorum massae communis ad valorem bismille et sexcentorum ducatorum similium ascendunt, omnesque inter canonicos et beneficiatos ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae huiusmodi ibidem residentes pro distributionibus dietim repartiuntur. Caeterum cum ex praenarratis causis nedum opportunum, sed etiam necessarium sit, ut residentia episcopi et canonicorum Elnensium praefatorum ad aliam ex circumvicinis oppidis ecclesiam illis pro eorum huiusmodi residentia concedendam transferatur, nullaque alia, quam praefata ecclesia Sancti Ioannis Baptistae ad hoc commodius vel decentius assignari possit, indecorum tamen et iurgiorum materia videatur, si duo Capitula coniunctim, et eodem tempore uni eidemque ecclesiae deserviant, et multo minus conveniat, ut dicta ecclesia Elnensis divini cultus exercitio prorsus destituatur; propterea episcopus et capitulum Elnenses haec omnia altiori animo revolventes, cum capitulo et canonicis ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae huiusmodi conventiones et pacta infrascripta, sub nostro et Sedis Apostolicae

Ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae qualitates.

Pacta inita inter Capitula utriusque Ecclesiae.

beneplacito, inierunt. Ut scilicet omnes canonicatus et praebendae dictae ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae, cum primum vacarent, supprimerentur, illorumque sic supprimendorum fructus, reditus et proventus, ac distributiones etiam quotidianae, et alia emolumenta quaecumque mensae capitulari dictae Ecclesiae Elnensis (exclusis utrique non comprehensis canonicatibus et praebendis unitis tam mensae episcopali, quam officio praefatis, sed eisdem in pristino eorum statu remanentibus) applicarentur; adveniente vero vacatione canonicatuum et praebendarum dictae Ecclesiae Elnensis, is qui pro tempore dictae ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae canonicus in sui receptione seu possessione antiquior foret, in illis pleno iure ascenderet et subrogaretur; canonicatusque et praebendae dictae ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae, qui per huiusmodi ascensum et subrogationem vacarent, ipso facto suppressi, eorumque fructus mensae capitulari dictae Ecclesiae Elnensis applicati essent et censerentur; ubi autem ad actualem supradictae residentiae translationem deventum foret, canonici eiusdem ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae etiam canonici Elnenses aeque ac alii appellarentur, ac pro talibus haberi inciperent; immo postquam ad octo tantum reducti essent, ipsi ex tunc capitulo Ecclesiae Elnensis etiam una cum illius canonicis unum dumtaxat Capitulum constituerent, ac ibidem votum tam decisivum quam consultivum haberent; per hoc tamen non censerentur praebendae confusae, sed praedicti octo canonici ex pristina cuiusque eorum praebenda fructus, distributiones et emolumenta praefata separatim perciperent; immo donec ipsorum canonicatus et praebendae suppressi forent, illisque suppressis, ad praebendas eiusdem Ecclesiae Elnensis ascendissent, praerogativis deputationis curiarum concilii provincialis officiorum sedis vacantis gaudere nequirent, liceret tamen eisdem ad officia et alia huiusmodi eligere, non tamen eligi possent; insuper canonici ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae huiusmodi omnibus praerogativis, privilegiis, exemptionibus, gratiis et favoribus, quibus dictae Ecclesiae Elnensis canonici, tam vacante quam plena illius sede episcopali, licite uterentur et fruerentur, in omnibus tamen et quibuscumque actibus, tam publicis quam privatis, praecedentia canonicorum Ecclesiae Elnensis huiusmodi absque ulla contradictione esset. Verum, quia suppressis canonicatibus et praebendis ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae huiusmodi, praefatus modernus et pro tempore existens episcopus Elnensis ius illas conferendi, quoties in mensibus ad locorum Ordinarios spectantibus vacavissent, amittebat, seu huiusmodi ius extinguebatur; idcirco placuit praefatis Capitulo et canonicis dictae Ecclesiae Elnensis ut collatio, provisio et omnimoda dispositio trium canonicatuum et praebendarum dictae Ecclesiae Elnensis ex illis, ad quos dum pro tempore vacant, nominatio seu praesentatio, et electio personarum idonearum ad ipsos, institutio vero seu collatio, et provisio restricta ad nominationem seu praesentationem, et electionem huiusmodi, ad praefatum, episcopum cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis, spectat et pertinet, videlicet eorum, qui sunt poenitentiarii vel in poenitentiales erecti, seu quibus poenitentiarii officium unitum existit, ac quos Philippus Iordi archidiaconus Confluentis, necnon aliorum Praecentoriae, quos Michael Roig et reliquorum Sancti Ianeti nuncupatorum canonicatuum et praebendarum, quos Monserratus Suro, dilecti filii canonici dictae Ecclesiae Elnensis ad praesens obtinent, ad modernum et

Collat. canonicatuum et praebendarum quorumdam pertinent.

pro tempore existentem episcopum praefatum dumtaxat in perpetuum pleno iure, cessantibus tamen eisdem reservationibus et affectionibus, spectaret et pertineret, ipseque episcopus, postquam huiusmodi translatio suum sortita esset effectum, a praestatione quatuor eminarum tritici, et decem librarum monetae in dicto oppido cursum habentis, quam singulis canonicis dictae ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae annuatim facere tenetur, postquam eorum praebendae per obitum vel ascensum, sive subrogationem, aut alias quomodolibet suppressae forent, liber et immunis censeretur, prout in uno seu pluribus instrumentis seu documentis aliisve scripturis publicis et privatis desuper confectis plenius dicitur contineri.

Preces Philippi regis pro translatione.

§ 2. Quare dictus Philippus rex nominibus praefatis nobis humiliter supplicari fecit, quatenus residentiam episcopi et capituli, ac canonicorum Elnensium praefatorum ad dictum oppidum Perpiniani modo et forma infrascriptis transferre, eisque de tuta commoratione, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Translatio de qua in rubrica.

§ 3. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum aestimationem praefatam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, idemque servaretur in quibusvis suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationibus et applicationibus etiam de quibuscumque fructibus et bonis ecclesiasticis, modernum episcopum, et singulares personas capitulorum et canonicorum huiusmodi a quibusvis, *etc.*, censentes, *etc.*, necnon instrumentorum seu documentorum, aliarumque scripturarum huiusmodi, ac etiam unionum et applicationum mensis praefatis, hactenus quomodolibet factarum, causasque, occasiones et circumstantias, cum inde sequutis praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, residentiam et habitationem moderni ac pro tempore existentis episcopi, necnon capituli et singulorum canonicorum Ecclesiae, huiusmodi, ac dignitates in ea nunc et pro tempore obtinentium cum utraque mensa episcopali similiter et capitulari, ac arca et sigillo communibus, necnon potioribus reliquiis, omnibusque et singulis bonis mobilibus et semoventibus, distributionibus etiam quotidianis, iuribus, pertinentiis, obventionibus et emolumentis, non tamen provenientibus ex beneficiis et anniversariis fundatis in dicta Ecclesia Elnensi, quae sunt beneficiatorum propria, et quae transferri et dividi non possint, sed in dicta Ecclesia Elnensi absque illorum diminutione omnino remaneant, ac sacra, et communi, et pretiosiore suppellectile, statutis, consuetudinibus, privilegiis, indultis, exemptionibus, immunitatibus, praerogativis, honoribus, concessionibus, favoribus et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, ac etiam oneribus, caeterisque rebus quibuscumque ex civitate et Ecclesia Elnensi praefatis ad oppidum et ecclesiam Sancti Ioannis Baptistae huiusmodi, eiusque situm, ambitum et claustra, ita quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus episcopus, capitulum et singuli canonici Ecclesiae Elnensis huiusmodi, et dignitates in ea obtinentes in oppido et ecclesia Sancti Ioannis Baptistae praefatis residere, morari et habitare, ac pensum horarum canonicarum tam diurnarum, quam nocturnarum, aliorumque divinorum officiorum in eadem ecclesia Sancti Ioannis Baptistae persolvere; forum quoque, tribunal et audientiam tam episcopalem quam capitularem pro exercitio

iurisdictionis ipsis, tam in spiritualibus quam temporalibus, iure ordinario, ac alias quomodolibet competentis, in eodem oppido habere et tenere, capitula et congregationes inire, necnon omnia et singula, quae in ecclesia et civitate Elnensibus praefatis quomodolibet hactenus facere, gerere, exequi et adimplere poterant et consueverant, similiter et absque ulla prorsus differentia in eadem ecclesia Sancti Ioannis Baptistae etiam facere, gerere, exequi et adimplere libere et licite possint et valeant, ac etiam debeant (civitate et Ecclesia Elnensi, quoad nomen, titulum, denominationem et existentiam cathedralis, aliisque pristinis iuribus, nec non omnibus illius beneficiatis, caeterisque ministris, qui ex nunc deinceps horas canonicas, missam conventualem, et alia divina officia per se ipsos in eadem celebrare, illique alias in huiusmodi divinis deservire, et ex illis supradicti duo beneficiati hebdomadarii perpetuam animarum curam, ut prius, exercere, et sacramenta ecclesiastica administrare teneantur, sub dominio tamen, gubernio et iurisdictione episcopi et capituli Elnensium praefatorum, prout antea, remanentibus, ipsaque iurisdictione eorumdem episcopi et Capituli Elnensium, etiam quoad illos, ac alias in omnibus, et per omnia illaesa similiter, ut prius subsistente) apostolica auctoritate, perpetuo tenore praesentium, transferimus, ipsamque ecclesiam Sancti Ioannis Baptistae cum eius situ, ambitu et claustris, ac episcopali et capitulari mensis huiusmodi pro residentia episcopi, capituli et canonicorum ecclesiae Elnensium, dignitatesque in ea obtinentium praefatorum, aliisque praemissis obeundis, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo concedimus et assignamus.

Munia ecclesiastica quomodo obeunda.

§ 4. Ac in eadem ecclesia Sancti Ioannis Baptistae supradictos viginti duos canonicatus et praebendas collativos praefatos, quorum singulorum et illis forsan annexorum fructus, reditus et proventus viginti quatuor, computatis vero distributionibus quotidianis, quadraginta ducatorum parium, secundum communem aestimationem, valorem, ut asseritur, non excedunt; cum primum illos per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum seu quamvis aliam dimissionem, privationem vel aliam amissionem, religionis ingressum, seu contractum matrimonii illos ad praesens obtinentium, aut eorumdem ad canonicatus et praebendas Ecclesiae Elnensis huiusmodi dum pro tempore vacabunt ascensum vel subrogationem, seu alias quibusvis modis etiam apud Sedem Apostolicam praefatam, et in mensibus in quibus beneficiorum ecclesiasticorum dispositio nobis et successoribus nostris, Romanis Pontificibus, per constitutiones apostolicas ac Cancellariae Apostolicae regulas, nunc et pro tempore editas, ac alias quomodolibet reservata vel affecta, seu etiam ordinariis collatoribus etiam per easdem vel alias constitutiones, aut regulas nunc et pro tempore editas, seu litteras alternativarum, aut alia privilegia et indulta concessa est hactenus, vel pro tempore fuerit, simul vel successive vacare contigerit, etiamsi aliqui ex ipsis actu nunc forsan quibusvis modis, et ex quorumcumque personis, seu per liberas resignationes quorumvis de illis in Romana Curia, vel extra eam, *etc.*, factas, vel assequutionem, *etc.*, vacent, et tanto tempore, *etc.*, devoluta, ipsique canonicatus et praebendae dispositioni apostolicae, *etc.*, existat, super eis quoque inter aliquos lis, *etc.*, indecisa; necnon postquam canonici ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae huiusmodi ad numerum octo tantum reducti fuerint, nomen, titulum, denominationem et essentiam collegiatae, illius-

Translatio quoque capituli et mensae, redituum, *etc.*

que mensam capitularem, arcam, sigillum et quaevis alia collegialia insignia ex nunc, prout ex tunc, et e contra, auctoritate et tenore praefatis, similiter perpetuo supprimimus et extinguimus, ipsorumque canonicatuum et praebendarum, ac mensae capitularis sic suppressorum et extinctorum, necnon annexorum iurium, villarum, praediorum, pertinentiarum, proprietatum et bonorum suorum quorumcumque fructus, reditus et proventus, distributiones etiam quotidianas, iura, obventiones et emolumenta quaecumque praefatae mensae capitulari Ecclesiae Elnensis, ut praefertur, translatae pro augumento distributionum quotidianarum inter illius canonicos S. Ioannis Baptistae residentes, ac in illa horis canonicis, aliisque divinis officiis personaliter interessentes dumtaxat, et non alias, repartiendarum, itaut liceat episcopo, capitulo et canonicis Ecclesiae Elnensis huiusmodi eamdem ecclesiam Sancti Ioannis Baptistae pro ecclesia eorum residentiae etiam ex nunc recipere, seque in ea introducere, necnon episcopo Elnensi, ac utriusque ecclesiae capitulis et canonicis praefatis iurium, villarum, praediorum, pertinentiarum, proprietatum et bonorum huiusmodi corporalem, realem et actualem possessionem per se, vel alium, seu alios illorum nominibus, propria auctoritate, libere apprehendere, et deinceps perpetuis futuris temporibus retinere, ac vacatione singulorum canonicatuum et praebendarum suppressorum praedictorum pro tempore occurrente, illorum fructus, reditus et proventus, distributiones etiam quotidianas, iura, obventiones et emolumenta quaecumque exinde provenientia percipere, exigere et levare, ac in augumentum distributionum quotidianarum inter residentes, et horis canonicis aliisque divinis officiis actu interessentes, et non alias repartiendarum dumtaxat pro rata personalis residentiae cuiuscumque eorum convertere, Ordinarii loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, citra tamen communitatis presbyterorum et syndicorum in dicta ecclesia S. Ioannis Baptistae existentium, illiusque emolumentorum ac solitae administrationis, si quam habent, aliorumque iurium praeiudicium auctoritate et tenore similibus, pariter perpetuo applicamus et appropriamus.

Reditum de una in aliam ecclesiam translatio.

§ 5. Ut autem tam suppressio et extinctio, quam applicatio et appropriatio huiusmodi effectum suum quanto citius sortiantur, ac praedicti capitulum et canonici Elnenses in dicta ecclesia Sancti Ioannis Baptistae cum maiori concordia et unione deinceps vivant, et ibidem unicum capitulum constituatur, pari auctoritate, statuimus et ordinamus, ut vacatione canonicatuum et praebendarum Ecclesiae Elnensis huiusmodi sive per cessum, vel decessum, aut quamlibet aliam dimissionem vel amissionem modernorum illius canonicorum, etiam apud Sedem Apostolicam praefatam, ac alias ubilibet, quomodolibet, et quandocumque, et ex quorumcumque personis adveniente, is vel illi praefatae ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae canonici, qui in receptione seu adeptione possessionis praebendarum eiusdem Ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae antiquiores pro tempore fuerint, in illis sic vacaturis, praevia tamen provisione de illis desuper a nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, ac dicta Sede Apostolica cuique ex ipsis facienda, ascendant et subrogentur, donec et quousque omnibus sic subrogatis, omnes quoque canonicatus et omnes praebendae collativi eiusdem ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae, tam per huiusmodi ascensum et subrogationem, quam aliam vacationem illas obtinentium, ac alias, ut praefertur, realiter, et cum effectu suppressi et extincti

Ex duobus unum capitulum effformatur.

remanserint; ipsi vero omnes canonici dictae ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae ex nunc deinceps, donec singulorum canonicatuum et praebendarum per eos obtentorum suppressio suum plenarium sortita fuerit effectum, canonici Ecclesiae Elnensis, ad instar aliorum illius canonicorum actu existentium, denominentur, ac pro talibus habeantur, teneantur et recipiantur, et postquam ad octo redacti fuerint, ipso ex tunc excluso penitus usu capituli per praesentes suppressi, capitulo et consortio verorum canonicorum Ecclesiae Elnensis huiusmodi aggregentur, ac unum dumtaxat capitulum constituant, ibidemque votum tam decisivum quam consultivum habeant, citra tamen confusionem praebendarum, quae in eorum pristino statu persistant, illorumque possessores fructus, reditus et proventus, distributiones et emolumenta separatim percipiant, donec, eisdem suis praebendis tandem suppressis, ad canonicatus et praebendas Ecclesiae Elnensis huiusmodi, prout illos vacare contigerit, et ipsi ascenderint, et quamvis ex tunc alios canonicos eiusdem Ecclesiae Elnensis ad curiam et alia officia eligere eis liceat, per hoc tamen uti praefati eligi possint, non censeantur esse concessum; in reliquis autem omnes canonici ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae huiusmodi omnibus et singulis aliis praerogativis, privilegiis, exemptionibus, honoribus, favoribus, indultis et aliis gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus veri canonici dictae Ecclesiae Elnensis tam vacante, quam non vacante illius sede episcopali, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, salvo quod citra omnem controversiam praecedentiae in ecclesia, choro, capitulo et aliis actibus, tam publicis quam privatis, canonicorum Elnensium sint et esse debeant, quoad reliqua similiter et pariter, absque ulla prorsus differentia, etiam uti, frui, potiri et gaudere libere et licite valeant.

Ius episcopo attributum tres conferendi canonicatus.

§ 6. Sed quia, ut superius expressum fuit, omnibus canonicatibus et praebendis ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae huiusmodi hoc pacto extinctis, moderno ac pro tempore existenti episcopo praefato ius conferendi quatuordecim ex illis in mensibus, in quibus beneficiorum ecclesiasticorum collatio ad locorum Ordinarios, cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis, pertinet, cessabit seu deperibit, eidem moderno et pro tempore existenti episcopo omnimodam collationem, provisionem, et quamvis aliam dispositionem dictorum trium canonicatuum et totidem praebendarum per Philippum Iordi, et Michaelem, et Monserratum praefatos obtentorum, quoties illos pro tempore, cessantibus tamen eisdem reservationibus et affectionibus apostolicis, vacare contigerit, eisdem auctoritate et tenore, itidem perpetuo concedimus et elargimur, ipsumque modernum et pro tempore existentem episcopum a praestatione et solutione quatuor eminarum tritici, et decem librarum praedictarum singulis canonicis ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae huiusmodi, ut praefertur, fieri solita, si et prout eorum singulae praebendae realiter suppressae fuerint, ut praefertur, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo eximimus et liberamus, exemptumque et liberatum declaramus.

Tarraconensi archiepiscopo committitur reliquiarum, paramentorum, *etc.* translatio.

§ 7. Caeterum, quia circa translationem tam sacrarum reliquiarum, paramentorum et ornamentorum ecclesiasticorum, quam divisiones eorumdem, nec non distributionum quotidianarum, et emolumentorum, ac denique anniversariorum, aliorumque divinorum officiorum inter canonicos et beneficiatos Ecclesiae Elnen-

sis communium rixae, iurgia, contentiones, differentiae, ac etiam forsan lites et controversiae utrinque exoriri possent, ut illis occurratur, venerabili fratri archiepiscopo Tarraconensi, cui dicta Ecclesia Elnensis metropolitico iure subesse dignoscitur, per praesentes committimus et mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios, quos duxerit deputandos, faciat auctoritate nostra sacras reliquias, nec non cruces, candelabra, calices, patenas, thuribula, paramenta et ornamenta ecclesiastica, praesertim argentea et pretiosiorem suppellectilem (aliqua tamen decenti et congrua portione ex eisdem reliquiis cum suis thaecis etiam argenteis, ac paramentis et ornamentis ecclesiasticis etiam argenteis, crucibus, candelabris, calicibus, patenis et thuribulis, praesertim iis, quae usu consumuntur, arbitrio dicti archiepiscopi, quantum decere existimaverit, in eadem Ecclesia Elnensi relicta) una cum praefatis capitulo et canonicis Elnensibus transferri; distributiones vero, et emolumenta cum canonicis et beneficiatis Ecclesiae Elnensis huiusmodi communia, ac anniversaria, fundationes, caeteraque divina officia dividat, et repartiatur, ac cuilibet ratam partem constituat, et assignet, prout iuxta rerum, personarum et onerum cuique remanentium qualitates in Domino iudicaverit expedire, omni et quacumque appellatione remota, procedendo, concedentes eidem archiepiscopo plenam et liberam potestatem et facultatem omnia et singula circa illa quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, gerendi et exequendi.

Aliaque hic recensita peragere.

§ 8. Ac decernentes ea, quae ab ipso in exequutionem sic sibi commissorum gesta fuerunt, nec non easdem praesentes, et in eis contenta quaecumque sub quibusvis revocationibus, aut limitationibus, etiam praetextu quod illae effectum sortitae non fuerint, per quascumque dictae cancellariae regulas etiam per nos, et quoscumque alios Romanos Pontifices successores nostros, et in crastinum assumptionis cuiuslibet ipsorum ad summi apostolatus apicem editas vel edendas, etiam uniones et suppressiones effectum tunc non sortitas, expresse revocantes, minime comprehendi; sed illa eisdem revocationibus et limitationibus, quibuscumque formulis fuerint conceptae, non obstantibus, in suo robore subsistere, ac quoties emanabunt, toties in pristinum, et eum in quo erant ante praemissa statum, etiam sub data posteriori per episcopum, capitulum et canonicos huiusmodi quandocumque eligenda restituta, reposita et plenarie reintegrata fore et esse; sicque per quoscumque iudices *etc.* sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique in quavis instantia iudicari et definiri debere, irritum quoque *etc.* attentari.

Clausulae pro praedictorum firmitate.

§ 9. Non obstantibus priori voluntate nostra, et aliis praemissis, ac Lateranensis Concili novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, et quatenus opus sit, nostra de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem cancellariae regulis editis et edendis, nec non ecclesiarum praefatarum fundationibus, institutionibus, erectionibus, dotationibus ac etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem Ecclesiis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, etiam motu proprio, etiam consistorialiter concessis, approbatis et

Derogatio contrariorum.

innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia espressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma [1] tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illas tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si alicui *etc.* generari, et quibuslibet aliis *etc.* mentio specialis.

§ 10. Volumus autem quod praefatus et pro tempore existens episcopus Elnensis in eadem civitate vicarium seu officialem pro exercenda iurisdictione sibi inibi competente continuo retinere, ac tam ipse, quam capitulum et canonici Ecclesiae Elnensis huiusmodi ad eam pro divinis ibidem obeundis saltem in consecrationis, seu dedicationis eiusdem ecclesiae Elnensis, quae decima octobris, et Sancti Iacobi Apostoli, quae vigesima quinta iulii mensium diebus, celebrari solent, festivitatibus, cessante legitimo impedimento, personaliter accedere, ac prout eos tangit, curam fabricae ipsius Ecclesiae Elnensis et illius reparationis debitae gerere et sustinere teneantur.

[1] Statuta pro divino cultu in civitate et ecclesia Elnensi curando.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum, *etc.*

Sanctio poenalis.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo primo, kalendis septembris, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 1 septembr. 1601, pontif. an. x.

1 Adde *servanda foret.* (R. T.).

CCLXV.

Mandatur episcopis insulae Corsicae ac eorum in spiritualibus vicariis generalibus, ne regularium extra claustra degentium opera, sine Sedis Apostolicae licentia, utantur [1].

Venerabilibus fratribus episcopis insulae Corsicae, ac dilectis filiis eorum vicariis in spiritualibus generalibus

Clemens Papa VIII.

Venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Quoniam ab observantia regulari alienum est, ut regulares cuiusvis Ordinis extra claustra suorum monasteriorum et domorum regularium vagantes permaneant; nos fraternitatibus vestris, fratres episcopi, ac discretioni vestrae, filii vicarii, et cuilibet vestrum per praesentes committimus et mandamus, ut nullus vestrum, regularibus ipsis, quavis de causa, etiam praetextu curae animarum exercendae, aut vestris servitiis insistendi, extra claustra suorum monasteriorum et regularium locorum permanendi, sine speciali Sedis Apostolicae licentia, occasionem praebeatis, aut eorumdem regularium extra claustra degentium opera utamini; quinimmo unusquisque vestrum in sua civitate et dioecesi huiusmodi regulares sic extra claustra vagantes, aut quovis praetextu permanentes ad sua monasteria et loca regularia redire, etiam per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia cogatis et compellatis, super quo vobis opportunam facultatem concedimus et impertimur.

Mandatum, de quo in rubrica.

§ 2. Non obstantibus quibusvis privilegiis, exemptionibus, indultis et litteris apostolicis per dictos regulares praetensis, aut ipsis et eorum Ordinibus in con-

Derogatio contrariorum.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

trarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§ 3. Ut autem praesentes litterae vestrum omnibus innotescant, volumus ut earum transumptis, *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die quinta septembris MDCI, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 5 septembris 1601, pontif. an. X.

CCLXVI.

Decretum Congregationis S. Officii, quo cavetur quominus aliquis litaniis vel Sanctorum vel B. M. V. utatur, quae a Congregatione Sacrorum Rituum non fuerint approbatae [1].

Nonnulli litanias proprio marte evulgaverant.

Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa VIII. Quoniam multi hoc tempore, privati etiam homines, praetextu alendae devotionis, novas quotidie litanias evulgant, ut iam prope innumerabiles formae litaniarum circumferantur, et in nonnullis ineptae sententiae, in aliis (quod gravius est) periculosae et errorem sapientes inveniantur, pro sollicitudine sua pastorali providere volens, ut animarum devotio, Deique ac Sanctorum invocatio, sine ullius detrimenti spiritualis periculo, foveatur:

Eas Congregationi Rituum examinandas tradi mandat Clemens.

§ 1. Praecipit et mandat, ut, retentis antiquissimis et communibus litaniis, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, nec non litaniis de Beata Virgine, quae in Sacra Æde Lauretana decantari solent; quicumque alias litanias edere, vel iam editis in ecclesiis, sive oratoriis, sive processionibus uti voluerint, eas ad Congregationem Sacrorum Rituum recognoscendas, et si opus fuerit, corrigendas mittere teneantur, neque, sine licentia et approbatione praedictae Congregationis, eas in publicum edere, aut publice recitare praesumant, sub poenis (ultra peccatum) arbitrio Ordinarii et Inquisitoris severe infligendis.

Decretum factum in Congregatione S. Inquisitionis coram Papa.

§ 2. Praesens decretum factum fuit in Generali Congregatione Sanctae Romanae et universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali, coram praedicto Sanctissimo Domino Nostro, ac illustrissimis et reverendissimis dominis Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, adversus haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus, octavo idus septembris, anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCI.

Fact. die 6 septembris 1601, an. X pontificatus Clementis VIII.

1 De hac Congregatione habes constitut. CXVII Sixti V: *Immensa*, tom. VIII, pag. 985.

CCLXVII.

Declaratio constitutionis Gregorii XIII, super creatione censuum in locis reipublicae Genuensi subiectis [1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Pius V decrevit census creari non posse nisi actu interveniat pecunia.

§ 1. Alias felicis recordationis Gregorio XIII, praedecessori nostro, pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum ducis et gubernatorum reipublicae Ianuensis exposito, quod licet dudum recolendae memoriae Pius Papa V, etiam praedecessor noster, sua perpetuo valitura constitutione, inter alia statuerit censum seu reditum annuum creari et constitui nullo modo posse, nisi in actu celebrationis instrumenti vere pecunia numerata intervenerit, ac praesentibus notario et testibus, non autem prius, recepto integro iustoque pretio; nihilominus in civitate Ianuensi hactenus facti fuerint quamplures census, et saepe nu-

Genuae vero creati fuerant

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

mensae nummulariae S. Georgii mediantibus chirographis.

mero fiebant, in quibus in actu celebrationis instrumenti vere pecunia numerata non intervenit, sed solutio fit in cartulariis de numerato Sancti Georgii Ianuensis, quae solutio fortasse magis secura, cauta et idonea existebat, acsi illa facta fuisset in pecunia numerata.

Gregorius secundo modo etiam fieri permisit.

§ 2. Ne autem successu temporis difficultates, et fortasse lites circa praemissa, pro eo quod in creatione censuum huiusmodi pecunia numerata non intervenisset in praesentia notarii et testium, iuxta voluntatem dicti Pii praedecessoris, nasci potuissent, pro parte ducis et gubernatorum praedictorum eidem Gregorio praedecessori humiliter supplicato, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaretur; idem Gregorius praedecessor huiusmodi supplicationibus inclinatus, per suas in forma brevis litteras, sub data die IV aprilis MDLXXXII, pontificatus sui anno XI, voluit et apostolica auctoritate decrevit et declaravit, omnes et singulas creationes seu constitutiones censuum in civitate Ianuensi praedicta, in quibus constituendis in actu celebrationis instrumenti vere pecunia numerata non intervenerat, vel non interveniret, sed solutio fuisset facta vel fieret, aut in pecunia numerata, vel per cartularios, de numerato Sancti Georgii, servata in reliquis forma praedictae constitutionis Pii V, valere, eamdemque vim et robur habere in omnibus et per omnia, perinde ac si constitutiones dictorum censuum in pecunia numerata, iuxta formam praedictae constitutionis Pii V, factae fuissent et propterea a quoquam de nullitate dictorum censuum dici, aut ad illorum rescissionem procedi non posse, sicque per omnes et quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigeret attentari, prout in eisdem litteris plenius continetur.

Orto tamen dubio, Genuenses novam declarationem fieri petunt.

§ 3. Cum autem, sicut nuper pro parte eorumdem ducis et gubernatorum reipublicae Ianuensis nobis expositum fuit, postea a nonnullis oppositum fuerit, huiusmodi census usurarios existere, quorum pretium in cartulariis de numerato Sancti Georgii aliquot dies post celebrationem contractus solutum fuit; et quia, ut eadem expositio subiungebat, difficile est in ipsa civitate Ianuensi quod, in actu celebrationis contractus censuum huiusmodi fieri possit solutio pretii in cartulariis de numerato Sancti Georgii huiusmodi, cum multae solemnitates in solutione huiusmodi necessario requirantur, quae eodem instanti fieri non possunt, et propterea omnes fere contractus censuarii per solutionem in cartulariis de numerato Sancti Georgii huiusmodi facti usurarii dici possent, nisi de opportuna Sedis Apostolicae declaratione provideretur. Propterea eorumdem ducis et gubernatorum nomine nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis auctoritatem nostram interponere de benignitate apostolica dignaremur.

Clemens validos contractus declarat, dummodo solutio pecuniae fiat post paucos dies ab eorumdem stipulatione.

§ 4. Nos igitur constitutionis Pii V, et litterarum Gregorii praedecessorum praedictorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ac eosdem ducem et gubernatores, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, apostolica auctoritate,

harum serie, decernimus et declaramus, eos etiam census in civitate Ianuensi hactenus constitutos, et deinceps in perpetuum constituendos, in quibus in actu celebrationis instrumenti solutio etiam per cartularios de numerato Sancti Georgii eodem tempore celebrationis contractus realiter facta non fuerit, sed paucos dies post ipsam instrumenti celebrationem solutio pretii in cartulariis de numerato Sancti Georgii iam facta fuit, vel deinceps etiam post paucos dies fieri contigerit, validos fuisse, esse et fore, eamdemque vim et robur habere in omnibus et per omnia perinde ac si solutio pretii huiusmodi in cartulariis de numerato Sancti Georgii in ipso actu celebrationis instrumenti huiusmodi cum effectu facta fuisset, dummodo in reliquis forma constitutionis Pii V praedecessoris servata fuerit, et propterea de nullitate aut invaliditate dictorum censuum a quoquam opponi, aut ad illorum rescissionem procedi nullatenus posse.

Clausulae.

§ 5. Sicque per omnes et quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Derogat obstantibus.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis, quae idem Gregorius praedecessor in suis litteris voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die XIII sept. MDCI, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 13 septembr. 1601, pont. an. x.

CCLXVIII.

Restitutio iurispatronatus ad praeposituram Ecclesiae Tridentinensis favore Rodulphi imperatoris tamquam Tiroli comitis, eiusque in eodem comitatu successorum [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Exigit nobis iniunctum apostolicae servitutis officium ut ea, quae a Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, nobilissimis principibus, ac praesertim de hac S. Sede benemeritis, sunt concessa, quaeque ob conditionum in concessionibus huiusmodi appositarum inobservantiam invalida et nulla sunt reddita, cum eisdem conditionibus in pristinum restituere, eaque de novo concedere, prout catholicorum principum vota exposcunt, ac nos in Domino id conspicimus salubriter expedire.

Sigismundo Austriaco Tirolis comiti eiusque successoribus iuspatronatus ad praeposituram Tridentinam Paulus II concessit.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Paulo Papae II, praedecessori nostro, pro parte clarae memoriae Sigismundi ducis Austriae exposito, quod olim ex bonis et reditibus monasterii S. Vincentii extra muros Tridentinenses, Ordinis S. Benedicti, cuius ipse Sigismundus dux, etiam Tirolis comes, ratione comitatus Tirolis, advocatus et protector dignoscebatur, quaedam dignitas, praepositura nuncupata, in Ecclesia Tridentina erecta, ac de ea postmodum certo tunc expresso modo vacante, quondam magistro Gaspari de Teramo, causarum palatii apostolici auditori, tunc in humanis agenti, apostolica auctoritate, provisum extiterat, illius possessione per eumdem Gasparem [illegible]eatenus non habita; et in eadem expositione subiuncto quod, si cedente vel decedente dicto Gaspare, aut alias

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

praeposituram ipsam quomodolibet dimittente, iuspatronatus et praesentandi personam idoneam ad illam, quoties ex tunc deinceps vacaret, praedicto Sigismundo duci et comiti, eiusque successoribus, perpetuo reservaretur, ipse Sigismundus dux et comes dictam Ecclesiam Tridentinensem, cuius bonorum et libertatum idem Sigismundus dux et comes etiam defensor existebat, illiusque personas ac bona a manibus illa pro tempore invadentium praeservare toto posse studeret, dictus praedecessor tam gloriosissimi Friderici Romanorum imperatoris, quam praedicti Sigismundi ducis et comitis supplicationibus in ea parte inclinatus, iuspatronatus et praesentandi personam idoneam ad praedictam praeposituram, quoties illam vacare contingeret, praedicto Sigismundo duci et comiti, eiusque haeredibus et successoribus, comitibus Tirolis, qui pro tempore forent, perpetuo reservavit, concessit et assignavit: ita quod, ex tunc deinceps, nullus eamdem praeposituram obtinere posset, nisi ad illam per Sigismundum ducem et comitem, ac haeredes et successores praedictos, tempore debito, dicto praedecessori, eiusque successoribus, Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, foret praesentatus; necnon eidem Sigismundo duci et comiti, eiusque haeredibus et successoribus, quod ad praeposituram huiusmodi, illius vacatione pro tempore occurrente, personam idoneam per praedecessorem et successores suos Romanos Pontifices praedictos dumtaxat, quibus idem praedecessor institutionem sive provisionem illius specialiter reservaverat, in ipsius ecclesiae praepositum instituendum, eisdem Romanis Pontificibus praesentare libere ac licite valeret, indulsit, irritanti et aliis decretis desuper appositis, prout in litteris apostolicis desuper confectis plenius continetur.

§ 2. Nuper vero, cum dicta praepositura, quam bonae memoriae Andreas S. Mariae Novae diaconus cardinalis ab Austria nuncupatus, ex concessione et dispensatione apostolica, in commendam, dum viveret, obtinebat, commenda huiusmodi per obitum dicti Andreae cardinalis apud Sedem Apostolicam defuncti cessante, adhuc eo quo ante commendam ipsam vacabat modo, vacare nosceretur, et nos de illa sic vacante, et tamquam libera, et dictae Sedi ratione commendae huiusmodi affecta, dilecto filio Matthiae della Torre ex comitibus Vallis Saxinae, clerico Aquilegiensi provideri concessissemus; charissimus autem in Christo filius noster Rodulphus Romanorum rex illustris in imperatorem electus, qui etiam comes Tirolis existit, iuripatronatus et praesentandi huiusmodi inhaerendo, certam personam ad dictam praeposituram, ut praefertur, vacantem, nobis praesentasset, ac pro verificatione iurispatronatus huiusmodi, exemplar authenticum litterarum praedictarum coram dilecto filio datario nostro exhiberi curasset, tandem ex tenore ipsarum litterarum cognitum fuit, praedictum praedecessorem inter alia voluisse et expresse declaravisse, quod Sigismundus dux et comes, eiusque successores et patroni praedicti, pro recognitione concessionis patronatus huiusmodi, singulis annis, in festo beatorum Petri et Pauli apostolorum, unam libram cerae Camerae Apostolicae solvere teneretur, alioquin, si libram cerae die festo non solveret, aut praesentationem non faceret, ut praefertur, concessio huiusmodi nullius esset roboris vel momenti.

Cognitum deinde est, iniunctam fuisse Comitibus legem solvendi Sedi Apostol. singulis annis unam cerae libram;

§ 3. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Rodulphi regis, in imperatorem electi, petitio continebat, ipse conditionis praedictae ignarus, et forsan aliis eius in dicto comitatu antecessores, dictam libram cerae, iuxta dictarum

Qua per ignorantiam non soluta Rodulphus sub eadem lege sibi petit iuspatronatus restitui.

litterarum formam, solvere non curaverint, ac propterea a iure patronatus et praesentandi cecidisse censeantur, pro parte dicti Rodulphi regis, in imperatorem electi, qui ad effectum, ut iuspatronatus huiusmodi sibi eiusque in dicto comitatu futuris haeredibus et successoribus restituatur, dictae Camerae praedictam libram cerae annuatim deinceps solvere paratus existit, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eius ac haeredum et successorum praedictorum indemnitati consulere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Restituit Clemens.

§ 4. Nos igitur praedictum Rodulphum regem, in imperatorem electum, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac litterarum huiusmodi etiam veriores ac totos tenores et datas, cum inde sequutis, praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, dictum Rudulphum regem in imperatorem electum, ac pro tempore existentes comites Tirolis, ad iuspatronatus et praesentandi nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus personam idoneam ad dictam praeposituram, praedicto Matthia cedente, etiam ex causa permutationis, vel decedente, aut eamdem praeposituram quomodolibet dimittente vel amittente, ac alias quoties illam, quovis modo et ex cuiuscumque persona, etiam apud Sedem praedictam vacare contingeret, nec non adversus privationis et annullationis eiusdem iurispatronatus ac praesentandi, ac quascumque alias poenas, quas, ob non factam Camerae praedictae annuam solutionem et praestationem dictae librae cerae, iuxta voluntatem Pauli praedecessoris, ac formam litterarum huiusmodi, aut alias quomodolibet incurrerunt, seu incurrisse dici vel censeri possunt, ac in pristinum et eum, in quo si solutio et praestatio ipsa debito tempore facta fuisset, idem statum, in omnibus et per omnia, sine tamen praeiudicio dicti Matthiae, (itaut collatio et provisio sibi de dicta praepositura, per nos, ut praefertur, facta, ac litterae desuper confectae vel conficiendae, suum omnino sortiantur et sortiri debeant effectum) apostolica auctoritate, tenore praesentium restituimus, reponimus ac plenarie reintegramus; ipsasque poenas ac solutiones et praestationem huiusmodi, quoad terminos decursos, et non solutos gratiose remittimus et condonamus. Et nihilominus ius patronatus et praesentandi nobis et successoribus nostris praedictis personam idoneam ad dictam praeposituram (quoties eam vacare contigerit, ut praefertur, per Rodulphum regem, in imperatorem electum, eiusque in dicto comitatu haeredes et successores praedictos, tempore legitimo, nobis vel successoribus nostris praedictis, fieri praesentationes), auctoritate et tenore praemissis, in perpetuum de novo reservamus, concedimus et assignamus, ac eidem Rodulpho regi, in imperatorem electo, quod ipsi ad praeposituram praedictam, eius vacatione pro tempore occurrente, personam idoneam per nos et successores nostros praedictos dumtaxat instituendam, nobis et successoribus huiusmodi praesentare, libere ac licite valeant, eisdem pari auctoritate et tenore, de speciali gratia, indulgemus.

Ius praeservat proviso.

§ 5. Volumus autem quod dictus Matthias, vigore collationis sibi, ut praefertur, factae, possessionem dictae praeposituae assequatur et continue gaudeat in futurum.

§ 6. Quodque ex nunc deinceps recognitio dictae librae cerae, servata forma praedictarum litterarum, omnino fiat, alioquin praesens gratia nulla sit eo ipso, et insuper ex nunc irritum decernimus et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Dictam cerae libram praestari iubet sub poena caducitatis.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, remissionis, reservationis, concessionis, assignationis, indulti, voluntatis ac decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Clausulae poenales.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo primo, xv kalendas octobris, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 17 septembr. 1601, pontif. an. x.

CCLXIX.

Exemptio a quacumque Ordinariorum iurisdictione capellae Sancti Hieronymi, oppidi de Villa Vicosa ducis Bragantiae, illiusque decani, capellanorum et aliorum ministrorum, qui immediate subiiciuntur Sanctae Sedi Apostolicae eiusque collectori [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex iniuncto nobis desuper apostolicae servitutis officio, *etc.*, expedire.

Prooemium.

§ 1. Alias siquidem dilecti filii nobilis viri Theodosii, ducis Bragantiae, supplicationibus in ea parte inclinati, eidem Theodosio duci, ut ex tunc deinceps et in perpetuum quotiescumque et quandocumque ipsum Theodosium aut successores suos Bragantiae duces pro tempore existentes extra oppidum de Villa Vicosa, Elborensis dioecesis, residere contingeret, decanus, capellani et alii ministri capellae ducalis sub invocatione et ad honorem Sancti Hieronymi in praedicto oppido per dicti Theodosii ducis praedecessores sumptuoso opere extructae, in quacumque ecclesia seu capella, regulari vel saeculari, loci intra regnum Portugalliae constituti, in qua Theodosius dux, aut successores praefati, divina officia diurna et nocturna persolvi et celebrari mandarent, omnes distributiones quotidianas aliaque emolumenta universa, quae lucrarentur et lucrari possent, si in dicta capella ducali divinis officiis diurnis pariter et nocturnis personaliter interessent, similiter et pariformiter lucrari, habere et consequi libere et licite valerent, apostolica auctoritate, perpetuo concessimus et indulsimus, prout, *etc.*, continetur.

Concesserat Clemens capellanis ut ubilibet de mandato ducis divina peragerent, distributiones lucrarentur.

§ 2. Cum autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Theodosii ducis petitio continebat, iuxta formam indulti huiusmodi, decanus, capellani et ministri dictae capellae pro tempore existentes aliquem certum residentiae locum non habeant, sed Theodosium ducem et successores praedictos quocumque extra dictum oppidum iter facturi sint sequi, et ad eorum nutum divina officia huiusmodi, quae debitis temporibus et horis, iuxta ritum et morem a Sancta Romana Ecclesia receptum et approbatum celebrentur, ac solemnitates et caeremoniae, aliaque requisita debite observentur, recitare teneantur; hincque alicuius Ordinarii iurisdictioni commode subiacere posse non videantur, et idem Theodosius dux, qui (insigni pietatis zelo ductus) capellam praedictam omnibus, quibus potest, rationibus et modis, tam in spiritualibus et

Theodosius dux, causis hic indicatis, petit eos ab Ordinariorum visitatione eximi.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

divinis, quam temporalibus ad praepotentis Dei gloriam augere et exornare non desistit, ut in hac quoque parte ipsius capellae decori, illiusque decani, capellanorum et ministrorum commodis et opportunitatibus consulatur, plurimum cupiat, ut infra desuper per nos et Sedem Apostolicam benigne provideri, pro parte dicti Theodosii ducis nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi desiderioque suo in praemissis opportune, *etc.*, dignaremur.

Eximit Clemens,

§ 3. Nos igitur pium ipsius Theodosii ducis propositum promovere cupientes, ac dictum Theodosium ducem a quibusvis excommunicationis, *etc.*, censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, capellam praedictam, illiusque decanum, capellanos et ministros praesentes et futuros, eorumque res, bona et beneficia quaecumque, ubicumque sita, et qualiacumque sint et esse possint, ab omni visitatione, correctione, iurisdictione et superioritate, tam Elborensis quam quorumcumque aliorum dicti regni Ordinariorum, illorumque vicariorum et officialium, nunc et pro tempore existentium in spiritualibus et temporalibus, apostolica auctoritate, tenore praesentium, penitus et omnino perpetuo eximimus et totaliter liberamus, exemptosque et exempta esse ac fore, necnon Ordinarios eorumque vicarios et officiales praedictos (etiam ratione delicti, seu contractus vel quasi, aut rei, de qua, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat) in decanum, capellanos et ministros praedictos, eorumque res et bona ac beneficia quaecumque per eos obtenta et obtinenda, vel eorum aliquem seu aliquos, visitationem, correctionem et superioritatem aliquam exercere, aut quamcumque excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliasque ecclesiasticas sententias, censuras et poenas promulgare nullatenus posse, ac quamcumque visitationem, correctionem, iurisdictionem, aut superioritatem aliquam denotantia, et quascumque promulgationes, quas tam per Elborensis, quam quoscumque alios praefati regni Ordinarios, illorumque vicarios et officiales, nunc et pro tempore existentes, vel eorum aliquem interim fieri contigerit, nulla et invalida, nulliusque roboris vel momenti existere, et pro penitus infectis, quoad haec omnia haberi debere, et si secus, *etc.*, attentari, irritum et inane decernimus.

Eosque Apostolicae Sedi et collectori R. C. subiectos declarat.

§ 4. Et nihilominus capellam, decanum, capellanos et ministros praedictos, necnon quaecumque beneficia ecclesiastica per eos nunc obtenta, et pro tempore obtinenda, ac illorum res et bona ubicumque sita, cuicumque visitationi, correctioni, iurisdictioni et superioritati nostris et Sedis Apostolicae, ac fructuum et proventuum Camerae Apostolicae debitorum, collectoris in dicto regno pro tempore existentis vel, eo deficiente aut absente, per eum pro tempore deputandi, penitus et omnino eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo subiicimus et supponimus; omnesque et quascumque lites, causas, controversias, quaestiones, differentias, molestias, civiles et criminales, reales et personales, spirituales et temporales, ecclesiasticas et profanas, ac etiam beneficiales, meras et mixtas decani, capellanorum et ministrorum praedictorum, tam active quam passive, contra ipsos per Elborensem ac quoscumque dicti regni Ordinarios, seu illorum curias vel fiscos, aut procuratores eorum, ac etiam quascumque alias personas, seu ad illorum aut illarum instantiam vel instigationem quavis occasione vel causa, ex nunc deinceps et pro tempore movendas et suscitandas eidem collectori in dicto regno nunc et pro tempore com-

moranti, vel, in eius absentia vel defectu, per eum, ut praefertur, deputando, etiam summarie audiendas, cognoscendas, decidendas fineque debito terminandas cum omnibus suis incidentiis, dependentiis, emergentibus, annexis et connexis, totoque negocio principali, etiam cum potestate, quos, quibus, ubi, quando et quoties opus fuerit citandi et inhibendi, ac inobedientes declarandi, aggravandi et reaggravandi, auxilium brachii saecularis invocandi, omniaque alia et singula faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et exequendi, quae necessaria fuerint, aut alias quomodolibet opportuna, auctoritate et tenore praedictis, iuxta constitutionem felicis recordationis Innocentii Papae III praedecessoris nostri, quae incipit *Cum capella,* similiter perpetuo committimus et mandamus.

Clausulae. § 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, *etc.*, quibuscumque. Nulli, *etc.* Si quis, *etc.*

Datum Romae apud S. Marcum anno, *etc.*, millesimo sexcentesimo primo, quarto decimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 18 septembr. 1601, pontif. an. x.

CCLXX.

Nonnullae declarationes super visitatione parochialium ecclesiarum ad Hospitale Sancti Ioannis Hierosolymitani pertinentium, per Ordinarios locorum, tamquam Sedis Apostolicae delegatos, facienda [1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Decet Romanum Pontificem ad tollendas dissentionum occasiones inter episcopos et fratres Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani super visitatione ecclesiarum parochialium eiusdem Hospitalis, dubia quae oriri solent, opportuna declaratione, removere, prout in Domino salubriter conspicitur expedire.

Declarat episcopos posse visitare parochias unitas Hospitali S. Ioannis Hierosolymitani, in iis quae respiciunt curam animarum.

§ 1. Supplicationibus igitur pro parte venerabilis fratris Augustini archiepiscopi Bracharensis, per dilectum filium Simonem de Abren archidiaconum de Neiva, et canonicum Ecclesiae Bracharensis eiusdem Augustini archiepiscopi in Romana Curia agentem, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, harum serie declaramus venerabiles fratres archiepiscopos et episcopos, tamquam Sedis Apostolicae delegatos, tam per se ipsos quam per alias ecclesiasticas personas, quascumque ecclesias ad Hospitale S. Ioannis Hierosolymitani pertinentes, quibus animarum cura imminet, in his quae animarum curam illiusque exercitium et administrationem respiciunt, visitare, omnesque actus visitationem circa praedicta concernentes exercere posse et debere, iuxta constitutionem Pii Papae V, nostri praedecessoris, super hoc edita, sub die XXII septembris MDLXXI. Rectores etiam ac vicarios ac quascumque alias, tam regulares quam saeculares personas, curam animarum in eis exercentes subesse immediate in iis, quae ad dictam curam animarum illiusque exercitium, et Sacramentorum administrationem spectant, visitationi et correctioni episcoporum uti Sedis Apostolicae delegatorum, adeo ut, quae circa dictas personas ac ecclesias in praedictis necessaria et opportuna visa fuerint, in actu visitationis decernere, poenas infligere et exequi, aliisque iuris remediis, quoties et quando opus fuerit, procedere valeant, quemadmodum eadem constitutione cavetur.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

In reliquis vero constitutionem Gregorii XIII servandam.

§ 2. Quoad vero clericos saeculares ecclesiis militum servientes, ipsarumque ac militum colonos et familiares, servandam esse constitutionem piae memoriae Gregorii Papae XIII, etiam praedecessoris nostri, quae incipit: *Circumspecta*, edita Pontificatus sui anno nono. Ipsis autem fratribus militibus, rectoribus, conservatoribus, aut aliis quibuscumque nulla ratione licere, directe vel indirecte, Ordinarios locorum, sive eorum officiales et ministros, contra formam praedictarum Pii et Gregorii praedecessorum constitutionum, impedire, et si impediverint aut alias terminos suarum facultatum excesserint, ab eisdem posse censuris aliisque poenis ecclesiasticis coerceri.

Clausulae.

§ 3. Sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam palatii apostolici causarum auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem hospitalis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem hospitali, eiusque magno magistro et conventui, ac fratribus, militibus et aliis quibuscumque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis et decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XIX septemb. MDCI, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 19 septembr. 1601, pontif. an. x.

CCLXXI.

Dismembratio partis dioecesis et redituum ab Ecclesia cathedrali Clusinensi, eorumque unio Ecclesiae cathedrali Castri Plebis [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Super universas orbis Ecclesias, Eo disponente qui cunctis imperat et cui omnia obediunt, nullis nostris meritis constituti, pervigiles mentis nostrae oculos circa fructuosam agri Dominici culturam frequenter dirigimus, et divino fulcti praesidio (quo cuncta fere populorum suorum fidelium utilitate et salute disponuntur), ad ea, per quae ipsarum Ecclesiarum, praesertim cathedralium a nobis noviter erectarum, status prospere et feliciter dirigi, divinusque cultus ac beneficiorum ministrorum ecclesiasticorum in eis numerus augeri, necnon collegia pro iuventutis in pietate et ecclesiasticis aliisque fructuosis disciplinis eruditione et instructione propagari, animarum quoque cura, qua nullum in terris gravius onus inveniri potest, fructuosius exercere valeant, propensis studiis intendimus, ac in iis pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout rerum, locorum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Episcopatum Castri Plebis alias a se erectum commemorat.

§ 1. Alias siquidem nos ex certis causis, habita prius desuper cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus matura delibera-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tione, de illorum consilio et apostolicae potestatis plenitudine, per alias nostras litteras oppidum Castri Plebis, castra ac terras, villas Plagarii, Panicalis, Pacciani, Mungiovini, Tavernellarum, Collis Sancti Poli, Montalaesae, agri Perusini, Laviani, Puteoli, Gioellae et Panicarolae cum caeteris locis in universo marchionatu Clusii, necnon Triviani, Montis Leonis et Salicis in comitatu et districtu Urbevetanensi consistentia, ac Camporsevoli nostrae et Sedis Apostolicae ditioni temporali immediate et mediate respective subiecta, Sanctae Florae tunc Clusinensis dioecesis cum illorum territoriis, clero, populo, personis ecclesiasticis, monasteriis, confraternitatibus, etiam laicorum, et piis locis, ac beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura saecularibus, et quorumvis Ordinum regularibus, necnon quibuscumque iuribus et actionibus, quae pro tempore episcopus Clusinensis, ratione iurisdictionis et legis dioecesanae, in illis habebat et percipiebat, ac habere et percipere poterat, ab ecclesia Clusinensi (etiam tunc per obitum bonae memoriae Ludovici episcopi Clusinensis extra Romanam Curiam defuncti) pastore carente, a dicta dioecesi perpetuo divisimus et separavimus, sicque divisa et separata ab omni iurisdictione, superioritate, visitatione, correctione, dominio et potestate ipsius episcopi Clusinensis pro tempore existentis eiusque vicarii et officialis, ac solutione quorumcumque iurium eidem episcopo ratione iurisdictionis, superioritatis, visitationis, correctionis, dominii et potestatis huiusmodi quomodolibet debitorum etiam perpetuo eximimus et liberavimus, dictumque oppidum Castri Plebis in civitatem Castri Plebis nuncupandam, necnon illius saecularem et collegiatam ecclesiam sanctorum Gervasii et Protasii in cathedralem sub eadem invocatione cum dignitate, iurisdictione et mensa episcopalibus, aliisque cathedralibus insignibus, necnon praeeminentiis, honoribus et privilegiis, quibus aliae cathedrales ecclesiae de iure vel consuetudine utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere poterant quomodolibet in futurum, pro uno episcopo Castri Plebis nuncupando, qui eidem ecclesiae Castri Plebis praesset, similiter perpetuo ereximus et instituimus, ac ipsi ecclesiae sic in cathedralem erectae civitatem Castri Plebis, eiusque incolas et habitatores pro civitate et civibus, alia vero castra, terras, villas et loca divisa et separata praefata pro eius dioecesi, ae ecclesiasticas pro clero, et saeculares personas in eisdem civitate et dioecesi Castri Plebis pro tempore degentes pro populo pariter perpetuo concessimus et assignavimus, illaque omnia et singula episcopo Castri Plebis pro tempore existenti quoad legem dioecesanam ac episcopalem, et ordinariam iurisdictionem, ecclesiam et pro tempore existentem episcopum Castri Plebis huiusmodi dictae Sedi immediate subiecimus, ac sub beatorum Petri et Pauli apostolorum dictaeque Sedis protectione et tutela suscepimus.

Nomina castrorum, villarum et locorum novam dioecesim effor-mantium.

§ 2. Insuper omnia et singula fructus, reditus, proventus et bona mensae episcopalis dictae Ecclesiae Clusinensis (demptis et remanentibus pro ea ac episcopo Clusinensi pro tempore existente tot ex ipsis fructibus, reditibus, proventibus et bonis per commissarium ad id a Sede praedicta deputandum designandis et assignandis, quot illorum valor ad summam mille scutorum monetae annuatim iudicio dicti commissarii ascenderit), ab eadem mensa episcopali Clusinensi itidem perpetuo dismembravimus et separavimus; sicque dismembrata et separata dictae mensae episcopali Castri Plebis pro eius dote, ac episcopi Castri Plebis pro tem-

Datam etiam commissario apost. facultatem separandi ab Ecclesia Clusinensi nonnullos reditus, eosque Ecclesiae Castri Plebis assignandi.

pore existentis sustentatione, etiam perpetuo applicavimus et appropriavimus, ita quod liceret eidem episcopo Castri Plebis pro tempore existenti, sequutis designatione et divisione ab eodem commissario, ut praefertur, faciendis, corporalem possessionem fructuum, redituum, proventuum ac bonorum eidem mensae episcopali Castri Plebis applicatorum et appropriatorum, per se vel alium seu alios, eius nomine, propria auctoritate, apprehendere, et perpetuo retinere, illorumque fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta percipere, exigere et levare, ac in suos dictaeque mensae episcopalis Castri Plebis usus et utilitatem convertere, futuri episcopi Clusinensis et cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, prout in dictis litteris plenius continetur.

Commissarius apostolicus procedit ad divisionem et assignationem,

§ 3. Cum autem postmodum dilectus filius magister Anselmus Dandinus notarius noster de numero participantium, et in utraque signatura nostra referendarius, quem in illis partibus commissarium et visitatorem apostolicum specialiter destinaveramus et deputaveramus, vigore facultatum sibi desuper a nobis concessarum, ad divisionem et assignationem fructuum, redituum et proventuum, ac bonorum huiusmodi procedens, illa ita distinxerit et repartitus fuerit ut, salvis remanentibus pro dicta mensa episcopali Clusinensi illis, quae in dominio Senensi et alibi (extra tamen loca ditioni nostrae temporali subiecta) consistebant, reliqua omnia et singula in civitate et dioecesi Castri Plebis, ac aliis locis ditioni nostrae temporali subiectis praedictis consistentia dictae mensae episcopali Castri Plebis cederent, illique assignata, applicata et appropriata esse censerentur.

Nonnullaque alia statuit pro dote mensae,

§ 4. Praeterea societatum seu confraternitatum in dicta civitate Castri Plebis constitutarum numerum minus necessarium resecando et restringendo, nonnullas ex eis, videlicet puerorum Sancti Salvatoris, Sancti Antonii, Sanctae Mariae Novellae et eiusdem Sanctae Mariae Gratiarum nuncupatarum earumque nomina, titulos et donationes perpetuo suppresserit et extinxerit, expediens quoque et operae pretium fore censuerit, ut ab ipsa ecclesia Castri Plebis, quae etiam parochialis existit, et in qua praeter pontificalem nulla alia dignitas, et non nisi quinque canonicatus et totidem praebendae sunt instituti, cura animarum illius parochianorum, per tres canonicos et duos capellanos, eiusdem ecclesiae Castri Plebis exerceri solita, abdicetur, et ad alias circumvicinas ecclesias transferatur; nec non in eadem ecclesia Castri Plebis ministrorum et beneficiorum ecclesiasticorum numerus augeatur aliaque infrascripta fiant, prout in processu desuper ab ipso Anselmo commissario et visitatore confecto plenius dicitur contineri, et prioratus saecularis seu parochialis ecclesiae prioratus nuncupata sanctorum Petri et Pauli dicti Castri Montis Leonis, per liberam resignationem dilecti filii Francisci Honuphrii nuper prioris prioratus seu rectoris, prioris nuncupati Ecclesiae sanctorum Petri et Pauli huiusmodi, de illo seu illa, quem seu quam tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam, et per nos admissam apud Sedem praedictam vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de illo seu illa praeter nos, pro eo quod dudum omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, apud Sedem eamdem vacantia et in antea vacatura collationi et dispositioni nostrae reservavimus, ac irritum et inane decrevimus si secus super eis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigeret attentari, hac vice disponere potuerit, sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis.

capituli ac beneficiorum ecclesiasticorum.

§ 5. Et sicut accepimus, dilectus filius Iosephus Orlandus laicus Castri Plebis, omnia sua bona in dotem aliorum canonicatuum et praebendae in dicta ecclesia Castri Plebis erigendorum, post eius tamen obitum, perpetuo donare intendat et ex nunc donat.

Iosephus Orlandus sua bona donat pro dote nonnullorum canonicatuum.

§ 6. Nos ipsius ecclesiae Castri Plebis prospero statui et salubri directioni, divinique cultus, ac beneficiorum et ministrorum ecclesiasticorum in ea incremento, necnon iuventutis civitatis et dioecesis Castri Plebis huiusmodi in pietate, religione et ecclesiasticis disciplinis instructioni et profectui consulere, aliasque in praemissis opportune providere volentes, necnon litterarum et processus huiusmodi, ac quarumcumque aliarum unionum, annexionum, incorporationum, applicationum et appropriationum dictae mensae capitulari, et erigendis parochialibus ecclesiis infrascriptis, hactenus forsan factarum tenores, necnon confraternitatum suppressarum et erigendarum parochialium, ac hospitalis et capellae huiusmodi fructuum et decimarum veros annuos valores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia nostra, et de eiusdem potestatis plenitudine, divisionem et distinctionem, repartitionem, assignationem, suppressionem, extinctionem et alia a dicto Anselmo commissario et visitatore in praemissis et circa ea facta decreta et ordinata, cum inde sequutis quibuscumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac rata et grata habemus, omnesque et singulos tam iuris quam facti ac solemnitatum, etiam substantialium, defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus; ac tam Clusinensem quam Castri Plebis episcopos pro tempore existentes, divisioni, distinctioni, repartitioni et assignationi per dictum Anselmum commissarium et visitatorem, ut praefertur, factis (etiamsi fructus, reditus, proventus et bona cuilibet ex episcopis, et earum mensis praedictis respective assignata ad valorem annuum mille scutorum non ascendant) omnino stare et acquiescere, ac fructibus, reditibus, proventibus, et bonis per eumdem Anselmum commissarium et visitatorem sic assignatis; Clusinensi, videlicet iis, quae in dominio Senensi et alibi extra loca ditioni nostrae temporali subiecta; Castri Plebis vero episcopis praedictis illis, quae in praedictis civitate et dioecesi Castri Plebis et aliis locis temporali ditioni nostrae subiectis consistunt, contentos esse debere, nec quicquam ultra illa ex praetextu incompetentis dotis, sive cuiusque mensae episcopalis praetendere, neque se invicem desuper, contra divisionis, repartitionis et assignationis huiusmodi continentiam et tenorem, molestare, aut unum eorum adversus alterum agere vel experiri posse decernimus et declaramus; et nihilominus eisdem divisioni, repartitioni, distinctioni et assignationi inhaerentes, removentibus dictae mensae episcopali Clusinensi illis, quae in dominio Senensi et alibi, extra loca ditioni nostrae temporali subiecta, consistebant, reliqua omnia et singula illius fructus, reditus, proventus et bona in praedictis civitate et dioecesi Castri Plebis, ac aliis locis ditioni nostrae temporali subiectis consistentia, ab eadem mensa episcopali Clusinensi de novo, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo separamus et dismembramus, illaque sic separata et dismembrata praedictae mensae episcopali Castri Plebis, eisdem auctoritate et tenore, etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Praedicta omnia confirmat Clemens.

§ 7. Insuper* in dicta ecclesia Castri Plebis unum archidiaconatum, futuram in ea dignitatem maiorem post pontificalem,

Capitulum Castri Plebis.

pro uno archidiacono, qui caput capituli eiusdem ecclesiae Castri Plebis existat, et inibi praesit, ac tres canonicatus et totidem praebendas pro tribus canonicis, ultra quinque alios canonicos ibidem existentes, qui omnes insimul una cum dicto archidiacono capitulum huiusmodi constituant, et apud ipsam ecclesiam Castri Plebis personaliter residendo horas canonicas tam diurnas quam nocturnas, aliaque divina officia servata ecclesiastica disciplina celebrare et recitare, ac alias illi in divinis laudabiliter deservire debeant.

Et Parochias erigit.

§ 8. Praeterea confraternitatum sanctae Mariae Alborum nuncupatorum, et sanctissimi Nominis Iesu, necnon S. Petri ecclesias, etiam Castri Plebis, de dilectorum filiorum modernorum illarum confratrum consensu, salvis tamen eorum iuribus, in parochiales ecclesias pro tribus illarum futuris rectoribus, necnon in prioratu seu ecclesia Ss. Petri et Pauli huiusmodi unam vicariam, prioratum nuncupandam, pro uno vicario priore nuncupando, et unam capellaniam perpetuas pro uno capellano perpetuis, qui omnes sint in presbyteratus ordine, seu tali aetate constituti, ut ad illum proximis inde temporibus a iure statutis promoveri possint, ac rectores videlicet, et vicarius suis respective ecclesiiis huiusmodi per se ipsos in divinis deservire et curam animarum earum parochianorum pro tempore existentium exercere, ac illis ecclesiastica sacramenta ministrare, caeteraque parochialia onera et officia subire, capellanus vero ipsum vicarium in prioratus seu ecclesiae Ss. Petri et Pauli huiusmodi servitio, ac curae animarum illius parochianorum exercitio missarumque celebratione coadiuvare; confratres autem praedicti in ipsis parochialibus ecclesiis, in quibus eorum confraternitates sunt institutae, expensas pro custodia et cultu SS. Sacramenti necessarias facere, singulisque illarum rectoribus tantum quantum pro missis, et aliis divinis officiis celebrandis exponere consueverint, praestare et subministrare teneantur, omnium vero canonicatuum et praebendarum, ac parochialium ecclesiarum vicariae et capellaniae huiusmodi, illorum vacatione pro tempore occurrente, collatio, provisio et omnimoda dispositio ad dictum episcopum Castri Plebis pro tempore existentem, cessantibus reservationibus apostolicis, quoad parochiales ecclesias videlicet, et vicarium huiusmodi in concursu, servata forma Concilii Tridentini, pertineat.

Quorum omnium collatio pertineat ad Ordinarium.

Ibidem seminarium erigi mandat.

§ 9. Praeterea prope dictam ecclesiam Castri Plebis, vel in aliquo convenienti loco ad id a futuro illius praesule eligendo, unum seminarium ecclesiasticum puerorum civitatis et dioecesis Castri Plebis huiusmodi in eo, iuxta formam dicti Concilii Tridentini, introducendorum, auctoritate et tenore praedictis, similiter perpetuo erigimus et instituimus.

Nonnulla alia statuit de parochis et hospitalibus.

§ 10. Necnon ab ecclesia Castri Plebis, ac tribus illius canonicis et duobus capellanis praefatis omnimodam curam animarum parochianorum, iuraque, officia et exercitia parochialia universa una cum ipsis parochianis, et quoad ccc staria grani summam LX ducatorum auri de Camera, vel circa, constituentia annuatim, ut etiam accepimus, omnibus decimis per incolas et habitatores civitatis Castri Plebis huiusmodi et illius territorii eisdem tribus canonicis, et duobus capellanis, ratione exercitii curae animarum huiusmodi, solvi solitis seu debitis, auctoritate et tenore similibus, pariter perpetuo abdicamus, curamque animarum, ac iura, officia et exercitia parochialia sic abdicata cum eisdem personis ad Sanctae Mariae Alborum, et Sanctissimi Nominis Iesu, necnon sancti Petri ecclesias in

parochiales erectas praedictas, iuxta designationem desuper ab ipso commissario et visitatore factam, transferimus; a prioratu vero seu ecclesia Ss. Petri et Pauli huiusmodi (cuius fructus, reditus et proventus, super quibus pensio annua xc ducatorum auri similium dilecto filio Ludovico Angelite clerico Firmanensi cubiculi nostri secreti praefecto, dicta auctoritate reservata existit, ccc ducatorum parium secundum communem aestimationem valorem annuum, ut similiter accepimus, non excedunt, illiusque proprietatibus et bonis ex nunc tot, quot ad centum, et postquam dicta pensio cessaverit, ex tunc, prout etiam ex nunc, tot quot ad xxx alia scuta monetae ascendant) necnon ab hospitali S. Mariae *della Scala* nuncupatae Lenensis aliud hospitale S. Iacobi, et capellam S. Ioannis Evangelistae prope et extra muros Castri Plebis, quae per gubernatores, administratores et officiales eiusdem hospitalis sanctae Mariae regi et gubernari consueverunt, seu illi forsan unita, vel eius membra existunt ipsorum gubernatorum, administratorum et officialium gubernio, regimine, administratione, superintendentia ac omnimoda iurisdictione et superioritate, eisdem auctoritate et tenore, itidem perpetuo separamus et dismembramus, et seu unionem de hospitali S. Iacobi et capella praedictis eidem hospitali Sanctae Mariae quomodolibet factam, si quae sit, etiam perpetuo dissolvimus.

Mensa episcopalis eiusque dos.

§ 11. Praeterea mensae episcopali Castri Plebis pro eius dotis augmento, et pro tempore existentis episcopi Castri Plebis commodiore substentatione ruralem, et sine cura ecclesiam S. Benedicti dictae dioecesis Castri Plebis, cuius et illi forsan annexi fructus, reditus et proventus cc ducatorum parium, secundum aestimationem praedictam, valorem annuum, ut pariter accepimus, non excedunt, et quam dilectus filius Vinciolus Vincioli rector eiusdem ecclesiae Sancti Benedicti, intimus cubicularius et familiaris noster, ad praesens obtinet, cum primum illam per cessum, etiam causa permutationis, vel decessum seu quamvis aliam dimissionem vel amissionem dicti Vincioli, seu alio quovis modo etiam apud Sedem praedictam, vel extra dictam Curiam, etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium beneficiorum ecclesiasticorum dispositio nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti, seu dictae Sedi, etiam per constitutiones apostolicas seu Cancellariae Apostolicae regulas, ac alias quomodolibet et undecumque reservata existit, ac pro tempore fuerit, seu ordinariis collatoribus etiam per easdem constitutiones et regulas vel litteras alternativarum, alia aut privilegia et indulta eis hactenus concessis, et imposterum concedendis etiam de iure communi, vel alias quomodolibet competentibus et competituris vacare contigerit.

Dos seminario assignata.

§ 12. Seminario autem pro illius fabrica instituenda et pueris alendis, aliisque oneribus supportandis hospitalis Sancti Iacobi et capellae huiusmodi ita tamen, ut omnes illorum fructus, reditus et proventus dicto episcopo Castri Plebis pro tempore existenti, donec unio de dicta ecclesiae Sancti Benedicti suae mensae episcopali facta praedicta suum plenarium sortita fuerit effectum, cedere debeant.

Canonicatibus et parochiis attributa.

§ 13. Nec non pro archidiaconatus ac canonicatuum et praebendarum, necnon parochialium ecclesiarum vicariae et capellaniae per praesentes erectorum et institutorum dote, illosque et illas pro tempore obtinentium congrua substentatione archidiaconatui, videlicet prioratum, seu ecclesiam sanctorum Petri et Pauli huiusmodi, sive praemisso, seu alias quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque

personae, seu per similem resignationem dicti Francisci, vel cuiusvis alterius, de illo seu illa in dicta Curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assequutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, ac prioratus seu ecclesia sanctorum Petri et Pauli huiusmodi dispositioni apostolicae specialiter, vel alias generaliter reservatus seu reservata existat, et super eo seu ea inter aliquos lis, cuius statum etiam praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eius dispositio ad nos hac vice pertineat, cum annexis huiusmodi, ac omnibus iuribus et pertinentiis suis, auctoritate et tenore paribus, etiam perpetuo unimus, annectimus et incorporamus.

Dos sacristae, parochis, aliisque beneficiatis assignata.

§ 14. Ac sacristiae dictae ecclesiae Castri Plebis pro manutentione unius clerici seu presbyteri, qui officium sacristae inibi exerceat Sancti Antonii et Sancti Salvatoris, nec non tribus posterioribus canonicatibus et praebendis, uni videlicet Sanctae Mariae Novellae, alteri vero Puerorum Confraternitatum suppressarum huiusmodi, et reliquo per dictum Iosephum, ut praefertur, donata proprietates et bona quaecumque; parochialibus autem ecclesiis Sanctae Mariae Alborum, Sanctissimi Nominis Iesu, et S. Petri quinquaginta staria grani pro earum qualibet ex dictis decimis, ratione exercitii curae animarum in dicta ecclesiae Castri Plebis, solitis et debitis, necnon vicariae tot, quae ad c scuta cum hoc, quod futurus vicarius ex illis triginta scuta praedicto capellano annis singulis in terminis ad id statuendis durante reservatione dictae pensionis solvere debeat, capellaniae vero postquam reservatio pensionis huiusmodi cessaverit, ut praefertur, tot alia, quae summam dictorum triginta scutorum constituant ex proprietatibus et bonis a prioratu seu ecclesia Ss. Petri et Pauli huiusmodi, ut praefertur, separatis et dismembratis, necnon mensae capitulari eiusdem ecclesiae Castri Plebis pro augmento illius distributionum quotidianarum inter archidiaconatum et singulos canonicos praedictos horis, missis et aliis divinis officiis in dicta ecclesia Castri Plebis personaliter interessentes dumtaxat, iuxta providam ordinationem desuper a loci Ordinario faciendam, dividendarum et repartiendarum; reliquas omnes et singulas decimas huiusmodi ad cc alia staria grani, ut pariter accepimus, ascendentes, auctoritate et tenore praedictis, similiter perpetuo applicamus et appropriamus, ita quod liceat episcopo Castri Plebis ac archidiacono, canonicis, capitulo, rectoribus, vicario et capellano praedictis, necnon dicti seminarii administratoribus pro tempore existentibus prioratus ecclesiarum, hospitalis, capellae, proprietatum, bonorum decimarum, et aliorum per praesentes unitorum, annexorum, incorporatorum, applicatorum et appropriatorum praedictorum, prout ad unumquemque illorum spectat et pertinet, ac spectabit et pertinebit, corporalem, realem et actualem possessionem per se vel alium, seu alios, eorum respective nominibus propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere; illorumque fructus, reditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere et levare, ac in suos, necnon episcopalis et capitularis mensarum Castri Plebis, archidiaconatus, canonicatuum et praebendarum, vicariae, capellaniae, seminarii, et distributionum huiusmodi usus et utilitatem convertere, dioecesani loci, vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita.

§ 15. Decernimus praesentes litteras nullo umquam tempore, etiam ex eo quod praemissa motu proprio, non iustificatis et verificatis eorum seu cuiuslibet eorum causis, ac quod dicta ecclesia Clusinensis ad praesens rectore et proprio defensore careat, emanaverint, neque etiam venerabilis frater noster archiepiscopus Senensis, uti metropolitanus, nec admninistratores et gubernatores hospitalis Sanctae Mariae huiusmodi, seu alii quicumque in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu praetendentes, ad hoc vocati fuerint, nec praemissis consenserint; aut ex quavis alia causa et occasione, et quocumque capite undecumque resultante, vel praetextu, aut quaesito colore de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut adversus illas quodcumque iuris, gratiae vel facti remedium impetrari, seu etiam motu, scientia, et de potestatis plenitudine similibus concedi ullatenus unquam posse; neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium unionum, annexionum, incorporationum, applicationum, appropriationum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus, etiam in crastinum assumptionis cuiuslibet illorum ad summi apostolatus apicem, et alias quandocumque ac sub quibuscumque tenoribus et formis, necnon cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu pari pro tempore emanatis comprehendi, sed semper et omni tempore ab illis omnibus et singulis exceptas, et quoties aliquas contra ipsarum praesentium dispositionem emanare contigerit, sub quibus ipsae praesentes litterae essent, aut viderentur, vel etiam dici possent comprehensae, toties illas in pristinum et validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant statum adversus omnia et quaecumque in contrarium disposita restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes Castri Plebis episcopum, ac archidiaconum, canonicos, capitulum, rectores et alios praedictos quandocumque eligenda, ac eis benevisa concessas et revalidatas, semperque et omni tempore validas et efficaces existere, ac plena et perpetua roboris firmitate subsistere, suosque integros et plenarios effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos quomodolibet spectat et spectabit in futurum, quosque praemissa seu eorum aliqua concernunt et concernent, inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri, illisque in omnibus et per omnia stari; ac ita etiam per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, et de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, necnon quoad prioratum seu ecclesiam sanctorum Petri et Pauli huiusmodi, ac infrascriptas collationem et provisionem, prout est, si attentatum forsan est hactenus, vel imposterum, quo vero ad alia praemissa ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae pro perpetua firmitate huiusce constitutionis.

§ 16. Demum praedicto Francisco apud nos de vitae et morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis mul-

Clemens confert archidiaconatum.

tipliciter commendato horum intuitu specialem gratiam facere volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, archidiaconatum praedictum, cuius, et eiusdem prioratus seu ecclesiae sanctorum Petri et Pauli, ac forsan aliorum illi annexorum fructus, reditus et proventus centum ducatorum auri similium secundum aestimationem praedictam, valorem annuum, ut itidem accepimus, non excedunt, a primaeva illius erectione et institutione huiusmodi apud dictam Sedem vacantem, et de quo etiam, quod nullus praeter nos hac vice disponere potuit, sive potest, reservatione et decreto obsistentibus antedictis, cum annexis huiusmodi, ac omnibus iuribus ac pertinentiis suis eidem Francisco, dicta auctoritate, conferimus, et de illo etiam providemus.

Exequutores deputat.

§ 17. Quocirca dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, et vicariis venerabilium fratrum nostrorum Urbevetanensis et Perusinensis episcoporum in spiritualibus generalibus, per apostolica scripta motu simili, mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte episcopi pro tempore existentis, et capituli Castri Plebis, necnon archidiaconi, rectorum, vicarii, capellani et administratorum seminarii etiam pro tempore existentium praedictorum, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ac singulos, quos ipsae praesentes litterae concernunt, illis pacifice frui et gaudere; non permittentes ipsos seu eorum quempiam per quoscumque desuper quomodolibet indebite molestari; necnon dictum Franciscum (recepto prius ab eo nostrae, et dictae Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, iuxta formam quam sub Bulla nostra mittimus introclusam), vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem archidiaconatus et annexorum, iuriumque et pertinentium suorum praedictorum inducant, auctoritate nostra, et defendant inductum, amoto exinde quolibet detentore, facientes Franciscum vel procuratorem praedictum ad archidiaconatum huiusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius ac annexorum eorumdem fructibus, reditibus et proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi; contradictores quoslibet et rebelles, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna, iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantia tollit.

§ 18. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii PP. VIII, praedecessoris nostri, etiam illa qua caveatur expresse, ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam diaetam a fine suae dioecesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a Sede praedicta deputati extra civitatem vel dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, vel alii, aut aliis vices

suas committere audeant vel praesumant; ac in concilio generali edita de duabus diaetis, et quatenus opus sit, nostra de non tollendo iure quaesito, unionibusque committendis ad partes, vocatis interesse habentibus, et exprimendo annuo valore secundum extimationem praedictam tam beneficii uniendi, quam illius cui fit unio; necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus, universalibus, et aliis conciliis editis et edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiae Clusinensis et hospitalis Senensis ac quorumvis aliorum locorum, et beneficiorum, et a quibus aliqua ex beneficiis supradictis forsan dependentibus iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eorumque praesulibus pro tempore existentibus superioribus, capitulis, gubernatoribus et personis in genere vel in specie, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, seu etiam ad instantiam vel supplicationem imperatoris, regum, ducum et aliorum principum quorumcumque, ac alias in contrarium quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis, confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, vel aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie derogamus, coeterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus, seu concessionibus sibi faciendis de huiusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis, seu hospitalibus in illis partibus speciales vel generales dictae Sedis seu legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per easdem ad prioratum seu sanctorum Petri et Pauli, ac S. Benedicti ecclesias, necnon hospitale S. Iacobi et capellam huiusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assequutionem beneficiorum vel hospitalium aliorum praeiudicium generari; seu si pro tempore existenti episcopo Castri Plebis, et praedictis capitulo, vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem; etiam quibuslibet aliis privilegiis, indultis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum, habenda sit in nostris litteris mentio specialis; proviso quod propter unionem, annexionem et incorporationem nostras praedictas prioratus seu sanctorum Petri et Pauli, et sancti Benedicti ecclesiae, nec non hospitale S. Iacobi et capella huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis, sed eorum congrue supportentur onera consueta.

Appositis amplissimis clausulis,

Cum consuetis provisionibus.

Sanctio poenalis.

§ 19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, suppletionis, erectionis, institutionis, abdicationis, translationis, separationum, dismembrationum, dissolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, applicationum, appropriationum, decretorum, absolutionis, collationis, provisionis, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo primo, quinto idus novembris, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 9 novembr. 1601, pontif. an. x.

CCLXXII.

Mandatur Inquisitoribus contra haereticam pravitatem et locorum Ordinariis, ut eos, qui ad presbyteratus ordinem non promoti, missas celebrant vel sacramentum poenitentiae ministrant, praevia degradatione, Curiae saeculari, debitis plectendos poenis, tradant.

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Paulus IV decrevit ab Inquisitoribus tradendos esse curiae saeculari auctoritatem sacerdotis sibi usurpantes.

Etsi alias felicis recordationis Paulus Papa IV, praedecessor noster, ad nefariam et sacrilegam quorumdam hominum temeritatem coercendam, qui cum ad sacrum presbyteratus ordinem minime promoti sint, sacerdotis tamen auctoritatem sibi temere assumentes missarum celebrationem usurpare, et sacramentum poenitentiae ministrare praesumunt, decreverit huiusmodi delinquentes a Sanctae Inquisitionis iudicibus tradi debere curiae saeculari debita animadversione puniendos:

Sixtus V illud innovavit.

§ 1. Et postea recolendae memoriae Sixtus Papa V, etiam praedecessor noster, praedictum Pauli IV decretum innovari, ac serio observari mandaverit, eo tamen dictorum hominum prorupit audacia ut, praetextu ignorationis huiusmodi decretorum ac poenarum, contra ipsos, ut praefertur, inflictarum, illis se minime subiacere et obnoxios esse putent, ac propterea se ab eisdem liberari et absolvi posse praetendant:

Hic modo Pontifex eorum criminis gravitate pensata,

§ 2. Nos igitur animadvertentes huiusmodi perditos et nefarios homines ad sacrum presbyteratus ordinem non promotos, missarum celebrationem usurpare praesumentes, non solum actus idololatriae, saltem extrinsece, seu per externa et visibilia religionis et pietatis signa exercere, sed etiam, quantum in ipsis est, efficere ut christifideles, qui credunt eos ordinatos esse et rite conficere sacramentum Eucharistiae, idololatriae crimen ignoranter incurrant, purum videlicet panem et vinum, tamquam verum Christi Domini nostri corpus et sanguinem eisdem adorandum proponentes, confessiones autem audientes, non solum sacramenti Poenitentiae dignitatem contemnere, verum etiam christifideles decipere, dum scilicet inique sibi assumunt gradum sacerdotalem et auctoritatem absolvendi a peccatis, magno cum periculo et scandalo plurimorum:

Eosdem ab Inquisitoribus vel Ordinariis degradatos, curiae saeculari debitis poenis plectendos tradi decernit.

§ 3. Propterea, ut gravissima haec scelera committentes posthac debito supplicio puniantur, motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, Sanctae Inquisitionis iudicum conscientiae consulere, et ne in futurum de poena hisce delinquentibus imponenda dubitari possit, providere volentes, supradictorum praedecessorum nostrorum

vestigiis inhaerentes, hac perpetuo valitura constitutione, decernimus atque statuimus, ut quicumque non promotus ad sacrum presbyteratus ordinem repertus fuerit missarum celebrationem usurpasse, vel sacramentalem confessionem audivisse, a iudicibus Sanctae Inquisitionis vel locorum Ordinariis, tamquam Ecclesiae misericordiae indignus, a foro ecclesiastico abiiciatur, et ab ordinibus ecclesiasticis, si quos habuerit, rite degradatus, statim curiae saeculari tradatur per iudices saeculares debitis poenis plectendus.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac in conciliis etiam generalibus editis, etiam in corpore iuris clausis. Quibus omnibus et singulis, illarum tenores pro sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Hanc constit. publicari praecipit.

§ 5. Ut autem huiusmodi constitutionis ignorantia de caetero allegari aut praetendi numquam possit, atque praesentes litterae omnibus innotescant, volumus illas ad valvas S. Ioannis Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe basilicarum, et in acie Campi Florae, more solito, publicari et affigi, atque iis inde amotis, earumdem exempla etiam impressa ibi affixa relinqui; factaque huiusmodi publicatione, omnes qui in Urbe post mensem, qui vero extra eam et citra montes, post quatuor menses, qui demum ultra montes fuerint, post decem menses a die publicationis praesentium computandos, afficere et arctare, ac si eorum cuilibet personaliter intimatae fuissent.

Transumptis illius credi mandat.

§ 6. Ac praeterea mandamus earumdem praesentium litterarum exemplis, etiam impressis, et manu notarii publici subscriptis, et sigillo Officii Sanctae Romanae Inquisitionis, vel alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus fidem haberi, quae hisce praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die prima decembris millesimo sexcentesimo primo, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die prima decembris 1601, pontif. an. x.

CCLXXIII.

Octo decimas super fructibus beneficiorum ecclesiasticorum in dominio Venetorum existentium imponit pro eorum republica in subsidium expensarum belli contra Turcas [1].

Venerabili fratri Offredo episcopo Melphitenensi moderno, nec non pro tempore existenti nostro et Sedis Apostolicae in dominio Venetorum nuncio

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Turcarum furorem, ut nonnullas christianas regiones vi occupent, astutiamque, ut caeteri in torpore iaceant, recenset Clemens:

§ 1. In suprema pastoralis officii et dignitatis apostolicae specula, non meritis nostris, sed divina bonitate et clementia constituti, quasi in continua vigilia iam inde usque ab initio pontificatus nostri manentes, non modo aperta et imminentia catholicae Ecclesiae pericula, verum etiam occultas christiani nominis hostium insidias et remotissima quaeque mala prospicimus, ac summa Christi Domini ope et auxilio nixi, qui sponsam suam Ecclesiam sanctam in umbra manus suae protegit, omni cogitatione curaque incumbimus, ut adversa omnia procul a populo christiano, adhibitis tum nostris tum aliorum principum viribus, arceamus. Nam cum multa graviaque adversus rempublicam christianam bella ab inimicis

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

crucis Christi superioribus saeculis gesta sint, nullum tamen atrocius ac periculosius belli genus unquam extitit hoc uno, quo crudelissimus Turcarum tyrannus christifideles magnis opibus, copiis et fraudolentis artibus eodem tempore oppugnat. Siquidem ipse aut dictis maximis exercitibus in amplissimas regum et principum christianorum provincias, eos summa vi e suis regnis et ditionibus eiecit, sacra omnia profanavit, ac religionis christianae cultum ibidem prorsus dissipavit; aut simulata pace falsique foederis pactione quosdam sibi dolose conciliavit, atque a bello et armorum exercitatione abduxit; idque hac praecipue calliditate et astutia, ut dum ipse aliis continuum bellum infert, ii qui dulcedine pacis capti sunt, otio et luxu diffluant, suas opes inutiliter absumant, atque intermisso armorum studio, et longa belli desuetudine, omnem disciplinam artemque militarem amittant; quos ipse tandem improviso, nulla pactionis habita ratione, pro sua dominandi libidine, incautos aggrediatur, atque militibus copiisque imparatos opprimat. Quantum autem ea in re insit odii et perfidiae, facile omnes intelligere existimamus, cum in hoc suavi pacis poculo lentum atque amabile quietis et otii venenum instillat, quo scilicet eos iam sibi foederis vinculo alligatos ita conatur inficere et sensim enervare, ut ii, sopita omni virtute bellica, lethali torpore fracti et languentes, neque se paulatim iterire sentiant, neque eius viribus obsistere ullo modo possint.

§ 2. Quocirca nos eiusdem atrocis ac versuti tyranni vim et dolos iamdiu ante praevidentes, et certam spem ac fiduciam in Domino habentes (qui conterit fortitudinem regni gentium, quique apprehendit sapientes in astutia eorum, et consilium pravorum dissipat), summis ab Eo precibus postulavimus, ut daret nobis consilium et vires, quibus eius potentiae ac fallaciis occurrere, et inusitatum furorem cohibere possemus. Et quidem nos hoc ipso et superioribus annis numerosum exercitum ex ditionis nostrae Ecclesiasticae militibus conflatum, summa et viribus nostris plane maiore impensa, in Hungariam iam tertio misimus, ac principes christianos universos pia cohortatione invitavimus ad violentos importunissimi hostis incursus suis opibus et copiis acriter et strenue repellendos.

Quantum autem ipse elaboraverit ut foedus christianorum principum in eum constitueret.

§ 3. Ut vero eiusdem quoque fraudibus et iniquis machinationibus prudenter et caute repugnaremus; nos eos principes christianos, quos ille fallaci foedere sibi obstrinxit, hac in re amanter et paterne monuimus, ut impendentia damna praecaventes, se quam primum ab infida illius societate seiungerent, praecipue vero nobilissimam rempublicam Venetorum (quae post saevissimum bellum superioribus annis gestum, pace cum eo inita, quasi ab omni armorum metu libera conquievit) pro nostro pastorali munere semper hortati sumus, ne se nimia istius pacis securitate falleret, sed ut interim suis rebus sapienter ac provide consuleret, arces, portus et oppida firmissimis praesidiis muniret, et, omni belli apparatu undique conquisito, se quam diligentissime adversus illius impetus compararet. Quae pro sua singulari prudentia et vigilantia non modo nostris monitis, verum etiam sua sponte suoque iudicio excitata, ut accepimus, proprias ditiones et provincias diligenter firmavit, munitis terra marique portubus et oppidis, novisque extructis arcibus, tum ad nefarios illius conatus reprimendos, tum ad suam et totius Italiae quietem ac tranquillitatem conservandam.

Veneti PP. monitis obtemperantes arces, portusque munierunt et exercitum pararunt.

§ 4. Cum vero ingentes sumptus ea in re necessarii essent, nos Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum,

Eis decimam super bonis ecclesiasticis concessit Pontifex.

vestigiis inhaerentes, ante quinquennium eam rempublicam id a nobis enixe flagitantem, ecclesiasticis auxiliis, prompto libentique animo adiuvimus, nonnullis videlicet decimis ex fructibus et reditibus regularis et saecularis cleri dominii Venetorum in eosdem usus ad certum tempus attributis.

Causas refert novas pro republica Veneta decimas imponendi.

§ 5. Et quoniam, sicut intelleximus, ea respublica quiescendi commoditate et armorum intermissione non ad otium et inertiam utitur, sed, ut decet, ad ornamenta pacis et belli subsidia comparanda, et ad christianae religionis ac catholicae fidei integritatem in suis ditionibus tuendam; nos eam peculiari benevolentia semper prosequuti sumus, eique propterea omnibus auxiliis, quibus maxime possumus, iterum opitulari decrevimus, in quo non solum eius unius saluti, verum etiam multorum incolumitati consulimus. Nam cum ipsa sit magnum totius Italiae ornamentum ac firmissimum maris Adriatici propugnaculum, certe nullum ea detrimentum a communi hoste accipere posset, quod non illico in universam Italiam redundaret. Quamobrem aequum et rationi consentaneum est, nos eidem reipublicae id nobis denuo supplicanti eodem, quo ante, subsidio, aliquot nimirum decimis (quando nullâ hoc tempore subministrandae pecuniae ratio melior suppetit) ex fructibus et reditibus totius cleri eiusdem status Venetorum subvenire. Et quidem eo libentius id facimus, quod in spem veniamus, ut ea respublica, hac testificatione paternae voluntatis erga se nostrae, ad pristinos belli spiritus resumendos excitetur, atque hisce nostris et Sedis Apostolicae auxiliis freta, omnem occasionem arripiat discedendi ab illius tyranni amicitia, eique bellum inferendi: hoc scilicet consilio, ut dum ille a multis principibus christianis variis in locis fortiter oppugnatur, ac civilibus suorum discordiis et finitimarum gentium bellis distinetur, ipsa quoque maritimis copiis eumdem invadat, atque ita fiat ut ille, communibus christianorum armis, ab Europae finibus aliquando detrudatur. Quod quidem nos multis a Deo votis optantes dudum precati sumus, ut nimirum christiana religio et fides catholica, pulsis vanae superstitionis erroribus, ibidem restituatur, et ea republica aliique principes christiani suas ditiones ac regna sibi violenter ab eodem erepta recuperent, et vera pace ac secura tranquillitate perfruantur.

Octo decimas super bonis ecclesiasticis imponit, quae in subsidium eiusdem cedant.

§ 6. Gravissimis igitur et iustissimis hisce causis iam pridem per felicis recordationis Sixtum V et Gregorium XIV, Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos probatis adhuc durantibus, quinimo aliis hoc tempore urgentibus rationibus, id ipsum suadentibus, motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, nostris, tenore praesentium, indicimus atque imponimus octo decimas integras omnium et quorumcumque fructuum, redituum et proventuum quarumcumque ecclesiarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitularium et conventualium, prioratuum quoque, praeposiurarum, praepositatuum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, etiam maiorum ac principalium, personatuum, administrationum et officiorum caeterorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura saecularium ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniancensis, Cistercensis, Praemonstratensis, S. Basilii, Silvestrinorum, et qui proprietates reditusque certos ex privilegio apostolico vel alias possident, mendicantium et quorumvis aliorum Ordinum utriusque sexus, et Congregationum (non tamen earum quae inferius descriptae sunt) ac militiarum

regularium in universo dominio dictae reipublicae Venetorum existentium.

Ac alias decimas omnium et quarumcumque pensionum annuarum, super fructibus, reditibus et proventibus supradictis assignatarum et assignandarum, ab omnibus et quibuscumque patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac caeteris cuiuscumque status, gradus, dignitatis, conditionis personis (exceptis dumtaxat venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, nec non dilectis filiis fratribus hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, ac fratribus Mendicantibus praedictis, ac insuper beneficiis ecclesiasticis Officio Sanctae Inquisitionis haereticae pravitatis in dicto dominio instituto unitis, annexis et applicatis, quos cardinales ac fratres hospitalis praefati, et beneficia praedicto Inquisitionis Officio unita in totum; fratres vero Mendicantes pro medietate dumtaxat ab eisdem decimis et illarum solutione immunes et exemptos esse volumus et decernimus), ecclesias, monasteria et beneficia, ac pensiones seu fructus, aut illorum partem huiusmodi in eodem dominio quocumque iure et titulo obtinentibus et obtenturis, nec non ab universis etiam oeconomis, commendatariis atque administratoribus perpetuis et temporalibus usufructuariis, similiter fructus omnes, vel illorum partem loco pensionum annuarum, vel pensiones et alia huiusmodi iura ex quacumque causa, auctoritate apostolica, in toto vel in parte reservata habentibus et habituris, sive saecularibus sive quorumcumque ordinum, congregationum, et militiarum praedictorum regularibus, et ab ipsis etiam ecclesiis, capitulis, conventibus, ordinibus, congregationibus, personis, collegiis, militiis, massis et locis praedictis (quacumque amplissima et firmissima exemptione et immunitate reali, personali vel mixta, antiqua et immemorabili, pacifica et continua etiam ex titulo quantumvis oneroso suffultis) integraliter et cum effectu numerandas, persolvendas et consignandas.

Ac alias decimas octo super pensionibus, nonnullis factis exceptionibus.

§ 8. Ulterius supradictis de causis, ac exemplo dictorum Sixti et Gregorii praedecessorum adducti, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, imponimus et indicimus quatuor decimas, ac insuper dimidiam alterius decimae omnium et quorumcumque fructuum, reditum, proventuum ad Cassinensis, alias S. Iustinae de Padua, Lateranensis, Cartusiensis, Montis Oliveti, S. Salvatoris, Camaldulensis, S. Mariae Vallisumbrosae, S. Georgii in Alga Venetiarum, Caelestinorum, Cisterciensium Provinciae Lombardiae, Cruciferorum, et S. Hieronymi Congregationes, earumque monasteria, abbatiales vel conventuales, aut alias, mensas, prioratus, praeceptorias, praeposituras, beneficia et officia cum cura et sine cura, membra, grangias et alia loca illis annexa in dicto dominio consistentia, quovis modo pertinentia, solvendas etiam per ipsas Congregationes, earumque superiores, abbates, priores, praepositos, conventus, capitula et personas, ultra subsidium montis religionis, seu quadrigentorum millium scutorum, et quarta partis eorumdem fructuum, redituum et proventuum, et alia onera, quae per Sedem Apostolicam eis imposita, aut alias persolvunt, seu persolvere promiserunt, similiter numerandas, et persolvendas, et consignandas, secundum verum annuum valorem fructuum, redituum et proventuum praedictorum, et ad hunc effectum; licet felicis recordationis Pius Papa V praedecessor noster, nonnullis tunc causis adductus, et novissime nos etiam ex aliis tunc expressis causis, easdem Congregationes a decimis super fru-

Quatuor decimas et dimidiam imponit super congregationibus monasticis, quae compositionem iniere sub Pio PP. V.

ctibus et reditibus ecclesiasticis deinceps ubivis, etiam in dominio Venetorum, et ex quacumque causa imponendis, liberas et immunes fecerimus, pari motu, scientia, auctoritate ac de apostolicae potestatis plenitudine, quoad fructus, reditus et proventus ad ipsas Congregationes, et quamlibet earum in dicto dominio Venetorum spectantes, immunitates, exemptiones ac omnes et quoscumque contractus, scripturas, conventiones, transactiones, concordias, pacta, instrumenta, obligationes, etiam in forma Camerae Apostolicae, ac iuramento vel alia quavis firmitate roborata, praesertim inter Pium praedecessorem ac nos et Cameram Apostolicam, et pro ea S. R. E. camerarium vel thesaurarium generalem, aliosve quoscumque tunc existentes, et eiusdem Camerae ministros, quantumvis ampla et sufficienti facultate ad praemissa facienda suffultos ex una, et Congregationes ultimo dictas, illarumve procuratores ex altera partibus, ac omnia et quaecumque privilegia, indulta, libertates, exemptiones, immunitates hac de causa in hunc usque diem eisdem Congregationibus, etiam ex causa et titulo oneroso concessa, hac vice dumtaxat, ac ex causis supradictis suspendimus, ac ipsis Congregationibus quoad quatuor decimas et dimidiam praedictas hac vice, ut praefertur, suffragari nolumus, illa vero alias in suo robore permanere decernimus: ipsasque Congregationes, quas etiam dolentes et inviti, sed ex gravissimis causis praedictis, denuo quatuor ac dimidia decimis huiusmodi oneramus (cum caeteris saecularibus ac regularibus clericis personis eiusdem dominii Venetorum octo, ut praefertur, indixerimus) tali nostrae impositioni acquiescere, ac tacitas et contentas esse volumus.

§ 9. Universas vero et singulas personas praedictas, quavis auctoritate vel dignitate fungentes, tam supradictas ecclesias, monasteria et beneficia quomodolibet obtinentes, ac pensiones seu fructus, aut eorum partem sibi, ut praefertur, reservatas percipientes, quam ultimo dictas Congregationes et eorum unumquemque, tam coniunctim quam divisim, ad huiusmodi decimas in quatuor annis, binas videlicet decimas dumtaxat quolibet anno, et quoad ultimo dictas Congregationes singulas tantum decimas cum una octava parte alterius decimae; quoad dictos autem fratres Mendicantes singulas similiter decimas quotannis, durante quadriennio, a data praesentium nostrarum litterarum computando, et, ut sequitur, finiendo in certis terminis per te praefigendis, integre persolvendas efficaciter teneri, et vere obligatos esse, eisdemque pensionariis, aut eorum alicui pensiones annuas praedictas quantumlibet exemptas, et sub quibuslibet obligationibus, etiam in forma Camerae, et iuramento etiam de non contraveniendo, ac forsan de non impetrando gratias nostras contra eos, et de non utendo concessis firmatas, aut alias vallatas, et forsan aliis cautelis et decretis munitas causam donationis super eisdem fructibus et pensionibus, etiam medio cedularum banchi, seu in forma depositi habentibus, et intra quatuor annos praedictos habituris, etiam si ipsi, a quibus pensiones huiusmodi solvendae sunt, iuri et actioni petendae vel retinendae portionis aut ratae partis pensionarios tangentis iureiurando renunciaverint, ulla privilegia aut indulgentias, sub quacumque verborum forma aut expressione concepta, quoad hoc nullatenus suffragari volumus.

Modum ratasque huiusmodi persolvendi decimas designat.

§ 10. Sicque, et non aliter, in praedictis universis et singulis, per quoscumque iudices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, in quavis

Clausulae.

causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, necnon si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Exactores deputat, statuto eis praemio bis mille scut.

§ 11. Ut autem huiusmodi decimae facilius exigantur, fraternitatem tuam, ac venerabiles fratres patriarcham Venetiarum et episcopum Vicentinum ad dictas decimas exigendas, ducique et dominio praedictis, sive eius ministris ad id specialiter deputatis statim, nulla interposita mora, et sine aliqua prorsus diminutione, vel retentione, aut detractatione, etiam non detractis quinque pro centenario Camerae nostrae praedictae in exactione talium decimarum applicari consuetis, integre consignandas, earum decimarum collectores et exactores per praesentes constituimus et deputamus, ac tibi et patriarchae Venetiarum, ac episcopo Vicentinensi pro onere, quod in exactione dictarum decimarum sustinebitis, duo millia scuta auri in auro, ex eisdem decimis detrahendi, et illorum medietatem inter vos pro aequali portione, et quolibet anno eiusdem quadriennii pro rata distribuendi et dividendi; reliquam vero medietatem subcollectoribus et aliis exactoribus et procuratoribus ad easdem decimas colligendas deputatis, etiam quolibet anno pro rata, habita ratione laboris et amplitudinis cuiusque civitatis et dioecesis, loco salarii seu stipendii et mercedis, assignandi et distribuendi; ita tamen ut non quotannis huiusmodi duo millia scuta, sed in toto quadriennio integra summa eorumdem duorum millium scutorum pro rata quolibet anno detrahantur, et tam vos et vestrum quilibet, quam ipsi subcollectores et alii praedicti, ratione fructuum ecclesiarum, quibus nunc praeesse dignoscimini, aut in posterum praefici, vel beneficiorum obtentorum aut quae obtinere, nec non fructuum, vel pensionum reservatarum et assignatarum (quas et quos vobis assignari posthac contigerit) decimas ipsas pro vestra et illarum rata, et illorum quemlibet tangente, integre et realiter persolvere omnino teneamini, et dicta assignatione et distributione contenti esse debeatis, nec quidquam aliud vos et vestrum quilibet praetendere possitis.

Facultates necessarias eis impertitur.

§ 12. Tibi et aliis praedictis, a dictis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, commendatariis, administratoribus, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus et aliis personis, supra expressis exceptis, easdem decimas, ut praefertur, per nos impositas petendi, exigendi et colligendi, eisque tam in genere quam nominatim, et in specie, ut illas solvant, sub privationis beneficiorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum, aliisque, prout vobis videbitur, poenis etiam pecuniariis; ac demum per sententias et censuras ecclesiasticas mandandi et percipiendi, ac pro earum decimarum faciliori exactione unum vel plures subcollectores, qui si in dignitate ecclesiastica constituti sint, pari ac tu, vigore praesentium, facultate fungantur, per locorum Ordinarios in unaquaque civitate, dioecesi et loco sibi subiecto pro tempore deputatos approbandi, etiamsi qui ex ipsis Ordinariis, intra aliquem brevem terminum vestro arbitrio praefigendum, viros idoneos ad id deputare neglexerint, tibi etiam sine illorum consensu vestro arbitrio illos libere deputandi, et deputatos amovendi, aliosque eorum loco, toties quoties tibi videbitur, substituendi et subrogandi, ac solvere recusantes et differentes, ac generaliter contradictores quoslibet et rebelles, et ne decimae huiusmodi solvantur persua-

dentes, directe vel indirecte, per ipsas censuras ecclesiasticas, et alia opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, auxiliumque brachii saecularis contra eos ad hoc, si opus fuerit, invocandi; solventes vero de solutis quietandi et liberandi, a censurisque et poenis, quas dicta occasione quomodolibet incurrerint, absolvendi, et generaliter omnia et singula alia in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, ordinandi, mandandi et exequendi plenam et liberam, auctoritate et tenore praedictis, facultatem concedimus et potestatem.

Contraria tollit.

§ 13. Non obstante regula nostra de non tollendo iure quaesito, ac aliis quibusvis apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si ipsis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, electis, administratoribus, commendatariis, abbatibus, prioribus, praepositis, capitulis, conventibus, congregationibus et aliis personis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod ad solutionem alicuius decimae non teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu, extra vel ultra certa loca, ad iudicium evocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de iudicio huiusmodi mentionem; et quibuslibet aliis privilegiis et exemptionibus, etiam in corpore iuris clausis, ac litteris apostolicis quibuscumque dignitatibus, seu Ordinibus specialiter vel generaliter sub quacumque verborum forma expressis, etiamsi motu proprio, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac consistorialiter, ac etiam in vim contractus emanaverint, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ad verbum habenda esset mentio specialis, quae eis quoad praemissa nolumus in aliquo suffragari.

Vasa sacra loco pignoris capi vetat.

§ 14. Volumus autem quod, iuxta ordinationem in Concilio Viennensi super hoc editam, calices, libri et alia ornamenta ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum et aliorum piorum locorum divino cultui dicata, ex causa pignoris vel alia occasione solutionis decimarum huiusmodi, nullatenus capiantur, distrahantur vel occupentur.

Transumptisque credi iubet.

§ 15. Quodque praesentium litterarum transumptis, tuo vel alicuius praelati ecclesiastici sigillo, et publici notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides habeatur in iudicio et extra, quae ipsis originalibus litteris haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die xx decembris MDCI, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 20 decembris 1601, pontif. an. x.

CCLXXIV.

Confirmatio privilegiorum hospitalis Domus Dei parisiensis, cum nonnullarum aliarum gratiarum concessione [1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Divina clementia disponente, Eius, qui immobilis permanens, sua providentia mirabili, suo ordine dat cuncta moveri, in Apostolicae Sedis cathedra, meritis licet imparibus, constituti, ex commissi nobis eadem clementia desuper pastoralis officii debito, cura piorum locorum quorumlibet, praesertim hospitalium, xenodochiorum, ac pauperum et aliarum miserabilium personarum in eis pro tem-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

pore charitative introductarum, statum et commoda, et eo propensius, dum saeculares ad id prospicimus intendere principes (orthodoxae veluti fidei zelatores, et piorum operum amatores) nostrae considerationis aciem dirigimus, ac dispendiis et indemnitatibus occurrere, et profectibus eorum consulere satagentes, his, quae pro ipsorum hospitalium et xenodochiorum laudabili succursu et gubernio, et eis a Romanis Pontificibus concessorum conservatione privilegiorum, processerunt, ut in perpetuum eo firmius illibata perdurent, quo frequentiori Sedis Apostolicae fuerint praesidio pro tempore roborata, nostrae approbationis adminiculum impendimus, ac hospitalia et pia loca huiusmodi, et eorum ecclesias, ut a christifidelibus pro devotionis revivi-scentia, et suorum expiatione delictorum, et exinde salutis suae conservatione merito venerantur, indulgentiarum prosequimur impendiis, et alias in his dicti officii nostri partes favorabiliter interponimus, dum pro pauperum et aliarum personarum praedictarum diligenti cura, alimonia et solamine, id conspicimus in Domino salubriter expedire.

Sixtus IV nonnulla privilegia huic hospitali concessit,

§ 1. Sane charissimus in Christo filius Henricus Francorum et Navarrae rex christianissimus, tam suo quam dilectorum filiorum praepositi mercatorum et scabini civitatis Parisiensis et syndici et gubernatorum, necnon administratorum et magistrorum, et fratrum et sororum hospitalis *Domus Dei* nuncupati, etiam Parisiensis nominibus, nobis nuper exponi fecit, quod dudum felicis recordationis Sixtus Papa IV, praedecessor noster, per eum, ex relatione clarae memoriae Ludovici dum vixit Francorum regis christianissimi, accepto, quod hospitale huiusmodi (quod Sanctus Ludovicus eorumdem Francorum rex in singulare paupertatis refugium, sub invocatione S. Ioannis Evangelistae, construi et aedificari fecerat, ut inibi centum et quadraginta personae utriusque sexus Domino servientes fratres, sorores ac ministros nuncupatos, qui S. Augustini regulam observarent, laudabiliter instituerat, sapienterque ediderat, ut partim eorum per dies ac noctes, missis et etiam horis canonicis celebrandis intenderent, partim vero pauperibus, infinitis morborum generibus respersis vacarent, cum inibi viduae, pupilli, gravidae, puerperae, senio confecti foverentur; et vulneribus confracti, ut mentis compotes evaderent, vel mortui misericorditer sepelirentur, spiritualibus alimentis indigebat; iis seu certis aliis ex causis adductus, hospitale, ac illius Ecclesiam certis anni diebus visitantibus, nec non confraternitati sanctorum Ioannis Baptistae et Nicolai episcopi et confessoris, ac sanctarum Agnetis et Ceciliae virginum et martyrum, in eadem Ecclesia fundatae, illiusque pro tempore existentibus confratribus, nonnulla privilegia, praerogativas et alias gratias, diversis temporibus concessit et elargitus fuit, eaque postmodum, et alia privilegia, et indulta a piae memoriae Nicolao V et Calixto IV, Romanis Pontificibus, etiam praedecessoribus nostris, ac etiam a Sede Apostolica, non obstante quacumque similium privilegiorum et indultorum postea emanata revocatione, eidem hospitali concessa, et successive recolendae memoriae Innocentius VIII et Alexander VI, ac Iulius II, necnon Leo X, ac Clemens VII et Pius IV, etiam Romani Pontifices, similiter praedecessores nostri, praemissa omnia a suis respective praedecessoribus concessa, apostolica auctoritate, approbaverunt et confirmaverunt, et alia de novo etiam concesserunt et elargiti fuerunt, etiam respective, prout in singulis singulorum praedecessorum praedictorum

Quae successores Pontifices confirmarunt.

desuper confectis litteris plenius continetur.

Henricus IV eadem confirmari petit a Clemente.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in supradicto hospitali, inter caetera, non solum totius regni Franciae, sed etiam universi orbis christiani hospitalia, pauperes utriusque sexus, copiosiori admodum numero, omnibus morborum generibus oppressi, ac multoties viduae, pupilli, gravidae, puerperae et senio confecti huiusmodi confoveantur, et quidquid auxilii et charitatis indigenti conferri potest, ibi procul dubio ministretur; illud autem ob multitudinem pauperum et infirmorum eo in dies confluentium, ac ultra dictas centum et quadraginta personas professas inibi, ut praefertur, deservientes, magnum aliorum eius ministrorum numerum, maximis, et quam illius annui ferunt reditus, longe maioribus indigeat subventionibus, praedictus Henricus rex, qui praelibati Sancti Ludovici regis (a quo, ut dictus Henricus rex asserit, et eius regali et christiano stemmate, et prosapia, originem ducit) vestigia amplectens, ad dictum hospitale singularem gerit devotionis affectum, nominibus supradictis, nobis humiliter supplicari fecit, quatenus omnia et singula privilegia, indulta, libertates, immunitates et gratias concessas huiusmodi, etiam nostro, et eiusdem Sedis patrocinio communire, ac illis perpetuae firmitatis robur adiicere, ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Rata habet Clemens.

§ 3. Nos igitur, qui ad ea, per quae hospitalia et pauperes, ac miserabiles et aliae indigentes personae in suis necessitatibus sublevari, et eorum indemnitati magis consuli valeant, solertiae nostrae aures libenter convertimus, praedicti Henrici regis pium desiderium in praemissis plurimum in Domino commendantes, ipsosque praepositum, et scabinum, ac syndicum et gubernatores, ac administratores, necnon fratres et sorores, ac illorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, singulorum quoque privilegiorum, indultorum et litterarum praedictarum tenores, praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula privilegia, indulta, libertates, immunitates et gratias a praedecessoribus praedictis, dicto hospitali, illiusque magistro, administratori, confratribus, sororibus, nunciis et benefactoribus concessa et elargita, licita et honesta, sacrisque canonibus, et Concilii Tridentini decretis minime contraria, nec sub ulla revocatione comprehensa, et in usu existentia dumtaxat, dicta auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, omnesque, et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, illaque valida et efficacia fore et esse, viribusque et effectu, etiam perpetuo subsistere decernimus.

Permittit administratoribus, ut eleemosynas per deputatos colligant.

§ 4. Et insuper praedictis, et pro tempore existentibus dicti hospitalis syndicis, gubernatoribus, administratoribus, ac magistro et fratribus, ut de caetero perpetuis futuris temporibus eleemosynas, et quaecumque charitativa subsidia, per personas honestae vitae ab eis pro tempore deputatas, ad usum eiusdem hospitalis eiusque pauperum in universo regno Franciae, et etiam singulis illius provinciis, civitatibus, terris, oppidis, burgis et locis, perquiri et colligi facere, et

ad hunc effectum, quatenus id sit in usu, in ecclesiis, monasteriis et domibus regularibus, etiam Ordinum Mendicantium, et aliis locis et terris eiusdem regni, capsas et truncos pro dictis eleemosynis recipiendis et conservandis, apponere et collocare, dictasque eleemosynas recipere et levare possint et valeant.

Conditiones servandas in huiusmodi collectione indicit.

§ 5. Ita tamen, quod ipsi syndici, gubernatores, administratores, magister, ac fratres, et ab eis, ut praefertur, deputatae personae, per locorum Ordinarios, seu eorum vicarios in spiritualibus generales, nec non fabricae Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, Cruciatae Sanctae, et Ordinis S. Mariae Redemptionis Captivorum deputatos, vel quoscumque alios, quavis auctoritate fungentes, molestari, perturbari vel inquietari nullatenus umquam possint, dummodo personae ad collectiones eleemosynarum huiusmodi pro tempore deputatae, eo munere, sine dolo et modeste, fungantur; questorum nomen non gerant, nullas indulgentias divulgent, nec per se nec per alios praedicent, privilegia sua non ostentent, reliquias, chartas, imagines aliave similia ad fideles excitandum, aut ulla instrumenta, quaedam questorum insignia non circumferant, minas et imprecationes ad extorquendum pecunias, aut alia bona non intentent, nec quasi debitum et consuetum petant, nulla arte utantur, sed simpliciter, pie ac modeste pro subventione dicti hospitalis petendo, quod sponte offertur, tantum recipiant, nullamque super dictis eleemosynis, quovis nomine, conventionem, etiam in dicti hospitalis utilitatem, faciant, auctoritate et tenore praedictis, similiter perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 6. Decernentes irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores praesentis constitutionis designat.

§ 7. Quocirca dilectis filiis Parisiensi et Meldensi, ac Aurelianensi officialibus per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Henrici regis, et praedictorum, ac pro tempore existentium praepositi et scabini, necnon syndici et gubernatorum, ac administratorum magistrorumque, et fratrum, et sororum hospitalis huiusmodi, seu alicuius eorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras, et in eis contenta huiusmodi, firmiter et inviolabiliter observari, et singulos, quos litterae ipsae concernunt et concernent in futurum, illis pacifice frui et gaudere: non permittentes ipsos vel aliquem eorum desuper per quoscumque, quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari: contradictores quoslibet et rebelles, per censuras et poenas ecclesiasticas, et caetera opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras ac poenas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac similis memoriae Bonifacii Papae VIII, itidem praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur: necnon sanctae memoriae Pii Papae V, pariter praedecessoris nostri, similium gratiarum revocatoria, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum quod interdici,

vel suspendi non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Christifidelibus hospitalis ecclesiam visitantibus nonnullas concedit indulgentias.

§ 9. Caeterum, ut dicta ecclesia in debita veneratione a christifidelibus habeatur, et congruis frequentetur honoribus, necnon iidem christifideles, ex devotionis causa, ad ipsam ecclesiam visitandam magis invitentur et confluant, quo exinde dono coelestis gratiae conspexerint et sciverint se uberius esse refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam in Circumcisionis Domini nostri Iesu Christi, et Nativitatis Beatae Mariae Virginis huiusmodi festivitatum diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis, devote visitaverint, et inibi pro pace inter principes christianos conservanda, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, et haeresum extirpatione, pias ad Deum preces effuderint, quibus diebus praedictis id fecerint, si sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, indulgentiam plenariam, similiter perpetuo duraturam, et omnium peccatorum suorum remissionem, eisdem auctoritate et tenore, misericorditer in Domino etiam concedimus et relaxamus.

Ordinariis locorum praecipit ut inquirant super observantia legum eleemosynarum collectoribus iniunctarum.

§ 10. Volumus autem quod, pro praemissorum praecisa observatione, non solum ex aliorum delatione, sed ex suo etiam officio Ordinarii locorum inquirant, si quae fraus, praesertim adversus leges eis praescriptas ab ipsis constitutionibus, committatur; quod si reos vere compererint, publice, pro modo culpae, arbitrio suo puniant, eosdem statim a collectione amoveant, aliosque, qui boni idonei sint, a dictis superioribus eurent sufficiendos.

Clausula quoad indulgentiarum concessionem.

§ 11. Praeterea etiam volumus quod si dictae ecclesiae aliqua alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum, duratura, per nos concessa fuerit, eaedem praesentes litterae, quoad indulgentias per eas concessas, nullius sint roboris vel momenti.

Fides danda transumptis.

§ 12. Quodque earumdem litterarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides adhibeatur in iudicio et extra, ubique locorum, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, suppressionis, concessionis, indulti, decreti, mandati, relaxationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum Eius, se noverit incursurum [1].

CCLXXV.

Zecchàm publicam in civitate Ferrariensi institui permittit, in qua cudantur monetae, praevia facultate S. R. E. camerarii, nec non eiusdem comitatus legati [2].

1 Deest nota chronologica: sed hanc constitutionem datam fuisse anno x pontificatus Clementis ex eo evincitur, quod legatur in regestro eiusdem anni, et quidem pag. 559. Sub idem tempus Clemens Papa, constitutione data die XI augusti MDCI, quae incipit: *Ad Romani Pontificis* cassavit decretum quoddam, seu statutum Capituli Oriolensis, quo cavebatur ne Fratres Ordinum Mendicantium infirmorum confessiones exciperent, et defunctorum corpora ad sepulturam associarent. Quam quidem constitutionem legere est in *Bullario Ordinis Praedicatorum*, tom. v, pag. 596.

2 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Dilectis filiis communitati et hominibus civitatis nostrae Ferrariensis

Clemens Papa VIII.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Sincerae devotionis et fidelitatis obsequia, quae erga nos et Sedem Apostolicam gerere comprobamini, promerentur ut vos specialibus favoribus et gratiis prosequamur.

Ferrariensium petitio. § 1. Exposuit siquidem nobis dilectus filius Ioannes Hieronymus Gilidus, civis et orator vester, vos summopere desiderare ut in dicta vestra civitate zeccha publica instituatur et aperiatur, in qua monetas cuiuscumque generis, ut in praeteritum consuevistis, cudi facere valeatis (ex ea enim vos aliquid utilitatis consequuturos, et maximam populis eiusdem civitatis et dominii commoditatem allaturos speratis): quare dictus orator nobis humiliter, vestro nomine, supplicavit ut vobis in praemissis nostrae auctoritatis licentiam et facultatem impertiri de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio, de qua in rubrica. § 2. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, vestrisque in praemissis votis annuere volentes, ac vos et vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, vobis, ut in dicta civitate Ferrariae, in loco a vobis in eadem civitate statuendo, zeccham publicam instituere et aperire, et in ea cuiuscumque generis monetae, aureae vel argeneae, eius tamen ligae et quantitatis, quam de licentia S. R. E. camerarii, nec non dilecti filii nostri moderni et pro tempore existentis eiusdem civitatis legati seu collegati obtinueritis, et quae per dictos camerarium, legatum et collegatum vobis concessa fuerit, cudi et imprimi facere valeatis, licentiam, facultatem et omnimodam auctoritatem, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Exequutorum eiusdem concessionis deputatio. § 3. Quocirca dilectis etiam filiis nostro et S. R. E. camerario et vicecamerario, thesaurario et clericis praesidentibus nostrae Camerae Apostolicae, ut has praesentes nostras litteras in eadem Camera recipiant et admittant, ac in illius libris registrari mandent et faciant, nec non eisdem, ac dictis legato seu collegato, ac omnibus et singulis, ad quos nunc spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, per apostolica scripta mandamus, ut vobis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant vos licentia et concessione praedictis pacifice uti, frui et gaudere, non permittentes vos desuper ab aliquo molestari: contradictores quoscumque, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum. § 4. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae nostrae Camerae Apostolicae iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem Camerae, illiusque agentibus, ac ministris et personis quibuscumque, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu proprio, deque apostolicae potestatis plenitudine, consistorialiter aut alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque integris tenoribus specialis,

specifica et expressa mentio habenda esset, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, et registratis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Qualitas monetarum cudendarum.

§ 5. Volumus autem et mandamus, scuta aurea, pauli, et monetae vulgariter plastrae, grossi et baiocchi, nuncupatae, et aliae monetae in dicta zecca cudendae, ad pondus et bonitatem zecchae huius almae Urbis imprimantur et cudantur, atque in illorum impressione et cusione adhibeantur magisteria, officiales et ministri de licentia et auctoritate S. R. E. camerarii instituendi, et ab eo deputandi, ut fieri solet in eadem zeccha Urbis, et antequam dictae monetae cuiuscumque generis in zeccha Ferrariae impressae et cusae, ab eadem zeccha dimittantur, in praesentia dicti legati seu collegati aut vicelegati, ac pro tempore existentis in dicta civitate Camerae Apostolicae commissarii, seu vice commissarii, fiat experimentum, *saggio* nuncupatum, et si reperientur ad pondera et bonitates praedictas cusas esse, dimittantur, sin autem fundantur, et de novo ad pondera et bonitates praedictas reducantur et cudantur. Prohibentes expresse, sub nostrae et successorum nostrorum Romanorum Pontificum indignationis poena, ne in dicta zecca Ferrariae quadrantes, aut cuiusvis alterius generis monetae ex aere confectae cudantur aut imprimantur, aut cudi vel imprimi permittantur, absque nostra vel eorumdem successorum in scriptis obtinenda licentia et permissione.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuarii MDCII, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 26 ianuarii 1602, pontif. an. x.

CCLXXVI.

Quod fratres Cappucini Ordinis Minorum Sancti Francisci a generali et definitoribus in capitulo generali usque ad sequens capitulum deputati, saecularium utriusque sexus confessiones audire valeant[1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Gregor. XIV prohibuit Cappucinis aliorum confessiones audire.

Alias felicis recordationis Gregorius XIV, praedecessor noster, ex causis tunc expressis, motu eius proprio, sua perpetuo valitura constitutione, statuit et ordinavit quod nullus Congregationis Cappucinorum Ordinis Fratrum Minorum nuncupatorum S. Francisci in laicorum utriusque sexus et clericorum saecularium, quacumque dignitate, praeeminentia, auctoritate et facultate suffulti essent, confessionibus occupari, vel confessiones eorum audire, etiamsi ad id faciendum a superioribus Ordinis aut protectore, aut etiam ab Apostolica Sede quomodolibet, et sub quacumque verborum forma, licentias hactenus obtinuissent, prout in eiusdem Gregorii praedecessoris litteris in forma brevis, sub dat. die I iulii MDXCI expeditis, plenius continetur.

Iste autem Pontifex, ex causa hic expressa.

§ 1. Cum autem diversi utriusque sexus christifideles, pro eorum erga dictum Ordinem seu Congregationem Cappucinorum devotione, cupiant religiosis eiusdem Congregationis confiteri posse;

Prohibitionem praedictam moderatur ut hic.

§ 2. Nos illorum pio desiderio benigne annuentes, motu proprio, et ex certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefatas Gregorii praedecessoris litteras (quarum tenorem prae-

1 Alia de Cappucinis notata sunt ad constit. XXIV Clementis VII: *Religionis*, ubi etiam remissive indicavi materiam Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci, tom. VI, pag 113.

sentibus pro expresso haberi volumus) ita moderamur, ut minister generalis eiusdem Congregationis Cappucinorum et definitores in capitulo generali congregati, et in eodem capitulo tantum, quibusvis eiusdem Congregationis religiosis, ad confessiones audiendas approbatis, prout ipsis ministro generali et definitoribus videbitur, licentiam audiendi saecularium utriusque sexus confessiones, usque ad novi capituli generalis celebrationem, et non ultra, et sic de capitulo generali in capitulum generale, concedere respective possint et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur.

Quascumque alias licentias revocat.

§ 3. Et quascumque licentias audiendi saecularium huiusmodi confessiones, quibusvis eiusdem Congregationis fratribus ab illius protectore aut quocumque alio, etiam de expresso nostro mandato, in perpetuum concessas, harum serie, revocamus et annullamus. Decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantia tollit.

§ 4. Non obstantibus praefata Gregorii XIV, praedecessoris, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem, quae praesentibus ipsis adhiberetur, fides adhibeatur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die tertia februarii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 3 februarii 1602, pontif. an. XI.

CCLXXVII.

Oppidum Medina del Campo, nonnullaque loca, quae ad abbatem eiusdem oppidi pertinebant, episcopi Vallisoletani iurisdictioni subiecta declarantur[1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ut gratiae apostolicae, praesertim provida deliberatione factae, sublatis quibusvis impedimentis, suum debitum consequantur effectum, libenter sollicitudinis nostrae partes interponimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Clemens episcopo Vallisoletano nonnullis locis adiudicatis, eiusdem iurisdictioni subiecerat oppidum et abbatiam de Medina del Campo.

§ 1. Alias siquidem, precibus clarae memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici in ea parte inclinati, habita cum fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus matura deliberatione, et de illorum consilio, et apostolicae potestatis plenitudine, in erectione Ecclesiae Vallisoletanae in cathedralem per nos facta, inter alia oppidum de Medina del Campo, tunc Salamantinae dioecesis, cum collegiata, aliisque ecclesiis ibi consistentibus a dioecesi Salamantina, ac omni iurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, dominio et potestate, tunc et pro tempore existentis episcopi Salamantini, necnon Carioncillo, Trabancos, Abanes, Pozalde, Gallinas, la Seca Fuen, Castin, Torrecilla de Valle tarde et hombre, Braazos, la Nave, Siete Iglesias, Pollos, Pero, Miguel, Rodillana, Rueda, San Martin del Monte, la Golosa, et el Campo Velasco, Albaro, Robledilla alias Robadilla, Villa Huertes, Villa Verde, Villa Nueva, Castrizon, Alae, los Fuente, la Piedra, Duenas, Rome, Guitardo, el Carpio, Valdefuentes, et Zofraga in territorio abbatis dicti oppidi de Medina del Campo existentia, et illi subiecta loca, ab eiusdem abbatis ex tunc, quatenus abbatia

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

dicti oppidi de Medina del Campo vacaret; sin minus, cum primum illa per cessum vel decessum vacavisset, apostolica auctoritate, in perpetuum dismembravimus, separavimus, exemimus et liberavimus, ac pro tempore existentem abbatem dictae saecularis et collegiatae ecclesiae, ipsamque ecclesiam de Medina del Campo, illiusque capitulum cum abbatia eiusdem ecclesiae de Medina, aliaque loca praedicta episcopo Vallisoletanensi pro tempore existenti (quoad omnem ordinariam iurisdictionem et superioritatem, congrua tamen sede in eadem ecclesia Vallisoletanensi eidem abbati assignata, quodque pro tempore existens episcopus Vallisoletanensis teneretur habere in dicto oppido de Medina vicarium idoneum, in quo concurrerent qualitates dicto oppido de Medina dignae, et qui in dicto oppido de Medina residere deberet cum facultate exercendi eamdem iurisdictionem, quam tunc existens abbas dictae ecclesiae de Medina exercebat) perpetuo pariter subiecimus, prout in nostris desuper expeditis litteris plenius continetur.

§ 2. Cum autem, sicuti ad nos perlatum est, licet venerabilis frater episcopus Vallisoletanensis, forsan in quieta et pacifica possessione exercendi ordinariam huiusmodi iurisdictionem in dicto oppido de Medina del Campo, et illius districtu ac locis praedictis olim dicto abbati subiectis, existat; nihilominus dilectus filius Dominicus de Leon modernus abbas dictae saecularis et collegiatae ecclesiae, eumdem episcopum super exercitio iurisdictionis huiusmodi, contra mentem et intentionem nostram, ac dictarum litterarum tenorem, molestaverit et molestet ad praesens, in grave ipsius episcopi praeiudicium et damnum.

Contradicente nunc Abbate.

§ 3. Nos ius dicti episcopi illaesum praeservare, simulque omnem litium et controversiarum materiam super his praecidere, ac alias desuper opportune providere volentes, ex voto dilectorum filiorum nostrorum Camilli, sanctorum Ioannis et Pauli, Burghesii, et Pompeii, S. Balbinae, titulorum, Arrigonii nuncupatorum, presbyterorum cardinalium, quibus hoc negotium examinandum et nobis referendum commisimus, motu proprio, non ad ipsius episcopi, aut alterius pro eo nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, ac ex certa scientia, et de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et quascumque lites, causas, controversias et molestias per dictum abbatem hactenus forsan contra dictum episcopum, coram quibusvis iudicibus ordinariis vel delegatis tam in Romana Curia, quam extra, etiam coram dilectis filiis causarum palatii apostolici auditoribus motas ac inchoatas (quarum statum et merita ac nomina et cognomina iudicum, et collitigantium, aliaque necessario exprimenda, praesentibus pro expressis haberi volumus) etiam in quibusvis terminis et instantiis indecisas pendentes, ad nos harum serie advocamus, illasque penitus et omnino extinguimus, ac praedicto abbati nunc et pro tempore existenti perpetuum silentium desuper imponimus, dictumque oppidum de Medina del Campo, illiusque districtum, et loca olim dicto abbati subiecta praefata, cum omni sua iurisdictione, tamquam in erectione dictae cathedralis ecclesiae comprehensa, ordinariae iurisdictioni nunc et pro tempore existentis episcopi Vallisoletanensis perpetuo subiecta esse et fore declaramus, illaque sub dicta ordinaria iurisdictione episcopi Vallisoletanensis perpetuo confirmamus, supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in praemissis quomodolibet intervenerunt.

Iterum praedicta loca Ordinarii iurisdictioni subiicit.

§ 4. Ipsi vero abbati, in virtute sanctae obedientiae, praecipimus et mandamus,

Praecipitque Abbati, ut man-

dato S. Sedis obtemperet.

ne in dicto oppido, districtu et locis praefatis, insignia pontificalia, aliave ordinariae iurisdictionis munia exercere, neve reditus, qui ratione visitationis quomodocumque et undecumque proveniunt, quovis praetextu percipere, necque dictum episcopum Vallisoletanensem et eius officialem seu officiales, aut alios dicti episcopi ministros super exercenda dicta iurisdictione, quoquo modo, etiam praetextu consuetudinis immemorabilis, aut quorumvis privilegiorum ab Apostolica Sede, seu alias quomodolibet eidem abbati seu abbatiae saeculari et collegiatae concessorum, approbatorum et innovatorum molestare, perturbare aut inquietare audeat vel praesumat.

Clausulae.

§ 5. Decernentes praesentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod iidem abbas aut alii quicumque interesse in praemissis habentes, ad hoc vocati et auditi non fuerint, notari, impugnari, invalidari, aut ad terminos iuris reduci, vel in ius aut controversiam revocari posse. Sicque per quoscumque iudices ordinarios et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores praedictos, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, necnon irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 6. Quocirca venerabili fratri archiepiscopo Toletanensi, ac dilectis filiis nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, ac causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti episcopi fuerint requisiti, solemniter publicantes, illi in praemissis efficacis defensionis praesidio assistant, non permittentes eumdem episcopum, seu illius officiales aut ministros desuper ab ipso abbate, seu quibusvis aliis molestari; contradictores quoslibet, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte, directe seu indirecte quomodolibet praestantes, cuiuscumque dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, per censuras ecclesiasticas, ac poenas pecuniarias, ac privationis suorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque, et inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contraria tollit.

§ 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et concilii generalis de duabus diaetis, dummodo quis, vigore praesentium, ad iudicium, ultra tres diaetas, non trahatur, aliisque constitutionibus, necnon et ordinationibus, litis pendentia, aliisque praemissis, ac inhibitionibus etiam a dictis auditoribus, eorumve aliquo seu aliquibus, vigore quarumcumque commissionum apostolicarum, iam forsan decretis, non tamen exequutioni demandatis, aut posthac emanandis, ac omnibus et singulis, quae in dictis litteris voluimus non obstare; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ac consuetudinibus etiam immemorabilibus in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, innovatis et observatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis illorumque totis

tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si abbati praedicto et quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVIII februarii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 28 februarii 1602, pontif. an. XI.

CCLXXVIII.

Episcopi eorumque officiales in partibus Indiarum admonentur ut proficiscentes ad partes del Sur *et alias regiones auxilium praestent* [1].

Clemens Papa VIII

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et aliis locorum Ordinariis, nec non dilectis filiis eorum officialibus, caeterisque personis ecclesiasticis quibuscumque in partibus Indiarum constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontificis sollicitudo de missionibus.

Pastoris aeterni, qui gregem suum universum nobis in Beato Petro pascendum commisit, vices quam immeriti gerentes in terris, ad coelestis doctrinae pabulum dispersas et aberrantes oves congregare omni studio incumbimus; et cum ad remotissima orbis terrarum loca nos ipsos conferre nequeamus, eorum ad id ipsum exequendum studium requirimus, quos idem Pastor Altissimus in partem sollicitudinis nostrae evocavit.

Petrus Fernandez ad regiones *del Sur* profecturus fidem catholicam in easdem propagare cupit.

§ 1. Cum igitur, sicut magno cum animi nostri gaudio accepimus, dilecti filii capitanei Petri Fernandez Quiros, nauclerii, seu ut dicitur, piloti maioris, in illis partibus clarae memoriae Philippi II Hispaniarum et Indiarum regis catholici opera et industria, nonnullae novae nationes huc usque incognitae in partibus *del Sur* novi orbis repertae et detectae fuerint, ac ipse Petrus, qui pro servitio etiam charissimi in Christo filii nostri Philippi III Hispaniarum et Indiarum regis catholici, benedicente Domino, iterum opus hoc aggredi et ad ulteriora loca incognita penetrare intendit, alias novas nationes et gentes detegere et invenire speret, et apud illas tam inventas quam inveniendas gentes, quae idola colunt, evangelium, verbi Dei semen, quod in aliis Indiarum partibus, divina assistente gratia, sparsum fuit, uberrimos fructus producturum confidat; et propterea cum nuper ad hanc almam Urbem peregrinationis causa veniens, id nobis coram significaverit, ac humiliter supplicaverit, ut piam hanc causam pastorali nostra sollicitudine adiuvare de benignitate apostolica dignaremur:

Clemens episcopos, *etc.*, hortatur ut ei sint auxilio.

§ 2. Nos eorumdem regum summam pietatem ac singularem christianae fidei propagandae zelum, ac dicti Petri Fernandez operam et industriam summopere commendantes, ac ad ea, per quae evangelica doctrina ad animas Christo lucrandas longe lateque diffundi valeat, sollicito studio intendentes, vos universos et singulos paterne in Domino requirimus et hortamur, ut eumdem Petrum Fernandez, eiusque in dicta expeditione successores quoscumque, ipsorumque socios et praesertim religiosos ad praedicandum in illis partibus evangelium, iussu

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

nostro, accedentes, omnibus christianae pietatis officiis ac opportunis favoribus prosequamini, iisque omnem opem et auxilium in his, quae ad nationum et regionum praedictarum pacationem et conversionem procurandam pertinebunt, prompto ac libenti animo deferatis. Quod si feceritis, praeter aeternae retributionis praemium, nostram quoque et Apostolicae Sedis benedictionem et gratiam promerebimini.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die IX martii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 9 martii 1602, pontif. an. XI.

CCLXXIX.

Moderatio constitutionum Sixti V quoad nullitatem professionis emittendae a novitiis Ordinum regularium, cum praefinitione poenarum contra superiores qui, non servata forma eis tradita, eos receperint. Et decreta generalia pro novitiorum receptione, institutione et educatione.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

In suprema Ecclesiae Catholicae specula, meritis licet imparibus, divina providentia disponente, constituti, omnibus incommodis quae in eadem Ecclesia, non sine fidelium animarum periculo et detrimento, oriri possunt, ob variam et sinistram constitutionum Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, quas iustis de causis ediderunt, interpretationem, pro nostri pastoralis officii munere conamur providere, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Sixtus V formam tradidit recipiendorum novitiorum ad Ordines Regulares.

§ 1. Cum igitur felicis recordationis Sixtus Papa V, praedecessor noster, ad integritatem et candorem in regularibus et religiosis Ordinibus in Ecclesia Sancta institutis retinendum et conservandum, quadam sua constitutione quae incipit: *Cum de omnibus ecclesiasticis Ordinibus*, sub dat. sexto kalendas decembris, pontificatus sui anno III, nonnulla circa modum, formam et qualitates admittendi religiosos ad quosvis regulares Ordines decreverit: et deinde alia simili quae incipit: *Ad Romanum spectat Pontificem, etc.*, sub dat. XII kalendas novembris, pontificatus sui anno III, quaedam dubia super dicta priori constitutione exorta declaraverit.

Gregor. XIV nonnihil praescripsit de illegitimis.

§ 2. Et praeterea piae memoriae Gregorius Papa XIV, etiam praedecessor noster, alia sua perpetuo valitura constitutione, quae incipit: *Circumspecta Romani Pontificis providentia, etc.*, sub dat. idibus martii, pontificatus sui anno I, respective editis, constitutiones Sixti praedecessoris supradictas, quoad illegitimos, moderatus fuerit, prout in eisdem constitutionibus plenius continetur.

Clemens praedictas constitutiones ad formam iuris reduxit.

§ 3. Tamen, quia longo usu et experientia compertum est, ex nimia facilitate et multitudine casuum, in quibus professio a suscipientibus habitum alicuius regularis Ordinis a dicto Sixto praedecessore nulla declaratur, multos, hac occasione arrepta, fraudulenter petiisse et in dies petere, ut professio, quam in aliquo regulari Ordine emiserunt, nulla declaretur, ex quo nonnulli eorum regulares Ordines et instituta sub hoc praetextu deseruerunt; et idcirco plerisque in locis maxima incommoda et scandala exorta fuerunt; nos ea scandala et incommoda, quantum in Domino possumus, removere et ne imposterum alia eiusmodi hac de causa oriantur, opportuna ratione providere cupientes, singularum constitutionum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, matura, super his cum venerabilibus

fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus super negociis Episcoporum et Regularium deputatis, consultatione praehabita, ex illorum sententia et voto, constitutiones praedictas Sixti praedecessoris, quoad eam partem per quam eorum, qui formam in eisdem constitutionibus praescriptam de caetero non servaverint, et quoad alios etiam casus ibidem expressos, in quibus receptorum in quibuscumque etiam Mendicantium Ordinibus professio nulla declaratur, ad terminos iuris et sacrorum canonum, perinde ac si praedictae constitutiones in illa parte editae non fuissent, auctoritate apostolica, tenore praesentium, reducimus.

Poenas tamen impositas contra superiores Ordinum praeservat.

§ 4. Caeterum poenas contra superiores quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium huiusmodi, qui in admittendis regularibus ad habitum et professionem, earumdem constitutionum formam non servaverint, aut aliter quovis modo contrafecerint, in ipsis constitutionibus inflictas, salvas esse volumus et statuimus.

Decretum irritans apponit.

§ 5. Sicque, et non aliter, in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari pariter decernimus.

Contraria tollantur.

§ 6. Non obstantibus praefatis constitutionibus, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Exemplis credi iubet.

§ 7. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die II aprilis MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 2 aprilis 1602, pontif. an. XI.

Sequuntur decreta generalia ad novitiorum receptionem, professionem et institutionem spectantia.

De novitiis ad habitum regularem et professionem non admittendis, nisi in conventibus designandis [1].

Clemens Papa VIII.

Causae ob quas depravantur religiones.

Regularis disciplinae restitutioni, pro qua potissimum, iuxta nostri muneris debitum, laborare non desistimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano usu compertum est, quod in omnibus conventibus, iis praesertim qui maiori reformatione indigent, singuli ad religionem venientes passim recipiuntur: unde fit, ut quo magis nos variis constitutionibus male affectas radices amputare studemus, eo magis in dies depravatae infructuosaeque eiusmodi noviter profitentium succrescant.

Clemens novitios in locis destinandis tantum recipi mandat.

§ 1. Cui quidem malo occurrere volentes, praesenti decreto statuimus districteque praecipimus omnibus generalibus, provincialibus, commissariis, ministris caeterisque superioribus conventuum intra Italiae et insularum adiacentium fines existentium quibuscumque et quorumcumque Ordinum Mendicantium, ut de caetero neminem, sub quovis praetextu aut colore, ad habitum regularem admittant, nisi in conventibus, auctoritate no-

1 Ad haec omnia vide in constitut. CXII Sixti V: *Cum de omnibus*, tom. VIII, pag. 951.

stra, propediem in unaquaque provincia designandis.

Et usque ad deputationem non recipiantur.

§ 2. Insuper sancimus ut quoad eiusmodi conventus, ut praefertur, per nos deputati non fuerint, omnes praefatorum Ordinum superiores a receptione quorumcumque novitiorum, sive ad habitum sive ad professionem, omnino abstineant.

Recipientium poenae.

§ 3. Superior, qui huius decreti transgressor extiterit, ipso facto, poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, vocisque activae et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, se noverit incurrisse, ac aliis etiam poenis arbitrio nostro subiaceat.

Receptionum nullitas.

§ 4. Receptiones vero et professiones quaslibet eorum qui, contra huiusmodi decretum nostrum, admissi fuerint, nullas et irritas esse nunc decernimus et declaramus.

Contraria non obstant.

§ 5. Privilegiis, statutis et consuetudinibus quibuscumque in contrarium minime obstantibus.

Datum Romae, die XII martii MDXCVI.

Renovatio et ampliatio eiusdem decreti.

De Novitiis ad habitum regularem non recipiendis, nisi in monasteriis et locis designandis.

Relatio praecedentis decreti

Sanctissimus in Christo Pater et D. N. D. Clemens divina providentia Papa VIII. Cum iamdudum animadverteret collapsae regularis disciplinae restitutioni, pro qua potissimum, iuxta sui muneris debitum, vigilare ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quod in omnibus monasteriis et conventibus, iisque praesertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad religionem profitendam accedentes, passim ac sine delectu, recipiuntur, ac inde fieri ut quo magis variis constitutionibus male affectas radices evellere studet, eo magis infructuosa noviter provenientium germina quotidie succrescant; cumque ob zelum ac desiderium, quo tenetur Sanctitas Sua, omnes regulares ad vetus suae cuiusque Religionis institutum redigendi, districte prohibuerit ne quis in certis Monachorum et Mendicantium Ordinibus ad suscipiendum habitum religionis admitteretur profitereturve, quousque monasteria et conventus aliquot destinarentur, in quibus posset commodius regularis observantia, secundum reformationem a Sanctitate Sua institutam, introduci.

Ampliatio dicti decreti.

§ 6. Quia tamen, non obstante tali prohibitione, cognovit nonnullos fuisse, vel sub colore facultatis et licentiae a Sanctitate Sua obtentae, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non pervenerit, receptos et admissos, praeter mentis suae sensum; idcirco huic malo prospicere volens, ne licentiam ac facultatem huiusmodi subreptione, ac praetextu decretum Sanctitatis Suae irritum reddatur: nunc denuo districte praecipit ac mandat omnibus generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, praesidentibus, abbatibus, prioribus et guardianis quibuscumque, caeterisque superioribus conventuum, monasteriorum ac domorum, quocumque nomine appellentur, intra Italiam et insularum adiacentium fines existentium, quorumcumque Ordinum Mendicantium et non Mendicantium (exceptis tamen Carthusianorum, Fratrum Minorum de Strictiori Observantia, nec non Cappucinorum S. Francisci, Reformatorum S. Dominici, Discalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Fuiliensis Cisterciensis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulensis Montis Coronae, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Iesu, Sancti Pauli Decollati, et aliorum de Somascha, Ministrorum Infirmorum respective Ordini-

bus, Societatibus seu Congregationibus nuncupatis, quae etiam antea exceperat, et nunc iterum excipiendo, voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi), ne sub cuiusvis licentiae et facultatis impetratae vel impetrandae obtentu, nisi per litteras in forma brevis dumtaxat, et non alias, quemquam ad habitum regularem suscipiendum, nec etiam conversos, nisi in conventibus, monasteriis et domibus, auctoritate eiusdem SS. D. N. propediem in unaquaque provincia designandis, recipere, aut receptos ad professionem admittere ullo modo audeant. Quinimmo contra primam prohibitionem Sanctitatis Suae receptos, etiamsi imperfectum habitum, aut sine cappatio gerant, post praesentis decreti in Romana Curia publicationem, omnino eiicere debeant.

Superiorum poenae transgredientium.

§ 7. Superiorem autem, qui huius decreti transgressor extiterit, ipso facto poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, vocis activae et passivae, et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit ac decrevit, et aliis etiam poenis, arbitrio Sanctitatis Suae imponendis, subiacere.

Receptionum irritatio.

§ 8. Receptiones vero et professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi decretum admissi fuerint, nullas et irritas esse ad quemcumque effectum, et nunc decernit et declarat.

Limitatio huius decreti.

§ 9. Hoc autem decretum noluit Sanctitas Sua eos Ordines comprehendere, qui conventus, domos et monasteria a se probata pro novitiorum receptione et educatione hactenus permissione sua constituerint.

Licentiarum revocatio.

§ 10. Caeteras vero licentias[1] sive particulares, quae in hanc diem effectum non sunt sortitae, revocat et annullat.

§ 11. Vult autem decretum hoc suum in solitis locis Urbis publicatum, ita praedictorum singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum, privilegiis, statutis et constitutionibus quibuscumque in contrarium minime obstantibus.

Publicatio huius decreti.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, die XX mensis iunii MDXCIX.

Decretum super forma recipiendi novitios ad habitum et professionem regularem.

Relatio praecedent. decretorum.

Sanctissimus in Christo Pater, et D. N. D. Clemens, divina providentia Papa VIII, qui alias pro regularis disciplinae restitutione, singulis regularium Ordinibus (quibusdam exceptis) prohibuit ne ad regularem habitum novitios imposterum reciperent, receptosve ad professionem admitterent, quosque in aliquibus cuiusvis Ordinis monasteriis seu conventibus (in quibus novitiatus pro recipiendis et educandis novitiis designarentur et approbarentur) ad eius, quam professi sunt, regulae praescriptum, vitam moresque restituerent et componerent.

Licentia data recipiendi novitios in locis destinatis.

§ 12. Certior deinde factus, quosdam omnium fere Ordinum conventus seu monasteria ad pristinam illam regularem vivendi formam et disciplinam, quam diutius desideraverat, fuisse redacta, in eisdem monasteriis et conventibus, ut novitiatus erigi, novitiique recipi possent (sub certis tamen legibus, ac ea praesertim, ut licentia a Congregatione Reformationis Apostolicae prius obtenta esset) concessit, et ad illa designavit et approbavit.

In quorum receptione, *etc.*, haec mandat servari.

§ 13. Nunc volens ut ea, quae pro novitiorum receptione et institutione, de mandato Sanctitatis Suae praescripta fuerunt, imposterum accuratius et exactius observentur, ultra formam traditam in constitutionibus felicis recordationis Sixti

1 Forte addendum *generales*. (R. T.).

Papae V et etiam Sanctitatis Suae super receptione novitiorum, decrevit, ac praesentis decreti virtute mandavit, ne in conventibus seu monasteriis ad novitios recipiendos, de Sanctitatis Suae, seu dictae Congregationis Reformationis licentia hactenus designatis et approbatis, seu imposterum designandis et approbandis.

Licentia habeatur a Congregatione reformationis Apostolicae, vel a locorum Ordinariis.

§ 14. Novitii ad habitum recipi nullatenus possint vel admitti, nisi prius ab ipsa Congregatione, vel a propriis locorum Ordinariis, in quorum dioecesi novitiatus existunt, in quibus novitii recipiendi fuerint, expresse et nominatim novitii ipsi recipiendi approbati fuerint, et ut recipi et admitti possint, licentiam in scriptis (gratis tamen in omnibus, etiam quoad scripturam, concedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas Sua eosdem Ordinarios omnem curam et diligentiam adhibere ut circa aetatem, conditionem, educationem, scientiam, vitam et mores, caeterasque qualitates in ipsis novitiis requisitas, observentur institutiones pro illis recipiendis ab eadem Congregatione Reformationis factae et publicatae. Neque aliter, nec alio modo, aliquem ad habitum recipi permittant, Ordinariorum ipsorum conscientiam onerando, si quempiam approbaverint vel admitti permiserint, qui non sit idoneus et, iuxta constitutiones et institutiones praedictas, approbandus et admittendus.

Superiores Ordinum servent constitut. editas circa receptionem novitiorum.

§ 15. Firmis nihilominus remanentibus poenis omnibus contra superiores quorumcumque Ordinum, qui in admittendis ad habitum et professionem novitiis, formam constitutionum et institutionum praedictarum non servaverint, aut novitium aliquem, quantumvis idoneum approbatum, in quovis alio conventu et loco seu monasterio, praeterquam in hactenus a Sua Sanctitate, vel a dicta Congregatione designatis et approbatis, seu imposterum designandis et approbandis, vel ultra numerum in eorum singulis praescriptum seu praescribendum, receperint vel admiserint, seu alias praemissis quovis modo contrafecerint.

Contraria irrita sint.

§ 16. Irritum ex nunc et inane decernens quidquid secus vel alias, quavis auctoritate, a quovis gestum vel attentatum fuerit.

Et caetera non obstant.

§ 17. Non obstantibus quibuscumque, *etc.*

Datum Romae apud S. Petrum, die XIX maii, millesimo sexcentesimo secundo, pontificatus eiusdem S. D. N. an. XI.

Institutiones super receptione et educatione novitiorum religiosorum in monasteriis et conventibus designatis vel designandis.

Regularis disciplinae reformationis studet Pontifex.

§ 18. Cum ad regularem disciplinam in singulis religiosorum monasteriis propagandam, novitiorum institutio maxime utilis sit ac necessaria, et nihil ad gravem illam ac laudatissimam priscorum patrum vivendi rationem relaxandam, maiorem vim habuisse compertum sit, quam vel nimiam in recipiendis novitiis facilitatem supra numerum, quem capere atque alere monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando et examinando eorum spiritu, an vere esset ex Deo atque ex praecipuo desiderio illi inserviendi, vel denique incuriam in eis educandis atque instituendis.

Atque sequentia in recipiendis educandisque novitiis observari praecipit.

§ 19. Idcirco, ut huiusmodi incommodo deinceps occurratur, praecipitur omnibus et singulis, ad quos spectat, ut in recipiendis novitiis, et in eorum institutione atque educatione, necnon in magistri et aliorum ministrorum electione, praeter alia, quae in sacris canonibus ac decretis, praesertim Concilii Tridentini, pontificiis, et cuiuscumque Ordinis aut instituti constitutionibus continentur, tam

in alias designatis, quam nunc et imposterum ad hoc designandis monasteriis et conventibus, haec, quae sequuntur, inviolate observari et exequi perpetuo curent.

Examen ipsorum;

§ 20. Primum, quod attinet ad novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquisitionem, quae habenda erit de uniuscuiusque natalibus, corporis habitudine, moribus et vita anteacta, ac praecipue eorum, qui sextum decimum aetatis suae annum excedent, an criminosi, an aere alieno gravati, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxii sint (iuxta formam constitutionis felicis recordationis Sixti V et moderationum subsecutarum), illud etiam superiores, ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in monasteriis et conventibus ex apostolica facultate novitiatus fuerint instituti, in iis ad religionem nullus imposterum admittatur, qui et ex honestis parentibus natus non sit, et conditiones sacris canonibus, Summorumque Pontificum constitutionibus praescriptas non habeat, iuxta decretum super forma recipiendi novitios, die XIX maii MDCII editum [1].

Ætatem et litteraturam;

§ 21. Quisque recipiendus in aliquo Ordine regulari, etiam Mendicantium, in ea sit aetate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur, regularia instituta et ordinationes requirunt; eam vero litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam praeseferat, ut minores et, suis temporibus, maiores ordines, iuxta decreta sacri Concilii Tridentini, suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimumquintum excedens ad habitum regularem admitti postulaverit, et talis eruditionis expers inventus fuerit, in conversorum tantum (quibus litterarum scientia non est necessaria) numerum referatur. Ipsi autem conversi non recipiantur ante vigesimum aetatis suae annum, nisi saltem praecipua Doctrinae Christianae capita noverint.

Causamque motivam ad electionem vitae regularis;

§ 22. Denum superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente ac voluntate id regularis vitae genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitae, et ut Deo liberius famulari possint, an potius levitate vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur, et an eorum parentes ope et subsidio ipsorum indigentes destituantur.

Conversorum examen et oblatorum instituta;

§ 23. Provideant quoque ut omnes etiam conversi recipiendi, priusquam ad habitum regularem admittantur, ab iis, quibus munus hoc incumbit, de regula quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuque regulari, et aliis cuiusque Ordinis peculiaribus institutis et constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarumdam religionum moris est, nedum conversos ad professionem admittendos, verum et oblatos, ut vocant, recipere, circa ipsorum oblatorum receptionem unaquaeque Religio suas peculiares constitutiones specialiaque instituta observare teneatur.

Confessionem generalem novitiorum;

§ 24. Statim atque novitii ad habitum recepti, et in locum novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem, totius anteactae vitae conscientiam discutiant et expurgent.

Novitiatuum formam et qualitates;

§ 25. Quod vero ad loci qualitatem uniuscuiusque novitiatus spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte conventus et monasterii, in qua degunt professi, segregatus sit atque distinctus; habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commode sterni possint; in quo etiam cellula, vel certus ac determinatus locus pro magistro, eiusque socio repériatur; in eo etiam, praeter alias communes commoditates, aptus locus

1 Hoc decretum est quod praecedit.

adsit ad spirituales collationes seu conferentias faciendas, ac lectiones instructionesque magistri audiendas, et in quem, hiemis tempore, ad calefaciendum se igne communi recipiantur. Oratorium insuper seu capella, si commode fieri poterit, ad novitios in spiritualibus, praesertim in caeremoniis ecclesiasticisque functionibus exercendos. Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem bene conclusus atque munitus adsit; sin minus, hortum caeteris fratribus communem recreationis tempore ingrediantur: ipsis vero novitiis ibi commorantibus, curabit magister cum loci superioris auctoritate, si opus fuerit, ne in eumdem quisquam alius ingrediatur. Ad huiusmodi locum novitiatus nemini eiusdem vel alterius Ordinis regulari, etiam conventus et monasterii officiali, ullo umquam tempore, sub quovis praetextu aditus pateat, praeterquam magistro eiusque socio, ac etiam monasterii aut conventus superiori, si quandocumque ingrediendum sibi necessario existimaverit; quo tamen casu aliquem semper ex senioribus conventus vel monasterii patribus socium assumat. Huius loci clausurae clavis apud magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere; si quis autem novitiorum quempiam alloqui voluerit, magistro praesente et non aliter, alloquatur.

Magistrorum novitiorum munus, et electionem et qualitates;

§ 26. Novitiorum magistro socius, si ad novitiorum instruendam multitudinem necessarius fuerit, vita et moribus, quoad fieri poterit, consimilis deputetur; qui in his, quae ad novitiatus regimen spectant, dicto magistro immediate subiectus existat, eliganturque tam magister quam socius per provinciale capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quod si aliquo casu extra tempus capitulare nova loca novitiatus concedi contingat, tunc electionem magistri novitiorum et socii huiusmodi, in his novis locis per generalem vel provincialem, seu ministrum, aut eorum visitatores seu vicarios, de definitorum tamen vel graviorum aliorum patrum consensu, fieri permittitur; idemque servetur si intra triennium, alterum vel utrumque urgenti aliqua de causa ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cuius vel quorum locum alii consimiles subrogari debeant. Tam novitiorum magister quam socius ab iis omnibus officiis, oneribusque vacationem habeant, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant. Ipse magister sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum aetatis suae anno constitutus, et per decennium a professione emissa in Religione perstiterit. Socius vero trigesimum annum excedat; sintque ambo doctrina et, quantum per superiorum diligentiam et curam fieri poterit, vitae etiam anteactae exemplo praestantes; orationis praeterea et mortificationis operibus addicti, prudentia charitateque referti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum mansuetudine praeseferentes, ab omni cordis ac animi perturbatione, ira praesertim et indignatione, quae in se et erga alios charitatem impedire consueverunt, quam longissime alieni, et tales demum qui in omnibus se ipsos bonorum operum exemplum praebeant, ut ii, qui eorum curae subsunt, illos non tam metuant, quam revereantur, nec illis umquam detrahere quidquam possint. Habeat etiam magister plenam et absolutam potestatem circa novitiorum institutionem ac novitiatus regimen, ita ut in illis nemini (visitatoribus ac superioribus maioribus vel etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat. Curam adhibeat diligentem ut novitii omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque praecipue divinae, qua digni facti sunt, voca-

tionis praestantiam et excellentiam, quae vera sit atque perfecta votorum solemnium et quam necessaria cuiusque Ordinis constitutionum observantia; modum in oratione, tum vocali tum mentali fructuose persistendi, illicitas passiones et vitia (ad quae natura per peccatum labefactata omni tempore prona est atque proclivis) per sensuum custodiam et mortificationem cohibendi; austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiae puritatem, crebram illius discussionem, sacramentorum frequentiam, Confessionis praesertim, quae bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum, cordis et tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus diuturnumque silentium.

Novitiorum orationem et confessionem,

§ 27. Quilibet novitius bis quotidie orationi mentali et vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem et ordinem sibi a magistro praescriptum, pluries in die propriam conscientiam examinare contendat. Ipsi autem magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen superiori, etiam locali, si ita expedire iudicaverit, vel per se ipsum vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem novitiorum confessiones audire.

Missamque audiendam,

§ 28. Quotidie missae sacrificio intersint, et statutis horis in choro nocturnis diurnisque divinis officiis assistant.

Et exercitationes et recreationes,

§ 29. Exercitationibus etiám corporalibus vacent, legant vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quae in solitario loco et commodo extra novitiatum semel in hebdomada, vel in alternis saltem hebdomadis longior statuatur, fiatque semper magistro praesente vel socio, qui multum invigilent ne duo ab aliis commorentur disiuncti, atque eo tempore, cuiusque, in quam natura feratur, propensionem scrutentur.

Commorationemque extra novitiatum;

§ 30. Non liceat eis, durante novitiatus et probationis tempore, una cum professis, nisi in choro, in ecclesia tempore officiorum, in processionibus aut in coenaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis professos domo exeuntes comitari.

Socium magistri novitiorum;

§ 31. Pro communibus et propriis cuiusque necessitatibus, quae accidere possunt, unus ex novitiis ipsis, aetate et moribus provectior deputetur, qui absente socio, magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat; cui etiam ianuae custodia, et rerum levioris momenti provisio intra novitiatum committi poterit.

Conversorum institutionem et educationem.

§ 32. Cum autem, licet clericorum bene instituendorum cura debeat esse praecipua, conversorum tamen religiosa instructio non sit praetermittenda, quin potius aequanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cum regulam profiteantur eamdem, perfectam educationem, tum religioni decorem et ornamentum, tum aliis christifidelibus aedificationem, exemplum atque utilitatem afferre. Conversis ipsis a clericorum novitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commode fieri poterit) assignari praecipitur. Illi tamen, hac separatione non obstante, magistro novitiorum, seu superioribus monasteriorum et conventuum, iuxta cuiusque Ordinis statuta et constitutiones, subditi esse, et obedientiam praestare debeant, a quo non tantum circa corporalia obsequia probandi et exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate et commoditate, de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod, ut commodius fiat, ad capitula et spirituales conciones, quae per magistros novitiorum fieri solent, accersiri debeant, et in ecclesiis statutis horis conveniant,

nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint.

Examen ante missionem ad professionem.

§ 33. Tempore vero probationis elapso, ii tantum qui non solum religiosae perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti, novo ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo aetatis suae annum, quoad clericos decimumsextum, quo vero ad conversos, vigesimum primum excesserint), ad professionem admittantur. Sed qui ad conversorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.

Professionum registrationem;

§ 34. Superior cuiuslibet conventus, in quo novitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo uniuscuiusque novitii professio registretur, illamque novitius professus propria manu, et illi testes, qui praesentes fuerint, subscribant. Conversus vero litterarum ignarus, professus, in eorumdem testium, qui se subscripserint, praesentia, propria manu signum Crucis apponat; asserveturque liber et custodiatur in archivio, ubi scripturae ad monasterium seu conventum pertinentes reponi consueverunt.

Filiationes in quibusdam conventibus recipiendas;

§ 35. Quia vero in quibusdam Ordinibus filiationis usus est receptus, declarantur quod licet decretum sit, ut novitiis educandis certa monasteria aut conventus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit superioribus monasteriorum et conventuum huiusmodi Ordinum, in quibus filiationis usus receptus est, eos, quos praenarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum filios, iuxta cuiusque Ordinis constitutiones, adscribere, sicque adscriptos, cum iuxta praesentes institutiones et alias servatis servandis ad Ordinem recepti fuerint, ad loca novitiatuum cum testimonialibus litteris transmittere, ubi tamquam dictorum conventuum seu monasteriorum filii, eorumdem nomine et instantia recipi, ac in novitiatu probari, et deinde, antequam ad eadem monasteria seu conventus filiationis huiusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, ut praemissum est, exerceri debebunt.

Numerum religiosorum cuique conventui praefiniendum.

§ 36. Porro, ne loca unius monasterii seu conventus ab alio praeoccupentur, capituli generalis aut provincialis partes erunt numerum praescribere pro omnibus, et eam similiter rationem circa alimentorum contributionem (si opus fuerit) inire, ac singulis conventibus et monasteriis praescribere, quae magis expedire videbitur.

Professorii locum seligendum

§ 37. Ut autem novitii iam in professorum numerum (sicut praemittitur) recepti, melius in bono spiritu regularisque disciplinae observantia stabiliantur et confirmentur, mandatur, ut statim post professionem emissam, si in conventibus aut monasteriis pro novitiatibus assignatis locus aderit secundi novitiatus sive professorii, ab ea, quae novitiorum est, atque antiquorum professorum habitatione distinctus et segregatus, ibi collocentur, si monasterium aut conventus eos alere queat, sin minus, in alium commodiorem conventum aut monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad novitiatum supranarratis reperiatur, vel accommodetur aut de novo construatur. Ab hoc tamen illae Religiones excipiuntur, quae, suarum constitutionum seu institutionum vigore, maioris temporis cursus novos professos intra novitiatum detinere consuescunt, quibus in hac parte non derogatur: illis tamen permittitur ut, praedictis earum constitutionibus non obstantibus, id ipsum facere possint, si id rationi ac Religioni magis expedire diiudicaverint: quibus in locis degant sub regulis et modo vivendi adhuc arctiori, quam servant antiquiores professi; ita quod in negociis monasteriorum aut conventuum non se intromittere, nec

communibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiae officium exercere debeant, ibique permaneant, quousque ad aetatem sacris ordinibus suscipiendis sufficientem devenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimmo et debebunt, litterarum studiis operam navare, sub directione ac regimine superioris, qui eas qualitates habeat, quibus novitiorum magistrum praeditum esse oportere dictum est.

Novitii recipiendi in locis destinatis.

§ 38. Declaratur tamen, quod propter praemissa non censeatur concessa licentia recipiendi novitios, nisi in locis pro novitiatu designatis aut imposterum designandis, et pro numero dumtaxat in eorum singulis praescripto vel praescribendo.

Contravenientium poenae.

§ 39. Denique si illi, qui inter religiosos, gradu et ordine, superiores sunt, et alii, ad quos spectat, in praedictis omnibus vel eorum aliquo deliquerint, seu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium, quae tunc obtinebunt, privationem, gravioresque pro modo admissae culpae poenas se subituros certo sciant.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIX martii MDCIII.

CCLXXX.

Declaratur archiepiscopos et episcopos de cathedralibus et metropolitanis ecclesiis in Hungaria noviter provisos, non teneri accedere ad visitanda limina Apostolorum, nisi singulis quadriennis [1].

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Causa declarationis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, in expeditione litterarum provisionum diversarum ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium in regno Hungariae novissime facta, formula iuramenti a Sede Apostolica praescripta, in dictis litteris inserta, scriptorum forsan incuria, contineret ut episcopi de dictis ecclesiis provisi tenerentur singulis biennii limina Apostolorum visitare, cum, iuxta constitutionem super hoc novissime editam, ad visitationem liminum praedictorum singulis tantum quadrienniis teneantur:

Declaratio, de qua in rubrica.

§ 2. Nos dictorum archiepiscoporum et episcoporum conscientiae securitati consulere cupientes, ac eorum singulorum nomina, ecclesiarumque praedictarum titulos, ac litterarum earumdem tenores praesentibus pro expressis habentes, supplicationibus etiam venerabilis fratris Ludovici episcopi Bosnensis, suo et aliorum archiepiscoporum et episcoporum nominibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, harum serie declaramus et decernimus ipsos archiepiscopos et episcopos ex praedicto iuramento ad visitandum Apostolorum limina singulis tantum quadrienniis teneri, ac ita ipsis archiepiscopis et episcopis et cuilibet illorum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus praemissis et quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXIX aprilis MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 29 aprilis 1602, pontif. an. XI.

CCLXXXI.

Confirmata cessione Henrici IV, Francorum regis, iuris nominandi abbatem perpetuum monasterii Fuiliensis, Con-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

gregationis eiusdem nominis, declaratur in eo abbatem triennalem per monachos esse eligendum [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. Pastoralis officii nobis, divina disponente clementia, commissi cura nos admonet, ut circa statum monasteriorum et religiosorum locorum quorumcumque prospere dirigendum sollicito studio intendentes, in iis eiusdem officii nostri partes libenter impendamus, per quae eorum felici regimini, iuxta sacrorum canonum et regularium institutorum dispositionem, salubrius in Domino prospiciatur.

In monasterio Fuiliensi optimum censetur, ut constituatur Abbas triennalis. § 1. Sane, cum sicut accepimus, monasterium Beatae Mariae Fuiliensis, Cisterciensis Ordinis, Remensis dioecesis, quod Congregationis eiusdem Beatae Mariae Fuiliensis nuncupatae caput existit, et in quo eadem Congregatio regularis reformationis primordia ad Dei laudem et fidelis populi aedificationem suscepit, hactenus per abbatem perpetuum gubernari consueverit: cumque caetera omnia eiusdem Congregationis monasteria per abbates triennales, iuxta sacrorum canonum et regularium ipsius Congregationis institutorum dispositionem, provide ac laudabiliter gubernari consueverint, ac maxime expediat pro eiusdem Congregationis quiete, et illius monachorum (qui in spiritus humilitate et vitae asperitate Deo servire satagunt) pace et tranquillitate, ut praedicti monasterii Beatae Mariae Fuiliensis regimen, sicut caeterorum eiusdem Congregationis monasteriorum ad triennalitatem reducatur, et illius abbas pro tempore, de triennio in triennium, iuxta regularia eiusdem Congregationis instituta, de caetero eligatur.

§ 2. Cumque, sicut etiam accepimus, hanc ob causam charissimus in Christo filius noster Henricus Francorum et Navarrae rex christianissimus, singulari pietate ductus omni et cuicumque iuri nominandi ad monasterium praedictum Beatae Mariae Fuiliensis, dum pro tempore vacat, abbatem, sibi et coronae regni Franciae quomodolibet competenti, in favorem eiusdem Congregationis, et ad effectum ut deinceps in perpetuum eiusdem monasterii abbas per eiusdem Congregationis monachos, iuxta eorum regularia instituta, apostolica auctoritate confirmata, de triennio in triennium libere eligi valeret, per regium eius diploma gratiose cesserit et renunciaverit, prout in eodem diplomate, cuius tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur.

Franciae rex cedit iuri nominandi abbatem, ut eligatur a monachis.

Confirmata huiusmodi cessione Clemens declarat in dicto monasterio triennalem abbatem eligi. § 3. Nos eiusdem Henrici regis eximiam pietatem plurimum in Domino commendantes, ac eiusdem Congregationis prospero statui, quantum in Domino possumus, consulere cupientes, ac eiusdem Congregationis superiorem generalem et singulares monachos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, regium eiusdem Henrici christianissimi diploma praedictum in ipsius Congregationis favorem concessum, ac omnia et singula in eo contenta, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illique perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui in eodem in-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tervenerint supplemus. Praeterea abbatis eiusdem monasterii Beatae Mariae Fuiliensis munus, quod nunc dilectus filius Ioannes de Ballandt, alias de Sancto Mauro eiusdem monasterii abbas, ex concessione apostolica, ad eius vitam obtinet, ex nunc prout ex tunc, postquam monasterium praedictum, per cessum vel decessum, aut quamcumque dimissionem vel amissionem dicti Ioannis, aut alias quomodocumque ex illius persona vacare contigerit, etiamsi nunc forsan actu vacet, ad triennalitatem, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo reducimus, eiusdemque Congregationis capitulo generali, ac superiori et monachis, ut eiusdem monasterii abbatem post dictum cessum vel decessum de caetero de triennio in triennium iuxta regularia eorum instituta praedicta, libere, prout caeterorum ipsius Congregationis monasteriorum superiores eligere solent et possunt, eligere valeant, facultatem concedimus et impertimur, ac ordinamus. Insuper, quamcumque cessionem regiminis et administrationis dicti monasterii per dictum Ioannem abbatem, etiam in manibus nostris, tam in Romana Curia quam extra eam, etiam coram notario et testibus sponte factam, si quae tamen facta est, aut deinceps quandocumque faciendam, praeterquam in favorem eiusdem Congregationis admittendam non esse, et quatenus forsan admissa fuerit, provisionem seu commendam eiusdem monasterii in cuiusvis favorem, etiam apostolica auctoritate forsan factam, aut deinceps faciendam, nullam, irritam et inanem, ac nullius roboris et momenti fuisse et fore, ac nemini umquam suffragari debere, sed per praesentes omnino revocatam et annullatam, prout ex nunc revocamus et annullamus, fore et esse accenseri.

Clausulae.

§ 4. Praesentes quoque litteras, etiam ex eo quod idem Ioannes abbas praemissis non consenserit, nec ad ea vocatus et auditus fuerit, de nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, seu alio quocumque defectu notari vel impugnari, aut infringi, rescindi, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque gratiae vel iustitiae remedium impetrari nullatenus posse, sed semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac eidem Congregationi in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Sicque et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Exequutores deputati.

§ 5. Quocirca dilectis filiis Tholosanensi, Remensi et Lombardiensi officialibus per praesentes committimus et mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte superioris generalis dictae Congregationis fuerint requisiti, solemniter publicantes, ac in praemissis eidem Congregationi efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, Congregationem ipsam eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eam desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet ac praemissis non parentes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato

etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem monasterii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem monasterio, illiusque abbati et conventui, aut aliis quibuscumque in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die IV maii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 4 maii 1602, pontif. an. XI.

CCLXXXII.

Commissio episcopo Eystettensi ut confirmet permutationem pagi Oberhausen, *ad ecclesiam Augustanam spectantis, cum pago* Eppisburg, *ad praedictam civitatem pertinente, inter episcopum et magistratum Augustanum factam, quatenus eidem Ecclesiae utilis comperiatur* [1].

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Venerabili fratri episcopo Eystettensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Causa permutationis faciendae.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit venerabilis frater Henricus episcopus Augustanus, quod, inter alia bona immobilia ad episcopatum et ecclesiam Augustanam pertinentia, extat haud longe a civitate Augustana pagus *Oberhausen* dictus, cui pago fluvius inter ipsum et civitatem praedictam interfluens natura loci depressioris ita imminet, praesertim cum imbribus aut nivalibus aquis intumescit, ut nisi continuis operibus intra alveum contineatur, praedicto pago gravissima damna inferat, immo brevi tempore ruinam ei allaturus videatur. Cui quidem malo antecessores praedicti Henrici episcopi pro viribus occurrere conati sunt; ac in construendis aggeribus et ripa munienda paucorum annorum spatio multa millia florenorum impenderunt. Verum occasione dictorum operum cum magistratu civitatis Augustanae in gravissimas lites et discordias inciderunt, cum dictus magistratus ab aliquot annis se huiusmodi munimentis, vi et armis, opponere coeperit, operariosque invadat, atque etiam vinculis et carceribus ad deserendum opus compellat; unde factum est ut non solum ripa, prout necessitas requirit, amplius non possit muniri, verum etiam opera maximis episcoporum sumptibus extructa, in irritum recidant cum evidenti periculo ipsius pagi; ac insuper, ob huiusmodi impedimenta et violentias, maxima exacerbatio inter partes exorta est, ex qua enormia scandala evenire timentur.

Permutatio.

§ 2. Hisce autem contentionibus et periculis e medio tollendis, in concordia generali nuper inter praedictum Henricum episcopum et magistratum dictae

civitatis tractata, ac, Deo dante, usque ad conclusionem perducta, nulla alia ratio aut via inveniri potuit, quam ut praedictus pagus *Oberhausen*, permutationis iure, in civitatem Augustanam transferatur, et cum alio pago ad dictam civitatem pertinente, *Eppisburg* nominato, eidem ecclesiae et episcopo aeque commodo et fructuoso permutetur.

Petitio confirmationis.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicta permutatio ecclesiae Augustanae multis nominibus utilis, et ad tollendas periculosas dissensiones necessaria videatur, indeque speretur constans et perpetua concordia inter dictas partes, qua semel constituta, negocio restituendae catholicae religionis in civitate Augustana utilius et fructuosius procurando, multum momenti procul dubio accesserit: propterea tam Henrici episcopi, quam etiam dilectorum filiorum magistratus eiusdem civitatis Augustanae nominibus nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio, de qua in rubrica.

§ 4. Nos igitur eosdem Henricum episcopum et magistratum civitatis Augustanae specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae (de cuius fide, prudentia et integritate plurimum in Domino confidimus) per praesentes committimus et mandamus, ut de praemissis te diligenter informes, et si per informationem eamdem, permutationem praedictam ecclesiae Augustanae utilem futuram esse compereris, eidem episcopo Augustano, eamdem permutationem (cum expressa tamen conditione, quod in utroque pago fides catholica, et illius cultus perpetuo retineatur ac conservetur, et iurisdictio ecclesiastica, illiusque liberum exercitium nullatenus impediatur) faciendi licentiam, auctoritate nostra apostolica, concedas; et, quatenus permutatio huiusmodi iam forsan facta sit, illam, eadem auctoritate, perpetuo confirmes et approbes, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, defectus, si qui desuper intervenerint, suppleas.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus felicis recordationis Symmachi, Pauli II, et aliorum Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem ecclesiae Augustanensis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die IV maii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 4 maii 1602, pontif. an. XI.

CCLXXXIII.

Confirmatio statuti archiepiscopi Coloniensis, Ecclesiae Hildeseimensis administratoris, quod octo praebendae eiusdem capituli Hildeseimensis presbyteratus et diaconatus ordinem annexum habeant [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Quaecumque ad divini cultus augumentum et ecclesiarum, praesertim ca-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

thedralium, decorem per earumdem ecclesiarum praesules provide statuta et ordinata esse comperimus, ea, cum a nobis petitur, apostolicae confirmationis robore libenter communimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Administrator ecclesiae Hildeseimen. ordines presbyteratus et diaconatus in capitulo cathedralis institui curat.

§ 1. Cum itaque, sicut venerabilis fratris Hernesti archiepiscopi Coloniensis, Sacri Romani Imperii principis electoris, et ecclesiae Hildeseimensis, ex dispensatione apostolica, administratoris nomine, nobis nuper expositum fuit, ipse Hernestus archiepiscopus et administrator animadvertens in praedicta ecclesia Hildeseimensi, ex obligatione singulari aut statuto, praebendas nullas esse, quibus presbyteratus sive diaconatus ordines annexi essent, atque inde evenisse ut his temporibus, et in illo loco haereticis provinciis circumquaque cincto, sufficientes presbyteri et diaconi ad obeunda divina officia non haberentur, aut facile haberi possent; ideo de unanimi capituli eiusdem ecclesiae consensu statuit et ordinavit, ut octo primo vacaturae praebendae, presbyteratus vicissim et diaconatus ordines annexos habere deberent, cuius statuti seu ordinationis exemplar est quod sequitur, videlicet: Hernestus, Dei gratia, electus et confirmatus archiepiscopus Coloniensis, Sacri Romani Imperii per Italiam archicancellarius et princeps elector, episcopus Leodiensis, administrator Hildeseimensis, Monasteriensis et Freisingensis, princeps Stabulensis, comes palatinus, Rheni, utriusque Bavariae, Angariae, Westphaliae et Bullionis dux, marchio Trancimontensis. Universis et singulis praesentes nostras ordinationis, statuti, designationis et distributionis litteras visuris, lecturis et legi audituris salutem in Domino. Cum in cathedrali ecclesia Hildeseimensi, cui ex dispensatione Sanctae Sedis Apostolicae tanquam perpetuus administrator praesumus, ex

Tenor mandati hac super re editi.

obligatione singulari aut statuto, praebendas nullas esse constet, quibus ordo presbyterii sive diaconatus annexus sit, atque inde evenerit, ut turbulentissimis hisce temporibus, et loco circumquaque haereticis provinciis cincto, sufficientes presbyteri et diaconi ad obeunda divina officia non habeantur, aut facile haberi queant; nos sacrorum canonum, et oecumenici Tridentini Concilii reformationi sess. XXIV, cap. XII, ac ipsius sedis metropolitanae Maguntinensis, cui praedicta nostra ecclesia tamquam suffraganea subest, vestigiis insistentes, huic malo occurrere, et remedium quaerere volentes, de unanimi consensu nostri capituli, statuendum et ordinandum esse duximus, prout et statuimus et ordinamus, quod octo praebendae in saepefata ecclesia (quas cum consilio eiusdem capituli oneribus huiusmodi commodissime gravari posse iudicaverimus, sive illae de SS. D. N. collatione sint, sive ex illius indulto earum nominatio ad nos, vel etiam capitulum pertinere contigerit) presbyteri et diaconatus ordinem annexum habere, et in perpetuum retinere debeant, prout eosdem Ordines illis, ex nunc prout ex tunc, et ex tunc prout ex nunc in futurum, annectimus et assignamus, ita videlicet, quod prima eiusmodi vacatura, presbyterii, secunda diaconatus, tertia rursus presbyterii, quarta diaconatus, quinta presbyterii, sexta diaconatus, septima presbyterii, octava diaconatus ordinem habere debeant, neque ullis deinceps conferri valeant, nisi ipso actu vel presbyter, vel diaconus respective fuerint, vel infra annum ad huiusmodi ordinem promoveri possint et velint, idque se praestituros medio iuramento confirment, et nisi illo anno elapso nobis capituloque nostro de eo sufficientem fidem fecerint, missamque in cathedrali ecclesia celebraverint, seu evangelium decantaverint,

atque ita per se divina officia obierint, eo ipso praebenda seu canonicatu privati sint, illaque et illae per eum vel eos, ad quem vel quos collatio seu provisio spectat, alii aeque qualificato, ut supra expressum est, conferri possit. In quorum omnium fidem et testimonium praesentem litteram desuper confectam, manus nostrae subscriptione, et sigilli subappensione iussimus et fecimus communiri. Et nos Arnoldus, praepositus, Fridericus, scholasticus senior, et totum capitulum ecclesiae Hildeseimensis praesentibus attestamur omnia et singula de nostro unanimi consensu, consilio et beneplacito statuta et ordinata, annexa esse et assignata. In quorum fidem sigillum nostrum maius praesentibus est appensum. Actum anno Domini millesimo sexcentesimo primo, feria quarta post Dominicam primam Adventus, in capitulo nostro generali.

Petit a Pontifice confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, pro firmiori dicti statuti seu ordinationis validitate Hernestus archiepiscopus et administrator cupiat illud auctoritatis apostolicae patrocinio communiri:

Confirmat Clemens.

§ 3. Nos eiusdem Hernesti archiepiscopi et administratoris pietatem et divini cultus zelum plurimum in Domino commendantes, eius supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum statutum et ordinationem, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae confirmationis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae illiusque praesuli, capitulo et canonicis, et quibusvis aliis personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die IV maii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 4 maii 1602, pontif. an. XI.

CCLXXXIV.

Quando fratres Minores Ordinis S. Francisci strictioris observantiae possint in eorum ecclesiis habere organa, paramenta et vasa preciosa [1].

In relatione data Papae proposilum est dubium;

Sanctissimus Dominus noster Dominus Clemens Papa octavus, *etc.* Facta ei per reverendissimos dominos reformatores apostolicos relatione memorialis fratris Pauli de Clanaro, visitatoris fratrum Minorum Sancti Francisci de strictiori observantia, Reformatorum nuncupatorum, provinciarum Romae, Tusciae, Marchiae, *etc.*, super dubio:

An Reformati possint habere organa et paramenta, et vasa preciosa.

§ 1. An dicti Reformati possint in eorum ecclesiis habere organa, paramenta et vasa ecclesiastica preciosa et excessiva, stante bulla eiusdem Sanctissimi Domini nostri, quae illos obligat ad observationem regulae Sancti Francisci, iuxta declarationes Nicolai tertii et Clementis quinti.

Declaratur negative.

§ 2. Sanctitas Sua declaravit et declarat, quod in ecclesiis, quas nunc habent et quas imposterum dicti Reformati aedificabunt, vel quovis modo obtinebunt, in quibus non sunt huiusmodi or-

1 Alia de his fratribus videri possunt in constit. XLIII, Clementis VII: *In suprema*, tom. VI, pag. 155.

gana, paramenta et vasa, non possint ea de novo facere, nec etiam si piorum eleemosynis, donatione vel quovis alio titulo offerrentur, seu fierent, illa acceptare, sed teneantur observare regulam cum declarationibus Nicolai tertii, Clementis quinti et septimi.

Exceptis casibus hic expressis.

§ 3. In Ecclesiis vero, quas nunc habent vel imposterum habebunt et acceptabunt, sive fratrum de familia, sive quavis alia concessione obtinebunt, in quibus essent huiusmodi organa, paramenta et vasa eisdem ecclesiis applicata, Sanctitas Sua concedit quod, sine scrupulo aliquo et conscientiae onere, possint ea tenere et illis uti, donec duraverint.

Datum die Dominico v maii MDCII.

CCLXXXV.

Facultas archiepiscopo Valentinensi convertendi summam LX *millium librarum ex pensionibus impositis pro erectione et dotatione parochialium, in emptionem reddituum perpetuorum pro manutentione collegii puerorum ex genere Maurorum nuper conversorum, et erectione seminarii puellarum eiusdem generis* [1].

Venerabili fratri Ioanni archiepiscopo Valentinensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Philippus rex ad propagandam et firmandam fidem catholicam inter Maurorum filios, unum puerorum, alterum puellarum seminarium in regno Valentiae erigi studet.

Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod cum in regno Valentiae quamplurimi de genere Maurorum a maumethana secta ad christianam fidem noviter conversi reperiantur, qui, ut experientia docuit, illius perfidae, et eorum antiquae sectae memoriam cordibus infixam retinentes, in christiana fide parum proficiunt, idem Philippus rex, pro sui singulari pietate et catholicae fidei zelo, antecessorum suorum clarae memoriae regum exemplo, huic malo occurrere cupiens, de praelatorum et aliarum ecclesiasticarum et piarum personarum eiusdem regni consilio, censuit, ultra erectiones et fundationes parochialium ecclesiarum in locis, in quibus ipsi novi christiani de genere Maurorum habitant (ad effectum ut illi proprios rectores habentes, eorum doctrina, verbo Dei et exemplo boni operis in christiana doctrina, piis etiam moribus educarentur, et iis assuescerent) iam factas, valde opportunum et efficax remedium fore ut filii dictorum christianorum, tam masculi quam foeminae, in aliquibus seminariis et collegiis, virtutibus christianis, ac moribus et doctrina ecclesiasticis imbuerentur, ex quo iidem noviter conversi maximum beneficium consequerentur, ut experientia in quodam parvo collegio ad hunc effectum in civitate Valentiae per inclitae memoriae Carolum V, Romanorum imperatorem, ut dicitur, fundato facta docuit; inde ex ipsis novis christianis de genere Maurorum ibidem educatis, aliqui in christiana doctrina et moribus docti prodierunt, qui non solum in christiana religione perseverarunt, sed aliis etiam de eodem genere Maurorum exemplo et doctrina valde profuerunt. Et propterea maxime expediens fore, ut praedictum collegium a Carolo V fundatum ampliaretur, ac unum seminarium pro educatione puellarum de dicto genere Maurorum erigeretur.

Iis nonnullas pensiones ab archiepiscopo Valentinensi iam depositatas pro

§ 2. Quia vero, ut eadem expositio subiungebat, in tabula depositi istius civitatis Valentinensis magna pecuniarum

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

erectione parochiarum petit applicari.

summa ex fructibus mensae tuae archiepiscopalis depositata reperitur, pro terminis decursis unius annuae pensionis perpetuae trium millium et sexcentorum ducatorum, ac aliarum forsan pensionum super eisdem fructibus, apostolica auctoritate, de consensu similis memoriae Philippi II Hispaniarum regis catholici impositarum, ad effectum ut ex illa fundationibus et dotationibus ecclesiarum parochialium et ornamentis ecclesiasticis provideretur, quae summa in nullos adhuc usus conversa fuit, idem Philippus rex cuperet ex praedicta summa, ut praefertur, depositata, et aliis dictae pensionis terminis hactenus decursis, summam sexaginta millium librarum monetae dicti regni in aliquorum perpetuorum redituum emptionem converti, ipsosque reditus (firmo semper remanente capitali) pro ampliatione et manutentione praedicti collegii perpetuo applicari; residuum vero dictarum pecuniarum depositatarum, et terminorum praedictae pensionis hactenus decursorum in similem emptionem aliorum perpetuorum redituum pariter converti, ipsosque reditus, firmo similiter remanente capitali, pro erectione, fundatione et manutentione unius seminarii in eadem civitate Valentina pro educatione et instructione puellarum de genere Maurorum huiusmodi, pariter perpetuo applicari et assignari. Quare nobis humiliter supplicari fecit, ut opportunam ad hoc licentiam et facultatem concedere de benignitate apostolica dignaremur.

Clemens eas applicandi archiepiscopo facultatem concedit.

§ 3. Nos igitur, qui pro nostro pastorali munere ad ea libenter intendimus, per quae catholicae religionis stabilimento et propagationi, ac animarum saluti consulitur, eiusdem Philippi regis pio desiderio, quantum in Domino possumus, annuere cupientes, ac singularum litterarum apostolicarum super erectione et fundatione dictarum ecclesiarum parochialium, et super reservatione pensionis expeditarum tenores, ac veram summam dictarum pecuniarum in tabula dicti depositi, et terminis decursis dictae pensionis depositatarum, praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, ut ex dictis pecuniis sic depositatis, summam sexaginta millium librarum monetae istarum partium recipere, eamque in emptionem bonorum stabilium aut aliorum perpetuorum redituum convertere, ipsosque reditus, firmo semper remanente capitali, praedicto collegio pro illius ampliatione et manutentione perpetuo applicare; necnon reliquam summam pecuniarum in dicta tabula depositatarum, nec non etiam aliorum terminorum dictae pensionis hactenus decursorum, in aliorum bonorum stabilium, aut perpetuorum redituum similium pariter convertere, ipsosque reditus, firmo remanente capitali, ut praefertur, pro erectione, fundatione et manutentione unius seminarii in eadem civitate Valentina, pro educandis et instruendis in fide et moribus christianis puellis de dicto genere Maurorum, perpetuo pariter applicare et assignare, auctoritate nostra apostolica, possis et valeas, eadem auctoritate, tenore praesentium, plenam, liberam et amplam facultatem concedimus et impertimur.

Adiudicata eidem archiepiscopo omnimoda super his seminariis auctoritate.

§ 4. Volumus autem ut collegium et seminarium huiusmodi sub tua et successorum tuorum ecclesiae Valentinensis praesulum obedientia et cura perpetuo permaneant, tuque et tui successores praedicti rectores et administratores (de consensu tamen dicti regis) deputare et ab eisdem rationes eorum administrationis exigere, ac statuta quaecumque, et ordinationes pro gubernio collegii et seminarii praedictorum, et alia quomodolibet opportuna facere, et exequi possis

et valeas; quae omnia et singula, per te, ut praefertur, facienda, perpetuo valida, firma et efficacia fore et esse; praesentes quoque litteras, etiam ex eo quod quicumque interesse habentes, seu praetendentes vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, vel redargui, aut alias quomodolibet infringi, revocari, annullari, suspendi vel limitari nullatenus posse; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernas.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac litteris reservationis dictae pensionis, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum pensionem praedictam firmam remanere, ac imposterum in eos, ad quos destinata existit, usus omnino converti debere volumus et declaramus.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die VI maii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 6 maii 1602, pont. an. XI.

CCLXXXVI.

Praefinitio formae communicationis indulgentiarum, orationumque, ac aliorum bonorum operum, servanda a fratribus Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, statis diebus, quibus ipsi generalem benedictionem facere consueverunt [1].

1 Eamdem fere constitutionem pro fratribus Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum legere est in constit. CCLXII: *Cum nos*, ut sup., pag. 717.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem, ea quae de eius mandato per Congregationes Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, praesertim circa spiritualia regularium Ordinum exercitia, provide statuta et ordinata sunt, ut perpetuo firma et inviolata serventur, apostolicae confirmationis robore communire, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Facti series.

§ 1. Cum itaque in Congregatione venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super Sacris Ritibus et caeremoniis deputatorum quoad institutum et ritum absolutionis, quam vocant, et communicationem indulgentiarum, quae fieri solebat a duabus Congregationibus Regularium, videlicet Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, et B. Mariae de Mercede, etiam Redemptionis Captivorum, de mandato nostro statutum et ordinatum fuerit in hunc, qui sequitur, modum, videlicet:

De mandato huius Pontificis.

§ 2. Sacra Congregatio Rituum, quoad institutum et ritum absolutionis, quam vocant, et communicationem indulgentiarum, quae fieri solet a duabus Congregationibus Regularium, videlicet SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, et Beatae Mariae de Mercede, etiam Redemptionis Captivorum, de mandato S. D. N. statuit et decrevit in hunc, qui sequitur, modum.

Congregatio card. super ritibus et caeremoniis deputatorum formam praefinivit communicationis indulgentiarum.

§ 3. Non fiat absolutio, sed fiat communicatio indulgentiarum, quas utraque Congregatio ex concessione et indulto Sedis Apostolicae potest etiam aliis communicare. Haec communicatio fiat tantum confratribus et consororibus ambarum Congregationum, et non aliis. Liceat facere dictam communicationem diebus utrique Congregationi et Ordini consuetis, seu a Sede Apostolica concessis, cum eisdem psalmis, versiculis et orationibus,

quae iam Romae recognitae, et a reverendissimo vicario Sanctitatis Suae probatae sunt. Ad dictam communicationem indulgentiarum singulis dictis diebus obtinendam, confratres et consorores supradicti sint contriti et confessi, et sacrosanctae Eucharistiae communione refecti, alias dictas indulgentias non consequantur.

Et eidem Congregationi formam communicationis praescripsit bonorum operum.

§ 4. De communicatione orationum, ieiuniorum, missarum aliorumque bonorum operum, quae fiunt in utraque Congregatione et Ordine, quamvis non sit usitatum, eam ita generatim fieri, sed certis tantum personis et benefactoribus, tamen Sanctitas Sua non prohibet id fieri supradictis diebus, omnibus, qui praesentes fuerint, confratribus tantum et sororibus, ut de indulgentiis supra dictum est.

Communicationis forma.

§ 5. Forma tamen huius communicationis fiat nudis et simplicibus verbis in hunc fere modum, videlicet: Item communicamus vobis, fratres, orationes, ieiunia, missas, peregrinationes et labores pro redimendis etiam captivis susceptos, caeteraque opera bona, quae per Dei gratiam in nostra Congregatione et Ordine fiunt. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Prohibitio publice invitandi populum ad consequendas eiusmodi communicationes.

§ 6. Prohibet expresse Sanctitas Sua, ne populus in civitatibus, terris et locis publice invitetur a dictis Congregationibus ad suas ecclesias ad consequendam supradictam communicationem indulgentiarum et bonorum operum, hoc est in plateis, viis et locis publicis non apponantur cedulae impressae seu manuscriptae, quibus indicatur et promulgetur talis communicatio indulgentiarum.

Emendatio formae d. communicationis a vicario Pontificis iam editae.

§ 7. In ea forma communicationis indulgentiarum, quae ab illustrissimo et reverendissimo vicario Urbis recognita, et Congregationi seu Ordini Sanctissimae Trinitatis tradita est per novam orationem, et quae incipit: *Concedimus vobis*, verba illa, *in quantum vestra expetit oratio, et ad nos pertinet iurisdictio*, tamquam parum necessaria, omittantur. Item in ultima oratione, ubi dicitur: *Beato Petro Apostolo dedit licentiam animas ligandi*, verbum *licentiam* hoc loco, tanquam non satis accommodatum, deleatur, ponendo *potestatem*. Alexander Cardinalis Florentinus.

Hic idem Pontifex praedicta decreta congregationis approbat, et observari praecipit.

§ 8. Nos volentes decreta huiusmodi inviolate, perpetuo observari debere, motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, praedicta decreta de nostro speciali mandato edita esse declarantes, illa perpetuo confirmamus et approbamus, ac praedictas Congregationes et eorum religiosos inviolate, perpetuo, observare debere percipimus et mandamus.

Irritat in contrarium attentanda.

§ 9. Irritum nihilominus et inane decernentes quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, et cuiusvis alterius concessionis, etiam a nobis, et Apostolica Sede obtentae, quam ad praesentium formam specialiter reducimus, praetextu, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac earumdem Congregationum et Ordinum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis et cuilibet illarum, sub quibuscumque tenoribus et formis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 11. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, eadem fides habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die IX maii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 9 maii 1602, pontif. an. XI.

CCLXXXVII.

Breviarii Romani iussu Pii V olim restituti et editi, et deinde perperam in aliquibus immutati, iterata restitutio, cum permissione Breviariorum iam impressorum, et prohibitione novum aliter de caetero imprimendi [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Orandi varietas in Ecclesia Dei vitanda est.

Cum in Ecclesia Catholica a Christo Domino nostro sub uno capite, eius in terris vicario, instituta, unio, et earum rerum, quae ad Dei gloriam et debitum ecclesiasticarum personarum officium spectant, conformatio semper conservanda sit, tum praecipue illa communio uni Deo, una et eadem formula preces adhibendi, quae Romano Breviario continetur, perpetuo retinenda est, ut Deus in Ecclesia per universum orbem diffusa, uno et eodem orandi et psallendi ordine, a christifidelibus semper laudetur et invocetur.

Ideo Pius V Breviarium Romanum restituit et immutationem prohibuit.

§ 1. Quamobrem ex decreto sacri Concilii Tridentini, felicis recordationis Pius Papa V, praedecessor noster, pie ac sapienter admodum varietatem illam Breviariorum, quae in singulis Ecclesiis fere diversa habebantur, nonnullis tantum exceptis, sustulit, ac ipsum Breviarium restituit, et Romae accuratissime imprimi et promulgari curavit, quod ut integrum, inviolatumque ab omnibus haberetur, debita provisione adhibita, inter alia statuit, ne ullo umquam tempore, in totum vel ex parte mutaretur, aut illi aliquid adderetur, vel omnino detraheretur, sub poenis in eadem constitutione contentis.

Attamen immutatum in multis fuit;

§ 2. Cum vero, progressu temporis, typographorum negligentia et incuria, et nimia aliorum, etiam ea quae ad ipsos non pertinent, temere sibi assumentium licentia et audacia, multi errores in illud irrepserint, ac tum in sacra Scriptura et lectionibus Patrum, tum in vitis Sanctorum, Rubricis, aliisque locis, sine nostra et Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, auctoritate, pro cuiusque arbitrio pleraque addita et immutata fuerint, ita ut nulla iam reperiantur Breviaria, quae a prima editione eiusdem Pii in multis non discrepent atque dissentiant, et aliqua recognitione non indigeant:

Hic propterea Pontif. Breviarium iterum inspici et examinari, et restitui mandavit et Romae in typographia Vaticana imprimi fecit.

§ 3. Nos, qui pro pastorali nostra sollicitudine in eam curam praecipue incumbimus ut ea, quae a praedecessoribus nostris sancte ac pie instituta sunt, perpetuo integra et inviolata conserventur; quae vero hominum culpa immutata sunt atque corrupta, et quae recognitionem exigunt, in pristinum statum restituantur et reformentur, mandavimus nonnullis piis et eruditis viris (quorum consultatione et opera in huiusmodi rebus frequenter utimur) ut idem Breviarium, nova adhibita diligentia, accuratius inspicerent atque examinarent, et ea, quae depravata esse et recognitione indigere animadverterent, pro sua doctrina et pietate restituerent. Quod cum ab iis exacte ac profecto non mediocri cum emolumento praestitum fuerit, ita ut ex superiori illo incommodo per occasionem non parum utilitatis provenerit; nos illud in nostra typographia Vaticana quam emendatissime imprimi ac divulgari iussimus.

§ 4. Ut autem illius usus in omnibus

1 Hanc Pii V primam restitutionem inspice in ipsius constitut. CI: *Quod a nobis*, tom. VII, pag. 685.

Illud non alibi quam in dicta typographia de caetero imprimi posse iubet, nisi praevia inquisitorum, et iis non extantibus, licentia Ordinariorum.

christiani orbis partibus perpetuis futuris temporibus conservetur, ipsum Breviarium in alma Urbe nostra in eadem typographia tantum, et non alibi, imprimi posse decernimus; extra Urbem vero iuxta exemplar in dicta typographia nunc editum, et non aliter, hac lege imprimi posse permittimus, ut nimirum typographis quibuscumque illud imprimere volentibus, id facere liceat, requisita tamen prius et in scriptis obtenta dilectorum filiorum Inquisitorum haereticae pravitatis in iis locis, in quibus fuerint, ubi vero non fuerint, Ordinariorum locorum licentia.

Typographis aliter vel alibi imprimentibus, atque bibliopolis vendentibus imponit poenas,

§ 5. Alioquin si, absque huiusmodi licentia, dictum Breviarium sub quacumque forma de caetero ipsi imprimere, aut bibliopolae vendere praesumpserint, typographi bibliopolae extra Statum nostrum Ecclesiasticum existentes excommunicationis latae sententiae, a qua nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, in alma vero Urbe ac reliquo Statu Ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum et typorum omnium Camerae Apostolicae applicandorum poenas, absque alia declaratione, irremissibiliter incurrant eo ipso. Et nihilominus eorumdem Breviariorum (per eos de caetero, absque huiusmodi licentia, imprimendorum aut vendendorum) usum, ubique locorum et gentium, sub eisdem poenis, perpetuo interdicimus et prohibemus.

Licentiarumque sic concedendarum formam praescribit.

§ 6. Ipsi autem Inquisitores seu Ordinarii locorum, antequam huiusmodi licentiam concedant, Breviaria ab ipsis typographis imprimenda, et postquam impressa fuerint, cum hoc Breviario, auctoritate nostra recognito et nunc impresso, diligentissime conferant, nec in illis aliquid addi vel detrahi permittant, neque in praemissis praetextu incuriae typographorum, aut non factae per correctores, aut alios ab ipsis forsan deputandos diligentiae, se aliquo modo excusare, quodque in infrascriptas poenas incurrerint, vel allegare valeant, et in ipsa licentia originali de collatione facta, et quod omnino concordent, manu propria attestentur, cuius licentiae copia initio vel in calce cuiusque Breviarii semper imprimatur. Quod si secus fecerint, Inquisitores videlicet privationis suorum officiorum ac inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda; antistites vero et Ordinarii locorum suspensionis a divinis ac interdicti ab ingressu ecclesiae; eorum vero vicarii privationis similiter officiorum et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa et alia imposterum obtinenda, ac praeterea excommunicationis, absque alia declaratione, ut praefertur, poenas incurrant eo ipso.

Usum vero iam impressorum Breviariorum permittit.

§ 7. Caeterum pauperum clericorum et aliarum personarum ecclesiasticarum, ac typographorum et bibliopolarum quorumcumque indemnitatis ex benignitate apostolica rationem habentes, eisdem Breviaria hactenus impressa penes se habentibus, ut ea retinere, et illis uti, eaque vendere respective possint, similiter permittimus et indulgemus.

Clausulas contrariorum derogatorias apponit.

§ 8. Non obstantibus licentiis, indultis et privilegiis quibuscumque typographis, hactenus per nos, seu Romanos Pontifices praedecessores nostros, Breviarium praedictum Pii praedecessoris imprimendi concessis, quae per praesentes expresse revocamus, et revocata esse volumus; necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis generalibus vel specialibus in contrarium praemissorum quomodocumque concessis, confirmatis et approbatis; quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa mentio habenda esset, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et

expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 9. Volumus autem, ut praesentium nostrarum litterarum exemplaribus, etiam in ipsis Breviariis nunc impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Transumptis credi iubet.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die x maii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 10 maii 1602, pontif. an. XI.

CCLXXXVIII.

Confirmatio erectionis et dotationis parochialium ecclesiarum in locis dioecesis Dertusensis pro instructione Maurorum recenter ad fidem catholicam conversorum, iuxta taxam a delegatis ab episcopo Dertutensi factam [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo Pontificis fidei christianae propagandae.

Apostolici muneris nobis licet immeritis divina disponente clementia impositi ratio postulat, ut qui universalis Ecclesiae regimini praesidemus, ipsi de cunctorum christifidelium animarum salute, et de catholica fide confirmanda et propaganda assidue cogitemus, atque in his, quae per catholicos reges ad hunc etiam finem directa fuisse dignoscuntur, apostolicae nostrae auctoritatis partes libenter interponamus.

Gregor. XIII nonnullas parochias erigi curaverat pro instructione Maurorum ad christianam fidem conversorum.

§ 1. Alias siquidem pro parte clarae memoriae Philippi secundi Hispaniarum regis catholici nobis exposito, quod licet pro instructione Moriscorum seu a Mauris ad christianam fidem iamdudum conversis descendentium, regni Valentiae, alias complures iam fuissent in eodem regno parochiales ecclesiae et vicariae erectae et dotatae, etiam vigore litterarum felicis recordationis Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri, die XVII iulii MDLXXVI et XXX augusti mensium MDLXXVII annorum Domini in forma brevis expeditarum. Quia tamen pro meliori et commodiori eorumdem Moriscorum, seu noviter conversorum, eorumque descendentium in catholica fide et doctrina educatione et institutione expediebat alias itidem de novo erigere parochiales ecclesias et vicarias in Valentinensi et Dertusensi, Segobricensi et Oriolensi dioecesibus, ac iam erectas et minus congrue dotatas, dotibus seu reditibus et proventibus augere, prout venerabiles fratres archiepiscopus Valentinensis ac Dertusensis, Segobricensis et Oriolensis episcopi, vel ad id per eos deputandae personae idoneae magis opus et expediens esse cognovissent; idem Philippus rex cupiebat per nos in praemissis opportune provideri.

Novas tamen erigi, erectasque magis congrue dotari petit Philippus II.

§ 2. Nos pium eiusdem Philippi regis zelum plurimum in Domino commendantes, ac quorumcumque eiusdem Gregorii praedecessoris, et aliarum desuper forsan expeditarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, eiusdem Philippi regis in ea parte supplicationibus inclinati, eisdem archiepiscopo Valentinensi ac Dertusensi, Segobricensi et Oriolensi episcopis dedimus in mandatis, quatenus quilibet eorum, in suis respective dioecesibus, Morisci, seu a Mauris descendentes praedicti inhabitant, ubi parochiales ecclesiae aut vicariae nondum erant erectae, et alias erigere, dotare, dividere, seu dotes adaugere et fundare oporteret, seu expedire visum foret, erectiones, fundationes, divisiones,

Clemens mandavit nonnullis regni Valentiae episcopis ut regiis votis facerent satis, concessitque eis necessarias facultates.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

distinctiones, applicationes, taxas et taxationes, dotationes, dotiumque iam factarum et attributarum, ac redituum et proventuum adauctiones huiusmodi, sive iuxta earumdem Gregorii praedecessoris litterarum formam, sive iuxta aliarum per eosdem archiepiscopum et episcopos, simul vel seorsim, faciendam et praescribendam, prout eis magis et melius expedire videretur, designarent, et particulariter specificarent, illasque designatas et specificatas ac in scriptis diligenter redactas ad nos et hanc Sanctam Sedem Apostolicam transmitterent, ut quod magis ad Dei laudem, et praedictorum Moriscorum, seu noviter conversorum institutionem, et utilitatem, et aliarum ecclesiarum indemnitatem spectare cognovissemus, statuere, decernere et ordinare valeremus, dantes et concedentes eisdem archiepiscopo et episcopis, et cuilibet eorum in praemissis omnibus et singulis, auctoritate nostra apostolica, plenam, liberam, amplam et omnimodam auctoritatem et potestatem, prout in nostris in simili forma brevis, sub die XXVII februarii MDXCVII, pontificatus nostri anno sexto expeditis litteris plenius continetur.

Episcopus Derthusensis sexdecim parochiales erigit fundatque.

§ 3. Cum autem, sicut nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, ac bonae memoriae Gasparis episcopi Dertusensis nobis expositum fuit, idem Gaspar episcopus mandatis nostris huiusmodi obediens, et pastoralis officii sui debitum adimplere procurans, totis viribus incumbens, universa oppida suae dioecesis Dertusensis (quae noviter conversi huiusmodi, et seu eorum descendentes incolunt) perlustraverit, et his omnibus et singulis, quae pro debita mandatorum nostrorum exequutione et praedictorum noviter conversorum in vera et catholica fide instructione expediri visa fuerunt, maturius consideratis, ac diligenti cura perpensis, considerans in eius Dertusensi dioecesi, in qua sexdecim noviter conversorum huiusmodi oppida, ut inferius designabitur, continentur, ut neophyti praedicti simili et communi omnium instructione fidei catholicae praeceptis imbui, et fidei huiusmodi incrementa suscipere valerent, fieri oportebat; ea propter normam venerabilis fratris archiepiscopi Valentinensis, qui vigore dictarum litterarum Gregorii XIII, diversas parochiales ecclesias et vicarias instituit, insequendo erectiones, fundationes, divisiones, distinctiones, dotiumque iam factarum et attributarum, ac redituum et proventuum parochialium ecclesiarum et vicariarum huiusmodi in eius dioecesi in hanc, quae sequitur, formam designavit, videlicet:

Litterae episcopi ad Pontificem hac super re.

Sanctissimo Domino nostro Domino Clementi divina providentia Papae VIII, Gaspar episcopus Dertusensis, post pedum osculum, debitam obedientiam et reverentiam. Recepi litteras vestrae Sanctitatis, seu earum transumptum in forma brevis, ad preces et supplicationem Philippi Hispaniarum regis catholici et potentissimi expeditas, et infra insertas, quas praefatus rex fidei zelo, iure quasi haereditario a patre in filium devoluto, studioque sancto eruendi omnino Moriscos, seu noviter ad fidem conversos, ab erroribus et insaniis mahometanis ad me transmisit, petens ac mandans ut ad executionem litterarum procederem, omniaque in eis contenta adimplerem, quarum litterarum tenor sequitur, et est talis:

Refert litteras sibi a Pontifice datas.

In Nomine Sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Noverint universi et singuli praesentis publici transumpti instrumentum visuri, lecturi pariter et legi audituri, quod nos Ors Arcelus Sanctes, protonotarius apostolicus Sanctissimi Domini nostri Papae, eiusque camerarius, necnon Curiae causarum Camerae Apo-

stolicae generalis auditor, Romanaeque Curiae iudex ordinarius, sententiarum quoque et censurarum tam in eadem Romana Curia, quam extra eam latarum et quarumcumque litterarum apostolicarum universalis et merus exequutor ab eodem Sanctissimo Domino nostro Papa specialiter deputatus. Habuimus, vidimus, legimus et diligenter inspeximus litteras apostolicas Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Domini Clementis divina providentia Papae VIII, in forma brevis, sub annulo Piscatoris more Romanae Curiae debite expeditas super dotatione parochialium Maurorum, sanas et integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua earum parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes, prout in eis prima facie apparebat, quarum quidem litterarum tenor et continentia erat talis, videlicet: Venerabilibus fratribus archiepiscopo Valentinensi, ac episcopis Dertusensi, Segobricensi et Oriolensi Clemens Papa VIII. Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecit charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex catholicus, quod licet pro instructione Moriscorum, seu a Mauris ad christianam fidem iamdudum conversis descendentium, regni Valentiae, alias complures iam fuerint in eodem regno parochiales ecclesiae et vicariae erectae et dotatae, etiam vigore litterarum felicis recordationis Gregorii Papae XIII, die XVI iulii MDLXXVI et XXX augusti mensium, MDLXXVII annorum Domini in forma brevis expeditarum: quia tamen pro meliori et commodiori eorumdem Moriscorum, seu noviter conversorum, eorumque descendentium in catholica fide et doctrina educatione et institutione, expedit alias itidem de novo erigere parochiales ecclesias et vicarias in vestris dioecesibus, ac praesertim Segobricensi, Dertusensi et Oriolensi; ac iam erectas et minus congrue dotatas, dotibus seu reditibus et proventibus augere, prout fraternitates vestrae, vel ad id per eas deputandae personae idoneae, magis opus et expediens esse cognoverint; idcirco idem rex nobis humiliter supplicari curavit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur pium eiusdem Philippi regis zelum plurimum in Domino commendantes, ac quorumcumque eiusdem Gregorii praedecessoris, et aliarum desuper forsan expeditarum litterarum tenores praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eisdem fraternitatibus vestris, apostolica auctoritate nostra, tenore praesentium, committimus et mandamus, quatenus quilibet vestrum in suis respective dioecesibus, terris et locis, in quibus Morisci, seu a Mauris descendentes praedicti inhabitant, ubi parochiales ecclesiae seu vicariae nondum erectae sunt, et alias erigere, dotare, dividere, seu dotes adaugere et fundare oportebit, seu expedire visum fuerit, erectiones, fundationes, divisiones, distinctiones, applicationes, taxas et taxationes, dotationes, dotiumque iam factarum et attributarum, ac redituum et proventuum adauctiones huiusmodi, sive iuxta earumdem Gregorii praecedessoris litterarum formam, sive iuxta aliarum per vos, simul vel seorsim, faciendarum et praescribendarum, prout vobis magis et melius expedire videbitur, designetis et particulariter specificetis, illasque designatas ac specificatas, et in scriptis diligenter redactas, ad nos et hanc Sanctam Apostolicam Sedem transmittatis, ut quod magis ad Dei laudem, et ipsorum Moriscorum, seu noviter conversorum institutionem et utilitatem, ac aliarum ecclesiarum indemnitatem spectare cognoverimus, statuere, decernere et or-

Quibus insertae erant litterae Clementis PP. ad episcopos, de quibus supra.

dinare valeamus: dantes et concedentes fraternitatibus vestris, et cuilibet vestrum in praemissis omnibus et singulis, auctoritate nostra apostolica praefata, tenore praesentium, plenam et omnimodam auctoritatem, facultatem et potestatem. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII februarii MDXCVII, pontificatus nostri anno sexto. Locus ✠ annuli Piscatoris, M. Vestrius Barbianus. Quibus quidem litteris diligenter inspectis, eas ad requisitionem illustris viri domini Lauri Dubuil potentissimi et invictissimi Domini Philippi Hispaniarum regis catholici in Romana Curia agentis exemplari, transumi et in hanc publicam transumpti formam redigi mandavimus, decernentes ac volentes, ut huic praesenti transumpto publico cum suis originalibus litteris diligenter collationato, talis tantaque fides adhibeatur, qualis et quanta adhiberetur ipsis originalibus, si forent exhibitae vel ostensae. Quibus omnibus et singulis auctoritatem nostram ordinariam interposuimus, et decretum. In quorum omnium et singulorum fidem praesens transumptum exinde fieri, et per notarium infrascriptum subscribi, sigilliique nostri, quo in talibus utimur, iussimus et fecimus appensione muniri. Datum Romae in aedibus nostrae solitae habitationis sub anno a Nativitate Domini nostri Iesu Christi MDXCVII, indictione X, die vero II mensis martii, pontificatus praelibati Sanctissimi Domini nostri Clementis Papae VIII anno eius sexto. T. Lapius locumtenen. I. Franciscus Ugolinus Curiae causarum Camerae Apostolicae notarius. Post quarum quidem litterarum, seu illarum transumpti plenam fidem facientis receptionem, volens mandatis vestrae Sanctitatis, tamquam filius obedientiae, obtemperare, eaque ad debitum effectum deducere, ac simul Philippo invictissimo regi morem gerere, eximioque ac sancto suae Maiestatis studio satisfacere, in causa mihi commissa et exacta diligentia adhibita incumbere, eamque urgere coepi. Eo tamen commodius et citius perficere negocium potui, quod Felicianus Figueroa praecentor Ecclesiae Valentinensis, ac officialis et vicarius generalis huius dioecesis Dertusensis, vir doctrina ac in rebus agendis experientia, iustitia, zelo et in catholicam religionem studio, probitate, necnon caeteris virtutibus, quibus eum largitor Altissimus larga manu decoravit, insignis, summa prudentia et diligentia laudabiliter fuisset negocium istud exequutus: hic namque accesserat antea, sequens mandatum regis Philippi, ad omnia quae in hac dioecesi sunt Moriscorum oppida et loca, et in quibus parochiales ecclesias erigi expediat, quasque dotare, dividere, seu dotes adaugere et fundare oporteat, investigaverat ac perspexerat, erectiones, fundationes, divisiones, distinctiones, dotiumque causa factarum et attributarum, ac redituum et proventuum adauctiones quomodolibet factas et faciendas collegerat et praescripserat, omniaque et singula necessaria et opportuna designaverat, et particulariter specificaverat. Receptis vero litteris vestrae Sanctitatis, quae egregie inchoaverat, solerter ac legitime peregit, praecipiente rege Philippo, qui ut Morisci, destructis illorum erroribus, quibus aestuant, fidei catholicae veritatem agnoscant et sequantur, serio invigilat, et omni studio, omni pietate et diligentia, eos ab insaniis mahometicis divellere nititur: omnia autem et singula a dicto Feliciano Figueroa facta, idem rex catholicus laudavit et expedire iudicavit. Idem, et ego sentio, eademque approbo, sicuti bonam partem

Obtemperando Pontificiis mandatis,

Nonnullos ad huiusmodi erectionem et dotationem faciendam deputat.

Et quae illi gessere iudicio Sedis Apostolicae supponit.

retuli et probavi in visitatione liminum Apostolorum per nuncium circa haec, et alia instructum, adiecta earum rerum notatione, quae mihi observatione dignae visae sunt. Itaque quidquid per dictum Felicianum Figueroa collectum et elaboratum est, ad Sanctam Sedem Apostolicam transmitto, ut Sanctitas Vestra, quod magis ad Dei laudem et ipsorum Moriscorum, seu noviter conversorum, institutionem et utilitatem, ac aliarum ecclesiarum indemnitatem spectare cognoverit, statuere, decernere et ordinare valeat, ad quae omnia peragenda supplex precor, ut optima Vestrae Sanctitatis voluntas in summa potestate non desit, cui nihil potest esse praeclarius et optabilius, quam ut ager Dominicus a sentibus adeo pungentibus purgetur, et ulceribus tam putridis et rancidis remedium necessarium applicetur, ut expulsa Moriscorum perfidia, profligataque inentium caligine, splendore evangelicae doctrinae coecitas ab eorum animis propulsetur, nec commovere se possit deinceps error, quin, quam primum emerserit, comprimatur. Tenor vero eorum, quae praemissa sunt, sequitur, et est talis.

Relatio locorum, in quibus Mauri degunt, et erectae vel dotatae sunt parochiae.

Forma erectionis, dismembrationis et dotationis de centum libris monetae Valentinae parochialium ecclesiarum in oppidis Maurorum nuper ad fidem catholicam conversorum, dioecesis Dertusensis, auctoritate ordinaria, ad voluntatem, zelum et directionem Philippi secundi Hispaniarum regis catholici facta.

Almanara, Lallosa et Chinches.

Oppidum *Lallosa* centum continet domos christianorum nuper ad fidem catholicam conversorum, ad mare situm, et incursibus infidelium Maurorum expositum. In eo parochialis ecclesia est sub invocatione Salvatoris totius mundi per commissarios apostolicos, ad supplicationem sacrae caesareae catholicae maiestatis Caroli V imperatoris, Hispaniarum regis, de anno MDXXXIV a Sancta Sede Apostolica tunc missos, dismembrata a parochiali ecclesia de Almanara, in parochialem erecta cum ei annexo oppido *Chinches*, et pro rectoris dote triginta libras ex primitiis utriusque oppidi commissarii praefati assignarunt. Postmodum vero de anno MDLXIX episcopus tunc Dertusensis horum forsan inscius eadem oppida a praefata parochiali de *Almanara* disiunxit, rectoremque in oppido Chinches residentem constituit cum salario quadraginta unius librarum a rectore de Almanara persolvendo ratione primitiarum, quas ex eisdem oppidis recipit cum obligatione duas missas diebus dominicis et festivis celebrandi, alteram in oppido Lallosa, alteram in oppido Chinches, quod a christianis veteranis incolitur. Et quoniam oppidum Lallosa habitatoribus abundat in fide catholica peculiariter instituendis, distatque ab oppido Chinches tertia parte leucae, oportetque in eo parochialis ecclesia cum suo proprio rectore ne maneat seiuncta ab ecclesia de Chinches, dotataque de centum libris pro substentatione rectoris quotannis existat, hoc videlicet modo: quod rector de Almanara solvat quadraginta libras monetae Valentinensis quolibet anno rectori de Lallosa ratione primitiarum, quas in eo oppido colligit, quae tantumdem fuerunt aestimatae, in quibus Gabriel Agras presbyter Valentinensis dictae parochialis quondam rector, cui reservata est annua pensio auctoritate apostolica centum sexaginta librarum, pro rata contribuere teneatur, habeatque propterea rector ius retinendi tres praeposituras sedis Dertusensis, quas videlicet obtinet hospitalarius, sacrista et archidiaconus de Borriol dignitates in ecclesia Dertusensi solvant

decem et octo libras, sex pro qualibet praepositura, ratione tertiae partis fructuum decimalium, quos inde recipiunt, qui valoris sunt quinquaginta librarum. Mensa vero episcopalis solvat triginta duas libras ad complementum centum librarum ratione fructuum decimalium, et ratione decreti per episcopos comprovinciales de anno MDLXXIII facti, quo ipsi et episcopus Dertusensis ad contribuendum de eorum mensis quidquid pro dotatione parochialium nuper ad fidem conversorum necessarium foret, se adstrinxerunt et promiserunt, et quocumque modo parochialis ecclesia de Almanara vacare contigerit, eo ipso primitiae oppidi de Lallosa ab ea separatae et dismembratae, ac ecclesiae parochiali et rectori de Lallosa applicatae in perpetuum maneant, et eo casu rector de Almanara sit liber a solutione dictarum quinquaginta librarum, et pensionarius praefatus teneatur adhuc contribuere pro rata supradicta. Oppidum praeterea Chinches disiunctum sit a parochiali de Lallosa, et presbytero seu rectori eius ecclesiae ministranti et residenti, rector de Almanara solvere teneatur quolibet anno illas quadraginta duas libras, quas antea solvebat pro servitio amborum oppidorum ratione primitiarum, quas ex oppido Chinches recipit, quae valoris sunt septuaginta librarum. Et quoniam ecclesia oppidi Lallosa, extra oppidum, in loco remoto et difficili mulierum et puerorum accessu sita est, et angusta nimis, aedificetur aliud templum capax et opportunum iuxta formam et situm designatum, et in eo turris pro tuitione personae rectoris ab infidelibus hostibus marinis, quem etiam iurati et universitas tueri et salvare teneantur, et de eo rationem reddere. Terrae vero et reditus olim mesquitae ecclesiae applicati maneant, et per rectorem et iuratos administrentur.

Vallis de Uxo, Benigafull, Alcudia, Cencia.

Vallis, quam dicunt de Uxo, cuius dominus temporalis est dux de Cardona, qui etiam dux erat Segobricensis, novem continet oppida, videlicet *Alcudia, Benigafull, Ceneia, Bonicahat, Zaneta, Benigarlo* (quae ita sunt vicina, ut penes sese contingant), *Castro, Alfandiguilla* et *Beniçabdon*, quae ab his sunt leuca una remotiora, omnia quingentis et novem domibus constant. Erat parochialis antiqua sub uno dumtaxat rectore viginti sex libris ex primitiis dotata, quas universitates dictorum locorum solvere consueverunt ratione primitiarum et decimarum, quas hodie penes se retinent, ex quadam concordia cum domino temporali dictae Vallis, ad quem ex privilegio apostolico pertinebant, antiquitus facta. Dominus enim temporalis dictas primitias et decimas eis tradidit et concessit, commutatione quorumdam censualium, in quibus dictae universitates pro eodem domino se obligaverant, et quae hodie persolvunt cum obligatione solvendi septuaginta quinque libras archidiacono maiori cathedralis ecclesiae Dertusensis pro compositione propter iura, quae ad certam partem decimarum ipsi archidiacono pertinere praetendebatur. Ab hac parochiali commissarii apostolici iam dicti, de anno MDXXXIV, oppida Castro, Alfandiguilla et Beniçabdon disiunxerunt, et in eis ecclesiam parochialem noviter erexerunt et dotarunt, prout infra dicetur. In caeteris vero sex oppidis parochialem antiquam reliquerunt cum uno rectore, qui duas missas celebrare teneretur, alteram in ecclesia oppidi de Alcudia, altera in ecclesia oppidi Beniçahat diebus dominicis et festivis, et pro dote ultra illas viginti sex libras, quas universitates praefatae pendebant, alias decem libras ei

applicarunt ex illis septuaginta quinque libris, quas praefatus archidiaconus Dertusensis, ratione iam dictae compositionis, recipit. Terras vero et reditus omnium olim mesquitarum dictae vallis, duci Segobricensi domino temporali applicarunt et consignarunt, cum obligatione reficiendi ecclesias et ornamenta, caeteraque necessaria providendi. Quae dotatio et applicatio nunc etiam constat, praeterquam quia dominus temporalis nec ecclesias refecit, nec ornamenta providit, sed ad eius preces universitates praefatae alias quadraginta quatuor libras pro substentatione rectoris auxerunt, qui fame peribat, quarum undecim solvebant universitates de Castro Alfandiguilla et Beniçabdon. Et quoniam praedicta sex oppida quamvis contigua, numerosa sunt plebis, itaut ab uno rectore minime in fide catholica instrui possint, oportet quod tria oppida Beniçahat, Zaneta et Benigarlo separentur ab ecclesia parochiali Vallis de Uxo, et in oppido Beniçahat erigatur ecclesia parochialis, et dotetur de centum libris, prout infra dicetur; et quod ecclesia parochialis antiqua maneat in oppido Benigafull, quod septuaginta sex domibus constat; habeatque pro annexis oppidum Alcudia octuaginta trium domorûm et oppidum Ceneia triginta domorum; omnes centum octuaginta domus; et quod habitatores praedictorum trium oppidorum conveniant pro divinis officiis audiendis ad ecclesiam de Benigafull, quae ibi aedificanda est. Et pro dote et substentatione rectoris assignantur et applicantur centum librae in hunc modum; applicantur viginti sex illae librae antiquae dotationis, quas universitates praedictae antea solvebant, et triginta tres librae applicantur ex illis quadraginta quatuor libris, quas universitates dictae Vallis in augumentum salarii dicti rectoris auxerunt; applicantur praeterea quadraginta una librae, quas universitates oppidorum Benigafull, Alcudia, Ceneia, Beniçahat, Zaneta et Benigarlo promiserunt et se obligarunt in perpetuum quotannis solvere praefato rectori de Benigafull ad complementum librarum, itaut sub eadem obligatione reliquae quinquaginta novem librae, quas antea solvebant praefato rectori, veniant ab ipsis solvendae ratione primitiarum et decimarum, quas penes se retinent, quae valoris sunt, facta recta computatione, quingentarûm librarum, quas centum libras simul et in solidum se obligarunt solvere, acto recepto per infrascriptum notarium die VII iunii MDXCVI. Templum vero aedificetur in oppido Benigafull commodum et capax, iuxta formam et situm iam assignatum; domus etiam rectoris habitationi congruens in loco designato. Agri et reditus olim mesquitarum a duce de Cardona seu Segobricensi exigantur et recipiantur, ecclesiaeque restituantur per rectorem et iuratos, non obstante applicatione per commissarios praedictos facta.

Beniçahat, Zaneta, Benigarlo.

Oppida *Beniçahat, Zaneta* et *Benigarlo* annexa sunt ecclesiae parochiali antiquae Vallis de Uxo, et per rectorem dictae Vallis ministrantur, qui diebus dominicis et festivis alteram missam in ecclesia de Beniçahat celebrat. Sed quoniam in oppido Beniçahat sunt centum decem et septem domus, et in oppido Zaneta octuaginta tres et in oppido Benigarlo triginta una, omnes ducentae triginta una domus; estque numerosa plebis multitudo, nec a rectore Vallis praefato, prout par est, in fide catholica instrui potest, oportet quod haec tria oppida a parochiali Vallis de Uxo disiungantur et separentur, exiunctaque et separata maneant, et in oppido Beniçahat erigatur, et de novo erecta maneat parochialis ecclesia sub

invocatione Assumptionis V. Mariae cum sacrario, sacristia, fonte baptismali, campanili, omnique alio pleno iure et privilegio ecclesiae parochialis, et cum suo proprio rectore, qui teneatur facere residentiam personalem, cui sint annexa oppida Zaneta et Benigarlo, et eorum habitatores teneantur ad eam pro divinis officiis audiendis et sacramentis recipiendis convenire, quam etiam futurus parochus et rector per concursum, iuxta Sacri Concilii Tridentini decretum, obtineat, teneaturque praefatos habitatores omnes in fide catholica erudire, et pro dote et congrua substentatione illi consignentur quotannis centum librae monetae Valentiae, hoc videlicet modo, quod archidiaconus maior Dertusensis ecclesiae ultra illas decem libras, quas solvebat rectori totius Vallis, solvat alias viginti libras, omnes triginta libras rectori et parochiali de Beniçahat ratione illarum septuaginta quinque librarum, quas pro compositione partis decimarum sibi competentis in dicta Valle recepit. Mensa vero episcopalis Dertusensis solvat septuaginta libras ratione illius decreti episcoporum comprovincialium de anno MDLXXIII superius relati, et iuspatronatus dictae rectoriae pertineat ad episcopum Dertusensem et ad archidiaconum maiorem alternis vicibus, et prima praesentatio spectet ad episcopum. Et quoniam ecclesia sub invocatione Assumptionis Virginis Mariae in oppido Beniçahat congruenter aedificata est et reparata, domusque illi contigua est, expensis universitatis mercetur, et habitationi rectoris consignetur. Reditus et agri, qui quondam fuerunt mesquitae, exigantur et recuperentur de manu ducis Segobricensis, seu de Cardona, et ecclesiae restituantur et applicentur, administrenturque per iuratos et rectorem de Beniçahat.

Castro, Alfandiguilla, Beniçabdon.

Oppidum *Castro,* Vallis de Uxo, simul cum annexo *Beniçabdon* quadraginta quinque continet domus christianorum nuper ad fidem conversorum. In eo parochialis est ecclesia sub invocatione Sancti Augustini per commissarios apostolicos, de anno MDXXXV, a parochiali Vallis de Uxo dismembrata, traditumque fuit illi pro annexo oppidum de *Alfandiguilla* triginta quatuor domorum, omnes septuaginta novem domos; dotata fuit de triginta libris, quarum quindecim solveret archidiaconus maior Dertusensis, et quindecim dux Segobricensis, pro quibus ei iuspatronatus in solidum concedebatur simul cum reditibus olim mesquitae, cum obligatione reficiendi ecclesias, et quod rector de Castro duas missas celebraret dominicis diebus et festivis, alteram in oppido de Castro, alteram in oppido de Alfandiguilla; sed haec dotatio nullum effectum sortita est; quinimmo habitatores dictorum locorum diebus dominicis et festivis, per turnum decem et octo homines, ad ecclesiam oppidi *la Alcudia,* quae per leucam unam et amplius distat, ad missam audiendam, et sacramenta recipienda descendunt, solvuntque pro salario rectori totius Vallis undecim libras, septem videlicet Castro et Beniçabdon, et quatuor Alfandiguilla. Quapropter oportet quod dicta parochialis ecclesia in oppido Castro erecta maneat cum eisdem annexis Beniçabdon et Alfandiguilla, et suo proprio rectore, qui duas celebret missas diebus dominicis et festivis, alteram in ecclesia de Castro, ad quam habitatores de Beniçabdon accedant, alteram in ecclesia Alfandiguilla, quae aedificanda est sub invocatione Sancti Bartholomaei apostoli, teneanturque habitatores dictorum trium oppidorum in fide catholica instruere et erudire; et quod dotata sit

et maneat de centum libris, hoc videlicet modo, quod habitatores de Castro et Beniçabdon solvant sex libras ad complementum tresdecim librarum ultra illas septem, quas solvebant, et habitatores de Alfandiguilla solvant quatuor libras ad complementum octo librarum, ultra illas quatuor, quas antea solvebant, omnes sunt viginti una librae ratione primitiarum et decimarum, quas penes se retinent, ut supra dictum est, quae valoris sunt quinquaginta librarum insimul, facta legitima liquidatione. Mensa vero episcopalis Dertusensis solvat septuaginta novem libras, ratione decreti episcoporum comprovincialium de anno MDLXXIII superius relati, et quod iuspatronatus in solidum pertineat ad episcopum Dertusensem. Ecclesia oppidi de Castro amplietur, et domus pro habitatione rectoris ecclesiae contigua simul cum sacristia aedificetur iuxta formam et situm designatum. Et in oppido Alfandiguilla ecclesia de novo aedificetur sub invocatione Sancti Bartholomaei Apostoli iuxta formam et situm designatum; et vetus ecclesia, quae Maurorum mesquita erat, minaturque ruinam, penitus diruatur; reditus vero olim mesquitae dictorum oppidorum recuperentur de manu ducis Segobricensis, seu de Cardona, ecclesiisque restituantur et applicentur, et per rectorem et iuratos administrentur.

Nulles, Villa Vella.

Oppidum *Villa Vella* quinquaginta continet domus christianorum nuper ad fidem conversorum. In eo parochialis ecclesia existit sub invocatione Sancti Bartholomaei per commissarios apostolicos, de anno MDXXXV, a parochiali ecclesia *Ville de Nulles* dismembrata, et dotata de triginta libris ex decimis dicti oppidi, quas episcopus et tres praepositurae ecclesiae Dertusensis aequa portione reciplunt, et quod iuspatronatus ad episcopum et praepositos alternis vicibus pertineret. Postea vero, vacante rectoria oppidi Mascarell, de qua infra dicetur, fuit impetrata in Romana Curia iure devolutionis simul cum ecclesia de Villa Vella tamquam ei annexa (forsitan subreptitie et obreptitie) per quemdam Franciscum Roca presbyterum, qui pro servitio et dote dictarum ecclesiarum nunc recipit septuaginta quinque libras, videlicet quadraginta a rectore parochialis de Nulles ratione primitiarum, qui habet in reditibus praefatae parochialis sex centas libras, et quindecim libras ab episcopo Dertusensi, et viginti libras a tribus praepositis praefatis cum obligatione celebrandi duas missas diebus dominicis et festivis, alteram in ecclesia de Mascarell, alteram in ecclesia de Villa Vella. Oportet quod, non obstante dicta impetratione et collatione, ecclesia de Villa Vella maneat dismembrata et libera ab omni annexione et erecta in parochialem cum suo peculiari et proprio rectore, et dotata de centum libris, in hunc videlicet modum: quod rector parochialis ecclesiae de Nulles solvat quotannis rectori de Villa Vella viginti libras ex eo quod antea solvebat, quadraginta pro servitio dictarum duarum parochialium, a qua solutione sit posthac liber et immunis, et ratione primitiarum, quas ex eodem oppido colligit: tres praepositurae praefatae solvant viginti libras ratione partis decimarum, quam in eo oppido recipiunt, quae valoris est quinquaginta librarum. Mensa vero episcopalis Dertusensis solvat sexaginta libras ratione decimarum, et decreti episcoporum de anno MDLXXIII superius relati, cum tertia pars decimarum, quam dominus temporalis de Nulles et Villa Vella recepit, sit immunis a contributione. Ecclesia et domus rectoris reficiantur, et sacristia aedificetur iuxta

traditam formam: terrae vero, quae fuerunt olim mesquitae, si quae extant, ecclesiae applicatae maneant, et per rectorem et iuratos administrentur.

Nulles, Mascarell.

Oppidum *Mascarell* ad mare situm quadraginta quinque continet domus veterum christianorum, intra muros sitas, et triginta nuper ad fidem conversorum extra muros. In eo parochialis ecclesia existit sub invocatione ....., fuit dismembrata per commissarios apostolicos, de anno MDXXXV, a parochiali ecclesia de *Nulles*, et in parochialem erecta cum dote triginta librarum ex primitiis eiusdem oppidi, quas rector de Nulles colligit, cui etiam iuspatronatus in solidum concesserunt; sed aliter servitium huius rectoriae et ecclesiae de Villa Vella simul rectori de Mascarell a rectore de Nulles, ab episcopo et praepositis Sedis Dertusensis compensabatur, prout in dotatione parochialis de Villa Vella dictum est. Oportet igitur quod dos huius parochialis de Mascarell, eiusque rectoris ad centum usque libras augeatur, hoc videlicet modo, quod rector ecclesiae parochialis de Nulles solvat quotannis rectori de Mascarell sexaginta tres libras monetae Valentinensis ratione primitiarum, quas ex eodem oppido colligit, quae valoris sunt octuaginta librarum, facta legitima liquidatione. Tres praepositurae praefatae Sedis Dertusensis earumque praepositi solvant novem libras, et decem solidos pro unaquaque tres libras, tres solidos, et quatuor denarios ratione parlis decimarum, quam percipiunt, quae valoris est quadraginta librarum, novem solidorum et sex denariorum. Mensa episcopalis Dertusensis solvat novem libras, et decem solidos eadem ratione: applicentur praeterea rectori decem et octo librae, quas in reditibus habet pro anniversariis et duplis, quae in eadem ecclesia quolibet anno celebrantur et sunt instituta; quae omnes summam centum librarum conficiunt praeter emolumenta, quae proveniunt ex oblationibus et pede altaris, quae viginti libris aestimantur. Agri, qui fuerunt olim mesquitae, et quindecim libris locantur, ecclesiae applicati maneant, et administrentur per rectorem et iuratos dicti oppidi.

Castellon, Vicus Castellionis de la Plana.

In *Villa Castellon*, quae insignis est, intra moenia extant adhuc viginti tres domus christianorum noviter ad fidem catholicam conversorum in quodam *Vico*, qui dicitur *lo Carrer nou*, quem etiam veteres christiani incolunt promiscue. Est in eodem vico ecclesia sub invocatione S. Nicolai, quae olim fuerat Maurorum mesquita, ut ex eius extructura apparet, annexa est ecclesiae parochiali dictae Villae de Castellon, fuitque per commissarios apostolicos, anno MDXXXV, provisum, quod noviter conversi dicti vici per unum presbyterum ab eis tunc designatum ad quindecim annos in fide catholica instruerentur, qui dominicis diebus et festivis in ecclesia praefata S. Nicolai eis missam celebraret, et ministraret, et pro salario illi assignarunt decem libras a vicario perpetuo parochialis ecclesiae de Castellon solvendas, et quatuor tritici caficia[1] ex illis octo, quae habitatores dicti vici cum essent Mauri Alfaquino praebebant, et reliqua quatuor caficia tritici ecclesiae S. Nicolai pro eius fabrica et ornamentis remanerentapplicata. Nunc vero per quemdam religiosum, a vicario perpetuo praefato transmissum et mercenarium, instruuntur et administrantur, qui diebus dominicis et festivis in eadem ecclesia Sancti Nicolai missam celebret. Caeterum cum vicarius perpetuus parochialis de Castel-

1 *Mensurae hispanicae species* (R.T.).

lon, quae mille domibus constat, penes quem animarum cura residet, centum duodecim libras tantum cum oblationibus ecclesiae pro salario recipiat a monachis monasterii Vallis Christi, dioecesis Segobricensis, Carthusianis, quibus annexa sunt, auctoritate apostolica, primitiae dictae Villae valoris librarum mille, parum plus vel minus, et cum obligatione sustentandi duos alios vicarios, qui curam animarum etiam sustineant in dicta parochiali, quo fit, ut misere vivant, nec inveniantur idonei; videtur oportere quod vicarius perpetuus praefatus, aut unus ex duobus vicariis coadiutoribus per se ipsum dictorum nuper conversorum vici praefati curam gerat particularem, et in dicta ecclesia Sancti Nicolai, aut alia ampliori noviter aedificanda, quotidie missam celebret, et residentiam faciat. Sacramenta ministrando et doctrinam christianam eosdem neophytos docendo, et pro salario et congrua sustentatione ei assignantur et applicantur quinquaginta librae monetae Valentinensis, quas solvere teneantur monachi praefati monasterii Vallis Christi, ratione tam pinguium primitiarum, quas recipiunt (non obstante antiqua illarum annexione et applicatione, auctoritate apostolica), et quod diebus festorum principalium praefati noviter conversi teneantur et compellantur ad parochialem ecclesiam de Castellon pro divinis officiis et concionibus audiendis convenire, quo religionis nostrae caeremoniis et christianorum veterum communioni assuefiant; terrae vero olim mesquitae, si quae extiterint, et quatuor illa tritici caficia, quae Alfaquino olim a Mauris praebebantur, ecclesiae fabricae et ornamentis maneant applicata, et a solutione reliquorum quatuor tritici caficiorum praefati habitatores sint exempti, ex eo quod pro dimidia parte domus dicti vici decreverint.

Borriol.

Oppidum *Borriol* constat quadraginta duabus domibus veterum christianorum, et sexaginta tribus noviter ad fidem conversorum, omnes centum quinque domus. In eo parochialis Ecclesia est antiqua sub invocatione Sancti Bartholomaei, habet pro annexo oppidum *la Pobla* sexdecim domorum christianorum veterum, quod a parochiali distat leuca una, estque dotata primitiis amborum oppidorum, quae valoris sunt centum quinquaginta librarum. Oblationes vero ex pede altaris, et reditus pro anniversariis celebrandis ad quinquaginta libras ascendunt. Rector ecclesiae de Borriol diebus omnibus dominicis et festivis tenetur duas celebrare missas, alteram in ecclesia de Borriol, alteram in ecclesia de la Pobla, quae cum a matrice distet per unam leucam et amplius, rector utrique non potest, nisi magno cum labore et temporis dispendio, deservire; praesertim cum noviter conversi oppidi de Borriol in fide catholica peculiariter modo sint instruendi. Quapropter oportet quod in oppido la Pobla unus presbyter vicarius temporalis constituatur, qui illius animarum curam gerat, cui et pro salario rector de Borriol triginta libras solvat ratione primitiarum, quas ex eodem oppido colligit, quae valoris sunt quadraginta librarum. Quod autem fuerit amplius necessarium pro congrua sustentatione presbyteri praefati, dominus temporalis utriusque oppidi, qui tertiam partem decimarum recipit, decem libras, et archidiaconus de Borriol ecclesiae Dertusensis, qui duas partes decimarum aestimatione trecentarum librarum recipit, viginti libras, et universitas oppidi la Pobla pro servitio eidem presbytero viginti libras suppeditare teneantur. Reditus vero agri, qui ad mesquitam olim pertinebant, qui viginti

libris, et amplius quolibet anno aestimantur, recuperentur de manu illos illicite possidentium, et ecclesiae de Borriol applicati maneant, et per rectorem et iuratos administrentur. Ecclesia vero de Borriol reficiatur et amplietur ad tertiam partem longitudinis, iuxta formam designatam, ut sit populi capax; domus etiam rectoris reficiatur expensis universitatis.

Chivert.

Oppidum *Chivert*, in vertice erecti montis situm, est accessu difficilis; quadraginta continet domus nuper ad fidem conversorum, cuius temporalis dominus est commendatarius de Alcalà Militiae et Ordinis de Montesia. In eo parochialis ecclesia est sub invocatione Assumptionis Virginis Mariae; per commissarios apostolicos fuit dotata de triginta libris, quas commendatarius praefatus solveret pro primitiis, et haberet ius patronatus et praesentandi presbyterum ad nutum amovibilem, toties quoties voluisset: oportet quod praefata dos triginta librarum augeatur ad centum usque libras monetae Valentinensis, hoc videlicet modo, quod commendator praefatus eiusdem loci solvat quotannis quinquaginta libras, ultra illas triginta quas antea solvebat, quae omnes erunt octuaginta librae, ratione fructuum primitialium et decimalium, quos ex eodem oppido recipit, qui valoris sunt sexcentarum librarum, et quod applicentur et applicatae maneant rectori de Chivert viginti librae de reditibus agrorum olim mesquitae, qui ad triginta sex libras ascendunt quotannis. Ius vero patronatus et praesentandi ad dictam parochialem ecclesiam, pertineat in solidum ad commendatarium praefatum et successores, qui teneantur praesentare presbyterum, qui illam per Ordinarii examinationem et collationem obtineat irrevocabiliter, et residentiam faciat personalem. Terrae vero, quae ad mesquitam olim pertinebant, et reditus ecclesiae applicati maneant, et administrentur per rectorem; domus etiam pro rectoris habitatione prope ecclesiam aedificetur, seu quae iam est aedificata et designata rectori consignetur.

Onda, Villa nova.

In Villa de *Onda*, quae insignis est in regno Valentiae, extra muros est quidam vicus, qui dicitur *la Villa nova*, decem et octo continet domus christianorum nuper ad fidem catholicam conversorum, in quo est ecclesia seu oratorium sub invocatione S. Vincentii Ferrerii, quae olim fuerat Maurorum mesquita ecclesiae parochiali de Onda annexum, in quod dominicis diebus et festivis noviter conversi ad audiendam missam conveniunt, quam parochus vel alius presbyter ab eo missus celebrat, et doctrinam christianam docet; nam ad eum spectat animarum cura dicti vici. Certis vero diebus festivis ad ecclesiam parochialem de Onda tenerentur pro divinis officiis audiendis conscendere, quamquam per apostolicos commissarios fuerat provisum quod omnibus diebus dominicis et festivis praefatam parochialem tenerentur adire, et ibi divina officia et conciones audirent, et in fide catholica per parochum instruerentur, et sacramenta reciperent. Oportet quod etiam nunc et in futurum id observetur, quo neophyti coeremoniis nostrae religionis et christianorum veterum communicationi assuefiant; et quod eisdem diebus ad vesperam idem parochus vel eius vicarius in praefato oratorio vel in alia ecclesia noviter aedificanda, doctrinam christianam recitet, eosque doceat, cum ex fructibus dictae parochialis plusquam quingentas libras recipiat. Reditus vero, qui ex terris olim mesquitae

processerunt, et valoris sunt sex librarum cum dimidia, ecclesiae novae aedificandae applicati maneant, et in eius aedificio erogentur, et mesquita diruatur, ne recordatio perversae sectae animis neophytorum inhaereat.

Onda, Tales, Ortesa.

Oppidum *Tales* sexaginta continet domos noviter ad fidem conversorum. Fuit per commissarios apostolicos dismembratum a parochiali ecclesia *Villae de Onda,* et in eo parochialis ecclesia fuit erecta sub invocatione S. Ioannis Baptistae, cui pro annexo datum fuit oppidum *Ortesa*, ex triginta duabus domibus constans noviter conversorum, a parochiali de Tales quarta parte leucae plani itineris distans, cum obligatione quod rector de Tales dominicis et festivis diebus duas missas celebraret, alteram in ecclesia de Tales, alteram in ecclesia de Ortesa. Fuit dotata de triginta libris ex primitiis dictorum oppidorum, quas rector parochialis de Onda solveret quotannis rectori de Tales, et quod iuspatronatus ad rectorem de Onda in solidum pertineret. Oportet quod praefata dos ad centum libras usque augeatur, addanturque septuaginta librae in hunc modum: rector parochialis de Onda solvat quadraginta septem libras, septem solidos et sex denarios quolibet anno rectori de Tales pro primitiis, quas in dictis duobus locis colligit, quae tantundem aestimatae sunt, facta legitima calculatione, et sit liber a solutione triginta librarum quas antea solvebat. Commendatarius Villae de Onda Militiae et Ordinis de Montesia solvat decem et septem libras, decem solidos et decem denarios. Monachi et conventus monasterii de Porta Coeli Ordinis Cartusiensis, civitatis Valentinensis, solvant decem et septem libras, decem solidos et decem denarios. Quinque praeposituraе ecclesiae Dertusensis solvant alias decem et septem libras, decem solidos et decem denarios ratione fructuum decimalium, quos ex dictis duobus oppidis respective recipiunt, qui pro qualibet eorum parte tantundem valent, atque rectoris de Onda portio iurispatronatus rectoriae de Tales ad rectorem de Onda, et successores pertineat, qui maiorem dotationis partem confert. In oppido de Tales ecclesia nova aedificetur cum sacristia et domus habitationi rectoris competens, iuxta formam et situm designatum, et ecclesia vetus, quae olim fuit Maurorum mesquita, et in ea multa pravae sectae vestigia remanent, penitus diruatur; est enim in loco accessu perdifficili pueris et mulieribus, et extra oppidum. Et in oppido Ortesa altera aedificetur nova ecclesia, aut saltem vetus, quae fuerat olim mesquita, reficiatur modo et forma descriptis. Terrae vero et reditus olim mesquitarum, ecclesiis praefatis respective maneant applicati, et per rectorem et iuratos administrentur.

Ribes Albes.

Oppidum *Ribes Albes,* quod olim noviter ad fidem conversi incolebant, viginti duabus constat domibus veterum christianorum, dismembratum fuit per commissarios apostolicos ab ecclesia parochiali de Onda, et eius ecclesia in vicariam perpetuam erecta, cuius animarum cura per presbyterum a clero ecclesiae de Onda designatum administratur, qui quartam partem decimarum dicti oppidi pro salario recipit, quae quadraginta libris et amplius aestimatur, et cum sufficienter sit dotata et bene provisa, nihil circa eam innovandum est.

Vallis Cuera Fançara, Alcudia Lleuxa.

Oppidum *Fançara Vallis de Cuera*, cuius dominus temporalis est dux de Car-

dona, centum decem domibus constat christianorum nuper ad fidem catholicam conversorum. In eo parochialis ecclesia extat sub invocatione Assumptionis Virginis Mariae per commissarios apostolicos dismembrata a parochiali Vallis de Cuera, et in parochialem erecta, dederuntque illi pro annexis oppida *la Alcudia* decem et octo domorum, quod a parochiali distat dimidia quarta parte leucae, flumenque de Riniares copiosum interfluit, et *Lleuxa* tresdecim domorum, quod distat a parochiali quarta parte leucae, eodem fluvio interfluente. Omnes sunt centum quadraginta una domus sub eodem regimine et universitate; fuit dotata de triginta libris, quarum quindecim solveret dux Segobricensis super certis et securis reditibus consignandas, et quindecim ex decimis vel primitiis, si forte extarent, quae dotatio nunquam sortita fuit effectum, sed presbyter unus mercenarius Fançarae residens, de licentia episcopi, tribus praedictis oppidis deservit, et quarta quaque die dominica vel festiva, in alia duo oppida, *Vallis de Cuera de Beniculeime*, et *Caudent*, per duas leucas asperrimi itineris a Fançara distantia, ad celebrandam missam se confert, et pro labore et salario, oppida Fançara, Alcudia, et Lleuxa triginta septem libras cum dimidia ei tribuunt; reliqua vero oppida duodecim libras et decem solidos; habet etiam quatuor tritici et panicii caficia. Sed et habitatores horum quinque oppidorum nunquam decimas aut primitias solvere consueverunt, sed eas penes se retinent in compensationem quorumdam censualium, quae super universitates suas caricaverant, virtute antiquissimae concordiae cum domino temporali dictae Vallis de Cuera inita, quemadmodum in Valle de Uxo dictum est, et factum fuit. Oportet igitur quod praedicta oppida Beniculeime et Caudent dismembrentur et separentur etiam a parochiali, et Castello Vallis de Cuera, et ab ecclesia de Fançara, et in eis parochialis ecclesia erigatur, ut infra dicetur, et quod ecclesia de Fançara in parochialem maneat erecta, ut fuerat antea cum annexis iam dictis Alcudia et Lleuxa, et dotetur de centum libris, hoc videlicet modo: quod applicentur pro illius dote sexaginta librae, quas universitas praedictorum trium oppidorum promisit et se obligavit quotannis solvere rectori de Fançara, comprehensis illis triginta septem libris cum dimidia, quas antea solvebant de tritico et panicio praefatis ratione primitiarum et decimarum dictorum locorum, quas penes se, ut praedicitur, retinent, quae si exigerentur, facta legitima calculatione, aestimantur ducentis septem libris, acto recepto per infrascriptum notarium sub die XVII iunii, anno MDXCVI. Applicantur etiam viginti librae ex reditibus terrarum olim mesquitae, quae ad valorem triginta librarum ascendunt quolibet anno. Mensa vero episcopalis Dertusensis solvat alias viginti libras ratione, decreti episcoporum de anno MDLXXIII superius iam relati. Rector vero teneatur duas celebrare missas diebus dominicis et festivis, alteram in ecclesia de Fançara, et ad eam accedant habitatores de Peuxo, alteram in oppido de la Alcudia, et tempore quo flumen pluviarum abundantia inundaverit, habitatores de Lleuxa accedant ad ecclesiam de Alcudia ad missam audiendam. Ecclesia et sacristia oppidi Fançara reficiantur, et domus quae illi contigua est et commoda, rectori ad habitandum consignetur, modo et forma designatis. Est in oppido Alcudia ecclesia, cuius parietes sunt iam constructae, superaedificetur et cooperiatur tecto: et quoniam dominus temporalis de Fançara dux Segobricensis et de Cardona reditus praefatos olim

mesquitae, sexaginta annis et amplius inter sua bona computavit, et exigi fecit, nullo, qui sciatur, titulo, et nunc per suos procuratores ecclesiae relaxantur et rēstituuntur, curandum est, ut de reditibus sic exactis ratio habeatur, qui ad summam mille octingentarum librarum ascendere videntur; administrentur autem per rectorem et iuratos.

Beniculeime et Caudent.

Oppida *Beniculeime* et *Caudent* annexa sunt parochiali antiquae Castelli et Vallis de Cuera, et quoniam multis retro ab hinc annis castellum derelictum ac pene dirutum est, nullus in eo rector aut presbyter curatus habitasse reperitur, sed presbyter oppidi de Fançara quarto quoque dominico aut festivo die ad haec oppida a Fançara, duabus leucis asperrimi itineris distantia, ad missam celebrandam se conferebat; in ecclesia oppidi Beniculeime, ad quam audiendam habitatores de Caudent vocabantur, et pro salario duodecim libras et decem solidos eidem presbytero utrumque oppidum impendebat: et quoniam Beniculeime viginti sex domibus constat, et Caudent decem et octo christianorum noviter ad fidem conversorum, distantque inter se media quarta parte leucae, et in asperrimis locis sunt sita, et ab aliis populis undique semota, oportet quod a dicta parochiali de Cuera seu de Fançara separentur, et in oppido Beniculeime parochialis ecclesia erigatur et erecta maneat cum sacrario, sacristia, et fonte baptismali, et campanili, omnique alio pleno iure, et privilegio ecclesiarum parochialium, et proprio parocho: sitque illi annexum oppidum Caudent, et quod dotetur de centum libris, sitque dotata hoc videlicet modo: quod praefatae novae parochiali de Beniculeime eiusque rectori applicentur pro dote viginti quinque librae monetae Valentinensis, quas syndicus, iurati et universitates Beniculeime et Caudent promiserunt et se obligarunt quolibet anno solvere praefato rectori, comprehensis duodecim libris cum dimidia, cum tritico et panicio, quas antea solvebant ratione primitiarum et decimarum, quas penes se retinent, virtute antiquae concordiae cum domino temporali initae, ut superius dictum est, quae si exigerentur, aestimatae sunt centum tribus libris, facta legitima computatione, acto recepto per infrascriptum notarium sub die XVI iunii MDXCVI. Mensa vero episcopalis Dertusensis solvat septuaginta quinque libras, ratione decreti episcoporum de anno MDLXXIII superius iam relati. Rector teneatur dominicis et festivis diebus duas celebrare missas, alteram in ecclesia de Beniculeime, alteram in ecclesia oppidi Caudent, quae aedificanda est, et utriusque oppidi habitatores in fide catholica solerter instruat, et doctrinam christianam doceat. In oppido Beniculeime reficiatur ecclesia sub invocatione Sancti Bartholomaei, quae fuerat olim mesquita, et a vestigiis pravae sectae emundetur, et sacristia domusque pro rectoris habitatione aedificetur, iuxta formam et locum designatum. Et in oppido Caudent nova ecclesia extruatur in delineato situ: terrae vero et reditus olim mesquitae, quos dominus temporalis hactenus exegerat, recuperentur, et ecclesiis respective applicati maneant, administrenturque per rectorem et iuratos.

Artana.

Oppidum *Artana*, cuius dominus temporalis est dux de Villa Hermosa, centum decem continet domos nuper ad fidem conversorum; parochialis ecclesia in eo est antiqua sub invocatione S. Ioannis Baptistae; dotata est suis propriis primitiis, quae valoris sunt centum quinquaginta librarum, quae cum congruenti

dote et proprio parocho munita sit, nihil ei addendum erit, nisi quod ecclesia reficiatur, et sacristia aedificetur modo et forma designatis.

Esllida et Ayn.

Oppidum *Esllida* caput est totius illius Serrae, cuius dominus temporalis est dux de Cardona. Constat octuaginta quatuor domibus noviter ad fidem conversorum. In eo parochialis ecclesia est antiqua sub invocatione Transfigurationis Domini Nostri Iesu Christi; sunt illi annexa oppida *Ayn* domorum quinquaginta, Alcudia sexaginta quinque, Veo quadraginta, et Benitandus decem et octo, omnes ducentae quinquaginta septem domus christianorum nuper ad fidem catholicam conversorum. Rector dominicis diebus et festivis duas celebrat missas alternis vicibus, altera vice in ecclesiis de Esllida et Ayn, altera in ecclesiis de la Alcudia et de Veo, quo etiam habitatores de Benitandus concurrunt; habet pro salario quinquaginta libras monetae Valentinensis, quarum viginti tres et tres solidos solvit universitas de Esllida, decem libras et tresdecim solidos universitas de Ayn, sexdecim libras et quatuor solidos universitates de Alcudia, Veo et Benitandus. Per commissarios apostolicos, de anno MDXXXV, oppidum Ayn fuit dismembratum a parochiali de Esllida, et in parochialem eius ecclesia erecta similiter, et oppidum la Alcudia cum annexis Veo, Benitandus et Alfara: dotantes unamquamque earum parochialium de triginta libris, quindecim a duce Segobricensi solvendis, et super certis et securis reditibus consignandis, et quindecim ex decimis et primitiis locorum desumendis, quae erectio et dotatio, ut coniicitur, nunquam sortitae fuerunt effectum, quia nec Segobricensis dux consignavit, nec universitates de Esllida et Ayn primitias aut decimas solvere consueverunt, sed eas penes se retinent, virtute concordiae cum domino temporali antiquitus initae, ut superius dictum est; et in Vallibus de Uxo et de Zuera, et earum causa episcopo Dertusensi quolibet anno viginti tres libras pendunt, et tribus praeposituris ecclesiae Dertusensis alias viginti tres libras ex antiqua compositione pro iuribus, quae ad praefatas decimas praetendere possent. Quapropter oportet quod praedicta oppida Alcudia, Veo, Benitandus et Alfara nunc maneant de novo dismembrata a parochiali de Esllida, et in oppido de Alcudia parochialis ecclesia erigatur, ut infra dicetur, et quod parochialis ecclesia de Esllida retineat pro annexo oppidum Ayn, quod a parochiali non amplius quam leuca dimidiata itineris plani distat; rectorque dominicis et festivis diebus duas celebret missas, alteram in ecclesia de Esllida, alteram in ecclesia de Ayn, quae est sub invocatione Sancti Michaelis Archangeli; teneaturque utriusque oppidi habitatores in fide catholica solerter instruere, et doctrinam christianam docere, et quod dotetur de centum libris, sitque dotata hoc videlicet modo: quod applicentur ei pro dote illae viginti tres libraе, et tres solidi, quas universitas de Esllida solvebat rectori, et aliae viginti tres librae, decem et septem solidi, omnes sunt quadraginta septem librae, quas praefata universitas de Esllida promisit, et se obligavit quolibet anno solvere rectori praefato ratione primitiarum et decimarum, quas solvere non consueverunt, et si exigerentur, facta legitima calculatione, ducentis quinquaginta septem libris, decem solidis et octo denariis aestimantur, acto recepto per infrascriptum notarium sub die XVIII mensis iunii MDXCVI. Applicantur etiam decem librae et tresdecim solidi, quas univer-

sitas oppidi Ayn solvebat rectori praefato, et aliae sexdecim librae, et septem solidi, omnes viginti septem librae, quas eadem universitas de Ayn promisit, et se obligavit quolibet anno solvere rectori de Esllida ratione primitiarum et decimarum praedictarum, quae si exigerentur, centum triginta quatuor libris aestimantur, acto recepto sub eodem die, et coram eodem notario. Item applicantur sex librae ex reditibus olim mesquitarum dictorum oppidorum Esllida et Ayn, quae insimul valoris sunt undecim librarum, octo solidorum et quatuor denariorum. Solvant praeterea tres praepositurae Dertusensis ecclesiae, quas sacrista, hospitalerius, et archidiaconus de Borriol obtinent, sex libras, duas pro qualibet praepositura. Mensa vero episcopalis solvat quatuordecim libras ratione compositionis iam dictae, quae omnes centum libras efficiunt. Ecclesia oppidi Esllida iuxta populi multitudinem angusta est, ideo amplianda est, addendo ad altare maius aliam tertiam partem longitudinis iuxta formam traditam. Sacristia etiam de domo rectoris desumatur; et in oppido Ayn ecclesia etiam amplietur, simili additione ad altare maius, et sacristia aedificetur, prout designatum est; reditus vero, quae olim ad mesquitas dictorum oppidorum pertinebant, de manu ducis de Cardona (qui illos tamquam suos multis annis nullo titulo exigere fecit) recuperentur, et ecclesiis respective restituantur, et per rectorem et iuratos administrentur.

Alcudia, Veo, Benitandus.

Oppida *Alcudia*, *Veo* et *Benitandus* annexa sunt parochiali ecclesiae de Esllida. Nam oppidum olim Alfara dirutum est; constant Alcudia sexaginta quinque domibus, Veo quadraginta et Benitandus decem et octo, omnes centum viginti tres domus christianorum nuper ad fidem conversorum, et a rectore de Esllida ministrari solita, qui semel in mense ad plurimum ad duas missas celebrandas, alteram in oppido Alcudia, alteram in oppido de Veo, illuc se conferebat, et pro salario ab ipsis oppidis sexdecim libras et quatuor sōlidos accipiebat, nullas primitias aut decimas de fructibus, quos colligunt, solvere hactenus consueverunt, virtute concordiae cum domino temporali antiquitus initae, quemadmodum in caeteris locis Serrae de Esllida, et Vallibus de Uxo, et Zuera dictum est, tantum duodecim libras episcopo Dertusensi pendunt, et alias duodecim libras tribus praepositis sedis Dertusensis ex quadam compositione pro iuribus, quae ad praefatas decimas praetendere possent; sed quoniam haec tria oppida, cum inter se sint propinqua, a parochiali de Esllida per unam leucam asperrimi itineris sunt distantia, oportet quod ab ea separentur et dismembrentur, et separata remaneant, et in oppido Alcudia parochialis ecclesia erigatur, et erecta maneat sub invocatione S. Ioannis Baptistae, cum sacrario, sacristia, fonte baptismali et campanili, omnique alio pleno iure et privilegio parochialium ecclesiarum, et ab uno proprio et perpetuo rectore, qui residentiam faciat personalem, administretur, habeaturque pro annexis oppida Veo et Benitandus, doteturque, et ex nunc dotata maneat, de centum libris monetae Valentinensis in reditibus quolibet anno, hoc videlicet modo: quod ei applicentur pro dote illae sexdecim librae et quatuor solidi, quas universitates dictorum trium oppidorum rectori de Esllida solvebant pro salario, et aliae triginta octo librae et sexdecim solidi, omnes quinquaginta quinque librae, quas praedictae tres universitates simul et in solidum promiserunt et se obligarunt solvere quolibet

anno rectori de la Alcudia ratione primitiarum et decimarum, quas solvere non consueverunt, sed penes se retinent, ut superius dicitur; quae si exigerentur, facta legitima calculatione, ducentis quadraginta septem libris aestimantur, acto recepto per notarium infrascriptum sub die XIX mensis iunii, anni MDXCVI. Tres praeposituraе sedis Dertusensis solvant sex libras, ratione superius dictae compositionis duodecim librarum, quas ex dictis oppidis recipiunt, duas libras pro qualibet praepositura; mensa vero episcopalis Dertusensis solvat triginta novem libras, tam ratione praedictae compositionis, quam ratione decreti episcoporum de anno MDLXXIII superius relati. Rector vero duas teneatur celebrare missas diebus dominicis et festivis, alteram in ecclesia de la Alcudia, alteram in ecclesia de Veo sub invocatione . . . . . , ad quam conveniant habitatores de Benitandus, quia parva plebs est, et brevissimum iter, et habitatores omnium trium oppidorum in fide catholica solerter instruere, et doctrinam christianam edocere; in oppido la Alcudia de novo aedificetur ecclesia in eodem situ, quo ea quae olim erat Maurorum mesquita, extat, angusta, obscura et quassata prae vetustate, et sacristia et domus pro rectoris habitatione iuxta formam et situm designatum. Terrae vero et reditus olim mesquitarum de la Alcudia et Veo, qui valoris sunt octo librarum, ecclesiis respective applicentur, et administrentur per rectorem et iuratos.

Ego licentiatus Felicianus de Figueroa, praecentor et canonicus ecclesiae metropolitanae Valentinensis, officialis et vicarius generalis per D. Gasparem Punter episcopum Dertusensis cum speciali, et sufficienti potestate, et mandato ad infrascripta electus et nominatus, et per catholicum Hispaniarum regem Philippum destinatus ad inquirendas et recognoscendas erectiones, dismembrationes et dotationes ecclesiarum parochialium in oppidis Maurorum, nuper ad fidem catholicam conversorum, praesentis regni Valentiae, quas fieri oportebat, et in scriptis redigendas in dioecesi Dertusensi et omnia oppida dictorum noviter ad fidem conversorum praefatae dioecesis, quae numero sunt viginti novem, peragravi, et in eisdem oppidis, facta diligenti valoris fructuum primitialium et decimalium examinatione, et eorum omnium qui de iure contribuere tenentur, in huiusmodi parochialium dotationibus, caeterisque rebus ad servitium earumdem parochialium, et earum curam animarum noviter conversorum pertinentibus, exacte perpensis, prout in unoquoque oppido erat necessarium, servata forma alterius dotationis parochialium similium in archiepiscopatu et dioecesi Valentinensi per Ioannem de Ribera archiepiscopum Valentinensem, me etiam ministro iam facta, et per Sanctam Sedem Apostolicam confirmatae erectiones, dotationes, dismembrationes, applicationes et distributiones pro rata, necnon constructiones ecclesiarum et domorum pro habitatione rectorum, quas visum est fieri oportere pro commodiori instructione dictorum noviter ad fidem conversorum in fide catholica, notavi, disposui et in scriptis redegi, ut ad S. Sedem Apostolicam transmittant coram infrascripto notario, sic, et quemadmodum in praesenti libro, praecedentibus quindecim chartis, continentur, et ut de praemissis sit certa fides, hic me subscripsi propria manu, meumque sigillum apponi feci.

Ego licentiatus Felicianus de Figueroa, canonicus et praecentor praefatus, *etc.*

Et ego Iacobus Paulus Pallares presbyter in sede Valentiae beneficiatus, apostolica auctoritate notarius publicus, prae-

missis omnibus una cum dicto domino licentiato Feliciano Figueroa praecentore et canonico Valentinensi, officiali et vicario generali Dertusensi interfui, publica instrumenta de eis apud acta mea confeci, de quibus omnibus etiam fidem facio, et ut fides ubique, in iudicio et extra, certa adhibeatur, me subscripsi, et meum solitum artis notarii apposui signum. Loco ✝ signi, loco ✝ sigilli. Iayme Pablo Pallares presbyter.

Cathalogus eorum, qui contribuunt.

Mensa episcopalis, praepositurae Dertusenses, domini temporales, universitates oppidorum, monachi conventuum Vallis Christi et Porta Coeli, Ordinis Carthusiensis, rectores quorumdam locorum, reditus olim mesquitae episcopatus Dertusensis in dotatione parochialium oppidorum eorúm, qui nuper ad fidem fuerunt conversi, tam ex antiqua obligatione, quam ex nova dotatione de centum libris, de anno MDXCVI.

Mensa episcopalis ex antiqua obligatione solvit parochiali de Mascarell quindecim libras, 15.

Ex nova dotatione solvit parochialibus trecentas octuaginta tres libras et decem solidos, 383 10.

Praepositurae vero et archidiaconus maior Dertusenses ex antiqua obligatione solvunt triginta libras, 30.

Ex nova dotatione solvunt eisdem parochialibus nonaginta septem libras et decem denarios, 97 10.

Domini temporales praedictorum oppidorum solvunt parochialibus praedictis ex antiqua obligatione triginta libras, 30.

Ex nova dotatione solvunt eisdem parochialibus septuaginta septem libras, decem solidos et decem denarios, 77, 10, 10.

Universitates oppidorum ex antiqua obligatione solvunt parochialibus centum septuaginta libras, 170.

Ex nova dotatione solvunt eisdem parochialibus centum octuaginta quinque libras, 185.

Monachi conventuum Vallis Christi et de Porta Coeli, Ordinis Carthusiensis, ex nova tantum dotatione, solvunt parochialibus sexaginta septem libras, decem solidos et decem denarios, 67, 10, 10.

Rectores quorumdam locorum, ex antiqua obligatione, solvunt dictis parochialibus centum et duodecim libras, 112.

Ex nova dotatione solvunt eisdem parochialibus centum quadraginta libras, septem solidos et sex denarios, 140, 7, 6.

Reditus olim mesquitarum solvunt ex nova dotatione tantum eisdem parochialibus quadraginta sex libras, 46.

G. episcopus Dertusensis.

Loco ✝ Sigilli.

Et ut praemissis plena fides ab omnibus ubique in iudicio et extra iudicium adhibeatur, ego Baptista Remon, presbyter secretarius dicti reverendissimi domini episcopi Dertusensis, de mandato suae dominationis, litteras in principio libri in tribus prioribus foliis scriptas contentas, et continuatas propria manu scripsi; reliqua vero omnia suprascripta et expressa aliena manu scribi feci, et ad maioris roboris firmitatem omnia supradicta, litterasque desuper expressas, manu dicti reverendissimi domini mei episcopi subscriptas, et sigillo suae reverendissimae dominationis roboratas, expeditas die XXVI mensis iunii, anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo nonagesimo nono.

Praedicta confirmat et exequi mandat Pontifex.

§ 4. Nos autem ad ea, quae catholicae fidei conservationem et incrementum, ac animarum salutem respiciunt, sollicite intendentes, ac piis catholicorum regum et venerabilium fratrum episcoporum in

partem nostrae sollicitudinis vocatorum votis quantum cum Domino possumus benigne annuentes, eorumdem Philippi regis, ac Gasparis episcopi supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertam designationem et formam, erectionum, dismembrationum et dotationum parochialium ecclesiarum a praedicto Gaspare episcopo factam, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robore communimus, ac omnes et singulos iuris et facti, aliosque defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus, et nihilominus iuxta eadem praeinserta ab eodem Gaspare episcopo pie ac prudenter cogitata, considerata et disposita, auctoritate et tenore praedictis, perpetuo decernimus et statuimus, ac respective erigimus, dividimus, dismembramus et augemus, ac mensae episcopali Dertusensi, fabricae, mensae capitulari ecclesiae Dertusensis ac dignitatibus, canonicis, rectoribus et beneficiatis, aliisque supradictis civitatis et dioecesis Dertusensis, iuxta praeinsertam taxam, onera et solutiones annuas per modernos et pro tempore existentes episcopum ac capitulum, canonicos, rectores, beneficiatos et alios supradictos in dicta taxa comprehensos, annis singulis perpetuis futuris temporibus, in locis et terminis constitutis, integre faciendas, auctoritate et tenore praedictis, imponimus, ac ad illa et illas omnino teneri et obligatos esse volumus.

Solutiones ab iis, quibus impositae sunt, fieri praecipit,

§ 5. Decernentes taxam praedictam ullo umquam tempore, etiam ad successorum in ecclesia Dertusensi, ac dignitatibus, canonicatibus et beneficiis praedictis instantiam quavis occasione vel causa, etiam urgentissima, annullari, invalidari aut ad minorem summam reduci non posse; eam vero pecuniarum summam sic taxatam pro dote congrua uniuscuiusque ecclesiae supra divisae et erectae sustentatione, quae ad summam centum librarum ascendat, et augmento dotis usque ad eamdem quantitatem iam erectarum ecclesiarum, ut praefertur, perpetuo applicamus et appropriamus; ita quod liceat rectoribus pro tempore dictarum ecclesiarum parochialium, inter quos pecuniae huiusmodi distribuendae erunt, earumdem pecuniarum collectorem, exactorem et distributorem eligere, constituere et deputare, eisdem modo et forma, quibus hactenus electus fuit et deputatus pro parochialibus pridem erectis, vel per rectores dictarum ipsarum parochialium, ac ipsi collectori et distributori dictarum pecuniarum illas exigere; personis vero, quibus de nuper divisis et erectis parochialibus pro tempore provideri contigerit, vel quibus de iam divisis et erectis provisum fuerit, fructus illis respective, ut praefertur, assignatos, in suos usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita, eadem auctoritate statuentes.

Sub poenis hic expressis.

§ 6. Quod si dictus Gaspar episcopus eiusque in dicta ecclesia Dertusensi successores, et alii quicumque in dicta taxa nominati, et archidiaconatus, dignitates, praepositurae, vel beneficia ecclesiastica, quae in dicta taxa fuerint comprehensa, obtinentes, et in eisdem successores solutionem huiusmodi facere detrectaverint, et ratam pecuniarum eos tangentem statutis temporibus debitam non persolverint cum effectu, lapso tempore solutionis praedictae, idem Gaspar episcopus, eiusque successores antistites, interdicti ingressus ecclesiae; inferiores vero excommunicationis sententiae poenam incurrant, cuius interdicti relaxationem idem Gaspar episcopus et successores antistites; inferiores vero ab excommunicationis sententia absolutionis beneficium, donec

pro rata debita integre satisfactum, vel cum collectore et distributore praedictis amicabiliter concordatum fuerit, praeterquam in mortis articulo constituti, nequeant obtinere. Si vero per sex menses a die solutionis faciendae computandos, sub huiusmodi interdicto, animo, quod absit, permanserint indurato, seu sententiam ipsam similiter sustinuerint ex tunc effluxis mensibus eisdem, a regimine et administratione dictae ecclesiae Dertusensis suspensus, ac alii reliquis dignitatibus, praeposituris, beneficiis inferioribus perpetuo privati existant eo ipso.

Clausulae pro perpetua horum mandatorum firmitate.

§ 7. Decernentes etiam praesentes litteras ullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, aut quopiam alio defectu notari, impugnari vel invalidari, aut sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus et limitationibus comprehendi nullatenus posse; sed, illis non obstantibus, in suo robore et efficacia persistere, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, plenarie reintegratas existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac in omnibus rectoribus earumdem parochialium, tam nuper per praesentes, quam alias erectarum, suffragari debere: sicque per quoscumque iudices et commissarios, ac causarum Palatii Apostolici auditores, nec non Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores praesentium deputati.

§ 8. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Valentinensi et episcopo Terulensi, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte collectoris et distributoris praedictorum pro tempore existentium, sive earumdem ecclesiarum noviter erectarum rectorum, aut alicuius eorum fuerint requisiti, faciant, eadem auctoritate, praedictas litteras et in eis contenta quaecumque ab omnibus, quos illa concernunt et concernent in futurum, inviolabiliter observari. Non permittentes eos aut eorum aliquos desuper a quocumque quomodolibet indebite molestari: necnon summam pecuniarum in dicta taxa contentarum in praedictos usus convertendam realiter et cum effectu, iuxta impositionem et taxationem praefatam factam, et praesentium litterarum continentiam et tenorem realiter et cum effectu persolvi; et nihilominus, quemlibet ex Gaspare episcopo et aliis quibuscumque dictorum inferiorum beneficiorum possessoribus, et illorum successoribus, quem interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias incurrisse eis constiterit, tamdiu dominicis et aliis festivis diebus, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, interdictum et suspensum: reliquos autem inferiores excommunicatos publice nuncient et faciant ab aliis nunciari, et ab omnibus arctius evitari, donec de summis tunc debitis eisdem collectori ac distributori et rectoribus praedictis fuerit integre satisfactum: ipseque interdictus, suspensus et excommunicatus suspensionis et absolutionis beneficium respective meruerint obtinere. Contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo: necnon legitimis super his

habendis servatis processibus, illos sententias, censuras et poenas praedictas incurrisse declarando, ac etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 9. Non obstantibus nostris in Cancellaria Apostolica editis regulis de non expediendis litteris cuiusvis pensionis annuae super quorumvis beneficiorum fructibus, nisi de consensu eius, qui pensionem huiusmodi persolvere tunc haberet, ac de non tollendo iure quaesito, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati pensiones annuas super quarumvis mensarum episcopalium vel metropolitanarum ecclesiarum proventibus, nisi ex cessione aut alia probabili causa reservari prohibentis; necnon felicis recordationis Bonifacii Papae VIII de una, et concilii generalis de duabus diaetis, et aliis apostolicis constitutionibus et ordinationibus, dictaeque ecclesiae Dertusensis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem ecclesiae, illiusque capitulo, et personis dignitates, personatus, administrationes vel officia vel beneficia quaecumque in dicta ecclesia obtinentibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie, concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis et expressa mentio habenda foret, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si Gaspari episcopo, eiusque in dicta ecclesia Dertusensi successoribus, et aliis quibuscumque ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Data facultas archiepiscopo Valentinensi cognoscendi de gravamine.

§ 10. Volumus etiam, quod si intra sex menses a die intimationis praesentium capitulo faciendae computandos, dilecti filii decanus et capitulum ecclesiae Dertusensis et alii interesse habentes super dotatione et erectione huiusmodi parochialium se se in aliquo, praemissorum occasione, gravatos senserint, ad venerabilem fratrem archiepiscopum Valentinensem recursum habere valeant, qui illorum exceptionibus summarie, simpliciter et de plano auditis, tam circa quantitatem taxae ac modum et tempus solutionum faciendarum, quam terminorum in quibus dictae solutiones incipere debeant, sola facti et rei veritate inspecta, quidquid iustum fuerit declarandum, auctoritate nostra, declaret, et id totum quod ipse archiepiscopus declaraverit, appellatione remota, exequutioni demandari faciat, super quo plenam et amplam eidem archiepiscopo tribuimus facultatem.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVIII maii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 28 maii 1602, pontif. an. XI.

CCLXXXVIII.

Similis erectio et dotatio parochialium in Dioccesi Segobricensi[1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Apostolici muneris, *etc. (ut in praecedenti).*

§ 1. Alias siquidem pro parte clarae memoriae Philippi II, *etc. (ut supra continetur).*

Episcopus Segobricensis viginti parochias erigit et fundat.

§ 2. Cum autem, sicut nuper pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, ac venerabilis fratris Feliciani episcopi Segobricensis nobis expositum fuit, idem Felicianus episcopus mandatis nostris huiusmodi obediens, et pastoralis officii sui debitum adimplere procurans, totis viribus incumbens, universa oppida suae dioecesis Segobricensis quae noviter conversi huiusmodi et seu eorum descendentes incolunt, perlustraverit, et his omnibus et singulis, quae pro debita mandatorum nostrorum exequutione, et praedictorum noviter conversorum in vera et catholica fide instructione expedire visa fuerunt, maturius consideratis, ac diligenti cura perpensis considerans in eius Segobricensi dioecesi, in qua viginti noviter conversorum huiusmodi oppida, ut inferius designabitur, continentur, ut neophiti praedicti, simili et communi omnium instructione, fidei catholicae praeceptis imbui, et fidei huiusmodi incrementa suscipere valerent, fieri oportebat, ea propter normas venerabilis fratris archiepiscopi Valentinensis (qui vigore dictarum Gregorii XIII litterarum diversas parochiales ecclesias et vicarias instituit) insequendo, erectiones, fundationes, divisiones dotiumque iam factarum et attributarum, ac redituum et proventuum parochialium et vicariarum huiusmodi in eius dioecesi in hanc, quae sequitur, formam designavit, videlicet: Sanctissimo Domino Nostro Clementi divina providentia Papae VIII, Felicianus a Figueroa, Dei et Apostolicae Sedis gratia, episcopus Segobricensis. Post humillima pedum oscula beatorum, humilem ac debitam reverentiam. Litteras apostolicas Sanctitatis Vestrae in forma brevis, sub annulo Piscatoris expeditas, et seu earum verum transumptum in forma vidimus, per Ors Avelum Sanctes protonotarium apostolicum, ac S. V. camerarium, nec non Curiae Causarum Camerae Apostolicae generalem auditorem, Romanaeque Curiae iudicem ordinarium, sententiarum quoque et censurarum tam in eadem Romana Curia, quam extra eam latarum, et quarumcumque litterarum apostolicarum universalem et merum exequutorem ab eadem Sanctitate Vestra specialiter deputatum, confectum, suoque sigillo rubeis chordulis appendenti munitum, datum Romae in aedibus suae solitae habitationis sub anno a Nativitate D. N. I. Christi MDXCVII, indictione decima, die vero II mensis martii, ac felicissimi pontificatus Sanctitatis Vestrae anno sexto, debitis honore et reverentia recepi huiusmodi sub tenore. In Nomine Sanctae et individuae Trinitatis, *etc. (ut in praecedenti etc.).*

Litterae episcopi ad Pontificem hac super re.

Refert litteras sibi a Pontifice datas.

Quibus quidem praeinsertis apostolicis litteris per me receptis, ac diligenter inspectis, illarumque debitae exequutioni tum ut Sanctitatis Vestrae mandatis mihi in hac parte desuper factis parere, tum etiam ut pastoralis officii debitum adimplere possem, totis viribus incumbens, universa oppida meae Segobricensis dioecesis, quae noviter conversi huiusmodi et seu eorum descendentes incolunt, perlustravi, et his omnibus et singulis quae pro debita mandatorum Sanctitatis Vestrae exequutione, et praefatorum no-

Obtemperando Pontificis mandatis, episcopus dioecesim perlustrat, erectasque sub Carolo V parochias recenset.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

viter conversorum in vera et catholica fide instructione expedire visa fuerunt, et maturius consideratis, ac diligenti cura perpensis, compertum fuit, quod expugnato per catholicos, et a Christi Crucis hostibus recuperato praesenti Valentiae regno, et expulsis ab eodem postmodum, de anno videlicet a Christo nato MDXXVI, per Carolum V, Romanorum imperatorem et Hispaniae regem immortalis memoriae, Saracenis, in ipso tunc regno commorantibus, ac illorum plurimis in Africam transferentibus, et ipso tunc non paucis in hoc regno remanentibus, et per hos Christi baptismo suscepto, idem Carolus imperator, neophitorum huiusmodi pro suo christianissimo zelo instructionem ferventer desiderans, a felicis recordationis Clemente Papa VII, Sanctitatis Vestrae praedecessore, apostolicas opportunas obtinuit et impetravit litteras, quarum vigore Alphonsus Manrique, tunc Inquisitor Hispaniae generalis, per suos subdelegatos, una cum episcopis vel eorum vicariis, multas in huiusmodi neophitorum locis de anno videlicet MDXXXIV ecclesias parochiales in hac praesertim mea Segobricensi dioecesi erexit, et multa locorum huiusmodi, et illorum ecclesias a suis antiquis matricibus parochialibus separavit, quas sic noviter institutas et erectas parochiales ecclesias, successu temporis, minus competentibus reditibus dotatas fuisse, ut ipsarum proprii parochi apud easdem residere, et instructioni praefatae vacare possent: immo propter parochialium huiusmodi tenuitatem, illarum non paucas propriis caruisse rectoribus, et eos qui aliquibus earum praeerant, eruditionis et doctrinae ad noviter conversos huiusmodi in religionis christianae praeceptis instituendos, prorsus ignaros esse comprobatum fuit, quibus, et aliis de causis Philippus II tunc Hispaniarum rex catholicus memoriae indelebilis adductus, ac incommodis praedictis obviare, ac salutare aliquod tanto malo adhibere remedium maximopere desiderans, signanter cum sibi ab aperto constaret noviter conversos huiusmodi in volutabro mahometanorum errorum imprudenter provolvi, ut tunc archiepiscopus Valentinensis, Dertusensis et Oriolensis episcopi aliique, et scientia et doctrina ac rerum agendarum dexteritate praediti viri in civitate Valentina, ut digesto et maturo, ut par erat, consilio, quid in re tam gravi, in qua de animarum discrimine agebatur, statuendum foret, sibi aperirent curavit. Qui omnes in hanc convenerunt sententiam, ut auctoritate Sedis Apostolicae, parochialium ecclesiarum in aliquibus noviter conversorum huiusmodi locis, antiquitus erectarum, ac minus competenter dotatarum, usque ad summam centum librarum monetae in praesenti regno cursum habentis, augerentur dotes, et in reliquis locis praefatis ad hoc opportunis aliae similes de novo erigerentur, fundarentur et competenter dotarentur parochiales ecclesiae, quibus omnibus proprii, ac idonei pastores et rectores praeficerentur, qui, sua doctrina et exemplo, apud oves proprias residentes, per salutaris doctrinae et fidei catholicae amoenissima pascula oves ipsas pascere in Domino valerent. Qui quidem archiepiscopus Valentinensis, meo tunc ministerio usus, parochialium suae dioecesis erectiones, dismembrationes, dotationes et dotium adauctiones in scriptis redactas, ad S. Sedem apostolicam alias transmisit, quae omnia per felicis recordationis Gregorium Papam XIII, prout in quodam libro ab eodem archiepiscopo confecto continebatur, duobus ad id apostolicis brevibus, altero sub die XVII iulii MDLXXVI, altero die XXX augusti mensium MDLXXVII annorum Domini expeditis confirmata, et Apostolicae Sedis munimine roborata

Quae sub Philippo II auctae, ac dotatae fuerunt.

fuerunt. Et quia, Pater Sanctissime, non solum in dioecesi Valentina huiusmodi parochialium ecclesiarum erectiones, fundationes, dotationes, dismembrationes et dotium adauctiones, verum etiam in mea Segobricensi dioecesi, in qua viginti noviter conversorum huiusmodi oppida, ut inferius designabitur, continentur, ut neophiti praefati simili et communi omnium instructione, fidei catholicae praeceptis imbui et fidei huiusmodi incrementa suscipere valeant, fieri oportet. Ea propter peragratis per me prius, ut dictum est, universis et singulis meae Segobricensis dioecesis noviter conversorum huiusmodi locis, et in eorum quolibet computatis diligenter ac liquidatis exacte, adhibitis peritarum personarum consiliis, universis et singulis tam decimalibus quam primitialibus fructibus et aliis emolumentis, ex quibus parochialium praefatarum dotationes, et dotium adauctiones fieri debebant ac debent, normam dicti archiepiscopi Valentinensis insequendo, vigore, et virtute praeinsertarum Sanctitatis Vestrae, ac iuxta earumdem Gregorii praedecessoris Beatitudinis Vestrae litterarum formam, et prout mihi magis et melius expedire visum fuerit, erectiones, fundationes, divisiones, distinctiones, dotiumque iam factarum et attributarum, ac redituum et proventuum adauctiones designavi, et in certam praescriptam formam redegi, quae talis est.

Novas iterum erexit, dotavitque ipse episcopus, prout hic recenset.

Designatio et forma erectionum, dismembrationum et dotationum de centum libris monetae Valentiae parochialium ecclesiarum in oppidis Maurorum nuper ad fidem catholicam conversorum, dioecesis Segobricensis, auctoritate apostolica facta.

Suburbium Segobricense.

Segobrica civitas, in qua episcopi sedes et cathedralis ecclesia sita est, habet intra moenia suburbium, quod a christianis a mahometana secta ad catholicam fidem nuper conversis, incolitur, ducentis octuaginta domibus constitutum, quae sub separato a christianis veteribus loco et regimine connectuntur. Annexum est eccle iae cathedrali, quae singularis parochia est totius civitatis, cui per duos canonicos curatos, eorumque substitutos vicarios, penes quos animarum cura residet, servitium impenditur. Hi unum ex vicariis alternatim mittunt, cum salario triginta librarum, qui diebus dominicis et festivis ad suburbium praefatum se confert, et in ecclesia sub invocatione S. Petri, ampla quidem hac devotione fidelium frequentata, et in eodem suburbio collocata, missam celebrat, et noviter conversis doctrinam christianam recitat docetque, sacramentum vero Baptismi in parochiali ecclesia eis ministratur. Et quoniam plebis praefati suburbii multitudo numerosa est, neque ab uno presbytero mercenario, prout par est, erudiri potest, oportet quod eiusdem suburbii ecclesia S. Petri in parochialem erigatur, et erecta maneat cum sacrario, sacristia, fonte baptismali et campanili, caeterisque parochialibus insigniis, et cum omni alio pleno iure et privilegio ecclesiarum parochialium, et cum suo proprio parocho et rectore, qui in ea residentiam faciat personalem, et parochianorum suburbii praefati curam gerat animarum. Et quoniam oppidum Carrica, quindecim domorum noviter conversorum, fuerat annexum ecclesiae parochiali de Navaias, ab ea separetur, separatumque maneat, et annexum ecclesiae parochiali S. Petri suburbii praefati, quod ab ea dimidia quarta parte leucae non amplius distat, et illius habitatores, qui pauci sunt, ad parochialem suburbii pro divinis officiis audiendis, et Sacramentis suscipiendis, convenire teneantur. Et pro dote et

congrua sustentatione praefati rectoris, applicantur ei centum librae monetae Valentinae in reditibus quotannis, hoc videlicet modo: quod fabrica ecclesiae cathedralis Segobricensis solvat triginta libras monetae Valentinensis, ratione partis primitiarum termini Segobricensis quae eam contingit, valoris quadringentarum librarum; applicantur etiam ei pro dote viginti librae ex oblationibus et emolumentis provenientibus ex pede altaris, quae, cum dicta ecclesia S. Petri sit intra moenia civitatis, pinguia reputantur. Mensa episcopalis Segobricensis solvat triginta sex libras, septem solidos et tres denarios ratione partis primitialium fructuum et decimalium, quae recipit, quae noningentis tresdecim libris, undecim solidis et denariis novem aestimatur. Archidiaconus maior Segobricensis solvat octo libras, duodecim solidos et novem denarios, videlicet tres libras, duodecim solidos et tres denarios ratione partis undenae decimarum ad archidiaconum pertinentis; et quinque libras ratione alterius partis primitiarum seu decimarum, ad dignitatem pertinentis, quae partes valoris sunt insimul ducentarum, septendecim librarum et quatuor denariorum. Dignitas thesaurarii ecclesiae Segobricensis solvat quinque libras ratione partis primitiarum et decimarum, quam recipit valoris centum vigintiquinque librarum, duodecim solidorum et quinque denariorum. Duo canonici curati non contribuunt, quia ad eos pertinet animarum cura, nec satis congrue suis praebendis sustentantur, et vicariorium salaria dependunt. Dominus etiam temporalis pro sua tertia parte decimarum non contribuit. Quae omnes summae libras centum efficiunt, et pro dote dictae parochialis noviter erectae, eiusque rectoris per praefatos contribuentes respective, quolibet anno solvendae, perpetuo applicantur. Et quoniam reditus et agros, qui ad mesquitam suburbii olim pertinebant, constant fuisse pingues, et plurimos temporum volubilitate et ecclesiae ministrorum forsan incuria, eorum memoria pene deperiit: curandum est ut per iudicem regia auctoritate ad id deputatum elucidentur et recuperentur. Quod cum factum fuerit, eo ipso dotationi ecclesiae praefatae de suburbio applicati maneant, eorumque valor a portionibus contribuentium, ratione decimarum, dumtaxat in praesenti dotatione pro rata diminuatur, sintque sic contribuentes liberi ab illius solutione pro sua quisque parte.

Navajas.

Oppidum *Navajas* domini temporalis ducis de Segorb et de Cardona, centum quinquaginta constat domibus christianorum nuper ad fidem catholicam conversorum. Fuit separatum a parochiali et cathedrali ecclesia Segobricensi per commissarios apostolicos de anno MDXXXIV, et eius ecclesia in parochialem erecta sub invocatione S. Petri Apostoli, datumque fuit illi pro annexo oppidum Carrica, quod dimidiata leuca distat, et quindecim domibus constat, rectorque tenetur dominicis et festivis diebus duas missas celebrare, alteram in ecclesia de Navajas, alteram in ecclesia de Carrica; et pro dote et sustentatione rectoris applicatae ei fuerunt triginta librae monetae Valentiae, quindecim videlicet, quas dux praefatus de Segorb super certis et securis reditibus dictorum locorum consignandas solveret, et quindecim ex primitiis et decimis eorumdem locorum desumerentur. Et praeterea duci praefato fuerunt consignati reditus olim ad mesquitam pertinentes, et iuspatronatus dictae rectoriae concessum, cum obligatione fabricam et ornamenta ecclesiae praefatae sustentandi; sed ista dotatio nunquam

fuit sortita effectum, quia ducem de Segorb nec quindecim libras consignasse, nec fabricam et ornamenta refecisse aliquando constat. Sed rector de Navajas, qui in civitate Segobricensi residet, diebus dominicis et festivis in oppido dumtaxat de Navajas missam celebrat, et pro salario ab universitate eiusdem oppidi, nonaginta regalia monetae Castellae recipit. Oportet quod oppidum Carrica separetur, et maneat separatum ab ecclesia de Navajas, et applicetur et adnectatur ecclesiae parochiali suburbii Segobricensis cui est propinquius, ut superius dictum est, et quod parochialis de Navajas dotetur, et maneat dotata de centum libris monetae Valentinae in reditibus quolibet anno, hoc videlicet modo: quod fabrica ecclesiae cathedralis Segobricensis solvat pro dotatione dictae parochialis decem et novem libras, quatuordecim solidos et quinque denarios, ratione partis primitiarum quam ex eo oppido recipit, quae eadem quantitate aestimata est. Mensa episcopalis solvat viginti quatuor libras, septem solidos et decem denarios, ratione partis fructuum primitialium et decimalium, quam ex dicto oppido recipit, quinquaginta novem libris, quindecim solidis, et tribus denariis legitima liquidatione aestimatam. Archidiaconus maior Segobricensis solvat quinque libras, sexdecim solidos, duos denarios, videlicet duas libras, octo solidos et decem denarios ratione undenae partis decimarum ad suam dignitatem pertinentes, et tres libras, septem solidos et quatuor denarios ratione alterius partis decimarum et primitiarum ad dignitatem pertinentis, quae partes insimul valoris sunt quatuordecim librarum. Thesaurarii dignitas ecclesiae Segobricensis solvat tres libras, septem solidos et quatuor denarios, ratione partis primitiarum et decimarum, quam ex eodem oppido recipit, octo libras, quatuor solidos et quatuor denarios Valentinenses. Duo vero canonici curati ecclesiae Segobricensis solvant sex libras, quatuordecim solidos et tres denarios pro medietate, ratione partis primitiarum et decimarum, quas ex eodem oppido recipiunt, quae sexdecim libris, octo solidis et novem denariis aestimata fuit, ex eo quod aequales portiones ex massa communi nunc recipiunt. Applicantur praeterea viginti librae ex oblationibus et emolumentiis ex pede altaris provenientibus. Universitas vero oppidi praefati de Navajas solvat viginti libras, comprehensis illis nonaginta regalibus, quae antea rectori praefato solvebat: sitque obbligata ad earum solutionem, ex eo quod primitiae oppidi praefati ad praesentem dotationem non sufficiunt, nec etiam decimae, cum omnes simul ad valorem centum librarum, deductis oneribus, non ascendunt. Quae omnes summae libras centum efficiunt, et pro dote praefatae ecclesiae de Navajas, per praefatos contribuentes respective perpetuo, quolibet anno solvendae, applicantur. Et in hac dotatione dominus temporalis pro sua tertia decimarum parte non contribuit. Domus Ioannis Canero, quae ecclesiae contigua est, expensis universitatis mercetur et reficiatur, prout designatum est, et rectori pro eius habitatione consignetur. Terrae vero et reditus olim ad mesquitam pertinentes, ecclesiae praefatae applicati maneant.

Heldo.

Oppidum *Heldo*, domini temporalis ducis de Segorb et de Cardona, constat centum et decem domibus christianorum nuper ad fidem catholicam conversorum, et per commissarios apostolicos de anno MDXXXIV, ad petitionem S. C. C. Maiestatis imperatoris, Hispaniarum regis a Sancta Sede Apostolica intermissos, fuit

separatum et dismembratum ab ecclesia cathedrali et parochiali Segobricensi, et in eo parochialis ecclesia erecta sub invocatione Sancti Ioannis Baptistae, et dotata de triginta libris in reditibus; quindecim videlicet, quas dux praefatus de Sogorb super certis et securis reditibus consignandas solveret, et quindecim ex decimis et primitiis dicti oppidi desumendis, et duci praefato fuerunt consignati reditus ad mesquitam olim pertinentes, et iuspatronatus dictae rectoriae concessum cum obligatione fabricam et ornamenta praefata sustentandi. Sed ista dotatio nunquam sortita est effectum, cum ducem praefatum nec quindecim libras consignasse, nec fabricam et ornamenta refecisse constat. Nunc autem presbyter mercenarius ab Ordinario deputatus diebus dominicis et festivis ad oppidum praefatum se confert, quod a civitate Segobricensi leuca dimidiata distat, ibique missam celebrat, et doctrinam christianam recitat parochianis, et pro salario oblationes et emolumenta ex pede altaris habet, sex item libras, quas universitas dicti oppidi solvit; oportet igitur, quod dicta parochialis ecclesia de Heldo dotetur de centum libris in reditibus quolibet anno, hoc videlicet modo, quod fabrica ecclesiae cathedralis et parochialis Segobricensis solvat tresdecim libras, sex solidos et octo denarios, ratione partis primitiarum, quam ex eodem oppido recipit, quae eadem quantitate aestimata est. Mensa episcopalis Segobricensis solvat viginti octo libras, quinque solidos et septem denarios, ratione partis fructuum primitialium et decimalium, quam ex eo capit oppido, quadraginta libris, octo solidis et uno denario, facta legitima liquidatione, aestimatam. Archidiaconus maior Segobricensis solvat sex libras, quatuordecim solidos et quinque denarios, videlicet, duas libras, sexdecim solidos et septem denarios, ratione undenae partis decimarum ad suam dignitatem pertinentis, et tres libras, septendecim solidos et decem denarios, ratione alterius partis primitiarum et decimarum ad dignitatem pertinentis, quae partes insimul valoris sunt novem librarum, undecim solidorum, et undecim denariorum. Thesaurarii dignitas Segobricensis ecclesiae solvat tres libras, septendecim solidos, et decem denarios ratione partis decimarum et primitiarum, quam ex eodem oppido recipit, quinque libris, undecim solidis et uno denario aestimatae. Duo vero canonici curati Segobricenses solvant septem libras, quindecim solidos et sex denarios pro medietate quilibet eorum, videlicet tres libras, decem et septem solidos et novem denarios, ratione partis primitiarum et decimarum, quam ex eo oppido recipiunt, quae undecim libris, duobus solidis et tribus denariis aestimata est. Applicantur praeterea viginti librae ex oblationibus et emolumentis ex pede altaris provenientibus. Universitas vero oppidi de Heldo solvat viginti libras monetae Valentinensis pro eadem dote, comprehensis illis sex libris, quas antea eidem rectori solvebat, ex eo quod primitiae et decimae oppidi praefati ad praesentem dotationem non sufficiunt, nec ad valorem centum librarum ascendunt, ad quas viginti libras rectori praefato quolibet anno solvendas universitas praefata et iurati se obligarunt, actu recepto per notarium infrascriptum, die XXVIII mensis iuni, anno MDXCVI. Quae omnes summae libras centum efficiunt, et pro dote dictae parochialis de Heldo eiusque rectoris perpetuo per praefatos contribuentes, quolibet anno respective solvendae, applicantur, et in hac dotatione dominus temporalis pro sua tertia parte decimarum non contribuit. In Ecclesia sacristia ae-

dificetur et domus, quae designata est, expensis universitatis mercetur et reficiatur, rectorique pro eius habitatione, et residentia consignetur. Terrae vero et reditus olim ad mesquitam pertinentes, ecclesiae applicati maneant.

Castell nou.

Oppidum *Castell nou* centum septuaginta constat domibus christianorum nuper ad fidem catholicam conversorum, et quinquaginta veterum christianorum, omnes sunt ducentae et viginti domus: eius ecclesia est vicaria perpetua antiqua ab ecclesia cathedrali Segobricensi separata. Sunt in ea parochia duae ecclesiae, altera sub invocatione Adorationis Regum Magorum, in quam veteres christiani concurrunt, et est principalis; altera sub invocatione S. Ioannis Baptistae, ad quam noviter conversi pro divinis officiis audiendis, et sacramentis suscipiendis conveniunt, et in utraque vicarius perpetuus dominicis diebus et festivis per se missam celebrat, et in ecclesia S. Ioannis, quae olim fuit Maurorum mesquita, doctrinam christianam noviter conversos docet, qui etiam aliquando, quibusvis festivis diebus principalibus, in Ecclesia Regum Magorum praefata divinis officiis intersunt. Habetque vicarius praefatus pro salario viginti quinque libras, quas scholaster ecclesiae cathedralis Segobricensis impendit. Est autem *Scholasteria* quoddam collativum officium in eadem ecclesia antiquitus ab episcopo et capitulo institutum ad docendum et examinandum magistros, quod multis abhinc annis desiit in usu esse, cui annexae sunt primitiae oppidi Castell non, ex quibus tertia pars auctoritate apostolica applicata est distributionibus quotidianis in choro ecclesiae Segobricensis, et unum tritici caficium datur a scholastero archidiacono maiori iure visitationis pilae. At vero nunc denuo, auctoritate apostolica, primitiae praefatae de Castell nou fuerunt unitae massae communi capituli ecclesiae Segobricensis, relictis tantum quinquaginta libris praefato scholasterio. Oportet quod praefatae vicariae dos ad centum usque libras in reditibus augeatur, addanturque ei aliae septuaginta quinque librae, hoc videlicet modo: quod scholaster, qui nunc est, ultra eas viginti quinque libras, quas antea solvebat vicario praefato, solvat alias quindecim libras, omnes quadraginta libras, ratione omnium primitiarum, quas ex eo oppido colligit, quae valoris sunt centum librarum, sex solidorum et sex denariorum. Mensa episcopalis Segobricensis solvat sexdecim libras, decem et novem solidos et quatuor denarios, ratione partis fructuum decimalium, quam ex eo oppido recipit, valoris centum et octuaginta duarum librarum, octo solidorum et duorum denariorum; mensa capitularis ecclesiae Segobricensis solvat novem libras, sex solidos et octo denarios, ratione partis decimarum ad ipsam pertinentis, quae centum libris, sex solidis et sex denariis aestimatur. Archidiaconus maior Segobricensis solvat libram unam et quatuordecim solidos, ratione undenae partis decimarum ad suam dignitatem pertinentis, quae decem et octo libris, quatuor solidis et decem denariis aestimatur. Applicantur praeterea pro dote dictae vicariae duodecim librae ex reditibus olim ad mesquitam pertinentibus. Applicantur etiam viginti librae ex oblationibus et emolumentis ex pede altaris provenientibus, quae in oppido praefato satis uberes sunt. Et quandocumque et quomodocumque dictam scholasteriam vacare contigerit, et praedicta unio primitiarum, capitulo Segobricensi facta, sortita fuerit effectum, praefatum capitulum Segobricense teneatur solvere illas quadra-

ginta libras; viginti quinque videlicet antiquas, et quindecim modernas, quas praefatus scholaster nunc solvere tenetur, si tamen primitiae ad id sufficiant, et caficium tritici archidiacono maiori ratione visitationis pilae: ita quod scholaster, qui pro tempore fuerit, habeat quinquaginta libras pro sua dotatione, auctoritate apostolica, facta, liberas, et immunes ab huiusmodi contributione: quae omnes summae libras centum efficiunt, et pro dote dictae vicariae, eiusque vicarii perpetui, per praefatos contribuentes, respective quolibet anno, perpetuo solvendae, applicantur. In hac vero dotatione, neque dominus temporalis pro sua tertia decimarum parte, neque distributiones quotidianae chori ecclesiae Segobricensis contribuunt. Quoquo vero modo praefatam scholasteriam vacare contigerit, capitulum Segobricense quod succedit in fructibus, ultra praefatas quadraginta libras, solvat alias quindecim libras: omnes erunt triginta quinque librae pro dotatione ecclesiae praefatae de Castell nou, et eo casu dictae quindecim librae a portionibus contribuentium, ratione decimarum dumtaxat in praesenti dotatione, pro rata minuantur, sintque contribuentes liberi ab illarum solutione pro sua quisque parte. Quoniam vero terrae et arbores, quae olim ad mesquitam pertinebant, et nunc ecclesiae applicatae sunt, in posse et administratione universitatis dicti oppidi reperiuntur, quae duodecim libras tantum pro illarum compositione solvit ecclesiae, cum revera maiori pretio aestimetur, cavetur ne per applicationem dictarum duodecim librarum praesenti dotationi superius factam, aliquod praeiudicium Ordinario Segobricensi inferatur, quominus terras et arbores praefatas a praefata universitate repetere, et recuperare possit: et quia ecclesia adorationis Regum admodum vetus est, angusta et conquassata, nec veteres christianos capit, quantominus etiam novos, quando in eam conveniunt, tum etiam ecclesia Sancti Ioannis, quae olim fuit Maurorum mesquita, angusta est, et pro vetustate minatur ruinam; oportet quod nova aedificetur ecclesia utriusque populi capax, prout designatum est, et quae fuerat olim mesquita, diruatur, et domus, quam rector nunc obtinet, reficiatur.

Almedixer.

Oppidum *Almedixer* septuaginta quatuor continet domus christianorum nuper ad fidem catholicam conversorum. In eo parochialis est ecclesia antiqua sub invocatione S. Michaelis: habet pro annexis oppida *Soneja* quadraginta domorum, et *Azuevar* decem et octo domorum, et *Chova* quindecim domorum noviter ad fidem conversorum; omnes centum quadraginta septem domus. Rector dominicis et festivis diebus duas celebrat missas, alteram in oppido Almedixer, alteram in ecclesia de Soneja, ad quam conveniunt habitatores de Azuevar et Chova, habetque pro dote et salario viginti quinque libras monetae Valentiae, quas succentor Ecclesiae Segobricensis ei quolibet anno ab antiquo impendit, et alias decem libras, quae nuper ab Ordinario ei auctae fuerunt, et ab eodem succentore solvuntur. Est autem *Succentoria* collativum officium in Ecclesia Segobricensi, ab episcopo et capitulo antiquitus institutum, ut succentor praesit canentibus in choro ad *Facistorium*, cui annexae fuerunt primitiae dictorum quatuor oppidorum, quae, de iure divino, parocho debentur. Et quoniam oppidum Soneja ab oppido Almedixer duabus leucis asperrimi itineris, et oppida Azuevar et Chova leuca una distant, nec eorum habitatores possunt a rectore de Almedixer, prout par est, in fide catholica instrui,

et doctrinam christianam edoceri: necesse est quod haec tria oppida a parochiali de Almedixer separentur, et in oppido Soneja parochialis ecclesia erigatur noviter, prout infra dicetur, et quod dos ecclesiae de Almedixer ad centum usque libras augeatur in reditibus, hoc videlicet modo; quod succentor ecclesiae Segobricensis, ultra illas viginti quinque libras antiquas, quas rectori de Almedixer solvebat, solvat aliàs quinque libras, omnes triginta libras, ratione omnium primitiarum, quas ex eo oppido colligit, quae valoris sunt quinquaginta novem librarum cum dimidia, facta diligenti liquidatione. Mensa episcopalis Segobricensis solvat triginta libras et sex solidos ratione partis decimarum, quam ex eo oppido recipit, septuaginta duabus libris, duobus solidis et quinque denariis aestimatam. Mensa capitularis solvat sexdecim libras, tresdecim solidos et quatuor denarios, ratione partis earumdem decimarum, quam recipit; archidiaconus maior Segobricensis solvat tres libras et octo denarios, ratione undenae partis decimarum ad suam dignitatem pertinentis. Applicantur praeterea octo librae ex reditibus olim ad mesquitam pertinentibus, in eodem oppido, qui valoris eiusdem sunt. Applicantur etiam duodecim librae ex oblationibus et emolumentis ex pede altaris provenientibus, quae omnes summae centum libras efficiunt, et pro dote dictae parochialis ecclesiae de Almedixer eiusque rectoris, per praefatos contribuentes respective quolibet anno perpetuo solvendae, applicantur. In hac dotatione dominus temporalis praefati oppidi pro sua tertia parte decimarum non contribuit. Ecclesia amplietur, et sacristia, et domus, in qua rector commode habitet aedificentur expensis universitatis. Terrae vero et reditus olim ad mesquitam pertinentes, ecclesiae applicati maneant, et ipsa olim mesquita, quae adhuc restat, funditus evertatur.

Soneja, Azuevar, Chova.

Oppida *Soneja, Azuevar* et *Chova* septuaginta tribus constant domibus noviter ad fidem conversorum, praeter Chova, quod decem domus habet veterum christianorum: annexa sunt ecclesiae parochiali oppidi de Almedixer; et quoniam Soneja duabus leucis asperrimi itineris, et oppida Azuevar et Chova, leuca una simili itinere, a parochiali de Almedixer distant, nec eorum habitatores a rectore de Almedixer possunt, ut par est, in fide catholica instrui, et doctrinam christianam edoceri, opportet quod haec tria oppida a dicta parochiali de Almedixer separentur, et separata maneant, et in oppido Soneja ecclesia parochialis erigatur, et erecta maneat, quemadmodum per commissarios apostolicos de anno MDXXXIV fuit erecta, et dotata de triginta libris ex decimis et primitiis, quamvis talis erectio et dotatio numquam fuit sortita effectum; habeat suum proprium rectorem, qui residentiam faciat personalem, et teneatur diebus dominicis et festivis duas celebrare missas, alteram in ecclesia de Soneja, quae est sub invocatione S. Michaelis, alteram in ecclesia de Azuevar et Chova, alternis vicibus, ita ut, quando eam celebraverit in oppido Azuevar, habitatores de Chova, quamvis leuca una sint remoti, teneantur ad illam audiendam accedere, et e contra; sic enim, ut possibilitas fert, oppidis parvis et in desertis locis consistentibus, provisum est; et quod parochialis de Soneja dotetur de centum libris in reditibus, hoc videlicet modo: quod succentor ecclesiae Segobricensis, praeter illas decem libras, quas ex decreto Ordinarii pro augmento solvebat rectori de Almedixer, quae in dotationem ecclesiae de Soneja

transferuntur, solvat alias decem libras rectori de Soneja, omnes erunt viginti librae, ratione omnium primitiarum, quas ex his tribus oppidis colligit, quae aestimatae sunt septuaginta una libris, tresdecim solidis et novem denariis. Mensa episcopalis solvat quadraginta octo libras, novem solidos et octo denarios, ratione partis decimarum, quam ex oppidis capit, octuaginta sex libris, septemdecim solidis et decem denariis aestimatam. Mensa capitularis solvat viginti sex libras, tresdecim solidos et quatuor denarios, ratione partis earumdem decimarum, quam recipit valoris quadraginta septem librarum, quindecim solidorum et decem denariorum. Archidiaconus maior Segobricensis solvat quatuor libras et septemdecim solidos, ratione undenae partis decimarum ad suam dignitatem pertinentis; quae omnes summae libras centum efficiunt, et pro dote dictae parochialis ecclesiae de Soneja eiusque rectoris, per praefatos contribuentes respective quolibet anno perpetuo solvendae, applicantur, et in hac dotatione domini temporales pro sua tertia decimarum parte non contribuunt. Et quoniam in oppido Soneja terrae et arbores ad mesquitam pertinentes sunt plurimae, et in posse domini temporalis reperiuntur, qui eas colit et fructus retinet, qui viginti libras aestimantur, curandum est ut per iudicem, regia auctoritate, ad id deputatum, summarie elucidentur et recuperentur; quod cum fuerit factum, illarum valor in reditibus, ipso facto, praesenti dotatione applicatus maneat, et a portionibus in ea contibuentium, ratione decimarum dumtaxat, pro rata minuatur. Sintque sic contribuentes ab illius solutione pro sua quisque portione liberi et immunes. In oppido Soneja sacristia reficiatur, et domus, in qua rector residens habitet, quae designata est ecclesiae contigua, expensis universitatis mercetur et reficiatur, et eidem rectori consignetur.

Sot.

Oppidum *Sot* dominii temporalis D. Iacobi Ferrer gubernatoris Valentinensis quinquaginta quatuor continet domos noviter ad fidem catholicam conversorum. In eo parochialis ecclesia est antiqua sub invocatione Conceptionis B. V. Mariae dotata suis primitiis, quae valoris sunt quinquaginta librarum monetae Valentinae, et praeterea de viginti libris, quas dominus praefatus temporalis rectori etiam consignavit in dotem super quodam censuali, quae nunc etiam exiguntur cum obligationi celebrandi. . . . missas qualibet septimana, pro quibus viginti libris in reditibus, auctoritate apostolica, fuit illi concessum ius patronatus dictae rectoriae, et cum obligatione distrahendi ducentas libras in utilitatem fabricae et ornamentorum ecclesiae praefatae. Oportet quod praefata dos ad centum usque libras augeatur, addanturque aliae triginta librae in reditibus, hoc videlicet modo; quod mensa episcopalis Segobricensis solvat septem libras, quinque solidos et quinque denarios, ratione decimarum, quas ex eo oppido colligit, quae valoris sunt quinquaginta unius librarum, decem solidorum et quatuor denariorum. Mensa capitularis solvat quatuor libras, quae decimas capit, aestimatione viginti octo librarum, sex solidorum et octo denariorum. Archidiaconus de Alpuente Segobricensis Ecclesiae solvat quatuordecim solidos et septem denarios, ratione undenae partis decimarum. Applicantur praeterea octo librae ex reditibus olim ad mesquitam pertinentibus, qui eiusdem sunt valoris, et decem librae ex oblationibus et emolumentis provenientibus ex pede altaris. Quae omnes summae libras centum efficiunt, et pro dote dictae pa-

rochialis de Sot, eiusque rectoris, per contribuentes praefatos respective quolibet anno perpetuo solvendae applicantur: et quoniam primitiae dicti oppidi a die concessionis iurispatronatus praefati in triplum, Domino benedicente, auctae sunt, et dos praefatae parochialis ad centum libras nunc augetur, ex reditibus mere ecclesiasticis, ad quos si dotatio domini temporalis de viginti libris cum dicta obligatione comparetur, parvi est momenti, propterea ius patronatus dictae parochialis de Sot, dehinc ad episcopum Segobricensem, tamquam Ordinarium, et ad dominum temporalem praefati oppidi Sot, pertineat, alternis vicibus; et prima vice episcopus praesentet et instituat rectorem. Ecclesia, quae penes diruta est, in eodem situ reaedificetur cum sacristia, iuxta formam traditam, et domus pro rectoris habitatione, expensis etiam universitatis, construatur. Terrae vero et reditus ad mesquitam olim pertinentes ecclesiae applicati maneant.

Vall de Almonacir, Ayr et Algimia.

Oppidum *Ayr Vallis de Almonacir*, dominae Ioannae Enriquez de Cabrera comitissae de Aranda, centum decem et octo continet domos christianorum nuper ad fidem catholicam conversorum: est vicaria perpetua dictae Vallis de Almonacir per commissarios apostolicos instituta in eius ecclesia sub invocatione Conceptionis B. Mariae Virginis. Habet pro annexis oppidum *Algimia* quinquaginta sex domorum; quod ab Ayr quarta parte leucae distat, nam alia duo annexa Almedimilla et Alfandiguilla diruta sunt. Vicarius perpetuus, qui in civitate Segobricensi residet, diebus dominicis et festivis duas celebrat missas, alteram in ecclesia de Ayr, alteram in ecclesia de Algimia sub invocatione S. Ioannis Baptistae, habetque pro salario triginta septem libras, quarum viginti solvit infirmarius Ecclesiae Segobricensis, qui primitias dictorum locorum integras colligit; octo libras mensa episcopalis; quatuor libras canonicatus Segobricensis Ecclesiae Officio S. Inquisitionis Valentiae, auctoritate apostolica, applicatus pro decimis, quas recipiunt, et quinque librae ex reditibus olim mesquitae. Est autem *Infirmaria* officium collativum ab episcopo et capitulo Segobricensi antiquitus institutum, cuius usus et exercitium multos abhinc retro annos exolevit, eique fuerunt annexae primitiae istorum oppidorum, et aliorum quae potius parocho, de iure divino, debentur; sed apostolica auctoritate, quocumque modo vacaverit dicta infirmaria, massae communi capituli Segobricensis Ecclesiae eius fructus uniti fuerunt, relictis quinquaginta libris tantum dicto infirmario, qui pro tempore fuerit. Oportet quod praedicta vicaria perpetua dotetur de aliis sexaginta tribus libris ad complementum centum librarum in reditibus, hoc videlicet modo; quod infirmarius praesens, vel capitulum Segobricensis Ecclesiae, quod succedit in fructibus, ultra illas viginti libras monetae Valentinae, quas antea solvebat, solvat alias viginti libras, omnes quadraginta librae, ratione dictarum primitiarum, quas integras recipit, et valoris sunt centum viginti novem librarum. Mensa episcopalis, ultra illas octo libras quas antea solvebat, solvat decem et septem libras et decem solidos: omnes viginti quinque librae et decem solidi, ratione partis decimarum, quam recipit, valoris centum quinquaginta septem librarum, septem solidorum et duorum denariorum. Canonicatus Officio S. Inquisitionis applicatus, qui et dicitur *de Torme*, ultra illas quatuor libras, quas antea solvebat, solvat decem libras, omnes quatuordecim librae, ratione partis decimarum, quam recipit, quae octuaginta sex libris aesti-

matur. Archidiaconus maior Segobricensis solvat duas libras et decem solidos, ratione undenae partis decimarum ad suam dignitatem pertinentis. Applicantur praeterea ex reditibus olim mesquitarum, qui ad valorem viginti novem librarum, septem solidorum et duorum denariorum quolibet anno ascendunt, tresdecim aliae librae, quae cum quinque libris quae antea desumebantur, erunt decem et octo librae, quae omnes summae libras centum efficiunt; quae pro dote praefatae vicariae eiusque vicarii perpetui, per praefatos contribuentes respective quolibet anno perpetuo solvendae, applicantur: et in hac dotatione domina temporalis dictorum locorum pro sua tertia parte decimarum non contribuit. Quocumque vero modo praefatam infirmariam vacare contigerit, capitulum Segobricensis Ecclesiae, quod succedit in fructibus primitialibus praefatis, ultra praefatas quadraginta libras, teneatur solvere praesenti dotationi alias viginti libras: omnes erunt sexaginta librae, ita ut eidem officio infirmariae reliquantur praefatae quinquaginta librae, auctoritate apostolica eidem assignatae, liberae et immunes ab huiusmodi contributione; quae viginti librae eo casu a portionibus contribuentium in hac dotatione, ratione decimarum dumtaxat, minuantur pro rata, sintque sic contribuentes liberi ab illarum solutione pro sua quisque portione; et quoniam infirmarius praefatus quolibet anno unum tritici caficium archidiacono maiori Segobricensi, ratione visitationis pilae seu fontis baptismalis vicariae perpetuae totius Vallis de Almonacir [1]: et ab ea fuit dismembrata rectoria oppidorum Gayviel et Matet, et suis primitiis dotata: rector de Gayviel teneatur solvere, ut aequum est, saltem tertiam partem dicti tritici caficii, et reliquas duas partes capitulum quod succedit in fructibus. In oppido Ayr domus, quae extat vicarii perpetui, reficiatur, et sacristia construatur, et in oppido Algimia sacristia etiam construatur, iuxta formam traditam. Terrae vero et reditus, qui ad mesquitam olim pertinebant, ecclesiis respective applicati maneant.

1 Ita in editione romana, ubi aliquid desideratur. (R. T.).

Gayviel, et Matet.

Oppidum *Gayviel* quinquaginta quatuor continet domus christianorum noviter ad fidem catholicam conversorum, cuius dominus temporalis est D. Ioannes Garces de Haeredia, separatum fuit a vicaria perpetua Vallis de Almonacir per commissarios apostolicos de anno MDXXXIV, et in eo parochialis ecclesia erecta sub invocatione S. Petri Apostoli, datumque fuit illi pro annexo oppidum *Matet*, quod triginta domibus constat, duodecim noviter conversorum, et decem et octo veterum christianorum, et a Gayviel distat dimidia leuca. Fuit dotata de primitiis omnibus oppidi Gayviel, quae tunc temporis annexa erant infirmario ecclesiae Segobricensis, pro quibus tunc infirmarius solveret sex libras quolibet anno rectori de Gayviel; et quocumque modo infirmaria vacasset, ipso facto primitiae praefatae integrae dictae ecclesiae Gayviel eiusque rectori manerent applicatae in perpetuum, sicut postmodum contigit: et de illis octo libris monetae Valentiae, quas domna Isabel de Haeredia, tunc domina dicti oppidi, promisit rectori quolibet anno solvere super reditibus dicti oppidi Gayviel, consignatas sicut eas consignavit, pro quibus concessum fuit illi, et suis successoribus iuspatronatus dictae rectoriae, cum obbligatione etiam reficiendi et substentandi fabricam et ornamenta ecclesiae praefatae de Gayviel. Applicati etiam et consignati pro dote

fuerunt omnes reditus ad mesquitam de Gayviel olim pertinentes. Sed quoniam dominus temporalis modernus recusavit praefatas octo libras rectori solvere, ex eo quod super reditibus de Gayviel, quae sunt bona vinculo adstricta, non potuerunt consignari, desuperque lis fuit mota: rector de Gayviel solum recipit primitias de Gayviel integras, quae, facta legitima calculatione, sexaginta octo libris, solido uno et tribus denariis aestimantur: et reditus olim mesquitae, qui valoris sunt septem librarum, omnes sunt septuaginta quinque librae, solidus unus et tres denarii. Quapropter oportet quod praedictae doti addantur in reditibus viginti et quatuor librae, decem et octo solidi et novem denarii ad complementum centum librarum, hoc videlicet modo: quod infirmarius ecclesiae Segobricensis vel Capitulum, quando in praemissis successerit, solvat decem libras ratione primitiarum, quas integre recipit ex oppido Matet, quae valoris sunt triginta quinque librarum, duorum solidorum et sex denariorum. Applicantur et consignantur octo librae ex reditibus olim ad mesquitam oppidi Matet pertinentibus, qui quotannis decem et octo libras valent. Applicantur praeterea sex librae, decem et octo solidi et novem denarii ex oblationibus et emolumentis ex pede altaris provenientibus dictorum duorum oppidorum, quae omnes summae centum libras efficiunt, et pro dote dictae parochialis de Gayviel eiusque rectoris per praefatos contribuentes respective quolibet anno perpetuo solvendae, applicantur. Ius vero patronatus penes Ordinarium remaneat. Rector vero, qui in oppido Gayviel nunc residet, dominicis diebus et festivis duas teneatur celebrare missas, alteram in ecclesia de Gayviel, alteram in ecclesia de Matet, quae sub invocatione S. Ioannis Baptistae fundata est. In ecclesia de Gayviel reficiatur sacristia, prout notatum est, et domus in qua rector habitet, aedificetur (in porticu in quo nunc iurati et consiliarii universitatis conveniunt) iuxta formam designatam. Terrae vero et reditus, olim ad mesquitam pertinentes, ecclesiis respective applicati maneant et rectori, ut praefertur.

Castell Montan.

Oppidum *Castell Montan* remotum quidem, et in asperrimis locis situm, dominii temporalis D. Michael Vallterra, quinquaginta continet domus christianorum noviter ad fidem catholicam conversorum. In eo parochialis ecclesia est antiqua sub invocatione S. Bernardi Abbatis, habetque pro annexis oppida *Villa neuva*, et *Fuent de la Reyna*, quae viginti octo domibus constant christianorum veterum, a parochiali plusquam leuca una asperi itineris distantia. Rector dominicis diebus et festivis duas celebrat missas, alteram in ecclesia de Castell Montan, alteram in ecclesia de Villa neuva, ad quam habitatores de la Fuent de la Reyna conveniunt, et in oppido de Villa neuva continuo residet; habetque pro dote et salario omnes primitias dictorum trium locorum, et etiam quamdam partem primitiae terrae, quae dicitur *el Secresto*, termini de Cercia, quae omnes primitiae centum librarum valorem excedunt. Et quoniam oppida la Villa neuva, et Fuent de la Reyna multum a parochiali distant, et a christianis veteribus incoluntur, videtur quod dismembrentur, cum suis primitiis a parochiali ecclesia de Castell Montan, et in oppido la Villa neuva ecclesia parochialis erigatur, ut infra dicetur; et quod rector de Castell Montan remaneat cum primitiis eiusdem oppidi, quae valoris sunt quinquaginta librarum, et quod dotetur de aliis quinquaginta libris in reditibus, hoc videlicet modo: quod mensa episcopalis Segobricensis solvat viginti quatuor libras,

quatuor solidos et decem denarios, ratione partis primitiarum, quam ex eo oppido recipit, valoris sexaginta octo librarum, unius solidi et novem denariorum. Mensa capitularis et massa eius communis solvat tresdecim libras, sex solidos et octo denarios pro parte primitiarum, quam accipit, valoris triginta septem librarum, octo solidorum et decem denariorum. Archidiaconus maior Segobricensis solvat duas libras, octo solidos et sex denarios pro undena parte decimarum ad suam dignitatem pertinente, valoris sex librarum, sexdecim solidorum et unius denarii. Applicantur praeterea decem librae ex reditibus olim ad mesquitam pertinentibus, qui valoris sunt eiusdem, et in hac dotatione dominus temporalis pro sua tertia parte decimarum non contribuit; quae omnes summae centum libras efficiunt, et pro dote ecclesiae praefatae de Castell Montan eiusque rectoris per praefatos contribuentes respective quolibet anno in perpetuum solvendae, applicantur. In ecclesia aedificetur sacristia et domus competens pro rectoris habitatione iuxta formam et statum designatum. Terrae vero et reditus ad mesquitam olim pertinentes ecclesiae applicati maneant, hoc est rectori, ut praedictum est.

Villa nueva et Fuent de la Reyna.

Oppida *Villa neuva* et *Fuent de la Reyna*, quae domibus constant viginti octo veterum christianorum, annexa sunt ecclesiae parochiali de Castell Montan: et quoniam ab ea plusquam leuca una distant, et asperrimi itineris, sintque inter se ad mediam leucam vicina, et a veteribus christianis habitata, nec propterea possint a rectore de Castell Montan commode ministrari, oportet quod a dicta parochiali de Castell Montan separentur, et dismembrentur, separataque et dismembrata remaneant cum suis primitiis, et in oppido la Villa neuva, quod viginti duabus domibus constat, parochialis ecclesia noviter erigatur, et erecta maneat cum sacrario, sacristia, fonte baptismali, campanili, caeterisque parochialibus insigniis, et cum omni alio pleno iure et privilegiis ecclesiarum parochialium, et cum suo proprio parocho et rectore, qui residentiam faciat personalem in dicta rectoria, et habeat pro annexo oppidum Fuent de la Reyna sex domorum, et rector duas celebret missas dominicis et festivis diebus; alteram in ecclesia de Villa neuva, alteram in ecclesia oppidi Fuent de la Reyna; et pro dote et substentatione dicti rectoris applicantur omnes primitiae dictorum duorum oppidorum, quae valoris sunt sexaginta librarum, et etiam pars illa primitiarum terrae *del Sequestro* termini de Cerilla, quae decem libris aestimatur, cum quibus, et obligationibus et emolumentis, quae proveniunt ex pede altaris inter veteres christianos, rector se poterit commode substentare. In oppido Villa neuva domus pro rectoris habitatione aedificetur.

Suburbium Villae Chelva et Benaxuay.

In *Villa de Chelva*, quae insignis est, intra ipsius moenia quoddam suburbium a christianis noviter ad fidem catholicam conversis incolitur, centum viginti constans domibus, quae separato a christianis veteribus loco et regimine sunt connexae, et in eo ecclesia sub invocatione S. Crucis constructa est, annexa parochiali ecclesiae de Chelva, quae est sub invocatione Virginis Mariae Angelorum; sunt etiam eidem parochiali annexa oppida *Benaxuay* quadraginta quinque domorum et *Calles* sexaginta domorum christianorum noviter ad fidem conversorum. Rector de Chelva, qui quingentis domi-

bus veterum christianorum suae parochialis alias praepeditus est, unum praesbyterum mittit diebus dominicis et festivis, qui duas celebrat missas; alteram in ecclesia suburbii praefati, in quam eius suburbii habitatores conveniunt; alteram in ecclesia oppidi Calles, quod media leuca distat a Chelva, et habitatores pro salario praefati presbyteri nonaginta regalia monetae Castellae, et habitatores Benaxuay sex libras conferunt. Rector vero alteram missam celebrat in oppido Benaxuay eisdem diebus, quod Villae de Chelva est propinquum, et partem quasi tertiam primitiarum ex omnibus his locis colligit, quae quadringentis libris aestimatur. Et quoniam suburbium praefatum, propter plebis multitudinem, et oppidum Calles propter loci distantiam a rectore de Chelva impossibile est administrari, et eorum habitatores in fide catholica, prout par est, institui, oportet quod a parochiali ecclesia de Chelva dismembretur, et dismembratum maneat, et in suburbio praefato ecclesia Sanctae Crucis in parochialem erigatur, et erecta maneat, cum sacrario, sacristia, fonte baptismali, campanili caeterisque parochialibus insigniis, et cum omni alio pleno iure et privilegiis parochialium ecclesiarum, et cum suo proprio et perpetuo parocho et rectore, qui teneatur in ea residentiam facere personalem, doteturque de centum libris in reditibus quolibet anno, hoc videlicet modo: quod rector de Chelva solvat decem et novem libras, sex solidos et octo denarios, ratione partis primitiarum, quam ex eisdem oppidis colligit, quae valoris est centum et octuaginta quinque librarum, septem solidorum et unius denarii. Rector parochialis oppidi Tuexa solvat novem libras, tresdecim solidos et quatuor denarios, ratione partis primitiarum, quam ex eisdem oppidis colligit, valoris nonaginta duarum librarum, tresdecim solidorum et octo denariorum; dominus temporalis Villae de Chelva solvat quinque libras, ratione tertiae partis novennarum primitiae praefatae, quam recipit, valoris viginti quinque librarum. Mensa episcopalis Segobricensis solvat sex libras, unum solidum et tres denarios pro parte primitiarum, quam etiam recipit. Decanus ecclesiae Segobricensis solvat tres libras, sex solidos et octo denarios pro parte earumdem primitiarum, quam colligit. Et quoniam post obitum Petri Ramirez moderni decani, fructus dicti decanatus, auctoritate apostolica, uniti sunt massae communi capituli ecclesiae Segobricensis, relictis quingentis libris tantum pro decano futuro et successoribus, fructus autem praefati mille et centum libris aestimantur: quandocumque praefata unio sortita fuerit effectum, decanus et capitulum solvant pro medietate dictas tres libras, sex solidos et octo denarios, videlicet decanus triginta tres solidos et quatuor denarios, et Capitulum similes triginta tres solidos et quatuor denarios, ratione qua supra. Archidiaconus de Alpuente Ecclesiae Segobricensis solvat duodecim solidos et unum denarium, ratione undenae partis novennarum eiusdem primitiae, quae valoris est sexaginta octo librarum, duodecim solidorum et octo denariorum. Applicantur praeterea decem librae, quas universitas oppidi Calles promisit et se obligavit voluntarie solvere quotannis rectori suburbii praefati, comprehensis illis nonaginta regalibus, quae antea solvebat, actu recepto per infrascriptum notarium sub die I iulii anni MDXCVI. Applicantur etiam sexdecim librae, quas universitas praefati suburbii et habitatores Benaxuay voluntarie se obbligarunt et promiserunt solvere quotannis in subventionem praesentis dotationis, videlicet suburbium decem libras, et

Benaxuay sex. Item applicantur viginti librae ex reditibus olim mesquitae dicti suburbii, qui ad valorem triginta librarum quolibet anno ascendunt. Ultimo applicantur decem librae ex oblationibus et emolumentis ex pede altaris provenientibus, quae in dicto suburbio uberes sunt. Quae omnes summae centum libras efficiunt, quae pro dote ecclesiae suburbii praefati, eiusque rectoris per contribuentes praefatos, respective quolibet anno in perpetuum solvendae, applicantur. Et in ista dotatione non contribuit dimidia pars primitiarum, quae, auctoritate apostolica, fuit applicata distributionibus quotidianis chori Ecclesiae Segobricensis. Et quoniam rector de Chelva in praefato suburbio recipit dimidiam partem decimae nucum, carofae, canani et leguminum, cum alteram dimidiam partem recipiat vicecomes de Chelva, propter praesentem dotationem non praetenditur derogare iuri rectoris de Chelva circa hoc, nec ius tribuere rectori dicti suburbii. Rector vero diebus dominicis et festivis duas teneatur celebrare missas, alteram in ecclesia suburbii, alteram in ecclesia oppidi Calles, et utriusque habitatores in fide catholica solerter erudire. Oppidum vero Benaxuay maneat annexum parochiali de Chelva, et rector dominicis et festivis diebus teneatur in eo, quod propinquum est, alteram celebrare missam in ecclesia Sanctae Mariae *de Lorito,* et habitatores noviter conversos in fide catholica ibidem instruere. In ecclesia suburbii, quae capax est, aedificetur sacristia et domus, quae eidem ecclesiae contigua est, vel altera congruens rectori ad habitandum consignetur. Terrae vero et reditus olim mesquitae ecclesiae applicati maneant. Coemeteria vero antiqua Saracenorum vendantur, et applicentur fabricae ecclesiae Sanctae Crucis.

Buenaxeve.

Oppidum *Buenaxeve,* domini temporalis de Chelva, quadraginta sex continet domos noviter ad fidem conversorum, in profundissima valle ad rivum Iuriam sitas. Fuit per commissarios apostolicos dismembratum a parochiali de Chelva, et traditum pro annexo parochiali de Tuexa, et rectori de Tuexa applicatae fuerunt pro labore et cura illius triginta librae, quindecim ex primitiis, et quindecim ex decimis; sed nunc a rectore de Domeno ministratur, qui aliquando ad oppidum Buenaxeve ad missam celebrandam se confert, et pro salario servitii utriusque oppidi, viginti quinque libras a succentore sedis Segobricensis recipit. Et quoniam oppidum Buenaxeve ab oppido Tuexa leuca una itineris asperrimi distat, et est in loco deserto et pene inaccessibili, oportet quod a parochiali de Tuexa dismembretur, maneatque ex nunc dismembratum, et in eo parochialis ecclesia noviter erigatur, erectaque maneat sub invocatione Conceptionis B. V. Mariae, cum sacrario, sacristia, fonte baptismali, campanili, caeterisque parochialibus insigniis, et cum omni alio pleno iure et privilegiis parochialium ecclesiarum, et cum uno parocho et rectore, qui in ea faciat residentiam personalem, et quod dotetur de centum libris, hoc videlicet modo: quod succentor sedis Segobricensis solvat ex nunc quindecim libras, ratione omnium primitiarum, quas ex eo oppido colligit, valoris quadraginta octo librarum, undecim solidorum. Dominus temporalis, videlicet vicecomes de Chelva, solvat duas libras, ratione partis novennarum dictae primitiae, quam recipit. Mensa episcopalis Segobricensis solvat triginta quinque libras et tres solidos ratione partis primitiarum et decimarum, quam ex eo oppido recipit, valoris sexaginta septem librarum, decem et octo solidorum et octo dena-

riorum. Decanus ecclesiae Segobricensis solvat decem et novem libras, sex solidos et octo denarios, ratione partis primitiarum et decimarum, quam ex eo oppido recipit, valoris triginta septem librarum, septem solidorum et quatuor denariorum. Et quandocumque unio fructuum decanatus praefati massae communi capituli Ecclesiae Segobricensis, auctoritate apostolica facta, per obitum Petri Ramirez, moderni decani, sortita fuerit effectum, tunc decanus et capitulum praefatum pro medietate solvant dictas decem et novem libras, sex solidos et octo denarios, quorum alter quingentas libras, alterum sexcentas ex dictis fructibus recipit. Archidiaconus Altipontis Ecclesiae Segobricensis solvat tres libras, decem solidos et quatuor denarios eadem ratione. Rector de Chelva, qui pingues reportat primitias, et tenebatur olim praefato oppido deservire, solvat quatuordecim libras; rector vero de Tuexa, qui a labore dicti oppidi exoneratur, et propter illud ex decimis et primitiis auctus fuit, solvat septem libras. Applicantur praeterea quatuor librae ex reditibus olim mesquitae, qui eiusdem sunt valoris. Quae omnes summae centum libras efficiunt, quae pro dote ecclesiae praefatae noviter erectae de Buenaxeve eiusque rectoris, per praefatos contribuentes respective quolibet anno in perpetuum solvendae, applicantur. Cum quibus et dimidia parte decimae nucum, carofae, canemi et leguminum, quae ad rectorem pertinet, rector congrue se sustentare poterit: et quocumque modo dicta succentoria vacaverit, ipso facto primitiae de Buenaxeve, ab ea dismembratae existant, et applicatae in perpetuum rectoriae de Buenaxeve: et eo casu rector de Buenaxeve teneatur respondere quolibet anno decem libras monetae Valentinae succentori praefato, ne nimium dispendium patiatur, et eo etiam casu viginti librae de portionibus contribuentium in praesenti dotatione ratione decimarum dumtaxat pro rata minuantur, et contribuentes respective ab illarum solutione sint liberi, pro sua quisque parte, sicut etiam succentor praefatus immunis erit a solutione illarum quindecim librarum, quas nunc solvere tenetur. In oppido Buenaxeve aedificetur nova ecclesia cum sacristia, et domus pro rectoris habitatione competens, iuxta formam et situm designatum, expensis universitatis. Reditus vero olim mesquitae rectori, ut praedicitur, applicati maneant.

Domeno et Loriguilla.

Oppidum *Domeno,* dominii temporalis vicecomitis de Chelva, septuaginta quatuor continet domos noviter ad fidem conversorum. In eo parochialis ecclesia est antiqua sub invocatione Sanctae Catherinae martyris: habet pro annexo oppidum *Loriguilla* quinquaginta domorum noviter ad fidem conversorum, quod a parochiali dimidia leuca distat. Rector in Villa de Chelva residet, et dominicis diebus et festivis tenetur celebrare duas missas, alteram in ecclesia de Domeno, alteram in ecclesia de Loriguilla, quae est sub invocatione Sancti Ioannis Baptistae, et pro dote et substentatione habet viginti quinque libras, quas succentor Ecclesiae Segobricensis solvit, tam pro servitio dictorum oppidorum, quam pro servitio de Buenaxeve, ut supra dictum est. Oportet quod dotetur, et dotata maneat praefata Ecclesia de Domeno de aliis septuaginta quinque libris ad complementum centum librarum, hoc videlicet modo: quod succentor praefatus, ultra illas viginti quinque libras quas antea solvebat, solvat nunc decem alias libras, et omnes erunt triginta quinque librae, ratione primitiarum, quas ex eis-

dem oppidis colligit; quae centum quinque libris, tribus solidis et uno denario aestimantur. Dominus temporalis solvat quatuor libras, septem solidos et septem denarios, ratione partis novenorum dictae primitiae, quam recipit. Mensa episcopalis Segobricensis solvat triginta tres libras, quatuordecim solidos et duos denarios, ratione partis primitiae et decimarum, quam ex eisdem oppidis recipit, valoris centum quadraginta octo librarum, septendecim solidorum et sex denariorum. Decanus ecclesiae Segobricensis solvat decem et octo libras, decem solidos et decem denarios, ratione partis primitiae et decimarum quam recipit, valoris octuaginta unius librarum, quindecim solidorum et septem denariorum. Et quandocumque unio fructum decanatus praefati massae communi capituli Ecclesiae Segobricensis, auctoritate apostolica, facta, per obitum Petri Ramirez moderni decani, sortita fuerit effectum, tunc decanus et capitulum praefatum pro medietate solvant dictas decem et octo libras, decem solidos et decem denarios, quorum alter quingentas libras, alterum sexcentas ex dictis fructibus recipit. Archidiaconus Alti Pontis Segobricensis Ecclesiae solvat tres libras, septem solidos et quinque denarios eadem ratione. Applicantur praeterea quinque librae ex dimidia parte decimarum nucum, carofae, canemi et leguminum, quae ad rectorem spectat, et eo pretio aestimatur. Quae omnes summae libras centum efficiunt, quae pro dote dictae parochialis de Domeno eiusque rectoris, per praefatos contribuentes respective quolibet anno in perpetuum solvendae, applicantur: et quoquo modo dicta succentoria vacare contigerit, successor in ea teneatur ultra praefatas triginta quinque libras solvere alias quindecim rectori de Domeno, omnes erunt quinquaginta librae. Et eo casu dictae quindecim librae de portionibus contribuentium in praesenti dotatione, ratione decimarum dumtaxat pro rata minuantur, itaut contribuentes ab illarum solutione sint liberi pro sua quisque portione. In oppido Domeno sacristia aedificetur, et domus pro rectoris habitatione, quae designata est, consignetur, et reficiatur expensis universitatis, et ecclesia oppidi de Loriguilla reficiatur et amplietur, extruaturque sacristia, prout designatum fuit. Terrae vero et reditus olim ad mesquitas utriusque oppidi pertinentes ecclesiis respective maneant applicati.

Cathalogus eorum qui contribuunt.

Mensa episcopalis, mensa capitularis, fabrica cathedralis Segobricensis, universitates oppidorum, domini temporales, rectores quorumdam locorum, reditus olim mesquitae, archidiaconus maior, thesaurarius, archidiaconus Alti-Pontis, decanus, infirmarius, scolaster, succentor, duo canonici curati, canonicatus S. Officii alias de Torme, episcopatus Segobricensis in dotatione parochialium oppidorum eorum, qui nuper ad fidem fuerunt conversi, tam ex antiqua obligatione quam ex nova dotatione, de centum libris de anno MDXCIX.

Mensa episcopalis ex antiqua obligatione solvit parochiali de Ayr octo libras, 8.

Ex nova dotatione solvit parochialibus trecentas octo libras, quatuordecim solidos et quatuor denarios, 308, 14, 4.

Fabrica cathedralis Segobricensis solvit ex nova dotatione sexaginta tres libras, undecim solidos et tres denarios, 63, 11, 3.

Mensa capitularis ex nova dotatione solvit parochialibus septuaginta libras, praeter eas, quas propter executionem massae communis solvere debebit, 70.

Universitates oppidorum ex antiqua

obligatione solvunt parochialibus viginti novem libras, et quinque solidos, 29, 5.

Ex nova dotatione solvunt eisdem triginta sex libras et quindecim solidos, 36, 15.

Dominus temporalis ex nova dotatione solvit parochialibus undecim libras, septem solidos et decem denarios, 11, 7, 10.

Rectores quorumdam locorum ex nova dotatione quinquaginta libras solvunt parochialibus, 50.

Reditus olim mesquitae ex antiqua obligatione solvunt duodecim libras, 12.

Ex nova dotatione solvunt eisdem parochialibus octuaginta tres libras, 83.

Archidiaconus maior ex nova dotatione solvit triginta quinque libras, tresdecim solidos et sex denarios, 35, 13, 6.

Thesaurarius ex nova dotatione solvit duodecim libras, quinque solidos et duos denarios, 12, 5, 2.

Archidiaconus Alti-Pontis ex nova dotatione solvit octo libras, quatuor solidos et quinque denarios, 8, 4, 5.

Decanus ex nova dotatione solvit parochialibus triginta septem libras, decem et septem solidos et sex denarios: post exequutionem vero massae communis minorem quantitatem solvet, prout in libro, 37, 17, 6.

Infirmaria ex antiqua obligatione solvit viginti libras, 20.

Ex nova dotatione solvit eisdem parochialibus viginti libras, et, post executionem massae communis, nihil contribuet, 20.

Scholaster ex antiqua obligatione solvit viginti quinque libras, 25.

Ex nova dotatione solvit quindecim libras, et post exequutionem massae communis nihil contribuet, 15.

Succentor ex antiqua obligatione solvit parochialibus sexaginta libras, 60.

Ex nova dotatione solvit eisdem parochialibus quadraginta libras, 40.

Duo canonici curati solvunt ex nova obligatione quatuordecim libras, novem solidos et octo denarios, 14, 9, 8.

Canonicatus S. Officii Inquisitionis solvit, ex antiqua obligatione, quatuor libras, 4.

Ex nova dotatione solvit decem libras, 10.

Quam quidem praeinsertam per me factam et designatam formam ad Sanctitatem Vestram, eiusque Sanctam Sedem Apostolicam transmitto, ut quod magis ad Dei laudem, et eorumdem noviter conversorum utilitatem, ac aliarum ecclesiarum indemnitatem spectare Sanctitas Vestra cognoverit, statuere, decernere et ordinare dignetur, cuius sanctissimis pedibus humili demissoque animo provolutus, S. V. benedictionem et patrocinium humiliter imploro. In quorum omnium et singulorum fidem, praesentes manu mea subsignatas, sigillique mei impressione munitas, et per notarium infrascriptum subscriptas expedivi litteras. Segobricae die v mensis iulii, anno a nativitate Domini MDXCIX.

Felicianus Episcopus Segobricensis.

Loco † Sigilli.

De mandato dicti Domini mei episcopi.

Jacobus Sylvester de Urbina, notarius scriba.

§ 4. Nos autem ad ea, quae catholicae fidei conversationem, *etc.* (*prout in praecedenti usque ad finem*).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVIII maii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 28 maii 1602, pontif. an. XI.

CCXC.

In idem argumentum pro dicecesi Oriolensi [1].

Clemens Papa VIII,
ad futuram rei memoriam.

Apostolici muneris, *etc.* (*caetera ut in praecedenti*).

§ 1. Alias siquidem pro parte clarae memoriae Philippi II, *etc.* (*ut supra*).

Episcopus Oriolensis undecim parochias erigit fundatque.

§ 2. Cum autem, sicut nuper pro parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, ac venerabilis fratris Iosephi Stephani episcopi Oriolensis nobis expositum fuit, idem Iosephus episcopus mandatis nostris huiusmodi obediens, et pastoralis officii sui debitum adimplere procurans, totis viribus incumbens, universa oppida suae dioecesis Oriolensis, quae noviter conversi huiusmodi, et seu eorum descendentes incolunt, perlustraverit, et his omnibus et singulis, quae pro debita mandatorum nostrorum executione, et praedictorum noviter conversorum in vera et catholica fide instructione expedire visa fuerunt, maturius consideratis, ac diligenti cura perpensis, considerans in eius Oriolensi diocesi, in qua undecim noviter conversorum huiusmodi oppida, ut inferius designabitur, continentur, ut neophyti praedicti, simili et communi omnium instructione, fidei catholicae praeceptis imbui, et fidei huiusmodi incrementa suscipere valerent, fieri oportebat; ea propter normam venerabilis fratris archiepiscopi Valentinensis, qui, vigore dictarum Gregorii XIII litterarum, diversas parochiales ecclesias et vicarias instituit, insequendo, erectiones, fundationes, divisiones, distinctiones, dotiumque iam factarum et attributarum, ac redituum et proventuum parochialium ecclesiarum et vicariarum huiusmodi in eius dioecesi, in hanc, quae sequitur, formam designavit, videlicet:

Litterae episcopi ad Pontificem hac super re.

Sanctissimo D. N. Clementi VIII, Iosephus Stephanus episcopus Oriolensis, devota et humilis Sanctitatis vestrae creatura, post pedum oscula beatorum, salutem et sinceram obedientiam. Accepi litteras Sanctitatis vestrae, seu earum transumptum in forma brevis ad preces et supplicationem Philippi II, Hispaniarum regis catholici expeditas, in hanc videlicet formam. In Nomine Sanctissimae et individuae Trinitatis, *etc.* (*ut in praecedenti*).

Refert litteras sibi a Pontifice datas.

Obtemperando Pontificis mandati, per delegatos suos modum statuit novas erigendi, singulasque dotandi parochias.

Ex quibus plane Sanctitatis Vestrae litteris ingens Philippi II, cuius memoria in benedictione est, cura et ardens desiderium eluxit, ut Valentini regni recentiores christiani a Mauris descendentes in vera Christi fide et religione instituerentur, et nefariae sectae mahometanae errores abiicerent. Eadem sollicitudo in Philippo III parentis sui, non tam regnorum, quam etiam religionis haerede conspicitur. Qui statim ac regnorum suorum habenas accepit, nihil magis habuit in votis, quam ut omnes episcopi huius regni in hanc curam incumberent niterenturque eosdem neophytos christianos instituere, et in fide catholica et religione imbuere. Vestrae quoque Beatitudinis ardor et pietas aperte conspicitur, cum paterno zelo et charitate eo incumbitis, ut presbyteri, litteris et religione probati, singulis oppidis Maurorum praeponantur, qui ibi curam animarum exerceant, et suo exemplo et pietate praedictos Mauros ad fidem et pietatem traducant. Quare, cum studium Sanctitatis Vestrae mandatis, et Philippi II voluntati obsequi, et Philippi III desiderio satisfacere coepi, hoc munus mihi a Sanctitate Vestra iniunctum diligenter suscipere, et eo studio prosequi, ut facilius et commodius huiusmodi parochiales ecclesiae institui po-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tuissent. Quae interim dum cogito, recordor, superioribus diebus, licentiatum Felicianum de Figueroa praecentorem et canonicum Ecclesiae Valentinae, virum industrium, et in rebus gerendis expertem, et iam alias virtute, moribus et doctrina probatum, ut regis desiderio obsequeretur, haec prius diligenti cura pervestigasse, et una cum Ioanne Baptista Fornerio, canonico Oriolensi, meo officiali et vicario generali, et ad id specialiter deputato, omnes reditus, fructus et emolumenta, quae ad dictarum parochialium meae dioecesis dotem et sustentationem necessaria videbantur, diligenter examinasse ac accurate expendisse, et ea omnia in ordinem et seriem reduxisse, quae huic negotio maxime conducebant. Quae cum vidissent et examinassent diligenter, aptissima esse iudicavi ut a Sanctitate Vestra, apostolico robore et firmitate, donarentur, maxime cum erectiones, fundationes, divisiones, distinctiones dotiumque attributarum ac redituum et proventuum adauctiones dictarum parochialium ita diligenter praescriptae, collectae et assignatae sunt, ut nihil solertius ac diligentius describi, colligi ac designari potuisset. Quare quidquid per dictos Felicianum Figueroa et Ioannem Baptistam Fornerium, meum vicarium generalem, designatum, collatum, descriptum et elaboratum est, ad Sanctitatem Vestram transmitto, ut Sanctae Sedis Apostolicae auctoritate roborare et confirmare velitis, iubeatisque quod a Sanctitatis Vestrae pedibus provolutus humiliter deposco. Tenor vero earum rerum, quae a praedictis designatae sunt, sequitur, et est talis. Forma erectionis, dismembrationis et dotationis de centum libris monetae Valentinensis parochialium ecclesiarum in oppidis Maurorum nuper ad fidem catholicam conversorum dioecesis Oriolensis, auctoritate ordinaria ad voluntatem, zelum et directionem Philippi II, Hispaniarum regis catholici facta.

Oriola.

In civitate Oriolensi quae caput et cathedralis ecclesia existit, parochialesque tres alias ecclesias continet cum tribus mille domibus, sunt quadraginta domus noviter ad fidem conversorum per civitatem promiscue dispersae, quarum habitatores nullam parochialem ecclesiam aut proprium parochum, ubi doctrina christiana erudiri oporteret, atque peculiariter edoceri habent, nec parochialium curati eos opportune cognoscere, et instruere in fide catholica possunt. Est autem quaedam ecclesia seu oratorium sub invocatione Sancti Pauli Apostoli in parochia S. Iustae eidem parochiali vicina, quae alterius officii occupatione vacat, in quam iidem habitatores noviter conversi diebus dominicis et festivis ad audiendam missam convenire possunt. Videtur quod praefata ecclesia Sancti Pauli ad huiusmodi conventum noviter designetur, et designata maneat, quemadmodum per episcopum Oriolensem in sua visitatione iam fuit constitutum, et quod eisdem diebus unus ex tribus curatis parochialis ecclesiae S. Iustae praefatae per turnum in eodem oratorio missam celebret, et doctrinam christianam eosdem noviter conversos doceat, de salario competenti pro labore satisfactus, expensis trium beneficiatorum dictae parochialis ecclesiae pro tempore existentium in perpetuum, ratione fructum primitialium et decimalium, quos in decimario Oriolensi percipiunt, qui ad valorem trecentarum librarum pro quolibet beneficio annuatim ascendunt. Et quod unus alguasirius ab episcopo creandus, et cum oportuerit, amovendus, eosdem noviter conversos ad sic conveniendum, et missam et doctrinam christianam audiendum in praefato

oratorio sive ecclesia Sancti Pauli compellat, et negligentes mulctet.

Rodovan.

Oppidum *Rodovan* triginta duabus domibus christianorum veterum constat, et triginta quatuor noviter ad fidem conversorum. Omnes sexaginta sex domorum numerum efficiunt. In eo parochialis ecclesia extat ab eo tempore, quo praesentis regni Mauri a mahometana secta ad fidem catholicam fuerunt conversi, sub invocatione Sancti Michaelis Archangeli; cuius animarum cura per presbyterum mercenarium deserviri hactenus solita est. Qui quidem presbyter pro sustentatione et salario habet primitias dicti oppidi, quae valoris sunt viginti librarum, et quinque libras quas episcopus et capitulum Oriolense et studium generale civitatis Valentiae persolvunt, ratione fructuum decimalium, quos ex eo oppido colligunt, et quinquaginta solidos a domino temporali dicti oppidi ex antiqua traditione recipit, quae omnes summae viginti septem libras et decem solidos efficiunt. Et quoniam valde consentaneum est, quod oves proprium pastorem habeant et agnoscant, et ab eo agnoscantur, qui non sicut mercenarius lupum venientem fugiat, sed pro ovibus vitam det, et rationem Deo teneatur reddere, praecipue cum noviter conversi in via catholica sint instruendi; oportet quod in dicta parochiali ecclesia de Rodovan unus rector sive parochus perpetuus et proprius constituatur, penes quem animarum cura resideat, et qui rectoriam seu parochialem ecclesiam praefatam per concursum, institutionem et collationem, iuxta decretum Sacri Concilii Tridentini, obtineat, cui in perpetuum pro dote dictae parochialis, dictae viginti septem librae et decem solidi applicatae maneant, eique addantur et applicentur pro dote et congrua sustentatione aliae septuaginta duae librae cum dimidia ad complementum centum librarum monetae Valentiae, hoc videlicet modo: quod mensa episcopalis Oriolensis solvat viginti novem libras et novem solidos ultra eam quantitatem, quam antea solvebat, ratione decimarum, quas in oppido praefato colligit, quae valoris sunt nonaginta unius librarum, duorum solidorum et quinque denariorum; mensa vero capitularis solvat quindecim libras, tresdecim solidos et sex denarios, ultra eam quantitatem, quam antea solvebat. Studium vero generale civitatis Valentiae solvat duas libras, septem solidos et sex denarios, ratione partis decimarum, quam ex eodem oppido respective recipiunt. Illae praeterea viginti quinque librae, quas universitas et iurati dicti oppidi de Rodovan sponte se obligarunt persolvere futuro rectori perpetuo in subventionem praefatae dotationis, prout de obligatione apud acta processus constat, maneant perpetuo applicatae, cum quibus summa dictarum septuaginta duarum librarum cum dimidia novae additionis completur. Domus habitationis rectoris commoda, et ecclesiae parochiali contigua aedificetur, iuxta designatam formam.

Coix.

Oppidum *Coix* centum septuaginta continet domus christianorum noviter ad fidem catholicam conversorum. In eo parochialis ecclesia antiqua extat ab eo tempore, quo praesentis regni Mauri a mahometana secta ad catholicam fidem fuerunt conversi, sub invocatione S. Ioannis Baptistae. Habet pro annexo oppidum de la Granja septuaginta domorum, populo frequens, cuius animarum cura per presbyterum mercenarium deserviri solita est, ab Ordinario designatum, qui dominicis et festivis diebus duas ce-

lebrat missas, alteram in oppido Coix, alteram in oppido la Granja, et pro salario et sustentatione primitias praedictorum oppidorum habuit, tria etiam frumenti caficia cum dimidio pro servitio de Coix, et quinque caficia cum tertia parte unius caficii pro servitio de la Granja, ex cumulo fructuum decimalium eiusdem oppidi ad episcopum, capitulum Oriolense et studium generale Valentinense pertinentium desumpta. Et quoniam valde consentaneum est quod oves proprium pastorem habeant et agnoscant, qui non sicut mercenarius lupum venientem fugiat, sed pro ovibus vitam det, et rationem Deo de illis reddere debeat; praecipue cum noviter conversi in fide catholica sint instruendi; oportet quod oppidum de la Granja dismembretur et separetur a parochiali ecclesia de Coix, et in eo nova parochialis erigatur, ut infra dicetur, et quod in dicta parochiali ecclesia de Coix unus rector seu parochus proprius et perpetuus constituatur, penes quem animarum cura oppidi de Coix resideat, et qui rectoriam seu parochialem ecclesiam praefatam per concursum, institutionem et collationem, iuxta decretum Sacri Concilii Tridentini, obtineat, qui habeat pro dote et congrua sustentatione primitias dicti oppidi de Coix, quae quinquaginta libris aestimantur, tria etiam caficia tritici cum dimidio praefata quae communi aestimatione libras valent viginti unam, omnes septuaginta unam libras efficiunt, et quod addantur ei et applicentur aliae viginti novem librae ad complementum centum librarum monetae Valentinensis, hoc videlicet modo: quod mensa episcopalis Oriolensis solvat decem et septem libras, decem et novem solidos et septem denarios ultra praedictam tritici quantitatem, ratione fructuum decimalium sibi ex eo oppido provenientium, qui valoris sunt centum octuaginta novem librarum, decem solidorum et novem denariorum. Mensa vero capitularis Oriolensis solvat novem libras, undecim solidos et quinque denarios ultra praedictam tritici quantitatem, eadem fructuum decimalium ratione, quos aestimatione centum librarum, decem et septem solidorum et decem denariorum ibidem recipit; studium praeterea generale Valentinense libram unam et novem solidos simili etiam ratione persolvat: his igitur centum libris cum emolumentis ex pede altaris provenientibus rector congrue se sustentare poterit: terrae vero, quas olim mesquita possidebat, ecclesiae parochiali applicatae in perpetuum maneant, et per rectorem et iuratos praedicti oppidi administrentur: sed et aedificium ecclesiae parochialis, maiori iam ex parte auctum, finiatur, et domus habitationi rectoris commoda, et ecclesiae vicina, iuxta formam traditam, aedificetur.

La Granja.

La *Granja* oppidum ecclesiae parochiali Coix annexum est, constat domibus septuaginta christianorum nuper ad fidem conversorum: cura animarum per presbyterum ecclesiae de Coix regitur, qui dominicis et festivis diebus ad alteram missam in ecclesia dicti oppidi celebrandam festinus se confert: et quoniam ab oppido Coix quarta leucae parte distat, plano quidem itinere, sed pluviarum occasione adeo lutoso, ut pene sit impossibile ab uno eodemque presbytero utrique populo ministrari, praesertim diebus dominicis et festivis, quando bis missam celebrare, et doctrinam christianam singillatim neophytos semel et iterum edocere oportet. Idcirco videtur plane ipsum oppidum la Granja ab ecclesia parochiali oppidi de Coix disiungi et separari omnino debere, et quod ab ea

disiunctum et separatum perpetuo maneat, eiusque ecclesiam in parochialem erigendam esse, et erecta maneat sub invocatione S. Petri Apostoli cum capella, sacristia, campanili et fonte baptismali omnique alio pleno iure parochialis ecclesiae; quam futurus rector ad praesentationem domini temporalis dicti oppidi, ad quem ius patronatus ex dotatione, ut infra dicetur, pertineat, et per institutionem et collationem obtineat. Quod quidem parochialis ecclesia centum libris dotata existat, hoc videlicet modo: quod ei, eiusque rectori applicatae maneant primitiae dicti oppidi, quae valoris sunt quatuordecim librarum et duodecim solidorum. Quinque etiam illa trîtici caficia cum tertia parte unius caficii, quae antea pro servitio dicti oppidi dabantur presbytero ex cumulo fructuum decimalium ad episcopum et capitulum Oriolense, et ad beneficiatos parochialium ecclesiarum S. Iustae et S. Iacobi Oriolensium pertinentium, quae viginti sex libris, tresdecim solidis et quatuor denariis aestimantur. Quinque libras, decem solidos et tres denarios solvant tres beneficiati parochialis ecclesiae S. Iustae Oriolensis, qui cum ad personalem residentiam non sint adstricti, quilibet eorum trecentas libras ex fructibus recipit, et pro aequa portione teneantur contribuere cum triginta sex solidis et novem denariis in praesenti dotatione, ratione partis decimarum, quam in dicto oppido respective colligunt. Duo vero beneficiati parochialis ecclesiae S. Iacobi Oriolensis, qui ducentas libras unusquisque ex fructibus sui beneficii percipiunt, aequa portione persolvant duas libras, quatuor solidos et sex denarios eadem ratione. Applicantur praeterea quinquaginta una librae, quas in complementum dotationis parochialis novae praefatae Don Ioannes Rocca Mora, dominus temporalis de la Granja, promisit solvere quotannis rectori futuro dictae parochialis sub omnium bonorum suorum hypotheca, et specialiter cuiusdam almazerae olei in eodem oppido sitae cum reservatione tamen iurispatronatus et praesentandi ad dictam rectoriam et parochialem ecclesiam, quod ad se suosque successores in perpetuum pertineat, et non aliter, nec alias. Ecclesia vero et domus abbatialis rectori, iuxta formam et situm designatum, aedificentur expensis habitatorum dicti oppidi.

Albatera.

Oppidum *Albatera* ducentas tringinta tres continet domos christianorum nuper ad fidem conversorum, et septem veterum christianorum, omnes dugentae quadraginta domus. In eo ecclesia parochialis est antiqua ab eo tempore, quo Mauri regni Valentiae ad fidem catholicam fuerunt conversi, sub invocatione S. Iacobi, cuius animarum cura per presbyterum mercenarium ab Ordinario designatum deserviri solita est: qui quidem presbyter pro salario et sustentatione primitias colligit dicti oppidi, quae valoris sunt septuaginta septem librarum, sexdecim solidorum et octo denariorum; sex praeterea libras, quas universitas eidem presbytero dare consuevit pro docendis et doctrina christiana erudiendis pueris. Et quoniam valde consentaneum est quod oves proprium Pastorem habeant, et agnoscant, qui non sicuti mercenarius venientem lupum fugiat, sed pro ovibus vitam det, et rationem de illis Deo reddere cogatur, praesertim cum neophyti in fide catholica sint instruendi; oportet quod in dicta ecclesia de Albatera unus perpetuus rector seu parochus constituatur, penes quem animarum cura resideat, et qui rectoriam seu parochialem ecclesiam praefatam per concursum, institu-

tionem et collationem, iuxta decretum Sacri Concilii Tridentini, obtineat, eique praeter octuaginta tres libras, sexdecim solidos et octo denarios desuper assignatas, quae perpetuo illi relinquantur applicatae, addantur et applicentur aliae sexdecim librae, tres solidi et quatuor denarii ad complementum centum librarum hoc videlicet modo: mensa episcopalis Oriolensis solvat decem libras, et quinque denarios, ratione fructuum decimalium, quos in eodem oppido colligit, qui ad valorem trecentarum octuaginta septem librarum, sexdecim solidorum et undecim denariorum ascendunt; et mensa capitularis solvat quinque libras, sex solidos et novem denarios. Studium vero generale Valentinense solvat sexdecim solidos et duos denarios eadem ratione. Ecclesia etiam, cuius fundamenta tantum iacta sunt, quanto citius superaedificetur, et domus habitationi rectoris, iuxta formam traditam et situm, construatur. Reditus et agri olim mesquitae ecclesiae applicati maneant, et per rectorem et oeconomum administrentur.

Clevillent.

Oppidum *Clevillent*, marchionatus de Elcihae, domibus constat quadringentis viginti duabus christianorum noviter ad fidem catholicam conversorum. In eo parochialis ecclesia antiqua est ab eo tempore, quo Mauri Valentini regni ad catholicam fidem fuerunt conversi, cuius animarum cura per presbyterum mercenarium deserviri solita est usque adhuc. Qui pro salario et sustentatione quinquaginta libras recipiebat a domino temporali dicti oppidi, ratione fructuum omnium decimalium, quos ex eo colligit, qui ad valorem sexcentarum librarum quotannis ascendunt cum obligatione sustentandi presbyterum curam animarum regentem: et quoniam valde consentaneum est quod oves proprium pastorem habeant et agnoscant, qui non sicuti mercenarius lupum venientem fugiat, sed pro ovibus vitam det, praesertim cum sint neophyti in fide catholica instruendi; oportet quod in dicta ecclesia parochiali de Clevillent unus perpetuus rector seu parochus constituatur, qui parochialem praefatam per concursum, institutionem et collationem, iuxta decretum Sacri Concilii Tridentini, obtineat, cui pro dote assignentur et assignatae maneant praefatae quinquaginta librae, et praeter eas ad complementum centum librarum addantur aliae viginti quinque librae, quas persolvat dominus temporalis dicti oppidi, causa et ratione, quibus illas quinquaginta solvebat. Et illae praeterea viginti quinque librae, quas universitas eiusdem oppidi sponte nuper se obligavit futuro rectori in perpetuum annuatim solvere in supplementum et subventionem praesentis dotationis, publico instrumento per notarium eiusdem universitatis, et sic sufficienter dotata erit praefata rectoria centum libris, cum quibus et emolumentis ex pede altaris provenientibus, rector commode se sustentare poterit. Domus vero habitationi rectoris congrua aedificetur, aut quae prope ecclesiam extat iam aedificata et designata, expensis universitatis ematur.

Suburbium Elichae.

In Villa *de Elichae* est suburbium distinctum, in quo sunt tercentum octuaginta domus christianorum noviter ad fidem conversorum, continentur muro circumclusae, ad quas uno tantum aditu patet ingressus, et ecclesia parochialis antiqua fuit olim Maurorum mesquita, sub invocatione S. Ioannis Baptistae, quam presbyter mercenarius de licentia Ordinarii administrat, missam celebrans dominicis et festivis diebus, et Sacra-

mentum Baptismi pueris conferens; cui pro salario et sustentatione dominus temporalis, qui dux est de Maqueda, duodecim libras et duodecim solidos; universitas vero suburbii praefati decem et octo libras et novem solidos tribuere consueverunt, ille ratione tertiae partis decimarum, quam ex eo termino, aestimatione mille quingentarum librarum, recipit; haec vero pro primitiis, quas in fructibus solvere minime solita est. Et quoniam valde consentaneum est quod noviter ad fidem conversi neophyti instruendi proprium pastorem et parochum habeant, qui lupum non timeat, sed pro ovibus vitam impendat; oportet quod in ecclesia praefati suburbii unus rector seu parochus perpetuus constituatur, qui illam per concursum, institutionem et collationem obtineat; cui pro parte dotis applicentur et maneant applicatae in perpetuum praefatae triginta una librae et unus solidus, et quod augeantur aliae sexaginta novem librae, decem et novem solidi ad complementum centum librarum, hoc videlicet modo: quod universitas praedicta solvat decem et septem libras et undecim solidos, quas nuper voluntarie se obligavit in perpetuum dare quotannis futuro rectori ratione primitiarum, quas in fructibus non reddunt: sicque cum illis decem et octo libris et novem solidis, quas antea solvebant, nunc triginta sex libras persolvunt. Decem librae sumantur et applicentur de reditibus et censibus, quos ecclesia possidet, qui summam quinquaginta librarum attingunt. Mensa episcopalis Oriolensis solvat quatuordecim libras et sex solidos. Mensa capitularis solvat duodecim libras et quatuordecim solidos. Fabrica ecclesiae parochialis Beatae Mariae de Eliche tres libras, tresdecim solidos et quatuor denarios; fabrica parochialis S. Salvatoris libram unam, sexdecim solidos et octo denarios. Duo beneficiati S. Mariae quinque libras et quatuor solidos aequa portione. Duo beneficiati S. Salvatoris duas libras et duodecim solidos aequa portione. Studium tandem generale Valentinensis solvat unam libram et duos solidos. Omnes respective ratione partis decimarum, quam in territorio de Eliche colligunt: quae dotatio centum librarum cum emolumentis ex pede altaris provenientibus sufficiens est: reditus vero et agri, qui olim fuerunt mesquitae, per œconomum et rectorem ecclesiae administrentur, et ecclesia nova, cuius fundamenta iacta sunt, citissime aedificetur expensis universitatis, iuxta formam designatam; quae, postquam consumata fuerit, illa quae olim erat mesquita, ubi nunc missa celebratur, diruatur, ne reliquum sit vestigium et memoria penitus aboleatur.

Aspe.

Oppidum *Aspe* trecentas octuaginta sex continet domos noviter ad fidem catholicam conversorum, et septuaginta veterum christianorum, omnes numerum quadringentarum quinquaginta sex efficiunt. In eo est parochialis ecclesia sub invocatione S. Mariae, ea videlicet quae olim fuerat Maurorum mesquita, ut ex eius structura apparet. Animarum cura per duos presbyteros mercenarios, de licentia Ordinarii, deserviri solita est: pro quorum sustentatione et salario, dominus temporalis, dux de Maqueda, marchio de Eliche, sexaginta novem libras monetae Valentinensis dare et solvere consuevit, ratione fructuum omnium decimalium, quos ex concessione apostolica ex eodem oppido colligit, qui ad valorem mille quadringentarum librarum annuatim ascendunt, virtute etiam cuiusdam concordiae inter episcopum et capitulum Carthaginense ex una, et D. Ioannem Ruiz

de Corella, quondam dominum locorum Novelda, Aspe, Petrel et Salinas, ex altera de anno millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto, super decimis initae, per quam dominus praefatus obligatur ad sustentationem presbyteri animarum curam regentis in oppido de Aspe, instrumento recepto per Matthaeum Steve notarium Valentinensem die xxx augusti: universitas vero de Aspe viginti quinque libras solvebat, ratione primitiarum ex eo quod illas in fructu non tribuunt parocho. Et quoniam valde consentaneum est quod neophyti in fide catholica instruendi proprium pastorem habeant, qui lupum non timeat, sed pro ovibus vitam exponat; oportet quod in ecclesia parochiali praefata unus rector, seu parochus perpetuus constituatur, qui illam per concursum, institutionem et collationem obtineat, cui in partem dotis applicentur, et maneant applicatae in perpetuum praefatae nonaginta quatuor librae. Et quod ad complementum centum librarum, et pro salario unius vicarii, qui ad administranda sacramenta tantae plebi necessarius est, augeantur aliae quinquaginta sex librae: omnes centum quinquaginta erunt, hoc videlicet modo: quod dominus temporalis praefatus, ratione praedicta, solvat rectori triginta unam libram, et cum illis sexaginta novem, quas antea solvebat, persolvet centum libras in dotem rectoriae et rectoris, et quod universitas praefata solvat alias viginti quinque libras ratione primitiarum, et sic solvet quinquaginta libras pro salario vicarii, quas nuper voluntarie se obligavit in perpetuum dare quotannis futuro rectori, instrumento recepto per notarium eiusdem universitatis. Et quoniam ecclesia, in qua nunc populus convenit, et divina officia celebrantur, olim erat Maurorum mesquita, ut ex eius structura apparet, minaturque ruinam prae vetustate, in eodem situ aedificetur nova ecclesia, iuxta formam designatam, expensis universitatis, quae postquam fuerit aedificata, vetus ecclesia, olim mesquita, penitus diruatur, nec vestigium remaneat. Reditus vero et proventus, qui fuerant olim mesquitae, novae ecclesiae praefatae applicati maneant, et administrentur per œconomum et rectorem ecclesiae.

Novelda.

Oppidum *Novelda* constat domibus quingentis, centum videlicet veterum christianorum, et quadringentis noviter ad fidem conversorum: in eo parochialis est antiqua sub invocatione Nativitatis Virginis Mariae, quae olim fuit Maurorum mesquita, ut ex structura et signis apparet. Cura animarum per duos presbyteros mercenarios regitur, ab Ordinario designatos, pro quorum salario et sustentatione dominus temporalis oppidi praefati marchio de Terra Nova centum libras monetae Valentinae solvere consuevit, ratione omnium fructuum decimalium, quos colligit ex eodem oppido, qui valoris sunt noningentarum nonaginta librarum et octo denariorum, et ratione cuiusdam concordiae inter episcopum et capitulum ecclesiae Carthaginensis ex una, et D. Petrum Maca de Licana, dominum dictae Villae de Novelda, et syndicum universitatis de Monnover ex altera, super decimis initae, instrumento recepto per Ioannem Martinez notarium in Villa de Novelda die xx mensis iulii MCDCXCVIII, per quam praefatus D. Petrus Maca se obligavit ad sustentationem presbyteri curam animarum regentis in Villa de Novelda. Et quoniam valde consentaneum est quod noviter conversi in fide catholica instruendi proprium pastorem agnoscant, qui pro ovibus vitam impendat; oportet quod in ec-

clesia praefata de Novelda unus rector seu parochus perpetuus constituatur, qui illam per concursum, institutionem et collationem obtineat, eique pro dote applicentur et maneant applicatae in perpetuum praefatae centum librae monetae Valentinae, qui teneatur habere unum vicarium in administratione sacramentorum, quoniam populus multus est, pro cuius vicarii salario et sustentatione augeantur in dotem dictae parochialis ecclesiae aliae quadraginta librae, hoc videlicet modo: quod dominus temporalis praefatus, ratione iam dicta, solvat viginti libras praeter illas centum, quas antea solvebat. Et quod ex reditibus olim mesquitae, qui valoris sunt sexaginta librarum, sumantur et applicentur aliae viginti librae in subsidium praesentis dotationis et constitutionis salarii pro vicario praefato. Quae dotatio centum quadraginta librarum cum emolumentis ex pede altaris provenientibus sufficiens est. Et quia habitatores dictae Villae de Novelda hactenus primitias nullas persolverunt, quae de iure divino debentur proprio rectori, et eodem iure illas solvere tenentur; idcirco providendum est, quod cum perpetuus rector, ut superius dicitur, fuerit constitutus, habitatores praedicti de Novelda compellantur ad solvendum primitias de fructibus tritici et olei, quos collegerint, secundum consuetudinem et modum solvendi episcopatus Oriolensis, videlicet pro triginta barcellis, una barcella cum dimidia semel tantum: quae primitiae sic solutae ducentis quinquaginta libris, facta legitima liquidatione, aestimantur, et casu quo rector praefatus recipiet integre primitias praefatas, dominus temporalis de Novelda sit liber et exemptus a solutione dictarum centum viginti librarum. Cessent etiam illae viginti librae, quae ex reditibus olim mesquitae sunt applicatae. Et quoniam nova ecclesia iam pridem coepta est aedificari, et prope est ut populus in eam convenire possit ad divina officia celebranda, cum primum in ea sanctissimum Sacramentum resederit, illa vetus ecclesia, quae fuerat olim mesquita, diruatur, ita ut recordatio antiquae sectae de noviter conversis deleatur: reditus vero et agri, qui fuerant olim mesquitae, ecclesiae applicati maneant, et per rectorem et œconomum administrentur.

Monnover.

Oppidum *Monnover* ducentas octuaginta continet domos, quarum ducentae quinquaginta sunt noviter conversorum, et triginta veterum christianorum; in eo parochialis est antiqua ab eo tempore, quo Mauri regni Valentiae ad fidem catholicam fuerunt conversi, sub invocatione Sancti Ioannis Baptistae, cuius animarum cura regi solita est per presbyterum mercenarium ab Ordinario provisum, cui pro salario et substentatione a domino temporali praedicti oppidi dabantur sexaginta librae, ratione omnium fructuum decimalium, quos idem dominus temporalis ex eo colligit, qui valoris sunt mille sexcentarum quadraginta quatuor librarum, unius solidi et trium denariorum, ratione etiam cuiusdam concordiae inter episcopum et capitulum Carthaginense ex una, et D. Petrum Maca de Licana dominum Villae de Novelda, et syndicum universitatis Villae de Monnover ex altera, pendente lite dictarum decimarum, initae, instrumento publico per Ioannem Martinez notarium, die XX iulii, anni MCDXCVIII recepto, per quam praefatus D. Petrus Maca sese obligavit presbyterum curam animarum regentem in oppido de Monnover substentare. Et quoniam valde consentaneum est quod neophyti dicti oppidi in fide catho-

lica instruendi proprium parochum et pastorem habeant, qui pro ovibus animam velit exponere et teneatur de illis rationem reddere; oportet quod in dicta parochiali de Monnover unus perpetuus et proprius rector et parochus constituatur, qui dictam parochialem per concursum, institutionem et collationem obtineat, eique praedictae sexaginta librae applicatae in perpetuum maneant, et praeterea applicentur aliae quadraginta librae ad complementum centum librarum pro dote et congrua substentatione, hoc videlicet modo; quod dominus temporalis praedicti oppidi, causa et ratione, quibus supra, solvat alias viginti libras praeter illas sexaginta, quas antea solvebat, et quod aliae viginti librae sumantur et applicentur eidem rectori ex reditibus, qui olim fuerunt mesquitae, qui ad valorem XLVIII librarum cum dimidia quotannis ascendunt. Et quoniam habitatores praedicti oppidi nullas hactenus dare primitias consueverunt, quae, de iure divino, proprio parocho pro sacramentorum administratione debentur, providendum est, quod cum perpetuus rector et parochus praefatus in dicta parochiali de Monnover fuerit constitutus, statim praedicti habitatores compellantur ad solutionem primitiarum eodem iure secundum consuetudinem et modum illas solvendi in dioecesi Oriolensi: videlicet pro triginta barcellis tritici vel hordei, una barcella cum dimidia semel tantum, facta enim liquidatione legitima, primitiae dicti oppidi centum quinquaginta libras valebant, et eo casu, et non alias, dominus temporalis praefatus sit liber et exemptus a solutione dictarum octuaginta librarum. Cessabunt etiam illae viginti librae, quae ex reditibus olim mesquitae sumuntur. Abbatia pro rectoris habitatione construatur, ecclesiae contigua, iuxta formam designatam. Terrae vero et reditus olim mesquitae, ecclesiae applicentur et applicati maneant, et per rectorem et œconomum ecclesiae administrentur.

Elda.

Oppidum *Elda* domibus constat trecentis sexaginta noviter ad fidem conversorum, et octuaginta veterum christianorum, omnes quadringentarum quadraginta numerum efficiunt. In eo parochialis est antiqua sub invocatione S. Annae, cuius animarum cura per duos presbyteros ab Ordinario assignatos mercenarios administrari solita est. Quibus dominus temporalis comes de Elda centum libras aequa portione annuatim impendit, ratione omnium fructuum decimalium, quos ex eo oppido colligit, qui ad valorem mille centum et septem librarum ascendunt, ratione etiam cuiusdam concordiae inter episcopum et capitulum Carthaginense ex una, et D. Ioannem Ruiz de Corella, comitem de Cocentayna, tunc dominum temporalem dicti oppidi de Elda ex altera, super eisdem decimis, instrumento per Matthaeum Steve notarium Valentinensem, die XXX augusti, anni MCDCXIV recepto, initae, per quam comes praefatus sese obligavit, presbyterum curam gerentem substentare in oppido de Elda. Et quoniam consentaneum est quod neophyti dicti oppidi in fide catholica instruendi proprium parochum et pastorem agnoscant, qui pro ovibus vitam exponat, et de illis rationem reddere teneatur, oportet, quod in dicta parochiali de Elda unus perpetuus rector, seu parochus constituatur, qui dictam parochialem per concursum, institutionem et collationem obtineat et habeat unum vicarium sibi coadiutorem in administratione Sacramentorum, quoniam populus multus est, eique pro dote applicentur et applicatae maneant in

perpetuum praefatae centum librae, quas dominus temporalis solvere consuevit, rationibus et causis, quibus supra; et quod pro substentatione et salario vicarii praefati ad nutum amovibilis maneat annexum et applicatum in perpetuum quoddam simplex beneficium in eadem ecclesia ad altare maius, sub invocatione Sanctae Annae, per D. Ioannem Coloma quondam comitem de Elda fundatum et institutum cum suo ultimo testamento, cuius reditus sunt septuaginta quinque librae per successores comites perpetuo solvendae, ad quarum solutionem compellatur comes pro tempore existens, et quod vicarius praedictus teneatur ad servitium et obligationes omnes dicti beneficii: quae dotatio rectoris centum librarum cum emolumentis ex pede altaris provenientibus, quae ad octuaginta librarum valorem ascendunt, sufficiens erit pro se et vicario, sicut praedicitur, beneficiato sufficiens erit. Ecclesia, cuius tertia pars restat aedificanda, quanto citius aedificetur. Et domus habitationi rectoris commoda, iuxta situm et formam traditam, construatur. Mesquita vero, quae olim fuit Maurorum, et sub invocatione Sanctae Catharinae martyris, in qua vestigia multa in recordationem pravae sectae mahometicae a noviter conversis visuntur, diruatur. Reditus vero et agri ad illam olim pertinentes, ecclesiae applicati maneant, et per rectorem et œconomum ecclesiae administrentur.

Petrel.

Oppidum *Petrel* domibus constat ducentis quadraginta noviter ad fidem conversorum, et septem veterum christianorum. In eo parochialis est antiqua sub invocatione S. Bartholomaei, cuius animarum cura per unum presbyterum ab Ordinario assignatum mercenarium administrari solita est. Dominus temporalis comes de Elda viginti quinque libras annuatim impendit ratione omnium fructuum decimalium, quos ex eo oppido colligit, qui ad valorem septingentarum librarum ascendunt, ratione etiam cuiusdam concordiae inter episcopum et capitulum Carthaginense ex una, et D. Ioannem Ruiz de Corella comitem de Cocentayna, tunc dominum temporalem dicti oppidi de Petrel, ex altera, super eisdem decimis per Matthaeum Steve notarium Valentinensem die xxx augusti, anni MCDCXCIV recepto, initae, per quam comes praefatus sese obligavit presbyterum curam regentem substentare in oppido de Petrel. Solvebant etiam habitatores praedicti oppidi eidem presbytero quindecim libras ad complementum quinquaginta librarum, ratione primitiarum, quas in fructibus solvere non consueverunt. Et quoniam consentaneum est quod neophyti dicti oppidi in fide catholica instruendi proprium parochum et pastorem agnoscant, qui pro ovibus vitam exponat, et de illis Deo rationem reddere teneatur, oportet quod in dicta parochiali de Petrel unus perpetuus rector seu parochus constituatur, qui dictam parochialem per concursum, institutionem et collationem obtineat, eique applicentur pro dote et applicatae maneant in perpetuum praefatae quinquaginta librae, quas dominus temporalis et habitatores dicti oppidi solvere consueverunt modo supradicto, et causis et rationibus quibus supra. Et praeterea applicentur aliae quinquaginta librae ad complementum centum librarum pro dote et congrua substentatione dicti rectoris, hoc videlicet modo: quod dominus temporalis praedicti oppidi de Petrel, causis et rationibus supradictis, solvat alias viginti libras praeter illas triginta quinque, quas antea solvebat, et quod universitas praefata solvat alias viginti quinque libras

ratione praedictarum primitiarum, quae cum illis quindecim libris, quas antea solvebat, nunc solvet quadraginta libras, quas praedicta universitas se obligavit in perpetuum dare quotannis futuro rectori, instrumento recepto per Gundisalvum Ferrandez notarium, Villae de Elda habitatorem, et quod sumantur et applicentur eidem rectori quinque librae ex reditibus, qui olim fuerunt mesquitae, qui ad valorem viginti quinque librarum, septem solidorum, et undecim denariorum quotannis ascendunt. Quae dotatio rectoris centum librarum cum emolumentis ex pede altaris provenientibus, quae ad viginti librarum valorem ascendunt, sufficiens erit. Sacristia vero et abbatia pro rectoris habitatione construatur iuxta formam designatam. Reditus vero et agri olim mesquitae ecclesiae applicentur, et applicati maneant, et per rectorem et œconomum ecclesiae administrentur.

Ego licentiatus Felicianus de Figueroa praecentor et canonicus Ecclesiae metropolitanae Valentinae a D. Philippo II catholico Hispaniarum rege religioso zelo directo, simul cum Ioanne Baptista Forner canonico Oriolensi officiali et vicario generali, a Rev.mo D. D. Iosepho Stephano, Dei et Apostolicae Sedis gratia episcopo Oriolensi mecum deputato, legitima procuratione et mandato suffulto, ad inquirendum et recognoscendum quomodo fieri oporteret in praesenti dioecesi Oriolensi in oppidis Moriscorum noviter a mahometana secta ad catholicam fidem conversorum, pro illorum in eadem fide commodiori instructione, erectiones, dismembrationes, dotationes, dotiumque iam factarum adauctiones ecclesiarum parochialium, quas fieri oportebat, illarumque formas designandum, et in scriptis redigendum, omnia oppida eorumdem noviter conversorum praefatae dioecesis, quae sunt numero undecim, praeter civitatem Oriolensem, videlicet Rodovan, Coix, la Granja, Albatera, Clavillent, Suburbium Elchae, Aspe, Novelda, Monnover, Elda et Petrel, simul cum praefato officiali et vicario generali Oriolensi diligenter peragravi, et in eisdem oppidis, facta prius diligenti valoris fructuum, tam primitialium quam decimalium, discussione et examinatione, ac etiam liquidatione et computa illarum partium, quas unusquisque praefatos fructus recipientium pro rata contribuere deberet, in dicta dotatione, caeterisque rebus ad immunitatem earumdem parochialium, et animarum curam noviter ad fidem conversorum pertinentibus, exacte et mature perpensis, prout in unoquoque oppido videbitur necessarium et opportunum, praefatas erectiones, dismembrationes, dotiumque adauctiones, liquidationes, computa et applicationes pro rata designavi et specialiter digessi, ac in scriptis redegi, servata forma alterius dotationis parochialium similium in dioecesi Valentina per D. Ioannem de Ribera archiepiscopum Valentinensem, me etiam ministro, iam factae, et per Sanctam Sedem Apostolicam confirmatae, sic et quemadmodum in praesenti libro, praecedentibus sexdecim chartis, continentur, ut ad Sanctam Sedem Apostolicam transmittantur, et ut de praemissis sit certa fides, hic me propria manu subscripsi, meumque sigillum apponi feci.

Licentiatus Felicianus de Figueroa, canonicus et praecentor praefatus, et ego Iacobus Paulus Pallares, presbyter in sede Valentiae beneficiatus, apostolica auctoritate notarius publicus, praemissis omnibus, una cum dictis D. licentiato Feliciano de Figueroa praecentore et canonico Valentinensi, et Ioannae Baptista Forner officiali et vicario generali Oriolensi, interfui, publicaque instrumenta

de eis apud acta mea confeci, de quibus omnibus etiam fidem facto, et ut fides ubique in iudicio et extra certa adhibeatur me subscripsi, et meum solitum artis notariae apposui signum.

Loco ✝ Signi.
Loco ✝ Sigilli.

Iacobus Paulus Pallares, presbyter et notarius supradictus.

Cathalogus eorum, qui contribuunt.

Mensa episcopalis, mensa capitularis, studium generale Valentinense, domini temporales, universitates oppidorum, fabricae et beneficiati, reditus olim mesquitae, episcopatus Oriolensis in dotatione parochialium oppidorum eorum, qui nuper ad fidem fuerunt conversi, tam ex antiqua obligatione quam ex nova dotatione, de centum libris de anno MDXCVI.

Mensa episcopalis ex antiqua obligatione solvit parochialibus praedictis sexdecim libras, 16.

Et ex nova dotatione solvit eisdem parochialibus septuaginta unam libram, quindecim solidos, 71, 15.

Mensa capitularis Oriolensis ex antiqua obligatione solvit parochialibus praedictis octo libras et novem solidos, 8, 9.

Et ex nova dotatione solvit eisdem parochialibus quadraginta tres libras, quinque solidos et octo denarios, 43, 5, 8.

Studium generale civitatis Valentiae solvit ex antiqua obligatione praedictis parochialibus unam libram et undecim solidos, 1, 11.

Et ex nova dotatione solvit eisdem parochialibus quinque libras, quatuordecim solidos et octo denarios, 5, 14, 8.

Domini temporales praedictorum oppidorum ex antiqua obligatione solvunt eisdem parochialibus quadringentas viginti sex libras et duodecim solidos, 426, 12.

Et ex nova dotatione solvunt eisdem parochialibus centum sexaginta septem libras, 167.

Universitates oppidorum ex antiqua obligatione et consuetudine solvunt eisdem parochialibus sexaginta quatuor libras et novem solidos, praeter primitias in fructibus, quae in aliquibus oppidis solvuntur, 64, 9.

Et ex nova dotatione solvunt eisdem parochialibus centum decem et septem libras et undecim solidos, 117, 11.

Fabricae et beneficiati ex nova tantum dotatione solvunt eisdem parochialibus nonaginta duas libras, septem solidos et quinque denarios, 92, 7, 5.

Reditus olim mesquitarum solvunt ex nova tantum dotatione eisdem parochialibus quinquaginta quinque libras, 55.

Iosephus Stephanus Dei et Apostolicae Sedis gratia episcopus Oriolensis, regiusque consiliarius, *etc.*, visa huiusmodi dotatione parochialium ecclesiarum nonnullorum oppidorum nostrae dioecesis in praecedentibus decem et octo papyri foliis scripta, facta pro instructione eorum, qui nuper ad fidem fuerunt conversi, quia dicta dotatio tendit in evidentem utilitatem dictarum ecclesiarum et parochianorum earumdem: ideo tenore praesentium tam in dicta dotatione, quam in praemissis omnibus et singulis nostram interponimus auctoritatem pariter et iudiciale decretum; salvo tamen in omnibus Sanctissimi D. N. Papae, eiusque Sanctae Sedis Apostolicae beneplacito. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes nostras testimoniales litteras, manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas, ac per notarium et scribam nostrum, et curiae nostrae infrascriptum subsignatas, fieri, et expedire mandavimus.

Datum in nostro palatio episcopali Oriolensi, die XIV mensis aprilis, anno

a Nativitate Domini MDXCVII, praesentibus ibidem Ludovico Guttierez presbytero, et Francisco Gisbert familiaribus nostris, testibus ad praemissa specialiter vocatis, *etc.*

Iosephus Episcopus Oriolensis, *etc.*

Loco † Sigilli.

Et Ego Ioannes Baptista Bervegal Terulensis publicus, de speciali commissione collegii scriptorum archivii Romanae Curiae, apostolica auctoritate creatus notarius, et in eodem archivio descriptus, scribaque curiae ecclesiasticae Oriolensis quia praemissis omnibus et singulis, dum, sicut praedicitur, fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, ideo hic me, de mandato praefati D. mei episcopi, subscripsi, ac meum solitum et consuetum apposui signum in fidem et testimonium praemissorum.

Loco † Signi.

Haec igitur, Beatissime Pater, applicationis et taxationis forma his praecedentibus foliis comprehensa, et a licentiato Feliciano de Figueroa et Ioanne Baptista Formerio meo vicario generali designata et descripta, mihi quidem digna visa est, ut a Sanctitate Vestra robur et Apostolicae confirmationis approbationem accipiat: cum in illa quidquid ad harum ecclesiarum parochialium commodum et utilitatem spectare possit, contineantur, et conscripta sint ea quae animarum saluti et christianorum neothericorum utilitati conducunt. Deus optimus maximus, Te diu, B. P., incolumem servet, ad Ecclesiae catholicae dignitatem et laudem. In quorum fidem et testimonium praesentes confici mandavimus manu nostra subscriptas, sigilloque nostro, et secretarii infrascripti subscriptione munitas. Datum in oppido de Cabdet nostrae Oriolensis dioecesis, die XV februari MDXCIX.

Iosephus episcopus Oriolensis.

De mandato D. mei episcopi, Ludovicus Guttierez secretarius.

Loco † Sigilli.

§ 4. Nos autem ad ea, quae catholicae fidei conservationem, *etc.* (*Caetera omnia usque ad finem, prout in praecedenti*).

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVIII maii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 28 maii 1602, pontif. an. XI.

CCXCI.

Episcopo et Capitulo Lucanensibus conceditur facultas omnia et singula, quae ad divinum cultum in eadem ecclesia pertinent, statuendi; et inobedientes distributionibus quotidianis ac fructibus suarum capellaniarum privandi [1].

Venerabili fratri episcopo Lucanensi, et dilectis filiis Capitulo ecclesiae Lucanensis

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Nuper a nobis emanarunt litterae, tenoris subsequentis videlicet:

Recenset litteras, quibus episcopo et Capitulo Lucano facultatem tribuerat praefigendi servitia per capellanos praestanda.

§ 1. Ad futuram rei memoriam. Decet Romanum Pontificem in his auctoritatem suam interponere, per quae divini cultus conservationi opportune prospicitur. Sane, cum sicut accepimus, inter capellanos Ecclesiae Lucanae, qui numero quadraginta existunt, ex eo quod ex ipsis triginta et unus a servitio ecclesiae praedictae se exemptos esse, ex eiusdem ecclesiae consuetudine, et reliquos novem ad huiusmodi servitium teneri praetendant, lis seu controversia orta fuerit, adhuc pendeat indecisa, et interim ecclesia praedicta in divinis non modicum patiatur detrimen-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tum; nos in praemissis opportune providere volentes, attendentes etiam alias per bonae memoriae Antonium cardinatem Carafam nuncupatum declaratum fuisse, et a felicis recordationis Sixto Papa V, praedecessore nostro, confirmatum, quomodo capellani eiusdem ecclesiae, illi in divinis teneantur deservire, et qualiter episcopus et capitulum dictae ecclesiae possint, iuxta litteras eiusdem Sixti V, iungere et mutare servitia dictae ecclesiae; motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, declarationem dicti Antonii cardinalis, ac litteras illius confirmationis Sixti praedecessoris, auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque nostrae apostolicae confirmationis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti, defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus. Et nihilominus, ne ex causa dictae litis, quae est inter dictos triginta et unum capellanos ex una, et alios novem item capellanos ex altera, non autem inter dictos capellanos et episcopum et capitulum, ecclesia praedicta debitis fraudetur obsequiis, ac episcopi et capituli eiusdem ecclesiae mandata negligantur, eisdem episcopo et capitulo, ut donec lis huiusmodi inter dictos capellanos terminetur, sine tamen iurium utriusque partis dictorum capellanorum (quorum iura in praemissis salva esse volumus) praeiudicio, ipse episcopus et, illo absente, capitulum eiusdem ecclesiae in casibus in praedicta declaratione cardinalis Carafae, ac tabella desuper facta, et in litteris Sixti praedecessoris praedictis specificatis, omnibus et singulis capellanis praedictis ea, quae pro servitio eiusdem ecclesiae necessaria erunt, iniungere valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus. Utque iidem capellani sub poena in tabella praedicta expressa ea, quae per episcopum et capitulum praedictos ipsis iniungentur, omnino adimplere teneantur, nec ab illorum exequutione, cuiusvis consuetudinis, aut etiam litis pendentis praedictae, vel praeiudicii propter dicta servitia ipsis quomodolibet illati, seu inferendi, vel alio praetextu se excusare valeant, statuimus et ordinamus; irritumque et inane decernimus quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Caeterum praesentes, et illarum vigore facienda et adimplenda, donec lis praedicta finiatur, neutri partium in earum iuribus praeiudicare intendimus, sed iura huiusmodi utriusque partis salva et illaesa remanere decernimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis eiusdem ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem capellanis in genere vel in specie, aut alias quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ad effectum praesentium hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die x iulii MDCI, pontificatus nostri anno x.

Episcopus huiusmodi servitia designat.

§ 2. Cum autem post tuum, frater episcope, ad ecclesiam tuam Lucanensem accessum, vos coniunctim vigore dictarum litterarum pro servitio praedictae ecclesiae nonnulla decreta feceritis, quibus praedictae ecclesiae capellanos omnes per turnos ad functiones in missis et divinis officiis eiusdem ecclesiae (ne, ut antea non sine gravi scandalo evenerat, divinus cultus in eadem ecclesia sustineret detrimenta) teneri statuebatur: et licet ipsi capellani, praevia tamen prote-

statione, quod quatenus obtemperaturi essent, obtemperaturi erant formidine poenae, et cum declaratione quod litem cum caeteris capellanis prosequi intendebant.

Capellani praevia appellatione ea praestare recusant.

§ 3. Novissime, sicut non sine animi nostri perturbatione accepimus, cum iidem capellani causam appellationis ab asserta sententia abs te, frater episcope, in favorem quorumdam capellanorum contra alios capellanos super obligatione suscipiendi paramenta in missis et divinis officis, ut exposuerunt, lata in Sacro Rotae auditorio dilecto filio magistro Andreae de Corduba capellano nostro, et eiusdem Rotae auditori committi, et eiusdem commissionis vigore, inhibitionem rotalem obtinuissent, vobisque intimassent, praetendentes, illius vigore, exequutionem supradictorum decretorum per vos factorum suspensam esse, postmodum eisdem decretis obedire recusarunt et recusant, unde diversa et gravia in dies scandala, cum fidelis populi offensione, et divini cultus detrimento proveniunt, quandoquidem, ipso celebrationis missarum solemnium, et divinorum officiorum tempore capellani, qui ecclesiastica indumenta propterea vigore supradictorum decretorum suscipere tenerentur, recusare non erubescunt illa suscipere.

Clemens dat episcopo et capitulo potestatem eos coercendi privatione distributionum et fructuum capellaniarum.

§ 4. Nos huiusmodi scandalis, quantum cum Domino possumus, occurrere, ac divini cultus restitutioni prospicere cupientes, motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictam et quascumque alias inhibitiones moderantes, ac supradictas nostras, necnon felicis recordationis Sixti Papae V, praedecessoris nostri, litteras confirmantes et approbantes, vobis omnia et singula, quae ad divinum cultum in eadem ecclesia pertinent, ordinandi et decernendi, ac ordinationes et decreta, ut praefertur, a vobis iam factas, praesertim quoad dicta paramenta in missis et aliis divinis officiis assumenda, exequendi, ac per praedictos capellanos, omni et quacumque appellatione remota, executioni demandari faciendi, et quoscumque inobedientes per amissionis distributionum quotidianarum, ac fructuum etiam omnium suarum capellaniarum, quos ecclesiae et sacristiae applicari volumus, aliasque poenas et censuras ecclesiasticas, etiam saepius contra pertinaciter in eorum inobedientia persistentes, aggravandas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, omni pariter et quacumque appellatione remota, cogendi et compellendi. Et ne fraus aliqua in punctandis capellanis deficientibus per illorum punctatores committatur, duos canonicos, qui assistant alternis vicibus punctationibus huiusmodi, et illarum exequutionibus deputandi, ipsosque capellanos punctatores ad exhibendum vobis notam punctaturarum huiusmodi similiter cogendi, ac eosdem in punctationibus faciendis negligentes pariter poenis amissionis suarum distributionum mulctandi; ipsa vero capellanorum universitas nullo modo, aut praetextu possit aliquem ex capellanis mulctare in dictis distributionibus, et in eventum, in quem aliquis ex capellanis ad chorum non accederet, aut alias omnes obedire recusarent, alios quoscumque presbyteros in eorum locum ad functiones eiusdem ecclesiae necessarias assumendi, illisque distributiones eorumdem capellanorum deficientium applicandi, aliaque in praemissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et exequendi, plenam, liberam et amplam, auctoritate apostolica, tenore praesentium (salvis tamen in reliquis eorumdem capellanorum iuribus circa exemptionem, si quam ipsi inter se habent, aut quovis modo praetendunt,

quae iura salva, et illaesa esse volumus) facultatem concedimus et impertimur.

Clausulae ad huiusce decreti firmitatem.

§ 5. Decernentes quascumque appellationes de praemissis factas et faciendas, et illarum vigore obtinendas inhibitiones, nullas, irritas et inanes fore, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quae in praeinsertis litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die prima iunii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die prima iunii 1602, pontif. an. XI.

CCXCII.

Statuitur eos, qui habitum devotionis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani suscipiunt in regnis Hispaniarum, nullis gratiis et privilegiis, etiam fori, ac exemptionis decimarum frui [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Romanum decet Pontificem ecclesiarum indemnitati opportune prospicere, et ne ex gratiis per Apostolicam Sedem quandoque concessis aut concedendis praeiudicium aliquod illis inferatur, providere, prout in Domino salubriter conspicitur expedire.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Causa statuta ferendi.

§ 1. Cum itaque nos aliquando nonnullis particularibus personis, ut habitum devotionis nuncupatum hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani suscipere, ac omnibus gratiis, privilegiis et indultis quibus alii fratres de devotione eiusdem hospitalis utuntur, fruuntur et gaudent, uti, frui potiri et gaudere possint et debeant, concesserimus et indulserimus; cumque tam ii, quam alii a dilectis filiis magno magistro et conventu eiusdem hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani ad habitum fratrum de devotione admissi et recepti, praetendant se a decimarum solutione exemptos esse, ac aliis privilegiis, etiam fori, gaudere debere:

Statutum, de quo in rubrica.

§ 2. Nos ecclesiarum indemnitati consulere, ac alias in praemissis opportune providere volentes; motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie perpetuo decernimus et declaramus, quoscumque, qui hactenus habitum de devotione dicti hospitalis, tam ex speciali nostro et Sedis Apostolicae indulto, quam ab ipsismet magistro et conventu eiusdem hospitalis, susceperunt, aut imposterum quandocumque suscipient, etiamsi in litteris nostris, aut pro tempore existentis Romani Pontificis super huiusmodi habitus susceptione, etiam in forma brevis expeditis vel expediendis, quod omnibus et singulis privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus, praerogativis et praeeminentiis, quibus alii eiusdem hospitalis fratres de devotione, aut alias uti, frui, potiri et gaudere solent et possunt ac poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua differentia, frui, potiri et gaudere possint et debeant, specialiter et nominatim concessum fuerit, nihilominus nullis omnino gratiis ac privilegiis, etiam fori, ac exemptionis a solutione decimarum frui ac potiri debere; sed ad solutionem

earumdem decimarum in omnibus et per omnia teneri et obligatos esse, perinde ac si litterae huiusmodi eis concessae non fuissent, aut ipsi habitum huiusmodi non suscepissent, ac praedictas litteras tam concessas quam concedendas, illis, quoad gratias et privilegia ac exemptiones huiusmodi, nullatenus suffragari posse, perinde ac si minime emanassent.

Clausulae. § 3. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores designati. § 4. Quocirca venerabilibus fratribus Toletanensi et Hispalensi archiepiscopis, ac dilectis filiis nostro et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio, et causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi vel quicumque illorum, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte cuiuscumque ecclesiarum praesulis aut capituli, vel personae ecclesiasticae saecularis, vel cuiusvis Ordinis regularis, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras debitae exequutioni demandari; contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio. § 5. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultras tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eidem hospitali, illiusque magno magistro, conventui ac fratribus, etiam ipsismet de devotione nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis. § 6. Volumus autem, quod praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXVII iunii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 27 iunii 1602, pontif. an. XI.

CCXCIII.

Ampliatio constitutionis Gregorii XIII circa deposita apud Montem Pietatis de Urbe facienda; et iurisdictionis concessio illius protectori et iudici, in

causis ipsius Montis interesse concernentibus [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quae ad pietatis et charitatis opera, praesertim in alma Urbe nostra, exercenda, pauperumque et miserabilium personarum necessitates sublevandas, pie et provide instituta et ordinata sunt, ut firmius subsistant et inviolabiliter observentur, libenter confirmamus et ampliamus.

Gregor. XIII deposita supra scutorum quinque penes Montem Pietatis deponi iussit in eius const. *Inter.*

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dudum felicis recordationis Gregorius XIII, praedecessor noster, omnibus et singulis Romanae Curiae iudicibus, tam ecclesiasticis quam saecularibus, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus et causarum Palatii Apostolici auditoribus, motu eius proprio praeceperit et mandaverit atque statuerit, ut in quibuscumque causis, *etc. (Omittitur tenor huius narrativae, quia habes ipsam bullam suo loco).*

Hic modo Pontifex confirmat dictam constit. Gregor. XIII et aliorum Pontificum,

§ 2. Verum, quia, sicut etiam accepimus, super praemissis aliquae ortae fuerunt controversiae, et propterea omnem desuper dubitandi materiam de medio tollere, eaque innovare, ac in aliquibus declarare, et etiam ampliare volentes, ac litterarum praedictarum, necnon privilegiorum, facultatum, concessionum, gratiarum et indultorum quorumcumque eidem Monti, illiusque archiconfraternitati, ac dilectis filiis illorumque protectori, provisoribus, officialibus, archiconfratribus et ministris quomodolibet concessorum tenores et veriores praesentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, litteras praedictas, ac omnia et singula in eis contenta, ac inde sequuta et sequenda quaecumque, ac alia privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, facultates et gratias Monti, illiusque archiconfraternitati, ac dilectis filiis illorum protectori, provisoribus, officialibus, archiconfratribus et ministris per praedictum Gregorium XIII, ac piae memoriae Paulum III, Iulium etiam III, ac Paulum IV et Sixtum V, et quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos, Sedemque Apostolicam sub quibuscumque tenoribus et formis quomodolibet concessa, ac inde sequuta et sequenda quaecumque, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, eisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos, tam iuris quam facti et solemnitatum de iure, usu et consuetudine requisitarum, vel alias quomodolibet necessariorum, et quovis alios etiam quantumvis substantiales defectus, siqui in eisdem seu in eorum aliquo intervenerint, supplemus, eaque omnia et singula innovamus, et quatenus opus sit, Monti et archiconfraternitati, ac protectori, provisoribus, officialibus, archiconfratribus et ministris praedictis, et eorum singulis, auctoritate et tenore praedictis, etiam perpetuo de novo concedimus.

Dubiaque desuper exorta declarat ad favorem Montis.

§ 3. Et insuper quod omnes pecuniae redigendae et hactenus redactae, tam ex subhastatione et venditione quorumcumque bonorum decoctorum, et aliorum, vel in omnem casum ubi discussio bono-

1 Montibus Pietatis nihil ultra id, quod pro ministrorum expensis et indemnitate necessarium est, recipere, licitum esse declaravit Gregor. XIII in sua constit. CLXXII: *Inter*, tom. VIII, pag. 491. Et ius visitandi huiusmodi Montes, sicuti alia loca pia, spectare ad Ordinarios, declaravit Conc. Trident. in Sess. XXII, cap. VIII.— Haec constitutio sub numero CCLXXXIII in Romana editione, ordine chronologico turbato, reperitur. Vide *Tabulam* ad huiusce voluminis limen praemissam. (B. T.).

rum fit, quam ex exactione creditorum litigiosorum, etiam si consensu partium subhastatio, venditio et exactio fiat, nec non totum pretium omnium rerum per subhastationem venditarum et vendendarum, ac pecuniae et bona durante iudicio discussionis exigenda et colligenda per iudices causarum discussionis, ac per cursores et mandatarios, seu per quoscumque alios ad id deputatos, etiam in causis criminalibus, ac pretium bonorum stabilium, vigore constitutionis super iure congrui per dictum Gregorium praedecessorem editae, venditorum et vendendorum, in dicto Monte effectualiter, et in numerata pecunia deponantur, etiam si per cedulam campsorum solvere promittentium, seu mercatorum oblationes fiant, in casibus praedictis. Necnon quoties ex aliqua dispositione, etiam per nos vel successores nostros, aliquod depositum penes aedem sacram, aut personam fide et facultatibus idoneam erit faciendum, censeatur Mons Pietatis huiusmodi ad id specialiter deputatus eo ipso, ipsaeque pecuniae per dicti Montis officiales, sicut caetera deposita inibi facienda, exigi possint et debeant.

Cedulae mercatorum nullae sint in casibus mox declaratis.

§ 4. Et si super praemissis, ubi faciendum sit depositum, dentur penes acta notariorum aliquae cedulae quorumcumque campsorum vel mercatorum, etiam si in eis dicatur, quod dicti mercatores se obligent, nulla facta mentione depositi, sed simpliciter, vel alias promittant aut se obligent de solvendo, animo se revalendi a quibuscumque obligatis, seu interesse habentibus, vel dicti mercatores faciant, aut credent illos debitores in eorum libris, vel alias ad partes in casu faciendi depositi, ut supra, dictae cedulae nullatenus suffragentur, sed semper ad deponendas pecunias in eodem Monte cogantur, nisi cedulae huiusmodi ad favorem vel instantiam Camerae et Fisci nostri factae essent. Quibus solas cedulas suorum depositariorum sufficere et suffragari volumus.

Cursores pretium rei subhastatae ibidem deponant.

§ 5. Necnon cursores et mandatarii praedicti, totum et integrum pretium omnium rerum per subhastationem vendendarum, etiam in causis criminalibus, satisfacto prius per eos eisdem creditoribus, qui dicta bona subhastare fecerunt, penes eumdem Montem integre, realiter et cum effectu statim omnino deponant et deponi curent, et donec non sit factum dictum depositum, non possint nec debeant de eorum mercede pro actu deliberationis tantum debita satisfieri.

Notariis in eisdem casibus deposita et cedulas Montis consignent.

§ 6. Quodque omnes et singuli notarii praedicti non possint recipere dicta deposita, sive in pecunia sive in cedulis facienda, sed illa statim ad dictum Montem transmittere teneantur, sub ducentorum ducatorum et aliis arbitrio pro tempore existentis dicti Montis protectoris imponendis et applicandis poenis.

Sequestra acceptare quae et quando Mons debeat.

§ 7. Et quod super pecuniis depositatis in dicto Monte non possint fieri, nec apponi aliqua sequestra, minusque aliquae inhibitiones nec mandata de non solvendo, seu de non consignando, nec aliqua alia impedimenta circa ea fieri possint, praeterquam ad instantiam Camerae et Fisci, nisi de mandato et ordine protectoris dicti Montis pro tempore existentis, seu iudicis ab eo deputati, sed sequestra, inhibitiones et alia impedimenta praedicta fieri possint tantum super cedula, quae a ministris et officialibus Montis in fidem et testimonium facti depositi fieri solet, et penes acta notarii causae, ob quam factum est depositum, exhibita et producta fuerit, ubi, constito de iustificatione eorumdem sequestrorum, iudex causae mandabit in calce vel a tergo eiusdem cedulae, cui solvendae fuerint pecuniae depositatae; cuius quidem cedulae et mandati in ea

appositi vigore, officiales et ministri eiusdem Montis, quibus dictae cedulae repraesentatae fuerint, pecunias iuxta mandatum iudicis causae solvere tenebuntur. Decernentes et declarantes sequestra penes eumdem Montem, et super illius depositis alias quam, ut praefertur, apposita et facta, nullius esse roboris vel momenti ac Montem, eiusque officiales et ministros praedictos etiam quod de facto penes eos exequuta fuissent, nullo modo afficere vel obligare, minusque ipsos ad illa recipiendum, acceptandum vel admittendum teneri, sed perinde haberi ac si facta non fuissent.

Provisiones circa deposita et venditiones.

§ 8. Ac volentes et, dicta auctoritate, statuentes quod pro tempore existens dicti Montis protector seu iudex ab eo deputatus, ad omnem simplicem provisorum, officialium et ministrorum eiusdem Montis, nunc et pro tempore existentium, requisitionem et instantiam, omnia et singula deposita, ut praefertur, facienda penes dictum Montem, et non apud aliquem mercatorem, seu aedem sacram, vel aliam quamcumque personam realiter, et cum effectu fieri faciat, pretiaque quorumcumque bonorum, tam stabilium quam mobilium et semoventium, per subhastationem et deliberationem, ac pecuniae in causis discussionum colligendae, et omnium aliorum praedictorum, in quacumque Curia et tribunali Urbis, etiam criminali, tam per cursores nostros, quam quosvis alios mandatarios vendendorum redigenda, ac etiam pretia ex retractu seu alias vigore dictae constitutionis iuris congrui, de mandato et decreto dilectorum filiorum S. R. E. camerarii et magistrorum viarum, seu aliorum deponenda, ac in omnibus casibus, in quibus depositum erit faciendum, in eodem Monte, et non alibi, deponi, ac omnia residua pretii quorumcumque pignorum, tam venditorum quam vendendorum a quibuscumque Hebraeis, per mandatum cardinalis camerarii, et acta illius notarii ad id deputati, de caetero iuxta facultates eidem Monti per praedictos Iulium III et Paulum IV et alios quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores nostros, concessas effectualiter deponi debeant in dicto Monte, ad effectum illa restituendi veris dominis, iuxta mandatum et ordinationem per cardinalem camerarium et acta sui notarii desuper facienda, ita ut, facta venditione ipsorum pignorum, ac pretii eorumdem solutione, infra octo dies, omne et totum ac integrum residuum penes dictum Montem realiter et cum effectu, ac omni mora et dilatione penitus et omnino semotis atque cessantibus, deponi debeant, sub poena unius scuti pro quolibet pignore, applicandi pro medietate ipsi Monti, et pro alia medietate notario pignorum Hebraeorum.

Protector Montis contra inobedientes procedat.

§ 9. Ipseque pro tempore existens protector singula praemissa et alia quaecumque in praedictis, ac praesentibus litteris contenta, ab omnibus, ad quos nunc et pro tempore quomodolibet spectabit, sub praedictis et aliis pecuniariis eius arbitrio imponendis, moderandis et applicandis poenis, ac etiam censuris ecclesiasticis in omnibus et per omnia inviolabiliter observari et adimpleri mandet, faciat, atque procuret, necnon contra quosvis etiam criminales, tam gubernatoris quam omnium aliorum dictae Urbis tribunalium notarios, quos etiam sub eisdem praesentibus litteris comprehendi volumus, et comprehensos fore, et esse decernimus, et declaramus: ita ut dicti Montis provisores, officiales et ministri ad deponendum pecunias, ut praefertur, exigendas contra quoscumque depositarios, ac quasvis alias, tam saeculares quam ecclesiasticas cuiusvis status, gradus, ordinis et conditionis existentes per-

sonas, quantumvis privilegiatas, ex officio agere possint et valeant. Ipseque protector adversus singulos praemissis, aut eorum alicui pro tempore quomodolibet contravenientes, etiam per inquisitionem, ac criminali et carcerationis via, aut alias, prout ei bene visum et magis expediens fuerit, procedat, ac poenas per eum imponendas huiusmodi a quibuscumque contravenientibus irremissibiliter exigi, et arbitrio suo applicari mandet, aliaque omnia et singula faciat, gerat et exequatur, quae in praemissis, vel circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna.

Protector sit iudex omnium causarum interesse Montis et archiconfraternitatis tangentium cum amplissimis facultatibus.

§ 10. Praeterea, pro faciliori et celeriori litium et controversiarum, quae tam occasione praemissorum, ubi agitur principaliter de interesse ipsius Montis, quam alias adversus Montem et archiconfraternitatem huiusmodi, seu illius ministros hactenus ortae sunt, et oriri contigerit in futurum, pro tempore existenti dicti Montis protectori omnes et singulas lites, causas et differentias, tam civiles quam criminales ac mixtas, tam super depositis huiusmodi respectu interesse dicti Montis hactenus quomodolibet factis et faciendis, quam Montis seu archiconfraternitatis huiusmodi bonis, rebus, iuribus et actionibus quibuscumque, nec non locationibus, venditionibus, donationibus, legatis, fideicommissis, testamentis, haereditatibus et illarum discussionibus ac quibuscumque aliis dispositionibus, iuriumque et actionum cessionibus et aliis quibuscumque inter vivos et causa mortis, vel quasi contractibus, etiam vim cameralis obligationis habentibus, interesse Montis et archiconfraternitatis huiusmodi, etiam occasione huiusmodi depositorum, ubi agitur, ut supra, de interesse Montis, et tamquam principaliter, etiam per viam necessariae defensionis, et alias quomodolibet concernentes inter dictum Montem, sive illius provisores et officiales et ministros pro tempore existentes, ac quascumque alias tam laicas quam ecclesiasticas, cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis et conditionis vel praeeminentiae existentes personas, qualitercumque privilegiatas, universitates, societates, congregationes, collegia, ac tam virorum, quam mulierum monasteria, hospitalia et alia pia loca quaecumque privilegia seu indulta desuper habentia, seu habere praetendentia, tam communiter quam divisim, et tam active quam passive, ultro citroque, ad invicem, vel alias quomodolibet motas vel movendas, ac etiam per appellationem, et in quacumque instantia, coram quibusvis iudicibus, etiam causarum Palatii Apostolici auditoribus introductas et indecisas pendentes, quas omnes et singulas ab ipsis iudicibus, harum serie, ad nos avocamus et reassumimus, per se, vel alium seu alios, quem seu quos ad hoc duxerit deputandum seu deputandos, etiam summarie et de plano, ac simpliciter et sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, et etiam manu regia, omni et quacumque appellatione, reclamatione, revisione, recursu et restitutione in integrum remotis, cum omnibus et singulis suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, ac toto negocio principali, etiam privative quoad omnes alios et singulos iudices ordinarios et delegatos, et Camerae Apostolicae generalem auditorem, etiam ubi agitur vigore obligationis cameralis, eorumque curias et tribunalia ecclesiastica vel saecularia audiendas, cognoscendas, decidendas fineque debito terminandas, necnon quoscumque adversarios, et alios interesse habentes, tam in dicta curia quam extra eam, etiam per edictum publicum, constito sibi summarie de non tuto accessu, citandi, ac qui-

busvis etiam iudicibus dictae Curiae, et personis quibus, et quoties opus fuerit, sub sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, et etiam pecuniariis aliisque poenis, prout sibi videbitur, inhibendi, et in eventum non paritionis, ad declarationem incursus censurarum et poenarum huiusmodi procedendi, ac sententias desuper ferendas debitae executioni demandandi seu demandari faciendi, contradictores quoslibet et rebelles ac praemissis non parentes, eisque quovis praetextu seu quaesito colore se quomodolibet opponentes, per similes censuras et poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia compescendi, ac brachii saecularis auxilium invocandi.

Et declarandi dubia super praemissis;

§ 11. Necnon quaecumque dubia et difficultates, si quae praemissorum occasione quomodolibet oriri contigerit, declarandi et interpretandi.

Statuta edictaque edendi.

§ 12. Ac quaecumque edicta, statuta et ordinationes pro exequutione praemissorum, sub quibusvis poenis sibi benevisis, condendi, et condita mutandi, seu in toto vel in parte abrogandi, illaque imprimendi, et etiam per affixionem publicandi, omniaque et singula alia in eisdem singulis praemissis, et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna, eique benevisa faciendi, exequendi, etiam omni et quacumque appellatione remota, plenam, liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem perpetuo tribuimus, concedimus et elargimur.

Officiales alibi conveniri non possint, et contra eos Mons utatur pro administratis privilegiis Cam. Ap.

§ 13. Quodque omnes et singuli dicti Montis officiales et ministri, tam civiliter quam criminaliter, pro negociis, rebus et bonis ad dictum Montem vere et principaliter spectantibus et pertinentibus, alibi, tam iudicialiter quam extraiudicialiter, conveniri et molestari non possint quam coram dicto protectore, seu ab eo deputando, contra quos omnes et singulos officiales et ministros, videlicet depositarium, custodem, capserium, computistam et alios quovis nomine nuncupatos, tam praesentes quam futuros, et eorum fideiussores seu approbatores, ac eorum bona quaecumque, ubicumque et in quibuscumque rebus existentia, pro redditione eorum administrationis, et pro eorum debitis ad favorem dicti Montis contractis et contrahendis praedictis, Mons ac eius provisores et officiales idem ius et privilegium, eamdemque actionem, in omnibus et per omnia, ac pariformiter et sine ulla prorsus differentia, habeant et potiantur, ac exercere possint et valeant, quae Camerae Apostolicae ac fisco nostro, contra illorum debitores de iure, usu, consuetudine aut alias quomodolibet competunt, aut competere poterunt in futurum, non tamen contra ipsam Cameram aut illius fiscum.

Solutio Montis praevio iudicis decreto tuta est.

§ 14. Quodque solitis depositis de mandato cuiuscumque iudicis competentis, nec Mons, minusve eius officiales ulterius teneantur, nec remaneant obligati, non obstante quacumque appellatione, quae contra mandatum eiusdem iudicis fieri posset.

Clausulae huiusmodi concessionum praeservativae.

§ 15. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore, etiam ex eo quod notarii etiam criminales gubernatoris, ac aliorum omnium dictae Urbis tribunalium, et eorum creditores, et quicumque collitigantes dicti Montis, caeterique interesse habentes ad hoc vocati non fuerint, nec eisdem praemissis consenserint, aut alias de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, retractari, seu in ius vel controversiam vocari, aut ad terminum iuris reduci, vel adversus illas quodcumque iuris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari posse, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationi-

bus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per nos, aut alios Romanos Pontifices praedecessores seu successores nostros, sub quibuscumque verborum expressionibus et formis, etiam motu, scientia ac potestatis plenitudine similibus, pro tempore factis et faciendis, comprehendi, sed semper ab illis et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum, in quo ante praemissa quomodolibet erant statum, restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo etiam sub data per provisores, officiales et ministros dicti Montis pro tempore existentes quandocumque eligenda, de novo concessa esse et fore, suumque plenarium et integrum effectum sortiri debere.

Clausula sublata, *etc.*

§ 16. Sicque per praedictum protectorem, et alios quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam dictos auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique et in quacumque instantia iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 17. Non obstantibus quibuscumque litis pendentis et aliis praemissis, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Urbis illiusque tribunalium statutis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, exemptionibus, indultis et litteris apostolicis quibuscumque locis piis, et dilectis filiis populo Romano, illiusque senatori et conservatoribus, ac eiusdem S. R. E. camerario, thesaurario et dictae Camerae praesidentibus et clericis (exceptis causis spoliorum et aliis, ubi de interesse Camerae, sive principaliter, sive secundario, sive alias quomodolibet ageretur, sive illud detegi et de eo agi posse videretur), vicario, gubernatori, auditori Camerae, et aliis quibuscumque iudicibus et tribunalibus, ac notariis praedictis, ac quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter in contrarium quomodolibet concessis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alia in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, derogamus, ac ad plenum derogatum esse, nec in aliquo obstare volumus, decernimus et declaramus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Deputatio protectoris.

§ 18. Insuper cum dicti Mons illiusque archiconfraternitas post obitum bonae memoriae Antonii Mariae, S. R. E. cardinalis Salviati nuncupati, qui dum vixit Montis et archiconfraternitatis huiusmodi protector fuit, protectore caruerit et careat, nos ut Montis et archiconfraternitatis huiusmodi conservationi, bonoque regimini et directioni opportunius consulatur, de aliquo ideo protectore (qui iuxta cordis nostri desiderium, ac traditam sibi ab Altissimo prudentiam, dictum Montem illiusque archiconfraternitatem pie ac diligenter gubernet et regat) pro-

videre volentes, dilectum filium nostrum Petrum Sancti Nicolai in Carcere diaconum cardinalem Aldobrandinum nuncupatum, nostrum secundum carnem ex fratre nepotem, S. R. E. camerarium (quem ob singularem eius fidem et industriam, longo rerum usu et experientia probatam, aliasque praeclaras eius animi dotes cum pietatis studio et charitatis et iustitiae zelo coniunctas, eidem Monti illiusque archiconfraternitati valde utilem futurum in Domino confidimus) Montis et archiconfraternitatis huiusmodi, illorumque bonorum et rerum protectorem et defensorem, quoad vixerit, cum omnibus supradictis, et aliis eidem protectori competentibus et debitis facultatibus, privilegiis et indultis, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, facimus, constituimus et deputamus. Mandantes in virtute sanctae obedientiae Montis et archiconfraternitatis huiusmodi provisoribus, officialibus, archiconfratribus et ministris praedictis, nunc et pro tempore existentibus, quatenus eidem Petro cardinali tamquam eorum protectori omnino pareant atque obediant.

Publicationis effectus.

§ 19. Volumus autem quod praesentes litterae a die illarum publicationis, omnes et singulos quos illae concernunt perinde arctent et afficiant, ac si illis et eorum cuilibet personaliter intimatae fuissent.

Transumptis danda fides.

§ 20. Quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu secretarii ipsius Montis seu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo dicti Montis vel alicuius praelati obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XVIII iulii MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 18 iulii 1602, pont. an. XI.

CCXCIV.

Declaratio quod non liceat, per litteras seu internuntium, confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere; et prohibitio hanc propositionem docendi, defendendi, etc.

Re in Congr. S. Officii examinata.

Sanctissimus D. N. D. Clemens PP. VIII, *etc.* Auditis votis patrum theologorum, et re cum illustrissimis et reverendissimis dominis cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, mature ac diligenter considerata:

Damnata propositio,

§ 1. Hanc propositionem, scilicet: *licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere,* ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit ac prohibuit.

Prohibetque prout in rubrica.

§ 2. Praecepitque ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve umquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputative tractaverit (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directe seu indirecte deduxerit, praeter excommunicationem latae sententiae, quam ipso facto incurrat, et a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, etiam S. R. E. maiori poenitentiario, nisi a pro tempore existenti Romano Pontifice, absolvi, aliis etiam poenis arbitrio infligendis, subiaceat.

In generali Congregatione Sanctae Romanae et universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali, die XX mensis iulii MDCII.

Quintilianus Adrianus, *not.*

Dat. die 20 iulii 1602, pontif. an. XI.

CCXCV.

Deputatio commissarii pro componendis differentiis confinium inter Statum Ferrariae et Statum Mantuae [1].

Dilecto filio Dominico Blondo U. I. D. commissario nostro

Clemens Papa VIII.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Deputatio de qua in rubrica.

Cum ad componendas differentias, quae super finibus inter Statum nostrum Ferrariae et inter Statum Mantuae dilecti filii nobilis viri Vincentii, Mantuae et Montisferrati ducis, temporali dominio subiectum vertuntur, aliquam personam fide, prudentia, doctrina, integritate et experientia praestantem, quae cum alia persona ad hunc effectum a praedicto Vincentio duce deputanda seu forsan deputata conveniat, et ad loca differentiarum accedat, ipsasque differentias concordare curet, deputare decreverimus; ad te, qui nunc auditoris generalis causarum civilium nostrae civitatis Bononiensis munere fungeris, ac de cuius fide, integritate, doctrina ac in rebus agendis solertia et dexteritate plurimum in Domino confidimus, direximus oculos nostrae mentis. Itaque te nostrum et apostolicae Sedis ad praemissa peragenda commissarium cum facultate et auctoritate, omnia et singula, quae ad huiusmodi differentias concordandas pro nostro et eiusdem Sedis honore, ac praedicti Status nostri Ferrariae, atque Status etiam Mantuae communi quiete et commodo expedire cognoveris, faciendi, gerendi et exequendi, nec non pro distinctione agrorum terminos et testes lapideos inter utriusque Status fines, in locis tibi et deputato dicti ducis benevisis, constituendi, auctoritate apostolica, tenore praesentium, constituimus et deputamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDCII, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 24 iulii 1602, pontif. an. XI.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

CCXCVI.

Erectio prioratus S. Agnetis extra moenia Urbis in titulum abbatiae pro abbate eligendo ex Congregatione canonicorum regularium S. Salvatoris [1].

Clemens Papa VIII,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quae ad ecclesiarum antiquarum et insignium pristinum decorem et dignitatem restituendam conducere dignoscimus, ea libenter concedimus, cum praesertim S. R. E. cardinalium vota id exposcunt, ac alias in Domino salubriter conspicimus expedire.

Erectio, de qua in rubrica.

§ 1. Supplicationibus itaque venerabilis fratris nostri Alexandri episcopi Praenestinensis, S. R. E. cardinalis Florentinensis nuncupati, nobis humiliter porrectis inclinati, prioratum monasterii Sanctae Agnetis extra muros Urbis in via Nomentana (quod monasterium alias a felicis recordationis Sixto Papa IV, anno Domini MCDLXXIX monasterio S. Petri ad Vincula de Urbe congregationis canonicorum regularium Sancti Salvatoris de Bononia, Ordinis Sancti Augustini, perpetuo unitum et annexum, et a piae memoriae Innocentio Papa VIII, praedecessoribus nostris, de anno MCDLXXXIX confirmatum extitit) in titulum abbatiae, quae posthac in perpetuum uni ex dictae Congregationis canonico abbati monasterii Sanctae Agnetis nuncupando, ad

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

instar aliarum abbatiarum, dignitatum et prioratuum eiusdem Congregationis, et iuxta regularia illius instituta conferri, seu ipse canonicus ad eamdem abbatiam eligi et assumi debeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, sine tamen praeiudicio concessionis usus dicti monasterii eidem Alexandro episcopo cardinali ad eius vitam factae, necnon iurium dicti monasterii Sancti Petri ad Vincula, quam et quae salva esse volumus, perpetuo erigimus et instituimus.

Privilegia abbatis ad aliorum abbatum normam eiusdem congregationis.

§ 2. Ac pro tempore existenti abbati eiusdem monasterii Sanctae Agnetis, qui apud dictum monasterium residere teneatur, ut omnibus et singulis privilegiis, honoribus, praerogativis, praeeminentiis, favoribus, gratiis et indultis, ac etiam voce activa et passiva in capitulis generalibus, congregationibus et aliis actibus publicis et privatis non solum ad instar aliorum abbatum, praepositorum et priorum eiusdem Congregationis, sed pariformiter et aeque principaliter, sine aliqua prorsus differentia, uti ac frui possit et valeat, concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Sicque et non aliter per quoscumque dictae Congregationis superiores et alios iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Abbas a priore generali et visitatoribus eligendus.

§ 4. Insuper dilectis filiis priori generali et visitatoribus eiusdem Congregationis, ut unum ex eiusdem Congregationis canonicis, servata regularium suorum institutorum forma, in abbatem dicti monasterii, iuxta tenorem praesentium, eligere et creare valeant, auctoritate et tenore praedictis, licentiam concedimus et indulgemus.

§ 5. Quocirca eidem Alexandro episcopo cardinali, necnon dilectis filiis eiusdem Congregationis apud nos protectori et causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte prioris generalis ac visitatorum eiusdem Congregationis, aut pro tempore existentis abbatis dicti monasterii Sanctae Agnetis fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos praemissorum omnium et singulorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Exequutores deputat.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac eiusdem Congregationis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXIX iulii MDCII, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 29 iulii 1602, pontif. an. XI.

CCXCVII.

Prohibitio iterataque damnatio operum Caroli Molinei haeretici, cum revocatione licentiarum illa legendi et retinendi quibuscumque, etiam a supremis Inquisitoribus, concessarum, et cum inhibitione ne cuiquam de caetero, praeterquam a Summo Pontifice, concedantur[1].

Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Apostolicae Sedis auctoritati maxime convenit et ad nostrum pertinet officium, accurate prospicere, ne impiorum hominum libris ac monumentis piorum mentes seducantur, aut quovis modo a via veritatis avocentur.

Caroli Molinei scripta contraria fidei continent, et ideo prohibita fuerunt. § 1. Nos itaque considerantes damnatae memoriae Caroli Molinei scripta et commentaria, doctrinam perniciosam et catholicae fidei contrariam continere, et ideo huius impii et haeretici hominis in prima classe descripti opera omnia in indice librorum prohibitorum tam per nostros praedecessores Romanos Pontifices, quam etiam per nos nuper edito, expresse ac nominatim sub censuris et poenis in eo contentis prohibita et interdicta fuisse; et attendentes etiam, sicut ad audientiam nostram pervenit, quamquam eorumdem operum lectio et retentio ab universis christifidelibus maxime vitanda sit;

Plurimi temerariis praetextibus licentias illa tenendi extorxerunt, illisque utuntur. § 2. Nihilominus a plurimis, et iis praesertim qui utriusque iuris scientiam profitentur, contra huiusmodi prohibitionem, dicti Caroli scripta et commentaria, sub variis praetextibus, sive illa examinandi et expurgandi, sive corrigendi et emendandi, ut dicunt, sive etiam ut illis utantur in iudiciis et decisionibus causarum et aliis eorum scriptionibus, frequenter legi et retineri, maximo cum eorumdem et aliorum animarum periculo, et sub his praetextibus varias licentias, etiam a nonnullis episcopis, et aliis locorum Ordinariis, et ab Inquisitoribus temere ac de facto, et etiam quandoque ab hac Sancta Sede, et a venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus super indice librorum prohibitorum deputatis, sive etiam interdum a generalibus Inquisitoribus sub praecepto, ut nonnisi expurgatis et cunctis erroribus deletis, uti possint, diversimode ab eisdem extortas aut impetratas fuisse.

Hic autem Pontifex, ne dicta Caroli scripta perlegant christifideles, de novo illa damnat et interdicit etiam si expurgata dicantur. § 3. Propterea pro nostra pastorali sollicitudine cunctorum christifidelium animarum securitati et saluti, quantum cum Domino possumus, consulere, et ne ipsi christifideles mali hominis prava doctrina et impietate fallantur aut inficiantur opportune providere volentes, pro potiori cautela, motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, hac nostra perpetua valitura constitutione, omnia et quaecumque praedicti Caroli Molinei haeretici scripta, opera et commentaria, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostra auctoritate, de novo perpetuo damnamus, reprobamus, interdicimus et anathematizamus, eorumque lectionem et retentionem universis et singulis christifidelibus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris et praeeminentiae (licet de illis specialis et individua mentio habenda foret) existant, etiam sub excommunicationis latae sententiae, aliisque censuris et poenis in indice librorum prohibitorum contentis, ac etiam suspicionis ipsius haeresis, quantumvis scripta, opera et commentaria ipsa iam quovis modo fuisse expurgata praetendant, districte perpetuo interdicimus et prohibemus.

1 Aliorum librorum prohibitorum indicem, vel potius eius approbationem, vide in const. CXVIII, ut supra: *Sacrosanctum*, pag. 230.

Licentias quascumque revocat et eas de caetero dari prohibet etiam a cardinalibus deputatis super Indice et Inquisitoribus,

§ 4. Et propterea omnes et quascumque licentias quibusvis personis, tam ab Ordinariis locorum, quam etiam ab ipsis cardinalibus super dicto indice deputatis, ac supremis sanctae universalis Inquisitionis contra haereticam pravitatem Inquisitoribus, ac a nobis et Apostolica Sede quomodolibet concessas legendi et retinendi libros eiusdem Caroli Molinei, etiam sub alio nomine inscriptos vel expurgatos, cum non aliter quam igne expurgari possint, revocamus, cassamus et annullamus, inhibentes omnibus et singulis supradictis ne de caetero huiusmodi licentias cuiquam concedant vel impertiantur. Quin imo omnem facultatem concedendi huiusmodi licentias retinendi vel legendi opera huius impii auctoris, ex quacumque causa et sub quovis praetextu et colore, quibuscumque personis quavis auctoritate, etiam apostolica, suffultis, et quacumque dignitate praeditis, etiam ipsismet cardinalibus super indice librorum prohibitorum deputatis, ac supremis Inquisitoribus praedictis adimimus, eamque nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus tantum reservamus.

Easque concedendas, et subscribendas a Papa esse decernit.

§ 5. Cassantes insuper et irritantes quascumque licentias etiam a nobis et a successoribus nostris Romanis Pontificibus concessas, et imposterum concedendas, quae manu nostra aut successorum praedictorum subscriptae non fuerint.

Declarat praedictam prohibitionem.

§ 6. Per hanc tamen prohibitionem non intendimus retentionem librorum iuris canonici, et aliorum catholicorum auctorum habentium additiones seu apostillas, ut vocant, huius impii hominis, ipsis tamen additionibus, seu apostillis omnibus prorsus deletis, prohibere.

Mandat opera huiusmodi Ordinariis vel Inquisitoribus consignari, et ab eis comburi.

§ 7. Postremo sub censuris et poenis supradictis, omnibus et singulis christifidelibus per apostolica scripta mandamus quatenus, intra mensem a publicatione praesentium, in locis, per quae eaedem ad eorum notitiam pervenire possint, facienda computandum, omnia et singula scripta, opera et commentaria praedicta Caroli Molinei realiter et cum effectu locorum Ordinariis vel Inquisitoribus exhibeant et consignent. Ipsis vero locorum Ordinariis vel Inquisitoribus ut illa statim, nulla interposita mora, aut expectata licentia, igne comburant et comburi faciant.

Hanc constitutionem publicari iubet.

§ 8. Ut autem praesentes nostrae litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, et ne earum ignorantia quemquam excuset, volumus et, eadem auctoritate, decernimus ut earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis haberetur si essent exhibitae vel ostensae. Utque eaedem praesentes ad valvas basilicae Principis Apostolorum, et in acie Campi Florae affixae et publicatae omnes ita arctent et afficiant, perinde ac si omnibus et singulis intimatae fuissent. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac aliis locorum Ordinariis, per eadem scripta mandamus, ut easdem praesentes quisque ipsorum in suis civitatibus et dioecesibus publicari et observari curent ac faciant, et contra inobedientes quoscumque ad declarationem incursus poenarum et censurarum praedictarum irremissibiliter procedant.

Contraria non obstare decernit.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis privilegiis et indultis ac litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die vigesima prima augusti MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 21 augusti 1602, pontif. anno XI.

CCXCVIII.

Praefinitio habitus coloris caerulei, quem deferre debent Religiosi Congregationis Canonicorum saecularium S. Georgii in Alga Venetiarum [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Quae ad Religiosorum antiquum institutum conservandum provide ordinata fuisse dicuntur, ea, cum a nobis petitur, apostolici muniminis firmitate libenter communimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Congregationis decretum, quod sui Religiosi deferant togam coloris caerulei prout B. Laurentius Iustinianus Congregationis fundator deferebat. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius generalis Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum, quod per undecim patres deputatos, capitulum generale eiusdem Congregationis repraesentantes, communibus votis resolutum fuit, ut tolleretur abusus inter religiosos dictae Congregationis introductus, interessendi divinis officiis in choro, in ecclesia, in processionibus particularibus et aliis locis publicis, cum sola tunica alba, veluti contraria institutis et habitui antiquo eiusdem Congregationis. Et propterea deinceps Religiosi deberent ubique et in omni tempore, et praesertim domi, in monasteriis et locis eiusdem Congregationis deferre togam coloris caerulei, pallandam nuncupatam, iuxta constitutiones eiusdem Congregationis, et ad instar illius, quam deferebat Beatus Laurentius Iustinianus, eiusdem Congregationis institutor. Ut autem nullo tempore imposterum praedictae resolutioni seu decreto praedictorum undecim Patrum deputatorum contraveniatur, idem generalis totius Congregationis praedictae nomine, nobis humiliter supplicari fecit ut illud apostolica auctoritate perpetuo confirmare de benignitate apostolica dignaremur.

Approbatio huius Pontificis ex voto Cardinalium. § 2. Nos igitur, qui iusta petentium votis nostrum non denegamus assensum, generalem et singulares religiosos dictae Congregationis a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super consultationibus et negociis Episcoporum et Regularium deputatorum, decretum capituli generalis praedictum, ut scilicet omnes et singuli dictae Congregationis religiosi togam, pallandam nuncupatam, coloris caerulei deferre, ut praemissum est, teneantur, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, ac illud per dictos religiosos inviolate observari debere decernimus et declaramus.

Derogatio contrariorum. § 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ipsius Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis; caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXII augusti MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 22 augusti 1602, pontif. an. XI.

---

1 Institutionem huius congregationis, et alia eam respicientia, vide in Gregorii XII, constit. II: *Illis*, tom. IV, pag. 615.

CCXCIX.

Reductio provincialis et fratrum Tertii Ordinis S. Francisci, provinciae Dalmatiae et Iustinopolitanae, ad obedientiam et subiectionem vicarii generalis eiusdem Ordinis [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Pro nostri pastoralis muneris debito ad ea libenter intendimus, per quae religiosorum prospero regimini et gubernio opportune consulitur, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Fratres provinciae Dalmatiae et Iustinopolitanae tantummodo eorum provinciali obediebant. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii provinciales et fratres Tertii Ordinis S. Francisci, provinciae Dalmatiae et Iustinopolitanae, nulli alteri superiori obediant, sed dicti fratres eorum provinciali per vota secreta pro tempore electo tantummodo subsint, nec alium superiorem agnoscant:

Hic Pontifex vicario et visitatoribus generalibus Ordinis provinciae Italiae subiicit, § 2. Nos prospero regimini et gubernio dictorum fratrum valde expedire considerantes ut ipsi eorumque provincialis, vicario et visitatoribus generalibus Ordinis praedicti provinciae Italiae subiiciantur, ac eorum superioritati, visitationi et correctioni, prout alii fratres Italiae praedicti Ordinis, de caetero subiaceant, ac praedictis fratribus Italiae sub eisdem generalibus superioribus uniantur, ac propterea in praemissis opportune providere volentes, supplicationibus etiam pro parte dilecti filii Bernardi Sabbiae, fratris et procuratoris generalis eiusdem Ordinis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati:

Et eidem Provinciae unit, § 3. Provincialem et fratres Tertii Ordinis S. Francisci provinciae Dalmatiae et Iustinopolitanae praedictis vicario et visitatori generali Tertii Ordinis S. Francisci huiusmodi Italiae, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo subiicimus, illosque sub huiusmodi vicarii et visitatoris generalis obedientia, fratribus eiusdem Ordinis Italiae unimus.

Gratiasque et privilegia communicat. § 4. Ac eisdem provinciali et fratribus Dalmatiae et Iustinopolitanae, ut omnibus et singulis gratiis, privilegiis, indultis, favoribus, concessionibus, praerogativis et indulgentiis, necnon voce activa et passiva in capitulis generalibus et in electione vicarii et visitatoris generalis huiusmodi, ad instar provincialium et fratrum Italiae eiusdem Ordinis, sine aliqua prorsus differentia respective, uti, potiri et gaudere possint et valeant ac debeant, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus.

Istos monet ut eos benigne recipiant. § 5. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae vicario et visitatori generali praedicto, ut provincialem et fratres praedictos provinciae Dalmatiae et Iustinopolitanae sub eius curam et gubernium benigne recipiat, et ea qua decet caritate, prosequatur.

Illos vero, ut istis omnino obediant, § 6. Ipsis vero provinciali et fratribus, ut praedicto vicario et visitatori generali obedientiam et reverentiam debitas et devotas prompte praestent et exhibeant, illumque debita honorificentia prosequantur; alioquin sententiam sive poenam, quam ipse vicarius et visitator generalis rite tulerit seu statuerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Contrariisque derogat. § 7. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon eiusdem Ordinis, ac dictae provinciae Dalmatiae et Iustinopolitanae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis

1 De hoc Ordine vide in constit. XLVII, Leonis X: *Inter*, tom. V, pag. 764.

eidem provinciae Dalmatiae, eiusque provinciali et fratribus in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmitatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die II septembris MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 2 septembr. 1602, pontif. an. XI.

CCC.

Declaratio quod fratres Minores S. Francisci strictioris Observantiae non sunt novae Regulae professores, sed Regulae S. Francisci veri observatores [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito, ad ea libenter intendimus, per quae regularis observantiae professorum Reformatorum statui et conscientiae securitati opportune consulatur; ut et ipsi professores uberiores in Ecclesia militanti fructus afferant, et eorum Religio maiora in Domino suscipiat incrementa.

Fratres Reformati de Observantia dicebantur non servare Regulam Sancti Francisci ex his narratis.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, a nonnullis aliquando oppositum fuerit, dilectos filios professores Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de strictiori Observantia, Reformatos nuncupatos, qui iuxta constitutiones Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, ac etiam nostram, sub dat. Tusculi die XII octobris, pontificatus nostri anno quinto, novissime editam, sub obedientia custodum degunt, eorumque superiores, custodes et non ministros appellant, propterea non satisfacere Regulae a beato Francisco editae, et per Sedem Apostolicam saepius confirmatae et approbatae, iuxta cuius litteram, sub obedientia ministrorum vivere videntur obligati. Cumque etiam asseratur dictos fratres Reformatos contra dictam Regulam agere, ac graviter et contra votum professionis, praesertim obedientiae, delinquere, ac exinde perturbationes et incommoda patiantur:

Hic ideo Pontifex eos vere observatores dictae Regulae esse declarat.

§ 2. Nos eorumdem fratrum Reformatorum quieti, tranquillitati et indemnitati prospicere, atque eosdem adversus huiusmodi molestias et calumnias tueri, ac omnem super praemissis ambiguitatem e medio tollere volentes, quarumcumque constitutionum, et praesertim nostrae supradictae, super reformatione dicti Ordinis editarum tenores praesentibus pro expressis habentes; motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, harum serie decernimus et declaramus, supradictos fratres Reformatos, qui non novam, sed eamdem regulam, quam beatus Franciscus condidit, et felicis recordationis Honorius papa tertius, praedecessor noster, confirmavit, quamque etiam fratres de familia nuncupati Ordinis Minorum de Observantia observant, licet ipsi Reformati purius, et iuxta ipsius Regulae litteram declaratam per recolendae memoriae Nicolaum III et Clementem V, Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, observent, sub obedientia custodum, quibus per supradictas Romanorum Pontificum, et praesertim nostram, constitutiones subiecti fuerunt praedictae Regulae Sancti Francisci, et praecipue in ea parte, ubi sunt illa verba: *Praecipio firmiter fratribus universis ut obediant suis ministris, plene, pure et*

1 Alia de istis Fratribus vide in constit. XLIII, Clement. VII: *In suprema*, tom. VI, pag. 155, ubi legitur eorum Congregationis approbatio.

integre, et absque ulla dispensatione in voto obedientiae: ita satisfacere, sicut faciunt dicti fratres de familia sub obedientia eorum ministrorum degentes, qui a custodibus solo nomine differunt, et ipsis fratribus Reformatis ministrorum loco praesunt, ipsosque Reformatos, veros filios et indubitatos fratres Ordinis Sancti Francisci, et in conscientia tutos existere.

Gratiisque et privilegiis Fratrum Minorum de Observantia frui declarat.

§ 3. Necnon in omnibus eorum monasteriis, locis, domibus, oratoriis et ecclesiis, quas nunc obtinent, et in posterum quovis modo vel titulo obtinebunt, tam in Italia quam extra, ubique locorum, praesertim in Gallia, omnibus et singulis privilegiis, gratiis et indultis, tam spiritualibus quam temporalibus, ac praecedentiis in processionibus, in funeralibus ac in concursu cum aliis Religionibus, in concionibus certis tempore et loco vicissim habendis, et in omnibus aliis actibus publicis et privatis, quibus dicti fratres de familia in eorum monasteriis, ecclesiis, domibus et locis, ac rebus, tam de iure quam ex consuetudine, vel alias frui, potiri et gaudere solent et possunt, ac poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua differentia frui, potiri et gaudere posse ac debere; dummodo tamen strictiori observantiae dictorum Fratrum Reformatorum, prout in nostris litteris praedictis disponitur, non adversentur.

Clausulae.

§ 4. Mandantes insuper in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis cuiuscumque qualitatis, dignitatis seu conditionis existant, ad quorum notitiam praesentes nostrae pervenerint, ut nullus in posterum praedictos fratres Reformatos appellare audeat seu praesumat novos Religiosos, aut novae Regulae professores. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputati.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis per praesentes committimus et mandamus, quatenus quicumque illorum, per se, vel alium, seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum Reformatorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, ipsisque fratribus Reformatis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos eorumdem praemissorum effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Clausulas derogatorias apponit.

§ 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae nos in constitutione nostra praedicta voluimus non obstare; caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die septima septembris, millesimo sexcentesimo secundo, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 7 septembr. 1602, pontif. an. XI.

CCCI.

Confirmatio concordiae inter episcopum et capitulum Barchinonenses initae super iurisdictione civili et criminali[1].

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Ex debito pastoralis officii, quo nobis dominici gregis cura commissa est, circa universorum christifidelium pacem et tranquillitatem sollicitis studiis intendentes, ea quae inter fideles ipsos, sublatis litigiorum anfractibus, concordia terminata esse dicuntur, ne in recidivum contentionis scrupulum relabantur, sed firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus.

Quamplures causae inter episcopum et capitulum super iurisdictione civili et criminali agitatae fuerant

§ 1. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Ildephonsi episcopi Barchinonensis et dilectorum filiorum capituli et canonicorum Ecclesiae Barchinonensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipsi attendentes occasione quamplurium et diversarum litium et causarum, quae inter pro tempore existentes episcopos Barchinonenses ac capitulum et canonicos dictae Ecclesiae per spatium septuaginta annorum coram diversis iudicibus in Romana Curia, et praesertim Palatii Apostolici causarum auditoribus agitatae, et demum ad preces charissimi in Christo filii nostri Philippi secundi Hispaniarum regis catholici ab eisdem iudicibus avocatae, et bonae memoriae Scipioni Lancellotto primum, et deinceps, eo ex humanis sublato, dilectis filiis nostris Dominico Pinello et Flaminio Plato S. R. E. cardinalibus, tam ad concordandum quam ad decidendum super iurisdictione civili et criminali, ac aliis diversis iuribus, administrationibus et praetensionibus episcopi, capituli et canonicorum praedictorum a nobis specialiter commissa fuerant, magnas per utramque partem pecuniarum summas consumptas fuisse, et (quod graviter dolendum est) divina officia, publicamque et privatam pacem et quietem dictae Ecclesiae perturbatam esse, ac in dies magis ac magis perturbari, in magnum divini cultus detrimentum et praeiudicium, ac tam clericorum quam religiosorum ac laicorum scandalum plurimorum:

Partes concordiam ineunt.

§ 2. Ac volentes omnium huiusmodi discordiarum occasiones amputare, litiumque et dissensionum flammas et anfractus, quae dubios et tristes pariunt eventus, extinguere, per nonnullos graves et eruditos viros ab utraque parte electos, qui veteres constitutiones, statuta, privilegia, concordias, sententias, laudabiles consuetudines, antiquumque et ordinatum eiusdem Ecclesiae statum summa diligentia recognoverunt, intus domos capitulares dictae Ecclesiae, ubi pro similibus actibus et negociis pertractandis convocari solent, ad sonum campanae, et per communem nuntium, ut moris est, vocati et capitulariter congregati, a litibus huiusmodi recedentes, illasque revocantes et annullantes, iuraque et actiones sibi invicem remittentes, pro bono pacis et concordiae, ac alias ad infrascriptam conventionem, concordiam et transactionem, per quam aliqua, quae in eisdem constitutionibus, statutis, privilegiis, concordiis, sententiis et consuetudinibus clara non erant, et usu declararunt, non tamen derogare intenderunt aliquibus, quae non controvertebantur, sed illa in suis robore et firmitate illaesa remanere voluerunt et protestati sunt, sub nostro et Sedis apostolicae beneplacito, tamquam de re dubia et lite incerta inter eos devenerunt:

Concordiae tenor.

§ 3. Videlicet in primis, quoniam dicta Ecclesia sicut aliae ecclesiae provinciae

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Tarraconensis habet iurisdictionem civilem et criminalem, et hucusque controversum est inter episcopum et capitulum praedictos, an iurisdictiones huiusmodi exerceri debeant per solum episcopum, aut per solum capitulum, vel per episcopum et capitulum simul et coniunctim fieri deberet; quodque episcopus seu eius vicarius generalis canonicus actu praebendatus cum ipso capitulo intus domos capitulares huiusmodi ederent statuta, ordinationes, constitutiones et deliberationes ad gubernationem rerum mensae capitularis et Ecclesiae pertinentes; et quia dicta ecclesia constitit in quamplurimis administrationibus, quod electiones, deputationes et revocationes officialium pro administratione et gubernio illarum fierent in capitulo per episcopum seu vicarium et capitulum huiusmodi simul et capitulariter; ac quod beneficia per uniones et bona per dismembrationes applicata, eorumque fructuum distributiones, seu dispensationes, concessiones, donationes, contractus et alia quaecumque concernentia interesse dictorum capituli et ecclesiae administrarentur et gubernarentur non solum per episcopum et seu eius vicarium praedictum, sed communiter per episcopum et capitulum, adeo ut, tam super dictis administrationibus ac administratis in illis per canonicos et alias personas ab ipso episcopo seu vicario et capitulo praedictis deputatas seu deputandas, quam super omnibus aliis supradictis non posset solus episcopus seu vicarius praedictus aliquo modo etiam visitando, ut Ordinarius, nec alias se intromittere, nisi vigore specialis commissionis seu rescripti a nobis et Romanis Pontificibus vel Sede Apostolica emanati, et quod iurisdictio cognoscendi de causis civilibus, in quibus canonici, ut rei convenirentur, ad dictum vicarium spectaret et pertineret; in causis vero civilibus, in quibus canonici erunt actores, ad solum episcopum et, eo volente seu expresse permittente, ad eius vicarium praedictum, seu alios officiales pertineret; in causis autem civilibus super administratione rerum et bonorum dicti capituli, illiusque mensae iurisdictio tam active quam passive, sive canonici essent rei sive actores, ad episcopum et capitulum praedictos communiter spectaret; quodque edicta, monitiones et cartellae administrationis rerum et bonorum dictae ecclesiae tantum concernentia publicarentur in eadem ecclesia nomine vicarii praedicti; reliqua vero edicta, monitiones et cartellae concernentia particularem seu generalem reformationem et correctionem morum, vel alia quaecumque negotia dictae civitatis, ac totius seu partis dioecesis Barchinonensis, et quae ad instantiam particularium quorumcumque pro rebus et negotiis quibuslibet communibus et particularibus, aut alias quocumque modo, causa et respectu in dicta ecclesia intimari, notificari, proponi, seu publicari contigerit, publicarentur et publicanda essent nomine solius episcopi, vel eo volente et permittente, et non alias, nomine vicarii praedicti. Et insuper quotiescumque in capitulo ab episcopo seu vicario et capitulo praedictis fieret communiter statutum, deliberatio seu constitutio, vel quid aliud gravans aliquem ex canonicis, vel beneficiatis, aut aliis clericis et ministris praedictae ecclesiae, a praetenso gravamine non possit recurri nec appellari ad episcopum seu vicarium praedictos, sed tantum ad metropolitanum, seu alium legitimum superiorem, vel Romanum Pontificem. Praeterea, quod convocationes et congregationes capitulorum spectarent et pertinerent ad episcopum, et ipso absente ab eius ecclesia, ad eius vicarium praedictum privative quoad omnes alios

Bonorum administratio.

Qui iudices in causis.

Appellatio ad Romanum Pontificem.

canonicos, etiam antiquiorem, praeterquam in congregationibus capitulorum generalium mensis maii, et capitulorum ordinariorum cuiuslibet hebdomadae congregandorum tantum in diebus lunae et veneris; quae quidem congregationes, absente tamen episcopo ab eius ecclesia, suoque vicario praedicto in dictis diebus, et mense maii, ac durante tempore prorogationis dictorum capitulorum generalium ulterius, usque ad vigiliam festi Sancti Iacobi apostoli, iuxta constitutionem capitularem haec disponentem, solum per canonicum antiquiorem fieri possit. Quodque ubi et quoties foret in capitulo tractandum de aliquo interesse seu privato commodo episcopi, vel eius vicarii praedictorum ac suorum, capitulum teneri et haberi posset sine interventu episcopi sive eius vicarii praedicti, certiorato tamen ante ingressum capituli pro debito urbanitatis episcopo tantum, existente eo in praedicta ecclesia, et non alibi. Finito tamen eo negotio tangente episcopum seu eius vicarium praedictum, nihil aliud possit tractari, nec concludi in capitulo; ulterius quod cura procurandi et indicendi silentium in choro, dum divina celebrantur officia, tam noctu quam diu, et in processionibus faciendis intus et extra ecclesiam spectaret ad praecentorem, et suo casu ad succentorem vel ad alias personas per episcopum et capitulum praedictos ad id deputatas seu deputandas; ac quod potestas sive iurisdictio privandi distributionibus quotidianis et ab ingressu chori dignitates, canonicos, beneficiatos, clericos et conductitios propter interruptionem silentii huiusmodi et excessus in choro et processionibus huiusmodi commissos, ad praecentorem et, suo casu, ad succentorem, seu ad alias personas per episcopum et capitulum ad id deputatas seu deputandas huiusmodi, spectaret et pertineret; necnon quod in inquirendis, corrigendis et puniendis excessibus et delictis canonicorum praebendatorum dictae ecclesiae, tam quando episcopus visitaret, quam quoties extra visitationem ex officio, vel ad petitionem alicuius, aut alias foret procedendum, servaretur concordia sive sententia felicis recordationis Nicolai Papae quinti, praedecessoris nostri, sub datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo octavo, pridie nonas iulii, pontificatus sui secundo, et sub datum eiusdem Incarnationis anno millesimo quadringentesimo nono, quinto nonas maii, eiusdem pontificatus tertio annis; per quam quidem sententiam et declarationem hoc ius particulare tribuitur, videlicet quod circa capturam canonicorum praebendatorum dictae ecclesiae, et processus criminales contra ipsos per dictum episcopum aut eius officiales faciendos, serventur constitutiones laudabiles eatenus in dicta ecclesia observatae; ita ut in his absque adiuncto ipsius ecclesiae praebendato canonico a dicto capitulo deputato de caetero minime procedere valeat aut possit; hoc tamen addito, quod episcopus vel eius vicarius generalis praedictus in praedictis procederet cum dicto adiungendo canonico actu etiam praebendato a capitulo deputato, de cuius canonici consilio et consensu, episcopus vel vicarius praedictus, tam in formando processus criminales contra aliquem ex dictis canonicis, et circa eorum capturam, quam in omnibus aliis actibus usque ad sententiam definitivam vel eius exequutionem inclusive teneretur procedere coram notario episcopi et in eius palatio, aut solito tribunali; addito etiam quod si nobis placeret, comprehenderentur obtinentes dignitates in eadem ecclesia, licet in praedicta sententia de illis nulla fiat mentio. Insuper quod pro

Quando teneri possit Capitulum sine interventu episcopi.

A quibus excessus canonicorum puniendi.

excessibus commissis per beneficiatos et clericos dictae ecclesiae intus eamdem ecclesiam et eius ambitum seu claustra, et in quibuscumque processionibus, quae fiunt intra vel extra ecclesiam, possent iidem beneficiati et clerici per capitulum seu eius officiales ad id deputatos privari distributionibus quotidianis, et per solum episcopum seu eius officiales puniri condigne, iuxta mensuram et qualitatem delicti; punitio vero delictorum, quae intus dictam ecclesiam et eius ambitum seu claustra committi contingeret per laicos et alias personas, quae non erunt de foro ecclesiastico, ad episcopum tantum sive eius officiales et ministros privative quoad capitulum spectaret et pertineret, ita ut similes delinquentes laici in flagranti crimine reperti, per monachos nuncupatos seu alios capituli ministros capi et cippis ac compedibus, seu alibi intus dictam ecclesiam cum tamen custodia, et non alias detineri, et exinde statim seu paulo post liberari, ac cum effectu episcopo, seu eius officialibus, vel suae curiae ministris petentibus tradi deberent. Demum quod episcopus in tota sua visitatione quolibet anno facienda per se ipsum aut vicarium praedictum pro visitanda ecclesia, canonicis, dignitatibus, beneficiatis, clericis et aliis praedictis teneretur munus visitationis huiusmodi obire cum duobus canonicis assistentibus a capitulo nominandis, qui tamen non essent convisitatores, sed mere assistentes sine consilio et consensu; quodque edicta et monitiones seu cartellae omnes, quae faciendae, publicandae seu notificandae forent intus dictam ecclesiam, tam pro visitatione ipsa intimanda et notificanda, quam pro aliis quibuscumque ad dictam visitationem spectantibus et necessariis, posset episcopus suo nomine tantum in dicta ecclesia facere, illaque publicare, aut eo delegante seu committente, vicario praedicto nomine dicti delegati, prout in instrumento publico, sub die septima mensis februarii anni Domini millesimi sexcentesimi primi, in civitate Barchinonensi celebrato, dicitur contineri.

De excessibus beneficiatorum et clericorum.

§ 4. Quare pro parte Ildephonsi episcopi ac capituli et canonicorum praedictorum, qui, ut asserunt, se concordiam, conventionem et transactionem huiusmodi, omniaque et singula illius capita observare et attendere velle promiserunt, nulloque umquam tempore, aliqua ratione vel causa variare promittunt, et ad id sub amplissimis clausulis invicem sese obligarunt, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus concordiae ac transactioni, et in ea contentis huiusmodi pro illorum subsistentia robur apostolicae confirmationis adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmari petitur auctoritate apostolica.

§ 5. Nos igitur, qui inter personas quaslibet, praesertim ecclesiasticas, pacem et concordiam nostris potissimum temporibus vigere sinceris exoptamus affectibus, quique hodie habita, etiam eorumdem Dominici et Flaminii cardinalium, quibus universum hoc negotium examinandum demandaveramus, de praemissis omnibus et singulis, litiumque et causarum ac controversiarum praedictarum statu et meritis plena relatione, causas ad nos avocavimus, litesque et controversias huiusmodi extinximus, prout in supplicatione desuper manu nostra signata, cuius solam signaturam, quoad id sufficere voluimus, plenius continetur, Ildephonsum episcopum ac singulares personas capituli huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effe-

Confirmatur.

ctum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon litium et causarum, ac controversiarum praedictarum statum et merita, nominaque et cognomina iudicum et collitigantium cum inde sequutis praesentibus pro expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam, conventionem ac transactionem, omniaque et singula praedicta, salva tamen et reservata semper in primis omnibus, in quibus de iure necessaria fuerit, nostra et Sedis Apostolicae auctoritate, ita ut facultas uniendi, dismembrandi, supprimendi et applicandi, vel alia, in quibus dictae Sedis auctoritas et licentia quomodolibet requiritur, faciendi per praesentes nullatenus episcopo, ac capitulo, et canonicis praedictis concessa sit, vel censeatur, et salvis etiam reservationibus et affectionibus apostolicis, praeterquam quoad caput illud de ecclesiae praedictae dignitates obtinentibus, quos dicti Nicolai praedecessoris sententiae beneficio uti, eosque sub capite huiusmodi comprehendere, aut includere nullatenus intendimus, apostolica auctoritate, et ex certa scientia perpetuo approbamus et confirmamus, ac apostolici scripti patrocinio communimus, omnesque et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, nec non semper valida et efficacia existere, suosque effectus sortiri, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari mandamus: et nihilominus in iis, quae in praemissis per capitulum et canonicos praedictos cum interventu et assistentia episcopi seu eius vicarii praedicti votum habentis simul et capitulariter tractanda fuerint, ea obtinere debere, iuxta consuetudinem in ecclesia Barchinonensi hactenus observatam, quae a maiori parte capituli tractata, ordinata et statuta fuerint, declaramus.

Clausulae.

§ 6. Sicque in praemissis ab omnibus censeri, atque ita et non alias per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum dicti palatii auditores, ac praedictos et quosvis alios eiusdem S. R. E. cardinales, et de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique et in quavis instantia, iudicari et definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Exequutorum deputatio.

§ 7. Quocirca dilectis filiis Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori, ac abbati Sancti Cucufatis de Valles Barchinonensis dioecesis ac archidiacono maiori ecclesiae Tarraconensis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte Ildephonsi, et pro tempore existentis episcopi, ac singularum personarum capituli Barchinonensis fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant, auctoritate nostra, praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter et inviolabiliter observari, ac singulos quos litterae ipsae concernunt et concernent in futurum, illis pacifice frui et gaudere, non permittentes ipsos vel aliquem eorum desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari vel inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, ac caetera opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo; necnon legitimis super his habendis, servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus ag-

gravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII, etiam praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis, auctoritate praesentium, ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, usibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis eisdem episcopo et capitulo, aut quibusvis aliis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus specifica et expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, inserti essent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie latissime derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Per praesentes autem non intendimus quascumque uniones, annexiones, incorporationes, dismembrationes, suppressiones et applicationes hactenus quomodolibet factas in aliquo approbare. Volumus autem quod collegium beneficiatorum, illiusque singulares personae, bona, res, administrationes et iura quaecumque, si quae habent, in praesenti concordia vel sub ea non comprehendantur, nec in alio quovis modo laedantur, sed in omnibus et per omnia in eisdem statu et terminis, in quibus ante eamdem concordiam erant, remaneant.

Clausulae poenales.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, intentionum, approbationis, confirmationis, communitionis, suppletionis, mandatorum, declarationis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo secundo, sexto kalend. octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

J. Richardot.

B. Leva. — D. Balbus.

A. Ruspoli.

Dat. die 26 septembr. 1602, pontif. an. XI.

CCCII.

Ordinationes observandae in subministratione alimentorum, contractibusque et ultimis voluntatibus miserabilium virginum, in monasterio Sanctae Catharinae de Rosa pie receptarum in Alma Urbe[1].

1 Congregationis et protectoris huius monasterii institutionem et iurisdictionem videre est in constitut. LXXXVI, Pii V: *Cupientes*, tom. VII, pag. 655.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolici muneris, divina dispositione, nobis licet immeritis, iniuncti debitum requirit, ut circa statum monasteriorum quorumlibet, sanctimonialium praesertim in Alma Urbe, pro educandis puellis et virginibus (quarum pudicitia, ob suorum genitorum impudicum exemplum, satis manifesto periculo exposita dignoscitur) institutorum, ac eorumdem sanctimonialium et virginum, et aliarum personarum prospere dirigendum invigilemus, eorumque subventioni et commoditatibus prospicere studeamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii protector, praelatus et deputati congregationis monasterii monialium Sanctae Catharinae *della Rosa* nuncupatae de Urbe, sub Sancti Augustini seu alterius Ordinis regula, ipsa Congregatio puellas et virgines miserabiles de dicta Urbe, quas tam ob earum paupertatem, quam etiam genitricum vel aliarum mulierum, penes quas degunt, vitae impudicitiam et exemplum scandalosum, simili vivendi modo, vel prostituendi se periculo de facili magis expositas compertum habent, a suis genitricibus, et aliis mulieribus praedictis, etiam illis invitis, abducere, et in dicto monasterio illius monialium cura educandas et instruendas committere, ac alias recipere, sumptibusque et expensis eiusdem monasterii, et piis fidelium eleemosynis et largitionibus, alere et sustentare consueverint, donec ad aetatem nubilem perventae, matrimonio, constituta singulis per congregationem seu deputatos huiusmodi congruente dote, collocentur. Cumque propterea monasterium seu congregatio huiusmodi, cuius reditus satis tenues sunt, multoties rerum angustia premantur, et commoditatibus ac aliis sibi necessariis indigeat; quia tamen pleraeque puellis pro tempore inibi introductis et abductis, sive earum genitrices et parentes facultates habent, quibus eisdem puellis ad victum et vestitum necessaria subministrari possent, eiusdem monasterii necessitatibus valde consuli possit, si dictis puellis, iuxta suas aut suorum praedictorum facultates, necessaria subministrentur: idcirco pro parte protectoris, praelati et deputatorum praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eiusdem monasterii seu congregationis necessitatibus et indemnitati prospicere, ac alias praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur:

Protectoris atque congregationis facultas cogendi puellarum parentes aut consanguineos, ad quos eorum alimentatio spectat, vel alias eorum bona etiam ad alium usum destinata possidentes, ad praestandum eis alimenta.

§ 2. Nos igitur rationi maxime consentaneum esse rati ut monasterium et congregatio huiusmodi, quoad huiusmodi puellas facultates habentes, in eorum necessitatibus subleventur, praedictos protectorem, praelatum et deputatos, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa, latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, harum serie, statuimus et ordinamus quod, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus, pro iis puellis et virginibus, tam hactenus receptis quam deinceps recipiendis, etiam invitis parentibus et consanguineis suis, in dicto monasterio, ut ibi educentur et istruantur (ad quas aliqua bona seu facultates vel reditus pertinere, aut quarum parentes seu consaguinei, ad quos alioquin earum educatio et cura pertineret, facultates, ex quibus illis alimenta, in totum vel in

partem praestare possent, possidere constiterit) alimenta huiusmodi, et alia ad victum et vestitum necessaria, ex bonis, pecuniis, rebus et proprietatibus ad easdemmet puellas aut ad earum parentes, seu consanguineos, quibus illarum cura et alimonia alias incumberet, quomodolibet pertinentibus et spectantibus, ubicumque existentibus, et in quibuscumque rebus consistentibus, eorumque fructibus, reditibus et proventibus, et introitibus praedicto monasterio, dum et donec ipsae puellae in illo degerint, iuxta declarationem a protectore seu praelato et deputatis praedictis (qui quantitatis, et qualitatis bonorum huiusmodi et personarum, a quibus dicta alimenta praestanda erunt, rationem habebunt) faciendam, praestari et subministrari omnino debeant, ac omnium earumdem puellarum seu aliorum praedictorum bona, res et proprietates huiusmodi, etiamsi ex aliquo statuto, ordinatione, legato vel testamento alicuius alibi et in alium usum, etiam sub poena caducitatis vel devolutionis in eventum contraventionis destinata et relicta essent, ad id obligata et hypothecata sint et esse censeantur ac remaneant: ita et taliter, quod puellarum et virginum pro tempore introducendarum genitrices, et aliae parentes huiusmodi, et aliae personae, penes quas bona, res et proprietates praedicta reperientur, et quae ad subministrandum eisdem puellis et virginibus alimenta, aliaque necessaria alias tenerentur et obligatae existerent, ad praestandum et subministrandum eadem alimenta, victum et vestitum et suppellectilia, seu *acconcia* vulgariter nuncupata, ac alia ad id consueta et necessaria, iuxta protectoris seu praelati et deputatorum praedictorum declarationem huiusmodi, teneantur et obligatae sint, et ad id pro tempore existentes protectorem seu praelatum et deputatos congregationis praedictae, quibus plenam et amplam ad praemissa et alia infrascripta facultatem et auctoritatem per praesentes impertimur, etiam via iuris et manu regia, omni mora, reclamatione et dilatione postpositis, ac quocumque alio meliori modo, etiam exequutive, cogi et compelli posse.

Puellae in monasterio degentes, nullo pacto absque licentia praelati, contrahere possint, praeterquam in commodum monasterii.

§ 3. Praeterea ne puellae nunc et pro tempore monasterio huiusmodi receptae, introductae et degentes aliquo modo seduci valeant, similiter statuimus et ordinamus quod ipsae puellae, quousque ibi manserint, per se vel interpositam personam, de bonis, proprietatibus, iuribus, actionibus et aliis rebus ad eas quovis modo pertinentibus, perventis et perventuris, ex quaecumque causa, intuitu et occasione quomodolibet disponere, aut super illis coram quocumque notario, vel alia persona publica vel privata, cuiuscumque dignitatis, conditionis, auctoritatis et excellentiae existente, contrahere vel contractum aliquem, aut quemvis alium similem vel dissimilem actum publicum vel privatum facere, requirere, aut illi consentire vel consensum suum praestare, reddere et apponere, et quicumque notarius de praemissis, aut aliquo praemissorum se rogare, nisi et quatenus commodum et utilitatem dicti monasterii respiciant, absque licentia, consensu, voluntate, auctoritate, decreto, seu interventu pro tempore existentis praelati congregationis huiusmodi, nullo umquam tempore valide possint nec valeant, et alias ac aliter, praeterquam in commodum et utilitatem eiusdem monasterii, pro tempore facta instrumenta, scripturae, acta, stipulationes et contractus, seu quaecumque aliae dispositiones et ordinationes, nullam in iudicio et extra fidem faciant, ac nulla, irrita et infecta, nulliusque roboris et effectus vel momenti prorsus et omnino sint, et pro nullis, ir-

ritis ac infectis habeantur, ac censeri debeant.

Et a congregatione dotatae ac nuptae, si filios non habent, de suis bonis non disponant, etiam ad favorem aliorum locorum piorum nisi ultra dotem, relinquant Monasterio quartam partem bonorum suorum.

§ 4. Et insuper, ut non solum bona ab ipso monasterio seu dicta congregatione in dotationem dictarum puellarum erogata et eroganda, illis absque liberis decedentibus, ad praedictum monasterium seu congregationem, ut par est, omnino redeant, sed etiam aliquid utilitatis eidem monasterio proveniat, volumus et decernimus, quod quandocumque contingat aliquam ex puellis et virginibus a praedicta congregatione pro tempore dotatis, et matrimonio collocatis, absque filiis legitimis et naturalibus decedere, praedictum monasterium illis sic decedentibus, in eorum tam mobilibus quam immobilibus, aliisque cuiuscumque qualitatis existentibus bonis, iuribus, rebus et actionibus quibuscumque per eas relictis, aut ad eas pertinentibus, tam praesentibus quam futuris (etiamsi dictae mulieres pro tempore decedentes, de eisdem bonis et rebus, aliisque ad eas pertinentibus et competituris, in quarumvis personarum, seu etiam aliorum monasteriorum, ecclesiarum et locorum piorum favorem quomodolibet disposuerint, nisi forsan in earum dispositionibus eidem monasterio ultra dotem ab ipso monasterio eis traditam, quartam saltem aliorum earum bonorum praedictorum reliquerint: quo casu dispositiones huiusmodi subsistere, aliter vero pro tempore faciendas viribus omnino carere, ac nullius roboris et momenti fore et esse declaramus) legitime succedere, ac haeres esse possit et debeat, prout nos monasterium ipsum eisdem sic decedentibus mulieribus haeredem et legitimum successorem ex nunc perpetuo facimus et instituimus. Ita quod liceat nunc et pro tempore existentibus praelato et deputatis praedictis, seu pro illis agentibus vel agenti, aut eiusdem congregationis procuratori legitimo, ipsius monasterii nomine, absque alia haeredis institutione, iudicis declaratione, vel ministerio, seu solemnitate, etiam de iure aut consuetudine vel statuto, debita aut requisita, rerum, proprietatum et bonorum a mulieribus decedentibus huiusmodi relictorum, illarum haereditatum corporalem, realem et actualem possessionem, easdemque haereditates suscipere, apprehendere et etiam fructus exinde percipere, exigere, levare, vendere, alienare et in dicti monasterii, eiusque necessarios usus et utilitatem convertere, ac de illis tamquam de propriis et ad illud legitime et iuridice spectantibus et pertinentibus disponere, cuiusvis licentia desuper minime requisita, eisdem monasterio, protectori, praelato, deputatis et congregationi concedimus et indulgemus.

Clausula praeservativa cum decreto irritanti.

§ 5. Decernentes praesentes litteras, nullo unquam tempore, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae vel alio quopiam defectu notari, impugnari, ad terminos iuris reduci, aut in ius vel controversiam revocari, seu adversus eas quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium a quoquam impetrari posse, sicque intentionis nostrae fuisse et esse, ac ita et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ac etiam de latere legatos iudicari et definiri debere, nec non irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus quibuscumque ultimis voluntatibus, statutis, ordinationibus et haeredum institutionibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Urbis praedictae et quorumvis monasteriorum, ordinum, ecclesiarum et piorum locorum, etiam

iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, necnon privilegiis, indultis, litteris et exemptionibus apostolicis, illis eorumque superioribus, conventibus, capitulis et personis, ac dilectis filiis Populo Romano et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis ac insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis in contrarium, etiam iteratis vicibus, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter et alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro sufficienter ac de verbo ad verbum expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XIV octobris, millesimo sexcentesimo secundo, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 14 octobris 1602, pontif. an. XI.

CCCIV.

Indulta Studii generalis civitatis Ferrariae [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Sanctae Romanae Ecclesiae dignitati et honori, ipsiusque temporalis ditionis conservationi et augmento maxime conducere arbitramur, ut in praecipuis eiusdem temporalis ditionis civitatibus publicae vigeant Studiorum generalium universitates, in quibus tum ipsius in primis S. R. E. subditi, tum exteri etiam optimarum disciplinarum studiis vacare possint. Et propterea ut magis in dies efflorescant, nos illas amplioribus in dies favoribus et gratiis libenter prosequimur, prout in Domino salubriter conspicimus expedire.

Studium generale antiquitus in civitate Ferrariae institutum fuit,

§ 1. Cum itaque in civitate nostra Ferrariensi ab antiquissimo tempore instituta sit universitas Studii generalis, nos, qui civitatem praedictam per nos sub immediata nostra et Sanctae Romanae Ecclesiae iurisdictione temporali receptam, peculiari quadam dilectione prosequimur, cupientes universitatem Studii generalis huiusmodi non solum conservari, sed in dies maiora suscipere incrementa, illam specialibus quibusdam privilegiis et gratiis duximus exornandam.

Cui modo hic Pontifex haec indulta concedit.

§ 2. Motu igitur proprio et ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum serie perpetuo concedimus et indulgemus:

Professores eligant Rectores,

§ 3. Quod professores in dicta universitate Studii generalis Ferrariensis, utriusque iuris ac artium et medicinae, cum se opportunitas obtulerit, rectores, ut in more est, creare possint.

Qui cognoscant causas scholarium usque ad summam scutorum decem,

§ 4. Quod huiusmodi rectores pro tempore, et iis non existentibus, reformatores Studii praedicti facultatem habeant iudicandi et cognoscendi de causis et litibus civilibus scholarium dicti Studii quoad summam decem scutorum tantum, tam active quam passive, et privative quoad alios iudices quoscumque.

Statutaque dictae universitatis reforment.

§ 5. Quod iidem rectores, una cum consiliariis et thesaurario, seu reformatores, implorata ante omnia auctoritate, et obtenta licentia dilecti filii nostri et Apostolicae Sedis in dicta civitate Ferrariensi legati seu gubernatoris pro tempore existentis, statuta dictae universita-

1 Hoc Studium erexit Bonifacius IX in eius constitut. IV: *In supremae*, tom. IV, pag. 610.

tis corrigere et reformare possint, quae sic correcta et reformata, perinde ac si auctoritate apostolica roborata essent, observari debeant.

Scholares arma gestare possint.

§ 6. Quod scholaribus descriptis in albo dictae universitatis, de praedicti legati seu gubernatoris licentia, qui (inspecta qualitate personarum et morum) huiusmodi licentiam concedet arma quaecumque, non tamen expresse prohibita, diu noctuque cum lumine et sine lumine, et ubique locorum deferre licitum sit, edictis aut proclamationibus vel bannis quibuscumque minime obstantibus.

Lectores et scholares sint immunes a gabellis pro vehendis rebus sibi necessariis, aliisque impositionibus, *etc.*

§ 7. Quod doctores legentes, et scholares tam Ferrarienses et alii subditi Sanctae Romanae Ecclesiae, quam alienigenae quicumque albo dictae universitatis adscripti, veniendo et recedendo, conducendo et reconducendo libros, vestes, suppellectilia, utensilia ac ea etiam emendo pro ipsorum et familiae ipsorum usu et opportunitate, ab omnibus gabellis, vectigalibus, pedagiis, datiis, etiam bullettae et transitibus, aliisque oneribus (praeterquam moliturae et gabellae, quae dicitur *di piazza*) necnon etiam ab omnibus factionibus, angariis et perangariis, ac oneribus personalibus et realibus, tam hucusque impositis quam imposterum ex quacumque causa imponendis, penitus immunes et exempti ac liberi perpetuo existant, prout nos illos et quemlibet eorum, liberos, immunes et exemptos perpetuo facimus et declaramus.

Doctores collegii et universitas scholarium gaudeat privilegiis studio generali civitatis Bononiae concessis a Bonifacio IX.

§ 8. Demum collegiis doctorum et universitati scholarum Studii generalis Ferrariensis omnia et singula privilegia et indulta, per quoscumque Romanos Pontifices, praedecessores nostros, ac nos et Apostolicam Sedem collegiis doctorum et universitati scholarium Studii generalis civitatis nostrae Bononiensis concessa, (etiamsi talia sint, quae speciali nota digna essent, quae tamen omnia et singula praesentibus pro singulariter expressis et specificatis haberi volumus), motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, (itaut collegia doctorum ac universitas scholarium Studii generalis Ferrariensis huiusmodi privilegiis et indultis omnibus et per omnia frui, potiri et gaudere possint et valeant, perinde ac si illis nominatim concessa fuissent), concedimus et indulgemus.

Iussio hanc bullam in Camera Apostolica registrandi.

§ 9. Quocirca per praesentes committimus et mandamus dilecto filio nostro S. R. E. camerario ac praesidentibus et clericis Camerae nostrae Apostolicae, ut easdem praesentes in eadem Camera admittant, et in ipsius Camerae libris describi et registrari faciant.

Deputatio exequutorum.

§ 10. Necnon praedicto nostro et Apostolicae Sedis de latere legato ac venerabili fratri episcopo Ferrariensi, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, ac eisdem doctoribus, scholaribus et aliis praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos praemissorum eorumdem effectu pacifice frui et gaudere, non permittentes eos desuper a quoquam, quavis auctoritate, quomodolibet molestari, perturbari vel inquietari. Contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores

praesentibus pro expressis habentes, derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXV octobris millesimo sexcentesimo secundo, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 25 octobris 1602, pont. an. XI.

CCCIV.

Declaratio quod verba: ratione beneficii ecclesiastici, *addita in litteris confirmationis privilegiorum a Iulio PP. II concessorum collegio universitatis Studii generalis de Alcalà de Henares, Toletanae dioecesis, non praeiudicent iuribus archiepiscopi Toletani, cum sint addita praeter mentem Pontificis confirmantis*[1].

Clemens Papa VIII, ad futuram rei memoriam.

Proemium. Decet Romanum Pontificem circa dubia, quae super gratiis ab eo emanatis oriri contingunt, mentem suam declarare, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Recenset confirmationem a se factam, § 1. Cum itaque nos alias per nostras in hac forma brevis litteras, sub datum die XXV maii MDC, pontificatus nostri anno nono expeditas, quasdam a felicis recordationis Iulio Papa II concessas, et a Iulio Papa III, praedecessoribus nostris, confirmatas, collegio per bonae memoriae Franciscum, tituli Sanctae Balbinae, presbyterum cardinalem, Ecclesiae Toletanensis ex dispensatione apostolica praesulem, in universitate Studii generalis oppidi de Alcalà de Henares Toletanensis dioecesis erecto et fundato, eiusque rectori, collegialibus, regentibus, doctoribus, magistris, licentiatis, baccalaureis, scholaribus, capellanis, servitoribus et officialibus, ac exequutoribus, et conservatoribus eis pro tempore deputatis eorumque bonis, etiam ratione delicti, contractus, domicilii, aut rei de qua ageretur, exemptionem et libertatem ab omni iurisdictione, superioritate, dominio, potestate, visitatione et correctione archiepiscopi Toletanensis, et quorumcumque aliorum Ordinariorum, eorumque vicariorum, officialium et caeterorum quorumcumque iudicum, tunc et pro tempore existentium, ac susceptionem sub B. Petri et Sedis Apostolicae protectionem, aliasque gratias et privilegia, ac eorumdem praedecessorum litteras desuper expeditas, quarum tenores pro expressis haberi voluimus, auctoritate apostolica, perpetuo confirmaverimus, approbaverimus et innovaverimus, ac de novo concesserimus, prout in eisdem litteris nostris plenius continetur.

Expressionemque in suis litteris factam praeter mentem, § 2. Cumque in praedictis litteris nostris, in nova scilicet concessione in §: *Et nihilominus potiori pro cautela de novo modernos et pro tempore existentes rectorem, collegiales, regentes, doctores, magistros, licentiatos, baccalaureos, scholares, capellanos, servitores et officiales collegii et universitatis huiusmodi, ac exequutores et conservatores praedictos, aliasque universitatis et collegii personas quascumque quomodolibet nuncupatas et quibuscumque nominibus censeantur, eorumque bona quaecumque spiritualia et temporalia aut mixta ad collegium et universitatem, aut eorum singulares personas universaliter, communiter vel singulariter aut divisim, quomodolibet pertinentia ab omni iurisdictione, superioritate, dominio, potestate, visitatione et correctione archiepiscopi Toletanensis et aliorum Ordinariorum eorumque vicariorum et officialium, caeterorumque iudicum,*

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

eisdem auctoritate et tenore, tam in capite quam in membris, et tam universaliter quam singulariter, prorsus, penitus et omnino eximimus et liberamus, ac sub B. Petri et Sedis Apostolicae protectione suscipimus, illosque et illa nobis et successoribus nostris, Romanis Pontificibus, canonice intrantibus, nec non dictae Sedi dumtaxat immediate subiicimus, ac exemptos, liberos, susceptos et subiectos fore decernimus, ita quod archiepiscopi et quicumque locorum Ordinarii, aut eorum, vel cuiusvis eorum vicarii, officiales et iudices praedicti per se, vel alium, seu alios in rectorem, aliosque praedictos, eorumque bona praedicta, aut ipsam universitatem, collegium, capellanos, ministros et personas praedictas, vel earum alterum, etiam ratione delicti, contractus, domicilii, beneficii ecclesiastici, seu alterius rei de qua ageretur, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus, ac res ipsa seu beneficium ecclesiasticum consistat, aliquam iurisdictionem, dominium vel potestatem quomodolibet exercere, seu eos, vel ea corrigere, aut apprehendere non possint, sed rector pro tempore existens ac exequutores et conservatores praedicti coram Sede praedicta aut legatis et delegatis eius; collegiales vero, regentes et alii praedicti coram eodem rectore dumtaxat, teneantur de iustitia respondere, tam in beneficialibus quam in civilibus, quam etiam in criminalibus seu mixtis causis, sive agatur de crimine ex officio sive inquisitione, aut partis accusatione, aut alias quomodolibet civiliter vel criminaliter, respondere, nec ratione delicti, vel alia ex causa in alio, quam dicti collegii et universitatis carcere mancipari possint. Verba illa *beneficii ecclesiastici*, quae in priori concessione per Iulium II facta non continentur, praeter mentem et intentionem nostram addita fuerint;

§ 3. Cumque inter venerabilem fratrem archiepiscopum Toletanensem et praedictum collegium controversia vertatur, quae in venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales, sacri Tridentini Concilii interpretes, per utramque partem compromissa extitit, an praedicti collegii et universitatis rector, collegiales, regentes, doctores, magistri, licentiati, baccalaurei, scholares, capellani, servitores et officiales, ac alii supradicti, etiam ratione beneficiorum ecclesiasticorum a praedicti archiepiscopi iurisdictione, superioritate, visitatione et correctione exempti sint: Et controversiam indo exortam.

§ 4. Nos, ne ex verbis supradictis praedicti archiepiscopi iuribus aliquod praeiudicium inferatur, providere volentes; motu proprio, et ex certa nostra scientia, harum serie, declaramus nostrae mentis et intentionis non fuisse nec esse, praedictis collegio, universitati, rectori, collegialibus, regentibus, doctoribus, magistris, licentiatis, baccalaureis, servitoribus et officialibus ac aliis supradictis, aliquid ultra ea, quae per dictos praedecessores in praedictis eorum litteris concessa fuerunt, de novo concedere, ac supradicta *beneficii ecclesiastici*, ac alia quaecumque verba in nostris litteris praedictis addita, ultra ea, quae in litteris dictorum praedecessorum continentur, praeter mentem et intentionem nostram addita fuisse, ac in nihil prorsus operari, perinde ac si in praedictis nostris litteris minime adessent, ipsosque cardinales supradictos ad decisionem dictae controversiae libere procedere posse et debere. Declaratio, de qua in rubrica.

§ 5. Sicque et non aliter, per eosdem cardinales et quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et Clausulae.

inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis et, quatenus opus sit, nostra de non tollendo iure quaesito, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die IV novembris MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 4 novembris 1602, pontif. an. XI.

CCCV.

Quod fratres Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo ubique praecedant fratribus B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum.

Clemens Papa VIII,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Decet Romanum Pontificem dissensionum et controversiarum materias inter ecclesiasticas, regulares praesertim personas, e medio tollere ac praecidere, prout in Domino salubriter conspicitur expedire.

Controversiam ortam inter istos Ordines,

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte dilecti filii procuratoris generalis Ordinis fratrum Carmelitarum nobis nuper expositum fuit, alias in civitate Calaritana, in regno Sardiniae, orta fuerit controversia praecedentiae inter fratres Ordinis Carmelitarum et fratres Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum;

Visitatores apostol. et Rota Rom. definiverunt ad favorem Carmelitarum;

§ 2. Et licet de anno MDC sub die XXVII aprilis per visitatores apostolicos decretum fuisset ut fratres Carmelitarum in eorum possessione praecedendi dictis fratribus Beatae Mariae de Mercede manutenerentur, et pridem in sacro Rotae auditorio, die X martii MDC, etiam in petitorio praecedentiam dictis fratribus Carmelitanis deberi contra ipsos fratres de Mercede declaratum fuerit, nihilominus dicti fratres de Mercede recusaverint et recusent praecedentiam dare dictis fratribus Carmelitanis, et propterea, non sine scandalo populi, ad publicas processiones et funera defunctorum cum ipsis fratribus Carmelitanis accedere noluerint.

Quod hic Pontifex approbat,

§ 3. Nos super praemissis opportune providere, ac omnem scandali et controversiae occasionem, quantum cum Domino possumus, e medio tollere volentes, supplicationibus eiusdem procuratoris generalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ex voto venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super sacris Ritibus et Caeremoniis deputatorum, declaramus et decernimus, praedictos fratres Beatae Mariae de Mercede cogendos esse ut ad processiones publicas et funeralia accedant, et praecedentiam dictis fratribus Carmelitanis relinquant, iuxta formam supradictorum decreti et decisionis Rotae.

Et sic iudicari iubet.

§ 4. Sicque et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Exequutores deputat.

§ 5. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis locorum Ordinariis, per praesentes committimus et mandamus, ut quandocumque et ubicumque opus fuerit, et quoties pro parte dictorum fratrum Carmelitarum fuerint requisiti, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio as-

1 De Ordine Carmelitarum habes in constitut. LXXVIII, Honorii III: *Ut vivendi*, tom. III, pag. 115. Et de Fratribus de Mercede habes in const. XLII, Gregorii IX: *Devotionis*, tom. III, pag. 485.

sistentes, faciant auctoritate nostra praedictos fratres B. Mariae de Mercede in civitatibus et locis, in quibus utraque Religio, Carmelitarum scilicet et Beatae Mariae de Mercede, est instituta, ad processiones publicas et funeralia, ad quae accedere tenentur, omnino accedere, ac praecedentiam ipsis fratribus Carmelitanis, ut praemissum est, in illis et in aliis etiam privatis processionibus et actibus, in quibus utramque Religionem simul convenire contigerit, relinquere, ac ipsos fratres B. Mariae de Mercede id facere recusantes, per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, cogant et compellant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantia tollit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 7. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die xv novembris, millesimo sexcentesimo secundo, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 15 novembr. 1602, pontif. an. xi.

Sequitur ampliatio dictae definitionis.

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad Romanum Pontificem spectat dubia, quae super constitutionum apostolicarum interpretatione quandoque emergunt, declarare, prout in Domino conspicitur expedire.

Hic Pontifex definivit controversiam ut supra.

§ 1. Alias siquidem a nobis emanarunt litterae tenoris sequentis, *etc.* (*Omittitur tenor, quia est ipsa bulla quae praecedit*).

Sed desuper orta est difficultas,

§ 2. Cum autem postea, pro parte dilecti filii procuratoris generalis dicti Ordinis B. Mariae de Mercede oppositum fuit, praeinsertas litteras non debere intelligi pro omnibus, sed pro quibusdam particularibus tantum locis concessas, in Congregatione Sacrorum Rituum iterum negocium hoc, auditis utriusque Ordinis procuratoribus, mature discussum, et ipsius Congregationis votum ad nos relatum fuerit:

Quam hic Pontifex removet,

§ 3. Nos omnem ulterius dubitandi super hoc occasionem e medio tollere volentes, ex voto Congregationis praefatae, harum serie, declaramus et decernimus fratres Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, ubique locorum, fratribus eiusdem Beatae Mariae de Mercede praecedere debere, ac praeinsertas litteras in omnibus locis observandas esse.

Et ita iudicari mandat.

§ 4. Sicque et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus omnibus illis, quae in eisdem praeinsertis litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium quoque transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem fides habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die xx septembris millesimo sexcentesimo quarto, pontificatus nostri anno xiii.

Dat. die 20 septembr. 1604, pont. an. xiii.

CCCVI.

Clero saeculari regnorum Hispaniarum adiudicatur praecedentia supra monachos et fratres quoscumque in omni loco, etiam in propriis ipsorum religiosorum monasteriis et ecclesiis [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

Refert litteras suas, quibus declaraverat clero saeculari praecedentiam super quoscumque Regulares competere.

§ 1. Alias a nobis emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem dissensionum et controversiarum materias inter ecclesiasticas, saeculares et regulares, personas e medio tollere ac praecidere, prout in Domino salubriter conspicitur expedire. Cum itaque, sicut accepimus, in aliquibus regnorum Hispaniarum partibus nonnulli religiosi, etiam Ordinum mendicantium, praetendant clerum saecularem in funerum associatione, processionibus et aliis actibus publicis praecedere, allegantes aliquam consuetudinem vel potius abusum, et eo praetextu clerum ipsum saecularem perturbent: nos utriusque cleri saecularis et regularis quieti consulere, ac omnium controversiarum occasionem inter eos removere, quantum cum Domino possumus, cupientes, ex decreto etiam venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super sacris Ritibus et Caeremoniis deputatorum, harum serie, perpetuo decernimus et declaramus Regulares, tam monachos quam fratres quorumcumque Ordinum, etiam mendicantium, in funerum associatione, processionibus et aliis huiusmodi publicis actibus non debere canonicos, rectores et clericos saeculares praecedere, neque cum eis mixtim incedere, etiamsi aliquando, ex saecularium indulgentia aut humanitate seu alia forsan de causa, secus factum fuerit, et quamcumque contrariam consuetudinem tamquam abusum corrigendam esse, idque indubitati iuris existere, ac ita ubique locorum in regnis Hispaniarum perpetuo observari debere. Sicque et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopis Toletanensi et Hispalensi ac dilecto filio nostro, et Apostolicae Sedis in regnis Hispaniarum nuncio per praesentes committimus et mandamus, ut ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicantes, et clero saeculari in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eadem praemissa ubique perpetuo observari: contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri, de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibuscumque statutis et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis quibusvis dictis regularibus, eorumque

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

Ordinibus ac superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae iisdem praesentibus haberetur. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx februarii MDCI, pontificatus nostri anno decimo.

Praecedentiam Regulares sibi arrogant in suis ecclesiis.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum capituli et cleri saecularis metropolitanae ecclesiae Elborensis, nobis nuper expositum fuit, in civitate Elborensi nonnulli ex dictis regularibus in eorum propriis ecclesiis et monasteriis praetendant praecedentiam habere super ipsos saeculares; et ideo, capituli et cleri huiusmodi nomine, nobis humiliter supplicatum fuit ut in praemissis de opportuna declaratione providere, de benignitate apostolica, dignaremur.

Clemens declarat, prout in rubrica.

§ 3. Nos igitur eorum in praemissis controversiarum occasionem removere, quantum in nobis est, cupientes, ex dilectorum S. R. E. cardinalium super sacris Ritibus et Caeremoniis deputatorum sententia, praecedentiam omnino clero saeculari supra monachos, fratres seu religiosos quoscumque in omni loco, etiam in propriis ipsorum religiosorum monasteriis et ecclesiis, iuxta praeinsertarum litterarum seriem et tenorem, deberi, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo decernimus et declaramus.

§ 4. Quocirca venerabilibus fratribus archiepiscopo Elborensi et episcopo Elvensi ac dilecto filio spoliorum et iurium Camerae nostrae Apostolicae debitorum in Portugalliae et Algarbiorum regnis collectori generali per praesentes committimus et mandamus, ut ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, seu alios praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, solemniter publicantes, et clero saeculari in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eadem praemissa ubique perpetuo observari: contradictores quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Exequutores designat.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus illis, quae in dictis litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI novembris MDCII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 26 novembr. 1602, pontif. an. XI.

CCCVII.

Nonnulla decreta sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, super modo servando a metropolitanis in causis appellationum, confirmantur pro dioecesi Colimbriensi [1].

Clemens Papa VIII,
ad perpetuam rei memoriam.

A S. Congregatione Episcoporum et Regularium nonnulla eduntur decreta circa causas appellationum coram metropolitis.

§ 1. Nuper venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales super consultationibus et negotiis Episcoporum et Regularium praepositi, matura consultatione praehabita, ac facta prius nobis relatione,

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

de mandato nostro vivae vocis oraculo ipsis facto, super modo servando a metropolitanis in causis appellationum ad tollendas ambiguitates et controversias iurisdictionales, quae intra iudices appellationum et prioris instantiae, non sine partium dispendio, cursus iustitiae impedimento et saepe cum scandalo orirentur, infrascripta ab omnibus, ad quos spectat, imposterum servari debere decreverunt.

Metropolitae non iudicent in suffraganeos, nisi in causis a iure expressis.

§ 2. Primo, quod metropolitani, archiepiscopi, primates aut patriarchae in suffraganeos eorum vel subditos non iudicent, nisi in causis a iure expressis.

Nec metropolitae, nec nuncii Sedis Ap. causas in ordinariorum tribunali pendentes ad se avocent.

§ 3. Secundo, quod iidem, nec alii quivis superiores, etiam nuncii vel legati de latere specificam facultatem maiorem habentes causas in curiis ordinariorum, vel aliorum inferiorum iudicum pendentes ad se non avocent, nisi per viam legitimae appellationis ad ipsorum tribunalia deferantur, tunc appellantes ab inferiorum iurisdictionibus quoad alias causas eximere non possint.

Appellationes non admittant, nisi intra legitimum tempus illae fuerint interpositae.

§ 4. Tertio, quod appellationes numquam recipiantur, nisi per publica documenta (quae realiter exhibeantur) constiterit appellationem a sententia definitiva, vel habentem vim definitivae, aut a gravamine, quod per definitivam reparari non possit in casibus a iure non prohibitis, per legitimam personam, et intra legitima tempora fuisse interpositam aut prosequutam.

Lite pendente coram ordinario metropolitae de gravamine non licet iudicare, etc.

§ 5. Quarto, quod dum causae coram inferioribus iudicibus pendent, ante definitivam vel vim definitivae habentem, de gravamine illato superiores cognoscere non valeant, licet citra praeiudicium cursus causarum se id facere contestentur, nec ad hunc effectum liceat eis inhibere aut simpliciter mandare, ut ipsis copia processus transmittatur, expensis etiam appellantis.

Inhibitiones non concedendae nisi cum insertione sententiae.

§ 6. Quinto, quod inhibitiones post appellationem, ut praemittitur, receptam, non concedantur, nisi cum insertione tenoris sententiae aut decreti definitivi, aut vim definitivi habentis, vel damnum per definitivam irreparabile continentis, alias inhibitiones et processus et inde sequuta quaecumque sint ipso iure nulla, eisque impune non parere liceat.

Quid sit agendum si iudex a quo appellatur, actuum extraditionem denegat.

§ 7. Sesto, quod si appellans asserat sententiae aut appellationis exemplum culpa iudicis, a quo, vel actuarii, habere non posse, non ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda, sed eis tantum, ad quos pertinet, iniungi poterit ut, soluta condigna mercede, actorum exemplum authenticum appellanti, intra brevem aliquem competentem terminum, tradatur. Caveat tamen iudex a quo, ne si vere appellatum fuerit, in casu appellabili interim aliquid in praeiudicium appellantis attentet, et si per actum publicum aut per testium depositiones constiterit acta denegari appellanti, tunc iudex appellationis in mandato habendi acta possit edicere, nec interim aliquid novi contra appellantem attentetur.

Appellatio a vero contumace interposita non admittenda.

§ 8. Septimo, quod a sententia etiam definitiva contra verum contumacem prolata appellatio non recipiatur, nec inhibitio aut aliqua quaevis provisio, quamdiu appellans in huiusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur.

Neque a sententiis episcoporum procedentium tamquam delegati S. Sedis.

§ 9. Octavo, quod ab exequutione decretorum sacri Concilii Tridentini, aut Visitationis Apostolicae, appellationes a metropolitanis non recipiantur, nec etiam quando episcopi, virtute eiusdem sacri Concilii Tridentini, procedant uti Sedis Apostolicae delegati in causis, quae sub eorum iurisdictione non comprehenduntur, salva tamen, hoc casu, legatorum et nunciorum apostolicorum auctoritate.

§ 10. Nono, quod in causis visitationis

Quid agendum si procedatur in visitatione.

Ordinariorum, aut correctionis suorum, quoad effectum devolutivum tantum, appellationes admittantur, nisi de gravamine per definitivam irreparabile agatur, vel cum visitator, etiam parte citata et adhibita causae cognitione, iudicialiter procedit, tum enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum suspensivum.

Quando admittenda sit a gravamine appellatio.

§ 11. Decimo, quod cum a gravamine, quod per definitivam reparari nequiverit, ut indebitae carcerationis vel torturae, aut excommunicationis, etiam comminatae, appellatur, non nisi visis actis, ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur aut inhibitio vel provisio aliqua concedatur.

Carceratus appellans remaneat in carcere.

§ 12. Undecimo, quod causa appellationis pendente, appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, quoad iudex, ad quem appellatum est, visis actis et causa cognita, aliter decreverit, et tunc si a iudice, ad quem decretorum definitivae habentur, fuerit appellatum, nihil mandare aut pro sui decreti exequutione attentare poterit, donec per iudicem superiorem aliud fuerit ordinatum.

Quando acta ad iudicem appellationis sint transmittenda.

§ 13. Duodecimo, quod acta originalia processuum primae instantiae ad iudicem appellationis notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa et suspicio incedat, quae iudicialiter obiiciatur, tunc, terminata causa, remittenda sunt ad ordinarium, ut in suo archivio conserventur.

Excommunicatus appellans a quo sit absolvendus.

§ 14. Decimo tertio, quod censura ecclesiastica contra appellantem prolata relaxari aut nulla declarari per iudicem appellationis non possit, nisi auditis partibus et causa cognita, cumque constiterit eam iustam non esse, ad iudicem qui excommunicabit, appellans remittendus est, ut ab ipso, iuxta sacros canones, beneficium absolutionis, si humiliter petierit, debitamque emendationem praestiterit, obtineat: si vero iniustam esse clare appareat, superior absolutionem impendat; si autem dubitetur honestius esse ut ad excommunicationem intra brevem aliquem competentem terminum eidem praefigendum absolvendus remittatur; licet etiam superior id ipsum per se praestare iure possit.

Quando et quomodo absolutio ad cautelam danda.

§ 15. Decimo quarto, quod absolutio ad cautelam non nisi parte citata et visis actis, cum dubitetur de necessitate excommunicationis ab homine prolatae, vel a iure, si occurrit dubium facti, vel probabile dubium iuris, concedenda erit, tuncque ad tempus breve cum reincidentia, et praestita per excommunicatum cautione de parendo iuri et mandatis ecclesiae, tantum de se iuxta formam a iure praescriptam apparebit aliquem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam satisfactionem praestare. Si vero contumaciam manifestam, expensas quoque reficere, ac insuper cavere de iudicio sisti coram excommunicatore quis teneatur, priusquam ad cautelam absolvatur.

Colimbriensis episcopus praedicta petit confirmari.

§ 16. Cum autem, sicut pro parte venerabilis fratris Alphonsi, episcopi Colimbriensis, nobis nuper expositum fuit, ipsius curiae episcopalis maxime intersit ut supradicta forma in causis appellationum ad eius metropolitanum Bracharensem, in quibus hactenus causis eidem sive curiae episcopali aliqua gravamina illata fuisse asserit, de caetero observari debeat, ac propterea nobis humiliter supplicari fecerit ut in praemissis opportune providere, de benignitate apostolica, dignaremur.

Confirmat Clemens, eaque observari mandat ab archiepiscopo Bracharensi.

§ 17. Nos ipsius Alphonsi episcopi iustis petitionibus annuentes, supradictorum decretorum formam in quibuscumque causis appellationum ab ipsa curia episcopali Colimbriensi ad eius metropolitanum praedictum deinceps in perpetuum servandam esse, ipsumque metropolita-

num, eiusque officiales aliter appellationes admittere, et earum causas cognoscere et expedire nullo modo posse, irritaque, nulla et invalida esse et fore quaecumque acta, decreta et sententias in huiusmodi causis, non servata forma supradicta, facienda et ferenda.

Clausulae.

§ 18. Sicque et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac nostros et Apostolicae Sedis nuncios, ac etiam S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari, definiri et interpretari debere; ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Contrariorum derogatio.

§ 19. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die IX ianuarii MDCIII, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 9 ianuarii 1603, pontif. an. XI.

CCCVIII.

Diversae facultates, gratiae et concessiones pro capellano maiori regiae capellae regis Neapolitani [1].

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum et utriusque Siciliae regi catholico

Clemens Papa VIII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium a Philippi III erga Sedem Ap. meritis petitum.

Gloriosa progenitorum tuorum in Sedem Apostolicam promerita, ac praecipuae maiestatis tuae erga nos eamdemque Sedem sincerae devotionis fides, religionisque catholicae propagandae ardor et studium nos inducunt ut quae ad ministrorum tuorum decorem, regiaeque ditionis splendorem conducere prospicimus, apostolica liberalitate largiamur. Ad quod praestandum eo libentius inducimur, quo hac ratione multarum controversiarum, quae ex antiqui privilegii interpretatione exoriri consueverunt, incommodis occurri posse speramus.

Ob concessa regiis capellanis privilegia lites inter eos et episcopos exortae fuerant.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, clarae memoriae Hispaniarum et utriusque Siciliae reges catholici, antecessores tui, a pluribus Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, diversa indulta, privilegia gratiasque spirituales et temporales pro eorum capella et eiusdem capellae maiori capellano nuncupato, aliisque in eadem capella deservientibus, obtinuerint, quorum occasione, praesertim quarumdam felicis recordationis Leonis X, sub datum II aprilis, pontificatus sui anno septimo, plures a multis annis inter episcopos et archiepiscopos regni Neapolitani et capellanos maiores in dicto regno Neapolitano constitutos, pro tempore existentes, controversiae, circa iurisdictionis ecclesiasticae usum exortae sunt, et usque in praesentem diem vigent:

Clemens, abrogatis quibusdam Leonis X litteris in iis quae praesentibus adversantur,

§ 2. Nos, qui de praemissis omnibus plene et sufficienter informati sumus, ac plenam notitiam habemus, ut imposterum omnes dictitationes ac iurgia amputentur, ac periculis quae exinde fidelium animabus maxime imminent occurratur, opportunis remediis providere volentes, ac propterea litteras Leonis praedecessoris huiusmodi, et in eis contenta, ac inde sequuta quaecumque, contra et praeter praesentium tenorem, hactenus quomodolibet observata, vel praetensa, harum serie, abrogantes et annullantes, ac maiestatem tuam, quam divina opitulante gratia, parentum tuorum vestigia sectantem, in dies magis ac magis strenuum et invictum fidei defensorem, ac vere ca-

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

tholicum regem futurum esse confidimus, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes:

Capellano maiori ea concedit privilegia, quae hic recensentur.

§ 3. Motu proprio, non ad tuam, aut alicuius alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera nostra liberalitate, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, maiestati tuae, tuisque in regno Neapolitano successoribus ac capellae regiae in dicto regno constitutae, eiusque capellano maiori per te et tuos in eodem regno successores (ex presbyteris tamen, qui ab eorum episcopis ordinariis approbati existant) imposterum eligendo et deputando, pro tempore existenti, necnon caeteris eiusdem capellae similiter per te ac successores praedictos, seu etiam per eiusdem regni pro tempore proreges, aut eumdem capellanum maiorem legitimam ad id a rege vel prorege facultatem et auctoritatem habentem, nominandis et constituendis capellanis, et cantoribus, ac scholaribus, reliquisque in eadem capella inservientibus, aliisque omnibus christifidelibus utriusque sexus ad eam accedentibus, ut tam in regum et proregum praesentia, quam etiam in eorum absentia, missas et divina officia, horasque canonicas ad Breviarii ac Missalis Romani regulas et formam, romanumque morem et usum in dicta capella recitare et celebrare, seu recitari et celebrari facere, ac respective audire, coram autem regibus et proregibus ipsis, eorumque uxoribus, per unam ante ortum solis ac post meridiem horam, missas celebrare pariter et audire, ac in festo sanctissimi Corporis Christi, et per eiusdem festi octavam sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in praedicta capella, debita cum reverentia et honore retinere, in quinta etiam et sexta feriis maioris hebdomadae, Domini nostri Corpus in sacrario seu urna reponere, et ad morem patriae, monumentum sepulturamque eiusdem Domini nostri, luminibus adhibitis, repraesentare; nec non ut in quibuscumque collegiatis, parochialibus et aliis inferioribus ecclesiis saecularibus, et quorumvis Ordinum regularibus, et monialium in eodem regno constitutis, ad quos eosdem reges vel proreges etiam cum eorum coniugibus et filiis pro tempore, devotionis aut alia ex causa declinare contigerit, capellanus maior per se, aut alios capellanos, cum cantoribus et capellae praedictae ministris, divina officia et missas in eorumdem tamen regum seu proregum praesentia celebrare, eisque inservire, et oblationes, quae de ipsorum regum ac proregum, uxorumque et filiorum suorum manibus procedent, prout in capella regia recipere consueverunt, recipere, ac quotiescumque et ubicumque inter missarum solemnia, regibus ipsis aut proregibus praesentibus, verbum Dei per aliquem concionatorem saecularem vel regularem, per eumdem capellanum maiorem regni Neapolitani accersendum, qui tamen alias per episcopum, si vero regularis fuerit, etiam per eius superiorem regularem, ad verbum Dei praedicandum, approbatus esse debeat, ac licentiam vel benedictionem, iuxta Concilii Tridentini decreta, ab ipso Ordinario obtinere teneatur, populo proponetur et enunciabitur; idem capellanus maior omnibus vere poenitentibus et confessis, ibidem praesentibus, coram rege ipso ducentos, coram autem prorege centum dies de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis poenitentiis, apostolica auctoritate, relaxare; praeterea, ut idem capellanus maior pro tempore existens, regum, reginarum ac filiorum et singulorum utriusque sexus ipsorum familiarium, nec non omnium aulam regiam sequentium, proregum etiam ipsorum pro tempore existentium,

In omnibus ecclesiis, praesente rege, sacra facere.

ac uxorum et filiorum, eorumque familiarium eis actu inservientium, et eorum impensis, uti familiares, continui commensales, viventium, vel in palatio seu viridario proregum degentium, eorum etiam, qui regiis stipendiis viventes proregibus ipsis assistunt, ac proreges sequuntur, eisque inserviunt (dummodo in palatio regio seu viridario morentur et degant) animarum curam gerere, ac si eorum rector et proprius parochus existeret, et per se vel alium, seu alios presbyteros saeculares, vel quorumvis Ordinum regulares, de superiorum suorum licentia, dummodo ex approbatis per Ordinarios existant, supradictorum omnium confessiones audire, eosque per se ipsum, vel certos aliquos capellanos regios saeculares, ab Ordinario tamen approbatos, ab omnibus et singulis peccatis, criminibus, excessibus, delictis et casibus, etiam episcopis reservatis vel reservandis, non tamen censuram ecclesiasticam annexam habentibus, in capella ipsius palatii, non autem in aliis ecclesiis, nec privatis eorum domibus, iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari, absolvere, et Eucharistiae sacramentum, etiam in die Paschatis Resurrectionis Domini nostri, absque alicuius licentia, in capella praedicta, seu etiam in parochiali ecclesia viciniori, de illius tamen rectoris seu parochi consensu, et absque eius praeiudicio, ministrare seu ministrari facere. Insuper omnium supradictorum filios infantes in palatio ortos, necnon iudaeos, turcas et saracenos, sufficienter tamen prius cathechizatos, et in fide christiana instructos, qui iudaei, turcae et saraceni aliquando in regum seu proregum praesentia, ex quavis causa pro tempore baptizabuntur, aut quos praedicti reges seu proreges tenere seu suscipere voluerint, per se, vel alium, seu alios ab eo deputandos, ad Sacramentorum tamen administrationem ab Ordinario approbatos, aquam baptismalem, et sacramentalia ad id necessaria, ex parochiali ecclesia viciniori, de parochi consensu et sine eius praeiudicio, accipiendo, baptizare; matrimoniis etiam inter praefatos viros et mulieres contrahendis, factis tamen prius denunciationibus seu proclamationibus a Concilio Tridentino requisitis, in eadem capella regia palatii, quatenus in eodem palatio et viridario contrahentes ipsi morentur et degant, si vero mulier non fuerit ex praedictis, denunciationes seu proclamationes pro parte mulieris fiant, et matrimonium celebretur in parochiali ecclesia, intra cuius fines ipsa mulier commoratur; si autem aliqui ex praedictis exteri fuerint, capta prius per loci Ordinarium informatione, ac ab eodem decreto gratis obtento, quod inter eos licite matrimonium celebrari valeat, similiter per eumdem capellanum maiorem, vel alium, seu alios ex capellanis regiis ab eodem deputandos, nulla alterius parochi licentia requisita, solemniter interesse, auctorizabilemque praesentiam praestare, ita tamen, ut baptizatorum parentumque, ac compatrum et commatrum, necnon matrimonio simul iunctorum nomina in libro, quem dictus capellanus maior habere et penes se retinere debeat, adnotare, et librum ipsum, quolibet anno, vicinioris parochiae parocho, ut cum aliis conservari possit, consignare omnino teneatur. Omnia insuper Sacramenta in mortis articulo eisdem, Eucharistiam et Oleum Sanctum ex viciniori ecclesia parochiali assumendo, ministrare, seu per alios ad id ab Ordinario pariter approbatos, ab eodem capellano, ut praefertur, deputandos, ministrari facere, praedictorumque corpora ab intestato, sine electione sepulturae decedentium, in quacumque parochia ad electionem eorum, qui funeris curam

Matrimonii sacramentum administrare,

Et baptizare ac alia praestare.

gerent, sine tamen canonicorum et capituli in civitate et dioecesi Neapolitana, ac parochorum praeiudicio, etiam interdicti tempore, ecclesiasticae sepulturae tradere; liberum tamen sit praefatis omnibus et singulis in supradictis casibus, tam pro confessionibus faciendis, quam pro aliis Sacramentis suscipiendis, etiam Paschali tempore, viciniorem parochialem, aut etiam cathedralem maiorem ecclesiam adire, praeceptoque Ecclesiae inibi satisfacere eidemque capellano maiori de praemissa satisfactione fidem praesentando. Praeterea eidem capellano maiori, ut capellanos et presbyteros ad regum seu proregum nutum amovibiles, ex approbatis tamen ab Ordinario, pro celebratione missarum, ac vero et actuali exercitio curae animarum pro personis in fortalitiis regiis Neapoli existentibus, et intra eorum septa degentibus, quae tamen personae officia et munera aliqua in eisdem fortalitiis exercere debent, ac ratione officii, custodiae et servitii ac assistentiae continuae ibidem residere tenentur, et propterea stipendia a regiis ministris recipere consueverunt, simili modo nominare ac deputare. Ad haec ut idem capellanus maior omnes et singulas controversias, lites et causas, tam civiles quam criminales, ac prophanas, non tamen beneficiales, nec maiores, nec iuxta canonicas sanctiones in Romana Curia, aut per episcopos ipsos cognoscendas, nec quarum cognitio iuxta Concilii Tridentini decreta inferioribus praelatis est interdicta, contra capellanos, cantores et scholares dictae capellae in ea actu servientes et stipendia percipientes, necnon in dictis fortalitiis constituendos clericos et capellanos ibidem residentes, et actu inservientes, extra tamen Romanam Curiam motas vel movendas, in prima tantum instantia, audire, cognoscere, fineque debito pro iustitia terminare, ita ut quicumque locorum Ordinarii, aut alii iudices eidem maiori capellano inhibere, nec in praedictum maiorem et reliquos capellanos, cantores et scholares in eadem capella actu servientes, et stipendia regia percipientes, ac alios in eisdem fortalitiis constituendos, et ibi residentes, et actu inservientes capellanos et clericos, quos ab illis praedictis respectibus tantum prorsus eximimus et totaliter liberamus, ac eos dicto capellano maiori immediate subiicimus, ullam penitus in praedictos superioritatem, dominium et iurisdictionem, praedictis respectibus, exercere aut se de illis quomodolibet intromittere valeant; sed praedicti capellani, cantores et aliae personae ecclesiasticae eiusdem capellae et fortalitiorum huiusmodi, coram eodem capellano maiore, seu ab eo subdelegato iudice dumtaxat in causis huiusmodi, in dicta instantia, de iustitia respondere teneantur; utque idem capellanus maior per se, vel alium, seu alios eiusdem capellae regiae regni Neapolitani capellanos, cantores et scholares in eis actu servientes et consueta stipendia percipientes, ac in dictis fortalitiis constituendos clericos et capellanos, qui propter violentam manuum iniectionem inter se ipsos tantum, citra tamen membrorum mutilationem, aut enormem laesionem, sententiam excommunicationis incurrerint, et huiusmodi sententia ligati, missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, irregularitatem aliquam contraxerint, ab eadem sententia excommunicationis, iniuncta eis pro modo culpae aliqua poenitentia salutari, in forma ecclesiae consueta, absolvere, et super irregularitate praedicta dispensare, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam sive notam per eos propterea contractam, abolere, libere et licite possit et valeat,

Etiam tempore interdicti sepulturae tradere.

Ordinarii locorum nullam in eos iurisdictionem exercere queant.

et respective possint et valeant, apostolica auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes praesentes litteras et in eis contenta quaecumque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, aut in ius vel in controversiam revocari non posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac perpetuo inviolabiliter observari; sicque et non aliter, per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, et dictae Sedis nuncios, et causarumPalatii Apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique et in quacumque instantia interpretari, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nuncius apostolicus praesentis constitutionis exequutor.

§ 4. Et nihilominus dilecto filio nostro et dictae Sedis in praedicto regno Neapolitano nuncio nunc et pro tempore existenti, per praesentes, motu simili, committimus et mandamus, quatenus eidem maiestati tuae ac proregi et capellano maiori, aliisque praedictis, auctoritate nostra, assistens, praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus et quoties requisitus fuerit, inviolabiliter perpetuo ab illis, ad quos spectat, vel pro tempore quomodolibet spectabit, perpetuo observari, omniaque et singula alia, quae in praemissis et circa ea fuerint quomodolibet necessaria et opportuna, faciat, mandet et exequatur, non permittens singulos, quos praesentes concernunt, vel pro tempore concernere contigerit, contra illarum tenorem, per quoscumque quomodolibet molestari, perturbari aut inquietari. Contradictores quoslibet ac praemissis non parentes, per censuras ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias poenas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, auctoritate nostra, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis ac quibusvis apostolicis, necnon in provincialibus vel generalibus conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, ac dictae Ecclesiae Neapolitanae, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis contra praemissa quomodolibet editis, disponentibus, concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, ad effectum praemissorum, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, derogamus et ad plenum derogatum esse volumus et declaramus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praecavetur ne Ordinariorum iurisdictio damnum patiatur.

§ 6. Ne vero, quae ad aliquorum honorem et praerogativam concedimus, aliis, praesertim locorum Ordinariis, nimis praeiudicialia existant, liberumque sit pro libito clericos a iurisdictione episcoporum et archiepiscoporum sub huiusmodi exemptionis praetextu subtrahere, volumus et expresse mandamus ut certus aliquis regiorum capellanorum, sacerdotum item et clericorum in regia capella et in fortalitiis praedictis depu-

Certus capellanorum numerus a rege praefiniendus.

tandorum, in dictaque capella et fortaliitiis praedictis respective continuo inhabitantium, et actu ipso et cum stipendio servientium numerus a rege aut prorege statuatur et praescribatur: quodque ii, et eiusdem capellae cantores et scholares gratiis et exemptionibus huiusmodi gaudere nullatenus valeant, nisi actu in capella ipsa inserviant, ac regia stipendia vere percipiant. Volumusque praeterea et motu simili decernimus et declaramus quod tam ipse capellanus maior, quam alii supradicti, de caetero nullis aliis, praeterquam supra expressis facultatibus, privilegiis, gratiis et indultis, et quoad personas, res, loca et casus supra expressos dumtaxat, respective, uti valeant, nec etiam aliam ipse capellanus maior quam supra expressam iurisdictionem et superioritatem in ecclesiis, et personis huiusmodi habere, exercere, vel vindicare, aut praetendere, etiam vigore extensionis seu comprehensionis, seu etiam rationis maioritatis, aut sub praetextu supradictorum Leonis X, aut aliorum quorumcumque privilegiorum, seu possessionis etiam immemorabilis, aut tituli ex ea resultantis, aut etiam scientiae, patientiae et tolerantiae quorumcumque superiorum, aut quovis alio praetextu, ullatenus possit. Nos enim quascumque alias facultates, exemptiones, privilegia, gratias et indulta per quoscumque Romanos Pontifices, et praesertim Leonem praedictum, praedecessores nostros, ac Sedem Apostolicam capellae regiae, capellano maiori, aliisque capellanis, cantoribus, scholaribus et aliis utriusque sexus christifidelibus supradictis hactenus concessa, litterasque apostolicas, etiam in forma brevis, aut alias quomodolibet desuper expeditas, etiamsi in eis caveatur expresse, quod revocari, annullari, suspendi, limitari et aboleri nullatenus, aut nonnisi de pro tempore existentis regni Neapolitani regis consensu, possint, quodque aliter factae revocationes, annullationes, suspensiones, limitationes et abolitiones nullae sint, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, perpetuo revocamus, annullamus, cassamus et abolemus, ac revocata, annullata, cassa et abolita esse declaramus, et capellanum maiorem, aliosque supradictos ad alia, quam super expressa, acquirenda, perpetuo inhabiles et incapaces reddimus, et quamcumque quasi possessionem, etiam immemorabilem, et centenariam et ultra, improbamus, ita ut, nec titulo, nec causa aliqua possit propterea allegari, et in iudicio aut extra eisdem, etiam ad effectum excusandi, suffragari, Ordinario loci in omnibus et singulis aliis casibus praesentibus, ut supra, non expressis, etiam in ipsum capellanum maiorem, in omnibus et per omnia, iurisdictione et superioritate semper salvis et reservatis. Caeterum si contingat maiestatem tuam, et pro tempore existentes Hispaniarum et Utriusque Siciliae catholicos reges, tuos successores, ad praedictum Neapolitanum regnum personaliter accedere, ibique personaliter residere aut commorari, ut capellanus maior tibi tuisque successoribus, actu inserviens, etiam si forte capellanus ipse pro regno Neapolitano constitutus et deputatus extiterit, omnibus privilegiis, facultatibus, gratiis, indultis et praerogativis per nos, aut Romanos Pontifices, praedecessores nostros, capellano maiori capellae regiae in Hispaniarum regnis existenti, etiam domum et familiam regiam aut aulam et curiam regiam sequentes, concernentibus et concessis, uti, frui, gaudere, illaque exercere, etiam in praedicto Neapolitano regno, quamdiu ibidem reges ipsi moram trahent, iuxta privilegiorum eorumdem formam, continentiam et tenorem, ultra praemissas gratias, facultates,

Omnia alia privilegia viribus destituit Pontifex.

privilegia et indulta in praesentibus litteris comprehensa, libere et licite possit et valeat, earumdem tenore, permittimus, concedimus et pariter indulgemus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x ianuarii MDCIII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 10 ianuarii 1603, pontif. an. XI.

CCCIX.

Ex genere Maurorum progeniti in regno Portugalliae a mediis canonicatibus excluduntur, ac tertianariarum et quartanariarum tantummodo capaces declarantur [1].

Venerabili fratri episcopo Colimbriensi

Clemens Papa VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Colimbriensis episcopus petit declarari an oriundi ex Mauris capaces sint obtinendi medios canonicatus, tertianarias et quartanarias.

§ 1. Tuae fraternitatis nomine nobis nuper expositum fuit, post factam publicationem nostrarum in forma brevis litterarum, per quas ordinavimus, quod personis de genere novorum christianorum descendentibus, in Portugalliae et Algarbiorum regnis, canonicatus, dignitates et beneficia curam animarum habentia conferri non possint, exortum esse dubium ex eo quod in tua Ecclesia Colimbriensi, prout in diversis aliis eorumdem regnorum ecclesiis, medii canonicatus, tertianariae et quartanariae existant, an ipsis personis de genere novorum christianorum existentibus huiusmodi medii canonicatus, tertianariae et quartanariae conferri possint, et propterea cuperet fraternitas tua nostram in huiusmodi dubio declarationem interponi.

Clemens eos excludens a mediis canonicatibus, capaces declarat tertianariarum et quartanariarum.

§ 2. Nos fraternitatis tuae votis annuere volentes, ac supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, harum serie, declaramus nostrae intentionis esse ut huiusmodi personae de genere novorum christianorum a mediis canonicatibus ecclesiarum dicti regni, prout a canonicatibus, dignitatibus et beneficiis curam animarum habentibus huiusmodi, vigore nostrarum litterarum praedictarum, exclusae fuerunt, exclusas existere, ac huiusmodi medios canonicatus in eisdem litteris nostris comprehendi debere, prout nos easdem litteras nostras, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, cum omnibus in illis contentis, ad praedictos medios canonicatus extendimus; tertianarias autem et quartanarias supradictis personis, alias tamen idoneis, conferri, et ab ipsis obtineri libere et licite posse.

Clausulae.

§ 3. Sicque et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quae in eisdem litteris voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV ianuarii MDCIII, pontificatus nostri anno XI.

Dat. die 14 ianuarii 1603, pontif. an. XI.

1 Ex Regest. in Secret. Brevium.

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM

NUMERUS PAGINAM INDICAT; *a* PRIMAM COLUMNAM, *b* SECUNDAM DESIGNAT.

A

Abusus extrahendi frumenta ex Statu Ecclesiastico, 373 *a*, vel ea abscondendi sub spe caritatis, *ibid. b*, vel exterum sal mercandi, *ibid.*; ad eos tollendos Clemens VIII renovat constitutiones praedecessorum, et poenas omnes in eis contentas ratas habet, una excepta excommunicatione, *ibid.*, novasque addit, 374 *a*. Baronibus prohibet frumenta a vassallis emere ultra usum anni, etiam sub poena capitis, *ibid. b*. Camerario et praefecto annonae iurisdictionem in contravenientes concedit, *ibid.*

Agnetis (S.) extra moenia Urbis prioratus erigitur in titulum abbatiae pro abbate eligendo ex Congregatione Canonicorum Regularium S. Salvatoris, 856 *b*. Abbatis privilegia, 587 *a*; qui eligi debet a priore generali et visitatoribus, *ib.*

Agricultores agri romani privilegia obtinent a variis pontificibus, quae a Clemente VIII confirmantur, 622 *a* et *b*. Certis modo et tempore possunt ad Statum Ecclesiasticum frumenta deferre, 623 *a*. Barones debent suis colonis permittere ut possint aliorum agros etiam cum suis animalibus colere, *ibid. b*. Bannimenta circa agriculturam facere vetitum, 624 *a*. Clerici in propriis terris licite agriculturam exercere possunt, *ibid.* Aliae praescriptiones super idem argumentum, *ibid. b*.

Alano (de) Guilelmus cardinalis, tituli sancti Martini in Montibus, Cardinalis Anglus nuncupatus, protector Collegii Anglicani Hispalensis, 139 et 141 *b*.

Albergamentum, domus scilicet omnium scientiarum et artium, Thunonii erigitur, 489 et *seq.* *V.* etiam Thunonii in oppido.

Alcala de Henares universitatem ab archiepiscopi iurisdictione et superioritate Iulius II exemptam declaravit, 584 *a* et *b*; eique caeterarum universitatum privilegia concessit, 585 *a*. Iulius III praedicta confirmavit, et Nuncio apostolico eius visitationem commisit, *ibid.* Ad universitatis petitionem omnia approbat Clemens VIII, 586 *a* et *b*; et liberans eam ab omni iurisdictione Ordinarii, sub B. Petri protectione suscipit, 587 *a*. Legatus Apostolicus in Hispania statuit ne quis ex Iudaeis aut ex Saracenis oriundus in collegio S. Ildephonsi de Alcala de Henares admitti posset, 589 *a*. Statutum hoc ratum habet Papa, *ibid. b*,

qui declarat quod nonnulla verba addita in litteris confirmationis privilegiorum a Iulio II concessorum collegio universitatis studii generalis de Alcala de Henares non praeiudicant iuribus archiepiscopi Toletani, cum addita sint praeter mentem Pontificis confirmantis, 875 *a* et *b*.

Alcobatiae B. Mariae Congregationis, Ordinis Cisterciensis, regnorum Portugalliae, conquesti sunt monachi super laesione ecclesiasticae libertatis, 176 *a;* Pontifex prohibet ne quis monachorum coram iudicibus saecularibus, sub quovis praetextu, conveniatur, *ibid. b. V.* etiam Portugalliae collector.

Aldobrandinus Petrus, tituli S. Nicolai in carcere, diaconus cardinalis, S. R. E. camerarius, Montis Pietatis Urbis protector renunciatus a Clemente VIII, 855 *a*.

Alicante (de) oppidum. *V.* Nicolai (S.)

Alienationes bonorum a Sixto V vetitae cum essent, abusus nonnulli ac dubia circa papae mandatum, vel etiam in fraudem exorta sunt, 711 *a* et *b*. Clemens innovat praedictam Sixti constitutionem, 712 *a;* declarat insuper omnes in hac dispositione comprehendi, *ibid. b;* eam ad quoscumque contractus extendit, *ibid.* Dispositiones secus factas invalidat, 713 *a*. Poenae contra inobedientes, *ibid. b*.

Ambientes dignitates. *V.* Camaldulensis, *etc.*

Anconitani mercatores privilegia obtinent. *V.* Privilegia conceduntur.

Angelorum in civitate, in Indiis Occidentalibus, collegium pro pauperibus puellis et monasterium monialium erigitur, 326 *a* et *seq.*

Appellationes a tribunali episcopi Cenetensis alio non interponantur praeterquam apud Sedem Apostolicam, 634 *a*. Appellationes secus factae, decreta, sententiae, *etc.*, irritantur, *ibid. b*.

Aquileiensis Patriarcha. *V.* Facultas.

Aragona (de) Cardinalis. *V.* Avalos.

Archiconfraternitas B. M. de Suffragio in Urbe erecta fuit pro animabus in purgatorio existentibus, 172 *b*, a Vicario Papae obtenta licentia, *ibid.* Clemens VIII erectionem eiusdem cum suis statutis approbat, *ibid.* et *seq.;* eamque in archiconfraternitatem erigit, data venia statuta condendi aliasque aggregandi confraternitates, 173 *a* et *b*. Indulgentiae concessae, 174 *a*. Opera pia a confratribus praestanda, *ibid. b*. Confessarium eligendi facultatem tribuit, 175 *a*. Tandem indultum addit liberandi unum condemnatum in festo Omnium Sanctorum vel die Parasceve, praevia pace offensorum, 175 *b*.

Archiepiscopos et episcopos adhortatur Pontifex ut Iubilaei causa Romam se conferant, 548 *a*.

Aromatarii Urbis eiusque universitas petunt a Papa sua privilegia et statuta confirmari, 320 *b*. Confirmat Pontifex, 321 *a*. Aromatarii in eorum consulatu tantum debitores conveniant, *ibid. b*. Nemo etiam privilegiatus eorum forum declinare possit, *ibid.* Facultas consulum visitandi drogherias et alia, 322 *a*. Fides danda libris aromatariorum, 322 *a*. Praescriptio tantum sexdecim annorum contra eos allegari potest, *ibid. b*. Prioritatis potioritatisque privilegium, *ibid.* Aromatarii non veniunt in discussione, *ibid.*, nec exequutio sub quovis praetextu retardari potest, *ibid.* Quando appellari possit a sententia consulum, et de deposito faciendo, et ubi sit appellandum, 323 *a*. Nullus iudex possit reassumere aromatariorum causas, *ibid.*

Arrigonus Pompeius, capellanus pontificius et causarum Palatii Apostolici auditor, 171 *b.*

Assassinii crimen contra Ecclesiasticos. Ne iudices saeculares manus extendant, ultra id quod decet, in personas ecclesiasticas, utque milites religiosi privilegiis suis perfruantur, 238 *a*, decernit Papa declarationem criminis assassinii pertinere ad iudicem ecclesiasticum, *ibid.;* quoad vero hos milites spectare ad eorum superiores, assumpto loci Ordinario, 138 *a* et *b.*

Assicurationes faciendae reis Beneventum confugientibus (nonnullis tamen exclusis) vallandae sunt nonnullis cautionibus, 617 *a* et *b.* Magister ab actis gubernatoris concessas affidas registrare tenetur, 618 *a.* Assicurationes frustraneae redduntur per subsequens delictum in comitatu Beneventano patratum, *ibid.* Poenae in gubernatorem praedicta non observantem, *ibid. b.*

Auditorem Rom. Camerae Ap. Clemens VIII Marcellum Lantem creat cum omnibus facultatibus, iurisdictionibus et privilegiis, 281 *a.* Sex millia scuta aurea ex fructibus dicti officii applicata remanent C. A. *ibid. b.* Auditor nullam ecclesiasticam censuram incurrit in causis criminalibus iudicandis, 282 *a.* Nullus iudex se immisceat in causis ad Auditorem spectantibus sub poenis in bulla comminatis, *ibid. b.* Causae per Auditorem definiendae enumerantur, 283 *a.* Monitoria contra episcopos ad comparendum per ipsum A. scribi vetitum, 284 *a*, non obstantibus litteris Eugenii et Leonis, 285 *a.* Privilegia confirmantur Auditoribus Camerae concessa, *ibid. b.* Eius in capella pontificia locus et facultates, 286 *a* et *b.* Iudices nequeunt, sub poenis in bulla expressis, executionem sententiarum impedire, 287 *a.* Pro summa sexaginta millium scutorum, quae dictus Marcellus persolvit, Papa obligat bona omnia C. A., *ibid. b.* S. R. E. camerarius huius constitutionis exequutor, 288 *a.* Reformationes antea factae praeservantur, 289 *a;* quarum series refertur, 289 ad 291.

Avalos Innicus, episcopus Portuensis et S. R. E. cardinalis de Aragona nuncupatus, Apostolicae Sedis de latere legatus, durante absentia ab Urbe Summi Pontificis, 440 *b* et *seq*. Declaratur insuper tam sequentes Papam, quam remanentes in Urbe esse vere curiales, 445 *a;* eorumque beneficia S. A. esse affecta, *ibid. b.*

Avenione (de) cardinalis Franciscus Maria, tituli S. Bartholomaei in insula, ecclesiae Avenionensis praesul, 370 *b.*

Avenionenses archiepiscopi. Paulus III privilegia concessa a suis antecessoribus archiepiscopis Avenionensibus confirmavit, 369 *b.* Ad petitionem Francisci Mariae cardinalis Avenionensis hoc ipsum praestat Clemens VIII, 370 *b.* Eidemque archiepiscopo asseritur iurisdictio super nonnullis castris in legatione Avenionensi, 371 *a;* legato vero ius quod de iure ad Pontificem spectat, *ibid. b.* Exequutores deputati episcopi Cavallicensis, Carpentoratensis et Vasionensis, 372 *a.*

Avenionenses ecclesiasticos et Comitatus Venaissini inter et Legatos Sedis Apostolicae orta controversia super spoliis, cardinalis Farnesius causae renuncians totale ius clero cessit, 74 *b* et 75 *a* et *b.* Clerus autem promisit ei soluturum mille scuta, *ibid.;* quam concordiam Iulius III ratam habuit, et Pius V denuo confirmavit, prohibens quominus clerus a legatis pro spoliis molestaretur, 76 *a* et *b.* Clerus

omnia supradicta confirmari petit a Clemente, *ibid.*; qui votis eius annuit, sicque in perpetuum observari iubet, 77 *a*; exequutoribus designatis, *ibid.*

Aversanensis episcopus Petrus, olim Spoletinus, officium praesidentatus Cancellariae Apostolicae obtinet a Sixto V, 12 *b*.

B

Bandinus Octavius, protonotarius apostolicus, in civitate Bononiensi vicedelegatus, edictum promulgat super qualitatibus notariorum eiusdem civitatis, 207 *b*.

Baranco Ioannes suo aere fundat collegium pauperum puellarum et monasterium monialium in civitate Angelorum in Indiis Occidentalibus, 326 *b* et *seq*.

Barchinonensem episcopum inter et Capitulum plures causae agitatae fuerunt super iurisdictione civili et criminali, 864 *a*. Partes tamdem concordiam inierunt, *ibid. b*; eamque a Pontifice confirmari petierunt, 867 *b*. Confirmat Pontifex, *ibid.*; exequutoresque deputat, 868 *b*.

Barensis ecclesia. *V.* Capellaniae.

Basileense Capitulum statuit ne cuiquam feuda concederentur perpetua vel ad tempus, 522 *b*; additis poenis et iuramento, 523 *a*. Papa statutum confirmat de non infeudandis bonis eiusdem Ecclesiae eorumque natura immutanda, *ib. b*.

Basilii (S.) in Italia Ordinis tres novitiatus instituuntur, 376 *b*, assignato annuo subsidio eis per commendatarios ipsorum monasteriorum annuatim praestando, *ibid.* Applicatio beneficiorum spectantium ad collationem conventus et Capituli S. Salvatoris pro novitiatu eiusdem nominis, 377 *b*. Approbatio et ad rem facultas, *ibid.*

Benedicti (S.) Ordinis, Congregatio Cassinensis, alias S. Iustinae de Padua reformatur, 28 *b*. Monachi a primaeva perfectione dilapsi, sed antiquum decus anhelantes, ad pristinam observantiam incitantur, 29 *a*. Multa propterea ad rem ordinantur; atque in primis electio et facultates visitatorum determinantur, *ibid.* Promotio ad abbatiam, prioratum et decanatum praefinitur, *ibid. b*. De prioribus claustralibus, atque de modo vivendi in monasteriis; de remotione abbatum negligentium, 30 *a*. De mutatione monachorum, *ibid.* Animarum cura ab eis non exercenda, *ibid. b*. De administratione rerum temporalium, *ibid.* et *seq*. Munera nemini danda, 31 *a*. De hospitalitate, *ibid. b*. Reformationes aliorum Ordinum Congregationem hanc non obligant, *ibid.*

Bibliothecis (ex) Ordinis fratrum B. Mariae de Monte Carmelo libros amoveri et monumenta quaecumque, sive impressa sive manuscripta, extrahere vetitum, 56 *b*.

Bona regina Poloniae. *V.* Capellaniae.

Bononiensi in civitate nullus aliquo titulo insignitus potest eligi ad magistratum et dignitates, 352 *a* et *b*. Legatus, vicelegatus, *etc.*, huius constitutionis exequutores, 353 *a*; haec autem semper legi debet quando officiales eliguntur, *ib. b*. Electiones aliter factae irritantur, 354 *a*. Poenae in contravenientes, *ibid.* et *seq*. Supradicta civitas cum propter caritatem rerum omnium multo alieno aere gravata esset, Pontifex illius reformatoribus veniam elargitur vetera vectigalia augendi, et nova imponendi, 214 *a*. Neminem ab iis solvendis exclusum decla-

rat, *ibid. b.* Vectigalia augenda recenset, 215 *a.* Exequutores constitutionis designat, *ibid. b.* Ibi pragmatica publicatur ad evitandos profusos sumptus, 266 *a* et *seq.* Quoad notarios huius civitatis, *V.* Notarii.

Bracharensis episcopus, ex pontificia declaratione, potest cogere suos comprovinciales episcopos, ut sibi processionaliter cum toto clero obviam eant, quum eorum civitates ipse ingreditur, 385 *a* et *b.*

Breviarium Romanum imprimendi facultas conceditur archiepiscopo Salisburgensi cum Proprio eiusdem Ecclesiae, 316 *a* et *b.* Typographis vetatur ne illud imprimant sine licentia archiepiscopi, 317 *a.* Hoc breviarium Pius V restituit, prohibuitque immutari, 788 *a.* Cum nihilominus immutatum fuisset, *ibid. b*, Clemens VIII illud iterum examinari et restitui ordinavit, atque Romae in typographeo Vaticano imprimi iussit, *ibid.;* cautionesque adhibuit ad rem opportunas, 789 *a* et *b.*

Bulla Cruciatae. In hac bulla facultas quandoque datur confessarium sibi deligendi, 549 *b.* Haec facultas tamen regulares non comprehendit, 550 *a.*

Burghesius Camillus, tituli S. Eusebii, S. R. E. presbyter cardinalis, reformator Anglicanorum collegiorum et seminariorum existentium in Hispania et Germania, 521 *b* et *seq.* Idem protector collegii Scotorum in Urbe, 628 *b.*

Burgus S. Domnini in civitatem erigitur, 654 *a* et *b;* et eius ecclesia collegiata in cathedralem, *ibid.* Capitulum reformatur, 655 *a;* dioecesis assignatur, *ibid. b.* Dos episcopo et Capitulo asserta, 656 *a.* Privilegia data; theologalis et poenitentiarius inibi creati, *ibid. b;* et reliqua omnia ad praemissa necessaria et opportuna, 657 *a* et *b.*

C

Caecorum trecentorum hospitale Parisiis S. Ludovicus, rex Galliae, erexit, et apostolica auctoritate confirmari studuit, 499 *b.* Sixtus IV pro eorum alimonia quaestum fieri permisit, 500 *a.* Ei postea plura concessa fuere privilegia, *ibid. b.* Omnia confirmari petit a Pontifice Henricus IV rex, 501 *b.* Confirmat Pontifex, 502 *a;* et praecipue permissionem eleemosynam quaerendi, ad formam tamen Concilii Tridentini, *ibid. b.* Modus servandus in quaestuationibus, 503 *b.*

Caietanus Henricus, S. Pudentianae presbyter cardinalis, S. R. E. camerarius, deputatus collector decimarum pro bello contra Turcas parando recipiendis, 102 *a.* Idem reformator Collegii Anglicanae nationis in Hispania et Germania, 525 *b* et *seq.*

Caietanus Timotheus neapolitanus, monachus Casinas, prior, visitator deputatus pro reformatione locorum regularium in insula Sardiniae, 463 *a* et *seq.*

Camaldulensis Ordinis monachi qui, pro dignitatibus obtinendis, favoribus utuntur, graviter puniantur, 294 *a.* Et ii pariter qui eos vel gratiaverint vel promoverint, *ibid. b.* Promotiones taliter factae nullae sunt, *ibid.*

Cameracensem Ecclesiam Pius IV in archiepiscopatum erigens, nonnulla statuit quoad collationem canonicatuum, 190 *a.* Pius V eadem statuta declaravit, *ibid. b.* Dubium exinde exortum est super interpretatione constitutionis Pii IV, 191 *a;*

et paulo post controversiae, ad quas e medio tollendas archiepiscopus et capitulum concordiam iniere, *ibid. b.* Hanc pontificia auctoritate confirmari petunt, 192 *a.* Clemens VIII ratam habet, *ibid. b.*

Camerarius S. R. E., post obitum Henrici Caietani Cardinalis, creatur Petrus Aldobrandinus, 552 *a;* cum omnibus honoribus, emolumentis, *etc*, *ibid. b* et *seq.* Obedientia ei ab omnibus praestanda, 554 *a.* Indemnitas a praestationibus haeredum cardinalis Vitellii, *ibid.* Moderatio facultatis dispensandi cum Hebraeis variis in casibus, 555 *b.* Facultates abrogatae, 556 *a* et *b*, eaedemque modificatae, *ibid.* et 557 *a.* Aliae in eadem materia dispositiones, *ibid.* et *seq.*

Camerarii Cardinalis declaratio iurisdictionis et facultatum quoad pignora Hebraeorum, 570 *b.*

Campanus Cinus, advocatus concistorialis, postulator causae canonizationis beati Hyacinthi Poloni, Ordinis Praedicatorum, 129 *b.*

Cancellaria (in) validatio erectionis officii praesidis, 4 *b.* Nonnulli ad officia, praevia expeditione litterarum apostolicarum, admittebantur, *ibid.*, alii vero per solam caedulam manu Pontificis vel alterius subscriptam, 5 *a.* Sixtus V iussit utriusque signaturae bullas expediri, *ibid.;* et caeteris officialibus caedulam motus proprii, confecto tamen a Datario processu, *ibid. b.* Litteras vero apostolicas per solos scriptores scribi posse declaravit, statuta taxa, 6 *a.* Duo insuper officia sollicitatorum P. A. seu procuratorum palatinorum erexit, *ibid. b;* postea, sollicitatorum officio suppresso, aliud erexit praesidentatus pro confectione processuum et expeditione bullarum, 7 *b.* Litteras apostolicas iussit expediri antequam ad huiusmodi officia admittantur, 8 *b.* Taxam eidem ab unoquoque solvendam praefinit, 9 *a;* quae tamen in aliquo casu potest augeri, *ibid. b;* cauto ne quis, sine litteris a praeside expeditis, sui officii possit possessionem habere, *ibid.* Praeses Papae familiaris, continuus commensalis, praelatus domesticus et S. S. notarius censendus, 10 *a;* cui insignia et habitum notariorum gestare, nec non privilegia concessit, *ibid. b;* quae fuse enucleantur, 11 *a* et *b.* Huiusmodi officium Petro episcopo Spoletino concessit Sixtus, 12 *b;* qui plura ei indulsit, 13 *a.* Pecuniarum summae favore S. Sedis ab episcopo Petro erogatae, *ibid. b.* Eius haeredum actio in huiusmodi officium, *ibid.* et *seq.* Petro episcopo intra triennium decedente, supradictum pretium haeredibus adfirmavit Sixtus, 14 *b;* appositis clausulis amplissimis, 15 *a* et *b.* Cum vero per obitum Sixti, litterae expeditae non fuissent, Clemens omnia praedicta a die initi contractus firma esse decernit, 16 *b.*

Capella S. Hieronymi, oppidi de Villa Vicosa, ducis Bragantiae. Concesserat Clemens capellanis ut, de mandato ducis, ubilibet divina peragerent, distributiones lucrarentur, 737 *b.* Theodosius dux, variis de causis, petit eos eximi ab Ordinariorum visitatione, *ibid.* Pontifex eximit, eosque Apostolicae Sedi et collectori R. C. subiectos declarat, 738 *a* et *b.*

Capellaniae erectae in ecclesia Barensi. Anna Iagellonia Bonae reginae monumentum erexit in ecclesia S. Nicolai Barensis, 378 *b;* ibique tres capellanias instituit, 379 *a.* Sigismundus rex cum Barensibus transegit super fundo huiusmodi capellaniarum, *ibid.* Transactionem Papa confirmat, *ibid.* Ius nominandi capellanos, *ibid. b.*

Capellanus maior regiae capellae regis neapolitani, intuitu Philippi III regis, varia privilegia accipit a Summo Pontifice, 884 *a* et *b;* inter alia, matrimonii et baptismi sacramenta administrandi, 885 *a* et *b;* tempore interdicti sepulturae tradendi, 886 *a;* ab locorum Ordinariis exemptum esse, *ibid. b.*

Capitulum S. Iuliani de Castro Villare, Cassanensis dioecesis. Episcopus Cassanensis numerum sacerdotum Ecclesiae inservientium ad viginti reduxerat, 345 *a.* Reductionem confirmat Pontifex, *ibid. b;* atque eidem episcopo praedictorum exequutio committit, 346 *a.*

Cappucini Fratres. Gregorius XIV prohibuit cappucinos aliorum confessiones audire, 763 *b.* Clemens VIII prohibitionem moderatur, *ibid.;* et quascumque alias licentias revocat, 764 *a.*

Capuanus archiepiscopus domum erigit pro hospitio pauperum senum, et bibliothecam pro cleri sui instructione, 413 *b.* Utramque approbat Pontifex, et libros a bibliotheca extrahi vetat sub poena excommunicationis, 414 *a.*

Cardinales diaconi, ad ordinem presbyteratus transeuntes, locum obtineant ante illos cardinales presbyteros, qui post eos ad cardinalatum assumpti fuerunt, 364 *a.*

Carolus episcopus Anconitanus, vicelegatus Avenionensis et comitatus Venaissini, 722 *b.*

Carmelitae. *V.* Congregatio Italica.

Carmelitae in Hispania a Fratribus Mitigatis separantur. *V.* Discalceati.

Carmelitani fratres dignitates sibi procurantes. *V.* Mariae (B.).

Cassinensis Congregatio. *V.* Benedicti (S.).

Castri Plebis oppidum in civitatem erigitur, et eius ecclesia in cathedralem, 601 *a.* Dioecesis et iurisdictio assignantur, *ibid. b.* Dos et reditus, 602 *a.* Privilegia, *ibid. b.* Episcopatum huius ecclesiae alias a se erectum commemorat Clemens VIII, 740 *b;* datam etiam commissario apostolico facultatem separandi ab ecclesia Clusinensi nonnullos reditus, eosque assignandi ecclesiae Castri Plebis, 741 *b.* Commissarius apostolicus procedit ad divisionem et assignationem, 742 *a;* nonnullaque alia statuit pro dote mensae, capituli ac beneficiorum ecclesiasticorum, *ibid. b.* Omnia praedicta confirmat Pontifex, 743 *a* et *b;* capitulum et parochias erigit, *ibid.* et *seq.* Seminarium erigi mandat et alia multa de parochis, hospitalibus, mensa episcopali eiusque dote, *ibid.* 744 *b* et *seq.* Dos seminario et aliis, necnon sacristiae attributa, 745 *b* et *seq.* Papa confert archidiaconatum, 747 *b*, exequutoresque deputat, 748 *a.*

Cathaloniae Capitulum cum Philippo Hispaniarum rege super solutione primae decimae agit, 45 *a* et *seq.*

Catharina Portugalliae regina. *V.* Portugalliae reginae.

Cauriensis episcopus. *V.* Controversias.

Celsonae oppidum ab Urgellensi dioecesi pluribus de causis seiungitur, 67 *b* et *seq.;* in civitatem erigitur, illiusque parochialis ecclesia cathedralis honore insignitur, 68 *a* et *b.* Haec vero Celsonensis Ecclesia suffraganea archiepiscopi Tarraconensis efficitur, 69 *a.* Capitulum cum quatuor dignitatibus, ac dioecesis termini assignantur, *ibid.* et *b.* Episcopi dos et mensa, *ibid.* Mensa item Capituli, 70 *a.* Regis catholici ius praesentandi ad episcopatum et dignitates, *ibid. b.*

Cenetensis episcopi tribunal. *V.* Appellationes.
Censuum creatio. Pius V decrevit census creari non posse nisi actu interveniat pecunia, 732 *b*. Genuae vero creatae fuerunt mensae nummulariae S. Georgii, mediantibus chirographis, *ibid.;* quod fieri Gregorius XIII permisit, 733 *a*. Orto tamen dubio, Clemens validos contractus declarat, dummodo solutio pecuniae fiat post paucos dies ab eorumdem stipulatione, *ibid. b*.
Centi Terrae communitati privilegia a Clemente VIII concessa, 461 *a* ad 463 *a*.
Cesio Bartholomaeus R. C. A. thesaurarius generalis, 115 *a*.
Christophorus episcopus Tullensis. *V.* Tullensi.
Clausura servanda a monialibus, 78 *a*.
Clemens PP. VIII. Acta huius Summi Antistitis, primo sui pontificatus anno, habentur in praecedenti volumine. Quae nullitates attendendae sint in tribunalibus Status Ecclesiastici, 17 *b*. Pauli IV et Pii V constitutiones a Iudaeis observandas approbat, 22 *b*. Reformat Congregationem Cassinensem Ordinis sancti Benedicti, 28 *b;* pariterque Ordinem Eremitarum S. Hieronymi de Observantia, 34 *b*. Concordiam confirmat inter Philippum II regem et ecclesiasticos provinciae Cathaloniae super prima decima regi concessa, 45 *a*. Quae Pius IV et Sixtus V gessere pro Indice librorum damnatorum rata habet, 53 *b*. Cardinali Gioiosae veniam dat beneficia ecclesiae Mirapicensis ordinandi, 57 *a*. Hospitale Massiliense gratiis et favoribus prosequitur, 60 *b*. Visitationem et reformationem locorum piorum dioecesis Tullensis fieri iubet, 62 *b*. Philippo Hispaniarum regi committit causas omnes componere inter episcopos, capitula et milites de Alcantara et de Calatrava, 65 *a*. Oppidum Celsonae in civitatem, et eius ecclesia in cathedralem erigit, 67 *a*. Concordiam inter cardinalem Farnesium et ecclesiasticos Avenionenses super exemptione cleri a lege spoliorum approbat, 74 *b*. Quinque officia correctorum graecorum et latinorum in Bibliotheca Vaticana erigit, 81 *a*. Confirmat iurisdictiones et facultates protomedici et collegii physicorum Urbis, 85 *b*. Segregat Congregationem fratrum Discalceatorum Ord. B. M. de Monte Carmelo a fratribus Mitigatis eiusdem Ordinis, 92 *b*. Christianos principes hortatur ut opera et auxilium ferant Rodulpho II imperatori contra Turcas, 99 *a;* qua de causa sex decimas super beneficiis Status Ecclesiastici imponit, 100 *a*. Privilegiis donat mercatores Anconam merces advehentes, 104 *a*. Facultatem tribuit Congregationibus Regularibus augendi Montem novennalem pro summa sexaginta millium scutorum, quae impendantur in sumptus belli contra Turcas, 109 *a*. B. Hyacinthum, Ordinis Praedicatorum, Sanctorum albo adscribit, indicto eius die festo XVI augusti, 123 *a*. Dissolvit unionem Pientinensis et Ilclinensis ecclesiarum, 143 *a*. Concedit episcopo Luceoriensi exequutionem primariarum precum regi Poloniae concessarum, 144 *a*. Munerum largitionem utriusque sexus Regularibus interdicit, 146 *a*. Terminos constituit inter Statum Ecclesiasticum et dominium Magni Ducis Hetruriae, 171 *a*. Reformationem conservare et promovere studet Ord. Min. sancti Francisci de Observantia, 182 *a*. Usum pontificalium concedit decano ecclesiae Zamoscii, 189 *a*. Subsidium scutorum quinquaginta millium super fructibus beneficiorum in dominio Venetorum existentium pro Camera Apostolica imponit, 193 *a*. Privilegia confirmat concessa Duci et nationi Sabaudiae, 196 *a*.

Festivitatem S. Stanislai, episcopi et martyris, pro die VII maii instituit, 200 *a;* et S. Romualdi abbatis, Ordinis Camaldulensium fundatoris, pro die VII februarii, 201 *a*. Officinas omnes monetarias, Romana excepta, supprimit, 202 *b*. Instructionem super ritibus Italo-Graecorum edit, 211 *b*. Nova subsidia Carolo Emmanueli duci Sabaudiae super fructibus ecclesiasticis concedit pro defensione dominii contra vicinos haereticos, 217 *a*. Domum Refugii pro virginibus, viduis et mulieribus a turpi vita conversis in Urbe instituit, 219 *a*. Approbat et noviter instituit Congregationem clericorum saecularium in communi viventium Lucae, 227 *b*. Indicem librorum prohibitorum approbat, 231 *a*. Eius sollicitudo commercium in Anconitana Urbe restituendi, 235 *b*. Ruthenorum legatos recipit, eosque ad unionem S. R. E. admittit, data facultate graecum ritum servandi, 239 *b*. Pontificale Romanum emendari, emendatum vero publicari iubet, 246 *b*. Sixti V bullam contra male promotos et eos promoventes moderatur, 254 *b*. Iubilaeum ad pacem obtinendam in regno Franciae indicit, 267 *a*. Prohibet quominus Itali degant in locis ubi liberum exercitium catholicae religionis non permittitur, 279 *b*. Iurisdictionem, facultates privilegiaque auditoris R. C. A. enucleat, 280 *b*. Henricum IV, Galliae regem, ab anathemate absolvit, iniunctis ei salutaribus poenitentiis, 304 *a*. Iurisdictionem praefinit consulum artis aromatariorum in Urbe, 320 *a*. Collegium pauperum puellarum in oppido civitatis Angelorum, Tlascalensis dioecesis, in Indiis Occidentalibus erigit, 326 *a*. Committit archiepiscopo Valentinensi, et episcopis Dertusensi, Segobricensi et Oriolensi ut erigant dotentque parochias ubi Mauri ad fidem nuper conversi commorantur, 337 *b*. Cardinales diaconos, ad presbyteratum transeuntes, praecedere vult illos cardinales presbyteros, qui post eos assumpti fuerunt ad cardinalatum, 364 *a*. Tres novitiatus in tribus monasteriis Ordinis S. Basilii in Italia instituit, 376 *b*. Acta per Pontificem contra Caesarem Borgia iniustum detentorem civitatis et ducatus Ferrariensis, 380 *a*. Poenas contra ipsum eiusque fautores minatur nisi Ferrariam Sedi Apostolicae restituat, 389 *b*. Ratam habet concordiam inter cardinalem Aldobrandinum et ducissam Urbini pro eiusdem ducatus restitutione, 417 *a*. Caesarem fautoresque ab excommunicatione absolvit, 424 *b;* et Ferrariae ducatum acceptat, 427 *b*. Cardinali supradicto ordinationem ducatus committit, 428 *b*. Beatum Gherardum Sagredum martyrologio romano adscribit, 433 *b*. Ferrariam petens declarat Romae successorem esse eligendum, si ipse in itinere obierit, 436 *a*. Ferrariae consilium centum virorum instituit, 449 *a*. Eius sollicitudo pro civibus romanis in luctuosa Tyberis inundatione, 467 *a*. Universale Iubilaeum indicit pro anno MDC, 504 *b*. Rotae tribunal Ferrariae instituit, 511 *b*. Pacem inter Galliae et Hispaniae reges conciliat, 524 *b*. Congregationem fratrum Reformatorum et Discalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum creat, 529 *a*. Cum Philippo III, Hispaniarum rege, dispensat ut cum regno Siciliae possit ducatum Mediolani obtinere, 534 *a*. Cui investituram regni Siciliae concedit, 536 *a*. Caeremoniale episcoporum reformat, 597 *a*. Oppidum Castri Plebis in civitatem, eiusque ecclesiam in cathedralem erigit, 800 *b*. Agricultores agri romani favoribus prosequitur, 622 *a*. Scotorum collegium in Urbe fundat, 625 *b*. Decreta generalia pro omnium Religiosorum reformatione profert, 662 *b*. Philippum III supra-

dictum a censuris absolvit, 673 *b*. Canonizat S. Raymundum Barchinonensem, Ordinis Praedicatorum, 687 *b*. Octo decimas super fructibus beneficiorum ecclesiasticorum in Dominio Venetorum imponit pro subsidio expensarum belli contra Turcas, 751 *a*. Breviarium Romanum a Pio V emendatum, et postea nonnullis in locis immutatum, restituit, 788 *a*. Declarat non licere per litteras seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere, 855 *b*. Caroli Molinei opera proscribit, facultatemque ea legendi concedi vetat, 858 *a*.

Clerici male promoti. Sixtus V bullam promulgaverat contra clericos male promotos et contra promoventes, 254 *b*. Hanc moderatur Clemens VIII, reducitque ad terminos sacrorum canonum, bullae Pii II et Concilii Tridentini, *ibid.* Clerici in propriis terris licite agriculturam possunt exercere, 624 *a*.

Clerici saeculares in communi viventes. *V.* Congregatio sub invocatione, *etc.*

Clericis regularibus infirmis ministrantibus facultas conceditur recipiendi novitios ad habitum, non expectato Capitulo generali vel provinciali, 108 *b*.

Clero Saeculari regnorum Hispaniarum Pontifex per suas litteras declaraverat praecedentiam super quoscumque Regulares competere, 879 *a* et *b*. Cum autem Regulares praecedentiam sibi arrogent in suis ecclesiis, 880 *a*, Pontifex declarat clero saeculari eam spectare, *ibid.*

Caeremoniale Episcoporum. Clemens VIII Pontificale reformatum edidit; deinde Caeremoniale Episcoporum reformari curavit, 597 *a*; illudque servari praecepit, *ibid. b*; et immutari vetavit, *ibid.* Antiqua nihilominus caeremonialia, huic non contraria, permisit, *ibid.*

Collector Spoliorum. Orta controversia inter archiepiscopum Elborensem et Militiam S. Benedicti de Avis super iure visitandi, *etc.*, 438 *b*, Clemens huiusmodi causae cognitionem commiserat Ferdinando Tabernae spoliorum collectori, 439 *a*. Eo autem in Italiam revertente, Targensi episcopo mandatur ut controversiam suspensam declaret, donec novus collector illuc perveniat, *ibid. b*; cui eiusdem causae examen et decisionem demandat, 440 *a*.

Collegia et Seminaria nationis Anglicanae erecta in Hispania et in partibus inferioris Germaniae reformantur ad normam collegii eiusdem nationis Romae erecti, 521 *b*. Alumnis datur seligere duos festos ex approbatis Sanctorum Angelorum, *ibid.* et *seq.*

Collegiales collegii medicorum civitatis Mediolanensis, iuxta statuta, experimentum nobilitatis et doctrinae facere debent, 336 *b*. Creantur a Pontifice comites Lateranenses et Auratae Militiae equites, 337 *a*; cum privilegiis, insigniis et veste propria, *ibid.* et *b*.

Collegium puerorum ex genere Maurorum. Philippus rex, ad propagandam fidem catholicam inter filios Maurorum, erigi studet in regno Valentiae unum puerorum, alterum puellarum seminarium, 784. Iis nonnullas pensiones ab archiepiscopo Valentinensi iam depositatas pro erectione parochiarum petit applicari, *ibid. b* et *seq.* Papa veniam dat archiepiscopo eas applicandi, 785 *a*, adiudicata eidem archiepiscopo omnimoda super his seminariis auctoritate, *ibid. b*.

Collegium Theutonicorum in oppido Mosecano, in comitatu Hornensi, Leodiensis dioecesis. Episcopus Leodiensis optimum fore putat si ibi collegium aliquod

instituatur, 542 *a*. Papa collegium duodecim Theutonicorum erigit, *ibid. b;* eiusque regimen Patribus Societatis Iesu concredit, 543 *a*. Reditus et privilegia, *ibid. b*.

Collegium Anglicanum Hispalense erectum confirmat Clemens VIII, 139 *a*. Sub Sedis Apostolicae protectione suscipit, directionique PP. Soc. Iesu committit, *ibid. b*. Omnia insuper tam pro spirituali quam materiali Collegii administratione ordinat, *ibid.* et *seq.* usque ad 142, omnibus Hispaniae praelatis huiusce constitutionis exequutoribus designatis, 142 *a*.

Collegium Societatis Iesu fundatur in oppido Comutaviensi, Pragensis dioecesis, reditusque ipsi assignantur, 152 *b*. Privilegia insuper et parochialia iura, 153 *a* et *b*, aliaque id genus et dos constituitur a Georgio Popelii, barone de Lobroviz, atque omnia ad rem opportuna ordinantur, 154 ad 158. Illud et in eo erectam universitatem confirmat Clemens cum omnibus bonis, privilegiis, statutis a fundatore editis et concessis, 159 *a* et *b*. Confirmat quoque applicationem sacelli arcis, usum ecclesiae parochialis et ius praesentandi ad ecclesias in ditionibus fundatoris constitutas, *ibid.* Universitatem studiorum inibi erigit, cui caeterarum universitatum privilegia concedit, 160 *a*. Facultates favoresque addit, *ibid. b;* bonaque omnia rata habet, 161 *b;* salvis servitiis debitis ecclesiae Comutaviensi, 163 *a*.

Collegium Duacenum. Paulus IV Apostolico nuncio in regnis Hispaniarum dedit in mandatis aliquam pensionem Collegio Duacensi applicare, 611 *b*. Re infecta, Philippus II petit pensionem quingentorum florenorum eidem collegio reservari super fructibus monasterii S. Vedasti, 612 *a*. Abbate consentiente, Clemens dictam pensionem reservat, *ibid.;* liberam ab omni et quacumque decima et alia impositione, *ibid. b*. Valor pensionis et tempus eam solvendi praefinitur, 613 *a*. Poenae in abbates eamdem non solventes, *ibid. b*.

Collegium Ordinis Fratrum Praedicatorum civitatis Angelorum in Indiis Orientalibus, provinciae Mexicanae, sub invocatione S. Ludovici, in publicam universitatem erigitur, 416 *a*, eique privilegia caeterarum universitatum conceduntur, *ibid.* Tlascanensis episcopus eius perpetuus cancellarius atque praefectus, *ibid. b*.

Collegium pauperum puellarum et monasterium monialium in oppido civitatis Angelorum, Tlascanensis civitatis, in Indiis Occidentalibus suo aere erigit Ioannes Baranco, 326 *b* et *seq.* Eorum administratio et gubernium, 327 *a* et *b*. Moniales adauctae, aliaque ab episcopo Tlascalensi ad rem ordinata, 328 *a* et *b;* Regulae pro collegio, 329 *a* et *b*. Numerus et dos unicuique datur, 330 *a* et *b*. Ordinationes ad bonum ipsorum regimen, 331 *a* et *b*. Onera pro anima fundatoris, 332 *a* et *b*. Omnia confirmat Pontifex, *ibid. b;* collegiumque et monasterium erigit, 333 *a*. Bona donata eis asserit, privilegia concedit, Tlascalensem episcopum patronum deputat cum amplis facultatibus, *ibid.;* pluraque alia ad rem constituit, 334 *a* et *b;* indulgentiasque concedit, *ibid.* et *seq.*

Collegium Scotorum in Urbe institutum, 625 *b*. Dos ei assignata, 626 *b*. Aedes collegio datae necnon aliae pertinentiae enumerantur, 627 *a*. Collegium sub protectione Sedis Apostolicae suscipit Pontifex cum exemptione a iurisdictione quorumcumque iudicum et officialium, solutione gabellarum *etc.*, *ibid. b*. Omnia privilegia et gratiae ei conceduntur, quibus gaudent studium generale Urbis et

caetera collegia, 628 *a*. Cardinalis Camillus Burghesius eiusdem collegii protector, *ibid. b*.

Columna Marcus Antonius, episcopus Praenestinus, Sanctae Romanae Ecclesiae a bibliotheca, 82 *b*.

Comaclensi civitati privilegia a Clemente VIII concessa, 458 *b* usque ad 460 *b*. Eius civibus petentibus, obtenta iam privilegia iterum concedit Clemens, 706 *a;* inter alia extrahendi frumenta, blada, animalia et id genus caetera, *ibid. b;* pascua dividendi, Montem Pietatis erigendi, 707 *a*.

Comutaviense collegium Soc. Iesu. *V.* Collegium.

Concilii Tridentini paragraphus: *Qui vero*, cap. VI, sect. XXV, *De Reformatione* declaratur pro capitulo Ecclesiae Cordubensis, 344 *b*.

Concordia super silvam Verdedae inter deputatos universitatum Vignolae, Savignani et Seravallis, 685 *a*. Tenor concordiae, 685 *b* et *seq*. Clemens concordiam approbat, eamque servari mandat, 687 *a* et *b*.

Concordia inita inter ecclesiasticos provinciae Cathaloniae et Philippum II Hispaniae regem confirmatur, 45 *a*. Capitula ecclesiarum Cathaloniae primas decimas non sine gravi incommodo exigi posse eo modo exponunt, quo fuerunt concessae, *ibid*. Quare initam inter se concordiam confirmari petunt, *ibid. b*. Clemens VIII eam ratam habet, *ibid.;* et ab iis etiamsi consensum suum non praestiterint, servari mandat, 46 *a;* omnes et singulos defectus supplet, *ibid*. Exequutores deputat, *ibid. b*. Cardinalem eximit a solutionibus primae decimae, 47 *a*. Instrumentum concordiae de verbo ad verbum bullae inserit, *ibid. b*, usque ad 53 *a*.

Concordia inter regem catholicum et archiepiscopum Caesaraugustanum super primitiis et decimis inita, quarum excrescentia, ob irrigationem fluminis a Carolo V factam, eidem regi ex concessione apostolica debetur, 233 *b* et 234 *a*; a Clemente VIII approbatur per nuncium apostolicum, 235 *a*.

Concordiam inter Hispaniarum regem et archiepiscopum Toletanensem initam super administratione Collegii Virginum Dominae Nostrae de Remedio confirmari petunt rex et archiepiscopus, 163 *b* et *seq.;* quam confirmat Pontifex, clausulasque pro perpetua observantia apponit, et apostolico nuncio eiusdem exequutionem committit, 164 *b* et *seq*. Tenorem vero concordiae bullae inserit, *ibid. b* usque ad 171 *a*.

Confiteri sacramentaliter non licet per litteras seu per internuntium confessario absenti peccata, et ab eodem etiam absente absolutionem obtinere, 855 *b*.

Confraternitas S. Ioannis decollati Florentinensis. *V.* Ioannis (S.)

Confraternitas Stigmatum S. Francisci. De consilio Congregationis Visitationis in Ecclesia SS. Quadraginta Martyrum cura animarum supprimitur, 342 *a*. Fructuum destinatio, *ibid. b*. Ecclesia ipsa Confratriae Stigmatum conceditur, 343 *a*. Vicarius Urbis praedictorum exequutor, *ibid. b*. Confraternitas debet singulis annis quatuor libras cerae albae ecclesiae S. Marci, 344 *a*.

Congregatio sub invocatione Beatae Mariae ab Alexandro episcopo Lucano instituta fuit an. MDLXXXIII, 227 *b*. Eam approbat Clemens, deque novo instituit, 228 *a*. Plura insuper addit ad illius bonum regimen, *ibid. b;* declarans quae sit Ordinarii iurisdictio in eam, 229 *a*. Facta demum facultas eidem ab eodem Pontifice est alia ubique loca recipiendi, 229 *a* et *seq*. Indulgentiae et privilegia, 230 *a*.

Congregatio Carmelitarum Discalceatorum Italiae domum obtinet ad ecclesiam S. Mariae in regione Transtyberim de Urbe cum communicatione privilegiorum Congregationis Hispanicae, 339 *a* et b. Eximuntur domus collegii S. Annae et monasterium monialium de Iesu Maria Ianuensis a superioritate praepositi generalis dictae congregationis Hispaniarum, *ibid. b*, quae separatur ab eadem Congregatione, 340 *a*. Omnis ingerentia in congregationem Italicam tollitur, *ibid. b*. Cardinali Pinellio regimen monasteriorum Italiae commissum, *ibid.* Pontifex laudat huiusmodi institutum, proque illius propagatione conventum in Urbe concedit, 619 *a;* et congregationem Italiae erigit separatam ab Hispanica et omni alia, *ibid. b*. Privilegia quoque aliis concessa vel concedenda huic communicat, 620 *a;* eique erigendi monasteria dat facultatem, *ibid.*, bona accipiendi; novitios recipiendi extra capitulum, praevia informatione, *ibid. b*. Expulsos ab Hispanica Congregatione vetat recipi, *ibid.;* aliaque plura praescribit ad bonum regimen dictae congregationis accommodata, 721 *a* et *b*.

Congregatio Doctrinae Christianae Avenione instituta auctoritate archiepiscopi et vicelegati, 411 *a*. Haec a Papa confirmatur ad preces cardinalis Avenionensis, *ibid. b*. Congregatorum facultates, 412 *a;* necnon privilegia et gratiae spirituales, *ibid. b*, indulgentiae, 413 *a*.

Congregatio Clericorum Regularium S. Maioli, alias de Somascha, petit confirmationem suarum constitutionum, 42 *a*. Clemens eas et omnia Congregationis privilegia confirmat, *ibid. b*. Praeposito varias facultates elargitur, 43 *a*. Exemptionem etiam a pluribus muniis quae Congregationis opera impediunt, *ibid. b*. Professiones in manibus unius religiosi emissas validas decernit, *ibid.;* aliaque ad reformationem opportuna, *ibid.* et *seq*.

Congregatio Clericorum ministrantium infirmis, 635 *b* et *seq*. Regulae huiusce congregationis reformantur, 636 *a* et *seq*. Emittentes professionem quatuor vota solemnia emittunt, 637 *a*. Vota simplicia quotannis renovanda, *ibid. b*. Fratrum munus circa infirmos, 638 *b* et *seq*. Quando mercenarii sint conducendi, 639 *b;* et quoto tempore quisque in nosocomiis morari debeat, *ibid.* Nonnullae aliae praescriptiones ad hospitalium administrationem, ad Ordinis bonum regimen et caetera huiusmodi pertinentia legere est a pag. 640 ad 647.

Congregatio instituitur super baronibus Status Ecclesiastici, cum iurisdictione eorum castra et bona, etiam fideicommissis subiecta, distrahendi pro satisfactione creditorum, 271 *a* et *b*. Exhibitis a creditoribus mandatis executivis per iudices contra barones relaxatis, 272 *a;* et elapso mense, civitates et bona baronum subhastanda sunt, et absque expensis deliberanda plus offerenti, *ibid. b*. Pretium inde deductum creditoribus consignandum, 273 *a*. Camera Apostolica inter oblatores admittatur, *ibid.;* cui adiudicetur pro pretio aestimando, si nullus sit oblator, ipsaque creditoribus satisfaciat, *ibid.* Dispositiones circa subhastationem, fideicommissa *etc.*, 273 *a* et *b;* quibus plenissime derogatur, 274 *a*. Bona libera baronum dictis fideicommissis supposita censeri debent, *ibid. b*. Si quid de pretio supererit, investiatur, 275 *a*. Exceptio quoad bullam Pii V de non infeudandis, 175 *a*. Sanctiones appositae, *ibid. b*.

Congregatio Ioannis Dei. Clemens VIII hanc congregationem locorum Ordinariis supposuit, prohibuitque emissionem professionis et ordinum sacrorum susceptionem

ac vetuit ipsam regi per superiorem Maiorem nuncupatum, 296 *a*. Postea regimen Maioris restituit, *ibid. b*. Votum inserviendi hospitalibus sub Ordinarii obedientia emitti debet, 297 *a*. Maioris electio et munus necnon potestas, quae locorum Ordinariis debet esse subiecta, *ibid. b*. Habitus, disciplina, ordinationes atque reliqua ad bonum Ordinis regimen praescribuntur, 298 *a* et *b*.

Congregatio Montis Virginis, Ordinis S. Benedicti, plura habebat statuta, unde confusio oriebatur, 482 *b*. Pontifex novam statutorum compilationem mandavit, *ibid*. Quam examinatam a Congregatione Episcoporum et Regularium approbat, iubetque in dicta Congregatione servari, 483 *a* et *b*.

Congregatio Monachorum B. V. Fuliensis, Ordinis Cisterciensis. Congregatio Episcoporum et Regularium praecedentiam in actibus publicis super fratres Mendicantes Fuliensibus concessit, 471 *b*. Quod decretum non servabatur in civitate Burdegalensi, 472 *a*. Clemens decretum innovans ubique observari iubet, *ibid.* et *b;* poenis adiunctis, *ibid.*

Congregatio fratrum Reformatorum et Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum. Quidam fratres huius Ordinis primitivam regulam ab Innocentio III institutam in suo vigore observare coeperunt in Hispania, 529 *a*. Pontifex hoc institutum comprobat, ac Reformatorum Congregationem erigit per priorem gubernandam, *ibid. b*. Quam eximit a superioritate officialium regulae modificatae, uno ministro generali excepto, 530 *a*. Mitigati ad Reformatos transire possunt, hi vero ad Carthusianos tantum, *ibid. b*. Visitator, constitutiones, ministri et vicarii, novitii, capitulum, 531 *a* et *b*. Ministri provincialis auctoritas, 532 *a*. Privilegia, *ibid. b*. Approbantur novitiorum receptiones hucusque factae, 549 *a*. Licentia datur professionem emittendi, novitiosque recipiendi, *ibid.*

Congregationis Sancti Ioannis Evangelistae regnorum Portugalliae religiosis vetatur quominus de rebus suae Religionis extra eam agant, 277 *b;* vel quemcumque favorem capient, 278 *a;* poenis contra transgressores propositis, *ibid.* Recurrentes extra Religionem ad eam remittendi sunt, *ibid.*

Congregationis Concilii decretum, quo declaratur provisum de parochiali ecclesia per concursum, censendum esse approbatum in illa civitate vel oppido tantum, ubi est parochus, 317 *b*. Decretum hocce confirmat Pontifex, *ibid.*

Congregationis Canonicorum Saecularium S. Georgii in Alga Venetiarum religiosi deferre debent habitum caerulei coloris, prout B. Laurentius Iustinianus eius fundator deferebat, 860 *a*. Decretum hoc Congregationis approbat Pontifex ex voto cardinalium, *ibid. b*.

Controversias et causas omnes vertentes inter Militias de Alcantara et de Calatrava ex una, atque episcopos et capitula Hispaniarum ex alia parte, ad se avocaverat Gregorius XIII, 65 *a;* atque Philippo Hispaniarum regi catholico concordandas componendasque commiserat, *ibid. b*. Sixtus vero V ab hac lege exemit causas vertentes inter episcopum Cauriensem et dictam militiam, 66 *a*. Cum autem haec dispositio perturbationis causa posset esse, *ibid.*, Clemens renovat litteras Gregorii, Sixti vero decretum irritat, *ibid. b*. Sed si lites intra biennium non componantur, Sixti decretum servari iubet, 67 *a*. Quidquid vero inter partes concordatum fuerit, ratum habet Pontifex, *ibid.*

Corsicae insulae episcopis mandatur ne utantur opera Regularium extra claustra degentium, sine licentia Sedis Apostolicae, 731 *b*.
Costa Caesar. *V.* Capuanus Archiepiscopus.

D

Dalmatiae et Iustinopolitanae provinciae Fratres tertii Ordinis S. Francisci tantummdo eorum provinciali obediebant, 861 *a*. Papa eos subiicit vicario et visitatoribus generalibus Ordinis provinciae Italiae, *ibid.* Gratias et privilegia communicat, *ibid. b*.
Davy Iacobus, dominus Perroni, regis Franciae consiliarius, ad Clementem VIII missus orator veniam regi obtenturus, 306 *a*.
Decano collegiatae ecclesiae Zamoscii, Kelmensis dioecesis, a Ioanne Zamosky, regni Poloniae cancellario, erectae, conceditur usus insignium pontificalium, 189 *b*.
Decimae ex irrigationibus provenientes. Carolus V Iberum et Gialone flumina per regnum Aragonum deducenda curavit, 178 *a*. Clemens VII et Paulus III eidem concessere decimas et novalia super terris hac ratione irrigatis, *ib*. Alia insuper flumina per alias Hispaniae provincias idem imperator deduci studuit, *ib. b*; cumque magnus ad id operariorum numerus requireretur, super iis etiam novas decimas petiit imponi, 179 *a*. Iulius III rem nonnullis episcopis examinandam commisit, qui decimas ratione maioris proventus augeri posse declararunt, *ib. b*; illisque facultatem dedit cum operariis dispensandi super celebratione festorum, 180 *a*. Philippus II rex eamdem aquarum deductionem facere curavit in insulis Canariae, 180 *a*. Gregorius XIII archiepiscopo Valentiniensi ac episcopis Oriolensi et Segobricensi commisit ut novas ob id decimas imponerent, *ib. b*; et cum operariis super observantia festorum dispensarent, 181 *a*. Haec eadem pro locis de Alicante statui petit Philippus III, *ib*. Votis annuit Clemens, *ib. b*, solitis clausulis appositis.
Decimae primae a Romanis Pontificibus Philippo II concessae, 45 *a* et *seq*.
Decreta nonnulla emanata a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium circa causas appellationum coram metropolitis, 881 *a* ad 882 *b*; Episcopus Colimbriensis petit confirmari, *ibid.* Confirmat Papa, eaque observari mandat ab episcopo Bracarensi, *ibid.*
Decreta generalia pro reformatione Regularium, tam monachorum quam mendicantium, cuiuscumque Ordinis et instituti, 662 *b* usque ad 667 *a*.
Dertusensis dioecesis. *V.* Maurorum recenter conversorum.
Discalceati Fratres. *V.* Congregatio Italica.
Discalceati Fratres, Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo in regnis Hispaniarum separantur a Fratribus Mitigatis a Gregorio XIII, 93 *a*. Sixtus V Discalceatos mirum in modum crescentes per unum Vicarium generalem et per plures priores regi decrevit, 93 *b*. Sed Discalceati et Mitigati concorditer postea se disiunxerunt, *ib*. Clemens VIII separationem approbat, 94 *a*; Discalceatos ab superioribus Mitigatorum eximit, *ib. b*, subque protectione Sedis Apostolicae recipit, *ib*. Eorum superiorem praepositum generalem vocari decernit, qui sex

habeat consiliarios, totumque Ordinem Discalceatorum regat, 95 *a*. Definitores Capituli ex eis eligendi, *ib*. Praeposito generali infirmo, absente, aut discedente, eligatur vicarius de consiliariis, *ib*. *b*. Eius officium sexennale, 96 *a*.

Distributiones quotidianae. Indulget Papa procuratoribus cathedralium et metropolitanarum regnorum Castellae et Legionis, apud Sanctam Sedem et Matriti, percipiendi fructus et quotidianas distributiones suorum canonicatuum et praebendarum, etiam per sex menses post completam procurationem, 431 *b* et *seq*. Mandatur ad hoc thesaurariis ecclesiarum ut fructus solvant, 432 *a*.

Dominium Ecclesiasticum inter et Statum M. Ducis Hetruriae cum frequenter controversiae orirentur inter utriusque dominii subditos, 171 *a* et *b*; Pontifex committit magistro Pompeio Arrigono ut terminos ponat, *ib*.

Duacensis Universitas Studiorum, Philippo II petente, reservationem pensionis obtinet bismille florenorum super fructibus monasterii S. Vedasti, 615 *a* et *b*.

Duacenum Collegium. *V*. Collegium Duacenum.

Duodecim Congregationes regulares a solutione decimarum pro bello contra Turcas exemptae, 109 *a*; quia eaedem sub Pio V ordinarium subsidium subministraverant, *ib*.; quaeque subsidium alterum sexaginta millium scutorum obtulerunt, *ib*. *b*. Clemens ad hanc summam parandam facultates eis elargitur Montem Novennalem augendi, *ib*.; qua in re procurator generalis Congregationis Cassinensis et prior Sancti Petri ad Vincula reliquas repraesentant, 110 *a*; qui partem cuique monasterio assignant, *ib*. *b*; instrumenta hac super re cum thesaurario C. A. conficiunt, *ib*. Loca erecta et erigenda unum Montem constituunt, 111 *a*. Depositarium eligit Papa, ita ut pecuniae in subsidium pro bello contra Turcas dumtaxat impendantur, *ib*. *b*. Instrumentum initum ab eisdem Congregationibus cum dicta C. A. confirmatur, 113 *a* et *seq*. Tenor instrumenti refertur de verbo ad verbum, a pag. 114 *a* usque ad 118 *b*. Pontifex, confirmato instrumento, cautelas nonnullas addit pro eius securitate maiori, *ib*. et 119 *a* et *b*.

E

Ecclesiae Guesnensis, Cracoviensis, Wladislaviensis, Posnaniensis, Plocensis et Warmiensis. *V*. Luceoriensi.

Elborensi archiepiscopo praecipitur ne novos christianos (qui originem a iudaeis vel haereticis sumunt) a sacris ordinibus excludat, 414 *b* et *seq*.

Electio Papae in Urbe facienda. Cum alias statutum fuerit Pontificem eligendum esse ubi fuerit audientia litterarum apostolicarum, 436 *a*; Clemens VIII, post sui discessum, huiusmodi audientiam Romae esse declarat, *ib*. *b*. Futuri pontificis electionem Romae faciendam statuit, 437 *a*. Quamcumque alibi factam irritat, *ib*. *b*. Novendialia peragi et conclave Romae haberi vult, *ib*.

Elnensis episcopi translatio. Status miserrimus civitatis Elnensis, 723 *b*, et ecclesiae S. Ioannis Baptistae oppidi Perpiniani recensentur, 724 *b*, et pacta inita inter capitula utriusque Ecclesiae, 725 *a* et *b*. Philippus rex petit pro translatione; Clemens cathedralem ac residentiam episcopi Elnensis ad Ecclesiam S. Ioannis Baptistae transfert, 726 *a* et *b*; atque omnia ordinat ad prosperum statum no-

vae cathedralis, 727 *a* et *b*. Ex duobus unum capitulum efformatur, 728 *b*. Iura episcopi, *etc.*, 729 ad 731 *a*.

El Real (monasterii) Scholares. *V.* Scholares.

Episcopatum (ad) eligendi in Hispaniarum regnis. *V.* Philippus III.

Episcoporum iura per Romanum Pontificem tuenda, 80 *a*.

Eremitae Sancti Hieronymi de Observantia ad pristinam regularis observantiae normam reducuntur a Clemente VIII, 34 *b*; quod ut perficiat, incipit ab approbatione ultimi capituli generalis, 34 *b*; iniungitur confirmatio Georgii Luciani, in praepositum generalem pro alio triennio, 35 *a*. Gregorius XIII in eius constitutione CLXVI : *Ea quae*, nonnulla ad preces Congregationis statuit, quae eius constitutionibus adversantur, 35 *b*. Clemens decernit praepositum, consultores et definitores eligi tam ex prioribus, quam ex aliis subditis, 36 *a*. Priores etiam ex non vicariis ; procuratorem vero generalem ex omnibus subditis, *ib.* Vocem habent in capitulo generali et diaetis prout habebant ante bullam Gregorii XIII, *ib.* Praepositi generales durant per triennium, nec confirmantur, *ib.* Ambitus prohibetur, *ib. b*; contrariae constitutiones derogantur, favorabiles approbantur, *ib.* Idem Pontifex reformationem addit circa totius Ordinis bonum regimen, multa definiens de chori servitio, 37 *b*; Sacrae Scripturae lectione, et paupertatis voto, 38 *a*; vestitu et suppellectili, cibis et potu, *ib. b*; peculiaribus praestationibus ratione officiorum, administratione bonorum cuiuscumque monasterii, *ib.* et 39 *a*; regularium numero, redituum asservatione, clausurae observantia, 39 *b*; electionis officialium forma, eorumque qualitatibus, 41 *a*; examine lectorum et praedicatorum et aliis ad rem opportunis, *ib. b*.

Eremitae fratres Sancti Hieronymi, Congregationis B. Petri de Pisis, duos novitiatus in duobus conventibus erigunt cum licentia Pontificis, 598 *b*. Damnatur ambitus obtinendi praelaturas, 599 *a*. Ambientes ad officia et dignitates nequeunt admitti, *ibid. b*. Aliter factae admissiones infirmantur, 600 *a*.

Eremus S. Mariae Montis Senarii restituta, 658 *b* et *seq*. Eremo Senarii titulus conceditur et membrum domus Annunciatae declaratur, *ib.* Regulae ab eremitis servandae, 660 et *seq*. Novitiatus in dicta Eremo erigitur, 662 *a*; receptionisque norma datur, *ib. b*.

Escurial (de) Oppidum. *V.* Laurentii (S.).

Estensis Caesar. *V.* Ferrariae ducatus.

Eystettensi episcopo committitur ut confirmet permutationem pagi *Oberhausen*, ad ecclesiam Augustanam spectantis, cum pago *Eppisburg* ad praedictam civitatem pertinente, inter episcopum et magistratum Augustanum factam, quatenus eidem ecclesiae utilis comperiatur, 780 *b* et *seq*.

F

Facultas patriarchae Aquileiensis visitandi monasteria domosque Regularium exemptorum, eosque ad suorum decretorum exequutionem compellendi, 150 *b*.

Ferrariae ducatus. Caesar Estensis monitus de devolutione ducatus Ferrariae ad Cam. Apostolicam, 380 *a*; eique intimatum ut a iactationibus abstineret, *ib. b*.

Deinde, productis iuribus citatoque Caesare, deventum fuit ad devolutionis sententiam cum mandato, *ib.* et 381 *a*. Caesare eliminato, C. A. in possessionem ducatus immitti debet, *ib. b*. Ministri C. A. petunt mandatum relaxari quoad possessionem, 382 *a*. Relaxat Papa, eiusque executionem Vicelegato Bononiensi committit, *ib.* Causa pendente inter R. C. A. et Caesarem Estensem super devolutione ducatus Ferrariae, Papa definit ducatum devolutum esse ad Sanctam Romanam Ecclesiam, 383 *a*, in eoque eamdem Cameram intromitti debere, *ib. b*. Sententiam ei mandat intimari, servata forma consueta publicationis, 384 *a* et *b*. Post mortem ducis Alphonsi, Ferrariae ducatum Camerae Apostolicae devolutum Caesar Estensis occupat, 390 *b*. Post hanc admonitionem Pontifex arma parat, 191 *a*. Quindecim diebus ad restituendum ducatum concessis, ad comparendum vocatur, 392 *a*. Litterae apostolicae desuper expeditae, *ib.* Eo tamen non comparente, examinatis omnibus examinandis, definitum fuit ducatum ad C. A. esse devolutum, et ab eo Caesarem expellendum esse, *ib. b* et *seq.* Commissio Vicelegato data praemissa exequendi, 393 *b*. Expeditum deinde mandatum de intimando, 394 *a*. Caesar, hisce spretis, ducatum retinet et munit, contra conditiones in instrumento investiturae appositas, et contra bullam in *Coena Domini*, *ib. b*. Arcet legatum a capienda huiusmodi possessione, 395 *a*. Mendacia adstruit, *ib. b*. Clemens eum invasorem declarat, 396 *a* et *b*; rebellem quoque et crimine lesae maiestatis reum, atque excommunicatum, 397 *a*. Nullum suis successoribus ius competit super iis quae ipse male occupavit, *ib.* Nonnisi in articulo mortis, et restitutis quae occupavit, potest absolvi, *ib. b*. Subditi a fidelitatis lege solvuntur, 398 *a*. Terminus assignatus eius consanguineis, *ib.*; quo transacto, ecclesiae ducatus interdicto suppositae erunt, 399 *a* et *b*; poenae in contrafacientes, et poenarum reaggravatio in contumaces, 400 *a* et *b*; etiam in dignitatibus constitutos, 401 *a*. Ecclesiastici terras interdicto suppositas illico relinquant, *ib. b*. Principes christiani aliique monentur ne ullum foedus cum Caesare et aliis excommunicatis ineant, 402 *b*; nec aliquis ei deserviat sub stipendiis, poenis propositis, 403 *a* et *b*. Quin et Principes christiani admonentur ut contra ipsum suis armis insurgant, 404 *a* et *b*. Gratiae spirituales iis concessae qui Caesarem insectantur, poenae vero iis qui favent usurpatori, 405 *a* et *b*. Excommunicati devitandi, 406 *b*. Modus denuntiandi excommunicationem et eos qui ea irretiti sunt, 407 *a*. Aliae poenae, *ib. b*. Caesar demum ducatum Romanae Ecclesiae reddere statuit, 417 *b*; et ducissam Urbini delegat ad petendam absolutionem, 418 *a*. Ducissa cum cardinali Aldobrandino restitutionis instrumentum perficit, cuius tenor inseritur, *ib.* usque ad 421 *a*. Omniaque alia fieri solita faciunt contrahentes, *ib. b* usque ad 423 *b*. Clemens pacta omnia rata habet et confirmat, *ib.* et 424 *a*. Caesarem eiusque fautores ab excommunicatione et poenis omnibus absolvit, *ib. b*. Committit cardinali Aldobrandino ut ipsius ducatus realem possessionem apprehendat, 425 *b*. Devolutionem dicti ducatus sic recuperati acceptat Clemens VIII, illumque et reditus Camerae Apostolicae incorporat, 427 *b*, supponitque constitutioni Pii V. 428 *a*. De eius recuperatione Papa gratias Deo agit, applicatque iterum C. A., *ib.* Cardinali legato amplissimas facultates concedit ut facilius civitatem et ducatum praedictum a

gubernio ducali ad normam regiminis aliarum provinciarum Status Ecclesiastici redigere possit, *ib. b* et *seq.* Commissarii deputantur pro confinium differentiis componendis inter Statum Ferrariae et Statum Mantuae, 856 *a.* Studium generale antiquitus in civitate Ferrariae institutum, 873 *b.* Huic indulta permulta concedit Pontifex, *ib*, inter alia, lectores et scholares immunes sunt a gabellis, 874 *a.* Privilegia omnia Universitati Studii generalis Ferrariensis hactenus concessa confirmantur, 591 *a* et *b.* Cardinalis Aldobrandinus Ferrariensibus nonnulla datia diminuit vel substulit, 592 *a.* Eius ordinatio per extensum inseritur constitutioni pontificiae a pag. 592 ad 596 *a.* Illam approbat Papa, *ib.* Causae tam civiles quam criminales in prima instantia coram suis iudicibus ordinariis, in alia vero quacumque instantia coram iudicibus a Sancta Sede deputatis non possint evocari a iudicibus urbis Romae, iis exceptis, in quibus Camera Apostolica actrix vel rea fuerit, 607 *b* et *seq.* In eadem Ferrariensi civitate Consilium centum virorum idem Pontifex instituit, 449 *a.* Octuaginta duos Consiliarios nominat Papa pro prima vice, *ib. b.* Reliqui decem et octo ex mercatoribus seu artificibus eligendi, 450 *b.* Electiones quomodo faciendae, 451 *a.* Renovantur singulo triennio, *ib. b.* Magistratus deputatio, electio, et eius consultor, 452 *a* et *b.* Habitus, residentia et famuli, 453 *a.* De congregando consilio, *ib.* et *b.* Locus, modus, votatio, 454 *a* et *b.* Auctoritas et facultas magistratus nec non consilii, 455 *a* et *b.* Stipendium, 456 *a.* Res deliberandae in consilio, *ib. b.* Privilegia Ferrariensi communitati concessa, 457 *a* et *b.* Civitati Ferrariensi facta facultas habendi oratorem apud Sedem Apostolicam, cui locus in capella et publicis actibus pontificiis designatur, ad instar aliorum oratorum, 482 *a.* Rota instituitur in eadem civitate, 511 *b.* Auditorum numerus, electio, iurisdictio et qualitates, *ib. b.* et *seq.* Iuramentum, confirmatio in officio eiusque tempus, 512 *b.* Praetoris officium, stipendium ipsius et auditorum aliaque multa, 513 *a* et *b.* Causae a quibus cognoscendae, quaeque rotales dicantur, 514 *a* et *b.* Rotae facultas in procedendo et alia ad rem, 515 *a* et *b.* Appellatio a sententiis Rotae non datur, sola revisio in eadem Rota, 516 *a.* Plura alia circa informationem, terminos citationum, decisiones, *etc.*, 517 *a* et *b.* Indulta, et protectoris deputatio, 518 *a* et *b.* Incolae Ferrarienses et comitatus a transgressionibus absolvantur contra pontificias constitutiones patratis ante devolutionem ad S. A., 550 *b.* Hae vero constitutiones in posterum observandae sunt, 551 *a.* Exemptiones a ducibus concessas confirmavit Papa, 559 *b.* Cum vero aliqui se immunes esse a custodia aggerum Padi asseverarent, *ib.*; Pontifex declarat neminem ex Ferrariensibus exemptum esse a sua opera praestanda custodiae et reparationi fluminis Padi, 560 *a.* Ad petitionem Ferrariensium, Papa permittit institui Zeccham publicam in civitate Ferrariensi, in qua cudantur monetae, praevia facultate Sanctae Romanae Ecclesiae camerarii, necnon legati eiusdem comitatus, 762 *a.* Qualitas monetarum cudendarum, 763 *a.* In toto ducatu regularibus accessus ad monasteria monialium vetatur, exceptis confessario et visitatore, 78 *b*; quibus accedere permittitur in casibus ad eorum munus spectantibus, 79 *a.* Haec ordinatio superioribus Regularium significanda, *ib. b.*

Festa Sanctorum instituta sunt in Dei Ecclesia, ut eorum virtutes imitemur, 201 *a.*

Francisci (S.) strictioris observantiae Fratres. Gregorius XIII constitutionem edidit circa hos fratres, 299 *b*; quam Clemens VIII approbat, salvis nonnullis declarationibus quoad Italiae fratres, *ib.* Declarationes respiciunt novitios, monasteria, casus reservatos, statuta, praedicatores, promovendos ac hospitia, 300 *a* et *b*. Haec ipsa bulla ad Gallos et Belgicas extenditur ab eodem Pontifice, 301 *b*. Nonnulla tamen adduntur quoad novitios, numerum fratrum, casus reservatos, rationem constituendi examinatores in capitulis custodialibus et alia, 302 *a* et *b*.

Fratres B. Mariae de Mercede. Clemens concesserat ut in hoc Ordine celebrarentur dies festi S. Laurentii et S. Antonii, 717 *b*. In eo absolutio generalis statis diebus fieri consuevit, 718 *a*. Eam etiam supradictis festis diebus fieri concedit, *ib.* Antiquam formam benedictionis abrogat, novamque instituit, *ib. b*. Caetera omnia ad rem praefinit, 719 *a* et *b*. Formam absolutionis et orationum servandam inserit bullae, a 720 ad 722 *a*; quam ab omnibus servari praecipit, *ib.*

Frumenta extrahere a Statu Ecclesiastico vetitum. *V.* Moderatio.

Fuiliensi in monasterio optimum censetur ut constituatur abbas triennalis, 778 *a*. Henricus IV Francorum et Navarrae rex cedit ius nominandi abbatem, ut a monachis eligatur, *ib. b*. Huiusmodi cessione confirmata, Papa declarat in dicto monasterio eligi debere abbatem triennalem, *ib.* et *seq.*

G

Galliae et Hispaniae inter reges pace, Papa auctore, composita, 524 *b*; Clemens episcopos hortatur ut muneri suo diligenter intendant, 525 *a*. Simoniae labem exterminent, *ib. b*. Ordinandorum et ordinationum curam habeant, 526 *a*, Seminariis et clero studeant, *ib. b*, Ecclesiarum sacrarumque functionum curam specialem assumant, 127 *b*, caeteraque pietatis et episcopalis muneris opera impleant, 528 *a* et *b*.

Gebennensis episcopus. *V.* Mauritii et Lazari (Ss.).

Gherardum (B.) Sagredum martyrem, ex Ordine S. Benedicti, Martyrologio Romano adscribi posse conceditur, 433 *b*.

Ghislerium collegium Pius V Papiae erexit, 465 *a*; attribuitque nominationem alumnorum tribus senioribus suae familiae, *ib.* Controversia oritur inter Ghislerios super pertinentia huiusmodi patronatus, *ib. b*. Clemens causam examinatam a nonnullis cardinalibus definit, 466 *a*.

Gioiosae cardinali, administratori ecclesiae Tolosanae, facultas conceditur supprimendi decem capellanias, duas diaconias, duas subdiaconias et octo clericatus cathedralis ecclesiae Mirapicensis, 57 *a*; idque ad preces Petri episcopi, *ib.* Pontifex non solum voti sententiae compotem facit, sed etiam modum exequendi supradictas officiorum suppressiones exponit, 58 *a*; ipseque legem a Ioanne XXII latam pro collatione dignitatum, canonicatuum, *etc.*, summarie refert, 59 *a*. Capitulum contraria statuta praedictae legi edidit, *ib.* Episcopus Mirapicensis legem a Ioanne XXII latam restitui petit, *ib. b*. Clemens hoc ipsum cardinali supradicto praestandum committit, *ib.* et *seq.*

II

Hebraei. *V.* Iudaei.

Hebraeorum privilegia Anconae commorantium confirmantur a Clemente VIII, 105 *b*. *Vide etiam* Privilegia conceduntur.

Henricus IV Francorum et Navarrae rex ab excommunicatione absolvitur, 304 *a*. Pontifex eum hortatur ut divinae misericordiae memor sit et charitatis Romanae Ecclesiae, *ibid.* Causas commemorat quibus motus Sixtus V eum damnaverat, *ibid.*; *b*. Henricus resipiscens absolvitur a regni praesulibus, sed minus recte, quia sine auctoritate Sedis Apostolicae, 305 *a*. Eius legati ad Pontificem, *ibid. b*. Absolutionem differt Papa ut aptior ille ad eam obtinendam reddatur, *ibid.* Novos legatos rex ad Pontificem mittit, 306 *a*. Clemens publicis precibus indictis, adhibitisque ad consilium cardinalibus, legatos in Basilica Vaticana recipit, 306 *a* et *b*, litteras mandatumque procurae exhibentes, 307 *a*, et Henricum regem absolvi, et S. R. E. communioni admitti petentes, *ibid. b;* promittentes eum Sanctae Sedis mandata exequuturum, *ibid.* Papa declarat irritam absolutionem antistitum Galliae, 307 *b*. Novam deinde impartitur, 308 *a;* iniuncta tamen lege emittendi fidei catholicae professionem, *ibid.* Legati eius nomine omnes haereses abiurarunt, fideique professionem emiserut, *ibid.*, quae bullae inseritur, 309 *a*. Rex iterum errores Calvinismi detestatur, veniamque a S. Sede precatur, *ibid. b*. Professiones fidei a procuratoribus regiis emissae inseruntur, 301 *a* et *b;* addito iureiurando, 311 *a*. Poenitentiae regi iniunctae, *ibid. b* et *seq.* Tandem Clemens Henricum ab omnibus censuris absolvit, 313 *a;* hortaturque ut sibi iniuncta adamussim adimpleat, *ibid. b*. Ratificatio Henrici regis et promissio de adimplendo ea omnia quae sibi iniuncta fuerunt, 314 *a* et *b*. Breve pontificium quo Clemens Henrico gratulatur de ratificatione; Romanae aulae gaudium testatum facit, eumque ad perseverantiam adhortatur, 315 *a* et *b*.

Hildeseimense capitulum. Administrator huius Ecclesiae ordines presbyteratus et diaconatus in capitulo cathedralis institui curat, 782 *a*. Tenor mandati editi super hac re, *ibid.* et *seq.* Haec omnia confirmat Pontifex, 783 *a*. Huius ecclesiae praepositurae medietas fructuum unitur mensae episcopali a Clemente VIII, 364 *b* et *seq.* Facultas Capituli sibi eligendi praepositum, 366 *a;* qui tamen intra sex menses pontificiam provisionem obtinere debet, *ibid.* In casu resignationis praepositurae, provisio ad Papam spectat, 367 *a*.

Hospitale Sancti Spiritus Massiliensis petit per suos administratores aliqua sibi privilegia concedi, 60 *b*. Clemens, votis annuens, illud a cuiuscumque vectigalis solutione eximit, *ibid.;* eiusque ministros et officiales a iurisdictione iudicum ordinariorum liberat, 61 *a*. Fraudolentos administratores excommunicationi subiicit, absolutione reservata Papae, *ibid.* Notarii non revelantes legata, et omnes aliquod damnum hospitali irrogantes eadem poena plectuntur, *ibid. b*. Bonorum alienationes, Sede Apostolica inconsulta, fieri nefas, 62 *a*.

Hospitale de Utrera, Hispalensis dioecesis. Leo X hoc hospitale Romanae Ecclesiae immediate subiectum voluit, 434 *b*; aliique Pontifices alia ei privilegia con-

cessere, *ibid.* Omnia approbat Clemens, *ibid.*; declaratque eius administratores non posse ab archiepiscopo cogi ad rationes reddendas, 325 *a*.

Hospitale Reginae in oppido Balneorum et Regis in civitate Colimbriensi. Provisores et procuratores horum hospitalium, post primum triennium, ad idem officium nonnisi post integrum sexennium eligi nequeunt, 235 *b*.

Hospitale S. Ioannis Hierosolymitani. Declarat Papa episcopos posse visitare parochias unitas dicto hospitali in iis quae respiciunt curam animarum, 739 *b*. In reliquis vero constitutionem Gregorii XIII servandam, 740 *a*.

Hospitale Parisiense domus Dei. Sixtus IV privilegia huic hospitali concessit, quae Pontifices successores confirmarunt, 758 *a* et *b*. Clemens VIII ad petitionem Henrici IV regis eadem rata habet, 759 *a*. Administratoribus permittit ut eleemosynas per deputatos colligant, *ibid. b*. Indulgentiae hospitalis ecclesiam visitantibus, 761 *a*.

Hospitalis SS. Annunciatae Neapolitanae civitatis bona, donata et legata quaecumque distrahebantur in usus praeter mentem testatorum, 324 *b*. Pontifex huius hospitalis gubernatoribus, officialibus et ministris quibuscumque, sub poenis in constitutione contentis, hoc fieri prohibet, 325 *a*.

Humiliatorum ordo. *V.* Thomae (S.)

Hungariae archiepiscopi et episcopi, noviter provisi de metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, non tenentur accedere ad visitanda limina Apostolorum, nisi singulis quadrienniis, 777 *a* et *b*.

Hyacinthi (S.) canonizatio. Sancti qui in coelis regnant etiam in terris, Romani Pontificis decreto, venerandi sunt, 123 *a*. Sixtus V canonizavit beatum Didacum, et mox proposita fuit canonizatio beati Hyacinthi, *ibid.* Leo X, Poloniae rege orante, processum illius commisit, *ibid. b*; sed eo vita functo, Clemens VII Dominicanis Poloniae concessit illius officium celebrare, 124 *a*. Paulus III iterum negotium dictae canonizationis cardinalibus examinandum commisit, *ibid.* Gregorius insuper XIII et Sixtus V de absolutione canonizationis rogati fuerunt, *ibid. b*; quorum hic perfectum processum Congregationi SS. Rituum examinandum credidit, 125 *a*; quae Gregorio XIV omnia retulit, *ibid. b*. Rex Poloniae pro huiusmodi canonizationis absolutione apud Clementem VIII vehementer instat, 126 *a*. Pontifex beati viri vitam breviter sed luculentissime enarrat, *ibid.* usque ad 128. Ex qua narratione Papa infert negotium canonizationis eius esse absolvendum, 128 *b*. Atque omnibus in similibus fieri solitis accuratissime peractis, 129 *a* et *b*, beatum Hyacinthum cathalogo Sanctorum adscribit, assignata ad eius festivitatem die decimasexta augusti, 130 *b* et *seq*. Indulgentiae additae, 131 *b*.

I

Iagellonia Anna. *V.* Capellaniae.

Index librorum prohibitorum, a Pio IV primum confectus, nonnulla a Sixto V additamenta accepit, 53 *b*; quae omnia diligenter recognita et examinata a Congregatione cardinalium a Pontifice deputatorum, tandem Clemens VIII rata habet,

54 *a*. Dubia, quae inde exorientur, ad Congregationem Indicis referri iubet, *ib*. Haec iterum notantur a pag. 231 *a* ad 232 *b*.

Indiarum partes *del Sur*. Petrus Fernandez ad regiones *del Sur* profecturus, fidem catholicam in eisdem propagare cupit, 767 *b*. Papa hortatur episcopos, ut ei sint auxilio, *ibid*.

Indictio universalis Iubilaei pro anno MDC. Eius historia, 504 *b* et *seq*. Papa iubilaeum indicit pro anno supradicto, omnesque ad eius acquisitionem hortatur, 505 *b*. Iubilaei indoles et fructus, 506 *b*. Indulgentiae, 507 *a*. Praelati populos ad indulgentias consequendas hortentur, *ibid. b*. Principes subveniant peregrinis, 508 *a*. Omnes indulgentiae et facultates absolvendi, durante iubilaeo, suspenduntur, 509 *a* et *b*.

Inquisitio haereticae pravitatis. Officiales eiusdem Inquisitionis gratis omnia expedire debeant, 648 *a*. Secretarii et notarii nihil recipiant de his quae mittuntur ad Inquisitionem Romanam, *ibid.*; omnes respondeant litteris dictae Inquisitionis, et mandata exequantur, *ibid*.

Inquisitori generali in Hispania conceditur facultas deputandi inquisitorem in classibus regis catholici, 546 *a*; qui contra crimina haeresim sapientia inquirat, *ibid*. Similis item concessio nuncio apostolico deputandi aliquam personam ecclesiasticam, quae in eisdem classibus iurisdictionem ecclesiasticam exerceat, 547 *a*.

Inquisitoribus in Portugalliae regnis existentibus Clemens VIII privilegia elargitur, 204 *a*. Ad quinquennium prorogat indultum non residendi in suis beneficiis, *ibid*. et *b*. Concedit ut servitium quinquennale sit loco primae residentiae, 205 *a*. Generalem inquisitorem eorumdem regnorum exequutorem huius constitutionis designat, *ibid. b*.

Ioannis (S.) decollati Florentinensis confraternitas se exemptam esse ab archiepiscopi iurisdictione asserebat, 80 *a*. Clemens VIII eamdem confraternitatem archiepiscopo subiectam declarat, appositis ad declarationem clausulis, *ibid*. et *b*.

Ioannis (S.) Hierosolymitani, qui habitum devotionis in regnis Hispaniarum suscipiunt, nullis privilegiis fruuntur, 847 *b*.

Istria (de) P. D. Basilius procurator substitutus loco reverendissimi D. Iulii de Cremona procuratoris generalis Congregationis Cassinensis in negotio de subsidio C. A. praestando pro bello contra Turcas, 114 *b*.

Itali extra Italiam habitare nequeant iis in locis ubi catholicae fidei cultus publice non permittitur, 279 *b*. A matrimoniis cum haereticis et sepulturis abstineant, 280 *a*. Ad habitandum non accedant nisi prius cum Ordinariis vel cum Inquisitoribus de hac re agant, *ibid*. Poenae in contravenientes, *ibid. b*.

Italo-Graeci instruuntur circa ritus in Sacramentorum administratione, 211 *a* et *seq.*; circa dogmata et observantias, 213 *a*.

Iubilaeum in regno Franciae concessum cum indulgentiarum elargitione, 267 *a* et *b* et *seq*. Speciales facultates confessariis tributae ad rem, 268 *b*. Locorum Ordinarii constitutionem Papae publicari curent, 269 *a*. Ab absolutionibus irregularitas excipitur, *ibid*. Absolutiones autem in foro conscientiae tantum validae sunt, *ib*.

Iubilaeum pro christifidelibus in locis Philippo III Hispaniarum regi subiectis, 474 *b* et *seq*.

Iudaei in Statu Ecclesiastico nonnullis legibus suppositi fuerunt a Paulo IV, 23 *a*. Pius V illas approbavit, *ibid.* Iudaei tamen plurima indulta contra praedictas leges extorserunt, *ibid.* Clemens VIII praedecessorum constitutiones innovat atque confirmat, *ib. b;* privilegia in contrarium concessa revocat, *ibid.* et *seq.;* exulareque praecipit a toto Statu Ecclesiastico, praeterquam ab Urbe, Ancona et Avenione, 24 *a*. Statutis locorum, apostolicis et canonicis sanctionibus, nec non praedictis Pauli IV et Pii V constitutionibus ligari declarat, *ibid. b*. Libros Thalmudi et aliorum detestabilium scriptorum legi prohibuerunt plures Romani Pontifices, 25 *b*. Clemens vetat Iudaeis, quominus libros huiusmodi et alia impia scripta retineant, vel eis quovis modo utantur, 26 *a*. Quaecumque facultates et licentiae revocantur, *ibid. b*. Vetantur imposterum id genus licentiae et earum usus, 27 *a*. Praefinitur terminus ad eiusmodi libros consignandos Inquisitoribus aut locorum Ordinariis, *ibid.* Poenae in contravenientes et in fautores Iudaeorum in praemissis, *ibid.* et *b*.

Iulius Caesar, archiepiscopus Barensis, nuncius apostolicus apud Carolum Emmanuelem Sabaudiae ducem, 218 *b*.

Iurisdictio S. R. E. Cardinalis de latere legati absente Pontifice. Clemens Ferrariam et ad alia loca Status Ecclesiastici profecturus, legatum Romae relinquit Innicum Avalos, S. R. E. cardinalem, 441 *a;* cum potestate Urbem gubernandi, *ibid. b;* omniaque faciendi, ordinandi et exequendi quae ad eius gubernium sunt necessaria, 442 usque ad 444 *a*.

L

Laurea doctoralis. Angli in academiis promoventur ad gradus, nulla habita ratione aetatis et meritorum, 375 *a*. Papa statuit illos ad gradus promoveri non posse nisi de licentia rectoris Seminarii ubi fuerit, et protectoris regni, *ibid. b;* cui facultas datur dispensandi cum aliquibus, 376 *a*. Poenae in contrafacientes, *ib.*

Laurentii (S.) monasterium, Ordinis S. Hieronymi, sub regula S. Augustini, regni Toletani, ab omni decimarum et aliorum onerum solutione exemptum declaravit Gregorius XIV, 87 *b* et *seq*. Innocentius IX exemptionem confirmavit, iis etiam comprehensis bonis, super quibus lis aliqua penderet, 88 *a* et *b*; opportunas addens declarationes, et apponens solitas latissimas clausulas, *ib.* et 89 *a*. Capitulum Ecclesiae Placentinae exequi recusat, sub praetextu litis pendentis in Sacra Rota, *ib.*, Clemens VIII huiusmodi litem ad se avocat, et designatis exequutoribus, observantiam demandat litterarum Gregorii et Innocentii, *ib. b*.

Librorum prohibitorum index. *V.* Index.

Litanias Sanctorum vel B. M. V. nonnulli proprio marte evulgarunt, 732 *a*. Eas Congregationi Rituum tradit Clemens, *ibid.* Decretum Congregationis S. Officii, quo approbatio dictae Congregationis requiritur, *ib. b*.

Lobroviz (de) baronis studium propagandae in suis ditionibus fidei catholicae, 151 *b*.

Lucano episcopo et capitulo veniam dederat Papa praefigendi servitia per capellanos praestanda, 844 *b* et *seq*. Episcopus huiusmodi servitia designat, 845 *b*. Capellani, praevia appellatione, ea praestare recusant, 846 *a*. Papa dat epi-

scopo et capitulo facultatem eos coercendi, etiam privatione distributionum et fructuum capellaniarum, *ibid.* et *b.*

Luceoriensis episcopus delegatur exequutor primariarum precum concessarum Poloniae regi, sive indulti concedendi tria beneficia ecclesiastica primo vacatura in eodem regno, 144 *a* et *b.* Si beneficia valorem quatuordecim ducatorum excesserint, provisi infra sex menses litteras Apostolicas tenentur expedire, 145 *b.*

Lucianus Georgius Cremonensis confirmatur praepositus generalis Congregationis monachorum Eremitarum S. Hieronymi de Observantia, 35 *a.*

M

Maleficiorum poenae in civitate Bononiensi penes depositarias R. C. A. deponendae, 346 *b.* Solutiones per dictas depositarias faciendae ex huiusmodi pecuniis, 347 *a.* Mandatum thesaurarii generalis C. A. semper praecedere solutiones debet, 348 *a.*

Mariae (B.) de Mercede Ordo. In capitulo generali habito in oppido de Calatayud, Tarraconensis dioecesis, multae et variae ordinationes factae fuerunt bonum regimen Ordinis concernentes, 184 *b* et *seq.* usque ad 187 *b.* Ordo petit pontificiam approbationem, quam ei concedit amplissimam Clemens VIII, 188 *a.*

Mariae (B.) de Monte Carmelo fratres. Regulares potius promereri dignitates quam appetere debent, 54 *b.* Quidam tamen Carmelitani aliter faciebant, *ib.*; Pontifex favores extra religionem procurari vetat pro impetrandis dignitatibus et officiis ipsius Ordinis, 55 *a.* Insuper superioribus regularibus huiusmodi favores attendere prohibet, *ib. b*; electiones taliter factas invalidat, atque contra facientes, absque processu, eo ipso, poenas incurrere declarat, *ib.*

Marzer Antonius, frater Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, visitator et reformator regularium locorum in insula Sardiniae, 463 *a* et *seq.*

Massiliense hospitale. *V.* Hospitale Sancti Spiritus.

Mauritii et Lazari (Ss.) Militia. Gregorius XIII beneficia existentia in baliagiis *de Ternier* et *Chablais* univit dictae Militiae, quoad usque in iisdem parochiae erigerentur, 485 *a* et *b.* Sed, pluribus iam ad fidem conversis, necessitas parochiarum et piorum locorum apparuit, 486 *a* et *b.* Pontifex Gebennensi episcopo permittit supradictam unionem dissolvendi, parochias de novo erigendi, sive beneficia eis uniendi, et parochos creandi, 487 *a*; aliaque opportuna faciendi, *ib. b.*

Maurorum recenter conversorum ad fidem catholicam instructio. Gregorius XIII parochias erigi curaverat pro eorum instructione, 790 *a.* Philippus II rex novas erigi petit, erectasque melius dotari, *ib. b.* Papa mandat episcopis regni Valentiae ut id provideant, *ib.* Episcopus Dertusensis sexdecim parochias erigit, 791 *a.* Relatio locorum in quibus Mauri degunt, et erectae vel dotatae fuerunt parochiae, a pag. 794 *a* usque ad 808 *a.* Catalogus eorum qui contribuunt, *ib.* et *b.* Quae omnia confirmat et exequi mandat Pontifex, *ib.* et *seq.* Solutiones ab iis quibus impositae sunt fieri debent, poenis comminatis, 809 *a* et *b.* Similis erectio et dotatio parochiarum in dioecesi Segobricensi, ubi episcopus viginti parochias erigit et fundat, 812 *a;* quae sub Philippo II auctae et dotatae fuerunt, 813 *b.* Novas postea ipse erexit dotavitque episcopus, quorum nomina

et reliqua referuntur a pag. 814 *a* ad 829 *b*. Catalogus eorum qui contribuunt, *ib.* et *seq.* Pontificis approbatio, *ib.* Idipsum in Oriolensi dioecesi peractum, 831 *a*. Episcopus huius dioecesis undecim parochias fundat, *ib.*; quorum historia et nomina habentur a pag. 832 *b* ad 842 *b*. Catalogus eorum qui contribuunt, 843 *a* et *b*. Approbatio Papae, 884 *b*. Ex genere Maurorum progeniti in regno Portugalliae, 889 *a*; excluduntur a mediis canonicatibus, ac declarantur tantummodo capaces tertianariarum et quartanariarum, *ib. b*.

Medices Alexander, tituli S. Praxedis, cardinalis Florentinus nuncupatus, apud Henricum Galliae regem Apostolicae Sedis de latere legatus, 267 *a* et *b*.

Medina del Campo oppidum. Clemens episcopo Vallisoletano, nonnullis locis adiudicatis, eiusdem iurisdictioni subiecerat oppidum et abatiam de Medina del Campo, 764 *b*. Sed abbate nunc contradicente, iterum praedicta loca Ordinarii iurisdictioni subiicit, 765 *a* et *b*; praecipitque abbati ut mandato S. Sedis obtemperet, *ib. b*.

Mercatorum Anconitanorum Universitas. Papa cupiens commercium in Anconitana urbe restitui, causas mercaturam concernentes a consulibus definiri statuerat, 235 *b*. Nonnullis tamen eorum iudicium effugientibus, 136 *a*, Clemens VIII illorum auctoritatem ampliat, *ib. b*. Quibuscumque iudicibus vetitum quominus se immisceant in huiusmodi causis, 237 *a*; et facultatem dat praedictis consulibus procedendi, *ib.*

Mexicanensi in Universitate Studiorum nonnulli lauream et gradus susceperant, 226 *a*. Quae quidem universitas fidei christianae propagationi valde inserviebat, *ib.* Idcirco Pontifex collatos gradus ratos habet, eique caeterarum universitatum privilegia elargitur, *ib. b*.

Militantis Ecclesiae respublica maxime ex litterarum studiis augetur, tenebrosa ignorantiae caligine et haeresum peste depulsa, 151 *a*.

Milites Iesu Christi, S. Iacobi de Spatha et S. Benedicti de Avis privilegium a Iulio II obtinuerunt proprium habendi ac testandi, 603 *a* et *b*. Quod privilegium remansit etiam post contrariam constitutionem Pii V, *ib.* Ortis deinde controversiis, Portugalliae rex petit confirmari privilegium Iulii II, 604 *a* et *b*. Pontifex plenissime confirmat, 605 *a* et *b*; exequutoribus constitutionis designatis, *ib.*

Militia de Alcantara et de Calatrava. *V.* Controversias.

Militia de Montesia. Clemens VII concessit Carolo V pro Militia S. Iacobi de Spatha ut in controversiis inter eam et locorum Ordinarios se interponere posset, 256 *a*. Paulus III iudicibus vetavit quominus in huiusmodi causis se immiscerent, *ib.*; et lites cum episcopis quibuscumque atque ecclesiasticis regnorum Hispaniae pendentes tali indulto comprehendi declaravit, *ib. b*. Pius IV eamdem facultatem concessit Philippo II regi, 257 *a*. Gregorius XIV similem veniam illis concessit pro Militiis de Calatrava et de Alcantara, *ib. b*. Clemens hoc ipsum decernit exequendum pro Militia de Montesia, 258 *b*.

Minores fratres Ordinis S. Francisci. Propositum est dubium: an Reformati possint habere organa, paramenta et vasa pretiosa, 783 *b*. Responsum fuit negative, *ib.* Excepto casu in quibus praedicta essent iam ecclesiis applicata, 784.

Mirapicensis ecclesia, Tolosanae provinciae, a Ioanne XXII in cathedralem erecta fuit, 57 *b*; in ea variae dignitates supprimuntur, *ib. V.* Gioiosae.

Missarum celebratio. Paulus IV decrevit ab Inquisitoribus tradendos esse curiae saeculari usurpantes sibi auctoritatem sacerdotis, 750 *a*. Sixtus V decretum innovavit, *ib. b*. Pontifex decernit eosdem degradatos ab Inquisitoribus vel Ordinariis tradi debere curiae saeculari debitis poenis plectendos, *ib*. Constitutionem publicari praecipit, 751 *a*.

Moderatio censurarum a Gregorio XIII inflictarum contra extrahentes frumenta a Statu Ecclesiastico, 276 *a* et *seq*. Clemens VIII excommunicationem tollit quoad eos, qui annonam extrahunt pro suo usu, *ib. b*. Confessariis dat facultatem eos absolvendi, *ib*.

Molinei Caroli scripta continent plura fidei contraria, ac proinde fuere vetita, 858 *a*. Plurimi futilibus de causis licentias illa tenendi extorserunt, illisque utuntur, *ib*. Papa idcirco scripta noviter damnat, *ib. b*; licentias quascumque revocat, prohibetque eas concedi a quocumque, 859 *a*; nisi ab uno Pontifice, *ib*. Molinei opera ab Ordinariis et Inquisitoribus comburenda, *ib*.

Monasteriensi episcopo committitur ut supprimat canonicatum et praebendam collegiatae ecclesiae S. Mauritii vacantes, et uniat decanatui eiusdem ecclesiae, 368 *a*. Ratificatio cum clausulis, *ib. b*. Monasteriensium civium filii legitimi et ingenui a beneficiis Collegiatarum nequeunt excludi, 292 *b*; nec filiae eorumdem a monialium monasteriis, *ib*.

Monetariae officinae, quae vulgo *Zecche* dicuntur, in Statu Ecclesiastico (in queis monetae inferioris valoris cudebantur) supprimuntur, 202 *b*; Romana tantum excepta, 203 *a*.

Monialium monasteria sub cura Fratrum Carmelitarum et Congregationis Mantuanae in Italia abdicantur a cura dictorum fratrum, et subiiciuntur locorum Ordinariis, 510 *b*. Si contingat monasteria extingui, eorum bona ad Ordinem Carmelitarum revertantur, 511 *a*.

Mons Pietatis in Urbe. Pignora apud Hebraeos consistentia, elapso spatio decem et octo mensium, vendi debent in Monte Pietatis de Urbe, 270 *a*; nec Hebraei plusquam duodecim scuta, pro quolibet pignore, mutuo dare possint, *ib*. Poenae in transgressores, *ib*. Apud eumdem Montem Gregorius XIII deposita fieri ordinavit supra quinque scuta, 849 *a*; quam ordinationem confirmat Clemens, *ib*. Dubia desuper exorta declarat ad favorem Montis, *ib. b*. Cedulae mercatorum nullae sunt in aliquibus casibus in constitutione contemplatis, 850 *a*. Quae sequestra et quando ea acceptare Mons debeat, *ib. b*. Provisiones circa deposita et venditiones, 851 *a*. Protector Montis contra inobedientes procedat, *ib. b*. Ipse sit iudex omnium causarum tangentium interesse Montis et archiconfraternitatis, 852 *a* et *b*, habetque ius declarandi dubia et statuta edendi, 853 *a*. Solutio Montis, praevio iudicis decreto, tuta est, *ib. b*.

Montem Novennalem augendi concessa facultas duodecim Congregationibus regularibus, quae subsidium pro bello contra Turcas subministrarunt, ad summam sexaginta millium scutorum, 109 *a* et *b* et *seq*.

Montesia (de) Militia. *V*. Militia de Montesia.

Morandus D. Ambrosius, prior sancti Petri ad Vincula, Congregationis sancti Salvatoris Bononiensis, procurator in causa pro subsidio C. A. dando pro bello contra Turcas, 114 *b*.

Munerum largitio, quocumque sub colore, omnibus utriusque sexus Religiosis vetita, 146 *b*. Qui regulares hac constitutione comprehendantur, *ib.*; quidque eis prohibitum sit explicatur, 147 *a*. Quibus donari nefas, *ib. b*. Dum vero quaelibet erogatio prohibetur, hospitalitatis et pietatis opera excipiuntur, 148 *a* et *b*. Poenae recipientibus munera, *ib.*; et dantibus, 149 *a*.

N

Notarii civitatis Bononiae a Vicelegato eiusdem civitatis, Octavio Bandino, ordinationibus supponuntur, quibus imperiti ab officio arcentur, 207 *b*; eorumque qualitates determinantur, 208 *a*. Privilegia insuper consulum notariorum confirmantur, *ib. b*. Edictum constitutionemque Vicelegati suo munimine roborat Pontifex, traslationesque officiorum in forenses fieri vetat, 209 *a* et *b*.

Notarios inter et thesaurarium R. C. A. transactio. Defunctorum notariorum scripturas ab eorum haeredibus collegio notariorum vendendas esse sub Leone X statutum, 133 *a*. Pretii summam auxerunt Iulius III et Pius IV, *ib. b*. Clemens vero VIII scripturas ipsas non ad haeredes, sed ad C. A. spectare decrevit, 134 *a*; Montique erecto a Collegio notariorum, quolibet anno, scuta duo millia centum vigintiquinque solvi statuit, *ib. b*; pro quorum securitate hypothecae constitutae fuerunt, *ib.* Praetendentibus autem notariis scripturas sibi, non Camerae spectare, 135 *a*; cum thesaurario tandem transegerunt, et Pontifex transactionem confirmat, *ib. b* et *seq.*; atque omnes lites inter notarios et C. A. ad se avocans definit, 136 *b*. Constitutiones Pii IV confirmat, 137 *a*. Promissio per notarios facienda de huiusmodi scripturis conservandis, 138 *a*.

Neapolitanum hospitale SS. Annunciatae. V. Hospitalis.

Nicolai (S.) oppidi de Alicante et S. Mariae ecclesiarum qualitates exponuntur, quae pluribus de causis uniri, atque illa in collegiatam erigi oportet, 259 *a* et *b*. Quod praefecti et syndici exposcebant, 260 *a*. Pontifex episcopo Oriolensi erectionem unionemque committit, *ib. b*. Dignitates in sic erectam collegiatam instituendae, 261 *a*. Reditus pro Capitulo inibi constituto assignantur, *ib. b*. Dispositiones variae circa redituum applicationem et usum, 262 *a*. Divisio inter officiales novae Collegiatae praebendarum aliorumque omnium emolumentorum, *ib. b*. Qualitates promovendorum ad canonicatus, 263 *a*. Quibus supradicta beneficia sint conferenda, *ib. b*. Cappa canonicis conceditur, 264 *a*. Varia insuper et multa privilegia elargitur Papa, *ib. b*.

Nullitates ex defectu. Pius IV tres tantum nullitates a iudicibus Urbis attendi decrevit, 17 *a*; nimirum ex defectu iurisdictionis, citationis et mandati, *ib.*; illas ad omnia tribunalia Status Ecclesiastici extendit Clemens VIII, *ib.*

Nuncius apostolicus apud Belgas. Brabantiae duces suos subditos ad tribunal episcopi Leodiensis in iudicium vocari non posse asserebant, 681 *a*; praeiudicium hinc grave ecclesiasticae auctoritati inferebatur, *ib.* Clemens nuncium apostolicum illorum iudicem ordinarium constituit, *ib. b* et *seq.* Facultatem eidem dat erigendi tribunal, 682 *b* et *seq.* Obedientiam ei praestari iubet, 684 *a*.

O

Orandi varietas in Ecclesia Dei vitanda est, 788 *a*.

Ordines Regulares. Fratres Tertii Ordinis Sancti Francisci de Poenitentia, in communi sub trium votorum substantialium professione viventes, in capitulis generalibus electos visitatorem generalem et definitores accipiunt, 206 *b*. Dispositiones quoad capitula provincialia, 207 *a*; et formam dandi vota, necnon electiones provincialium et priorum, *ib*.

Ordinis B. M. de Monte Carmelo fratres disputant de praecedentia in actibus publicis cum fratribus B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum, 877 *a*. Visitatores apostolici definierunt favore Carmelitarum, *ib*.; quam sententiam approbat Papa, *ib*. *b*. Orta iterum controversia, Pontifex ampliat datam sententiam, 878 *a* et *b*. Archiepiscopi et episcopi oleum sanctum dari curent fratribus huius Ordinis pro ministranda Extrema Unctione infirmis religiosis, 484 *b*.

Ordinis Fratrum Minorum regularis Observantiae, alias S. Clarae et Tertii Ordinis de Poenitentia commendatio, 386 *b*. Plurimas gratias et indulta ei concesserunt Romani Pontifices, 387 *a*. Clemens VIII omnia approbat et rata habet quae Concilii Tridentini decretis vel regulae Fratrum Reformatorum non adversantur, *ib*. *b*.

Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia reformationem concernentia nonnulla decreta fieri petit Minister generalis, 182 *a*. Pontifex declarat ministris provincialibus licere quascumque Reformatorum domos visitare, *ib*. *b*; examinatores eligere, guardianos custodiarum a definitorio provinciali designari nonnullaque alia, 183 *a* et *b*. Cardinalis Matthaeius, protector Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, statuit in partibus Indiarum non posse ad officia admitti nisi illarum provinciarum filios, aut illis incorporatos, 571 *a*. Decretum hoc ratum habet Pontifex, 572 *a*.

Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis Fratres appellari non possunt a superioribus eiusdem Ordinis ad tribunalia saecularia; sed recursum habere possunt ad priorem et generalem, protectorem seu viceprotectorem, aut ad Romanum Pontificem, 21 *b* et *seq*.; quae dispositio Papae promota fuit a magistro Laelio Balliono de Florentia priore generali Ordinis Fratrum Servorum supradictorum, *ib*. Hic ordo a Clemente VIII reformatur, 657 *b*, usque ad 673 *a*.

Ordo Mendicantium missionibus deputatus. Gregorius XIII religiosos Societatis Iesu, et non alios, ad provincias Iaponicas proficisci iussit, praedicandi aut docendi causa, 631 *a*. Sed cum populorum multitudini impares essent, religiosos omnium Ordinum mendicantium illuc proficisci posse Clemens indulget, habita a superioribus suis licentia, *ib*. *b*. Hortatur superiores ut missiones utiles esse curent, 632 *a*. Missi vero praescriptionibus obediant, *ib*. Controversiae ab episcopis cognoscendae, et graviora Papae significanda, *ib*. *b*. Vetitum ex insulis Philippinis et aliqua parte Indiarum occidentalium transire in insulas Iaponicas, *ib*.

Ordo B. Mariae de Mercede, ratione quarti voti, strictior aliis reputabatur, 319 *a*. Clemens VIII contrarium decernit, *ib*. *b*; cum alia ratione quam quarti voti regula strictior sit iudicanda, *ib*. In capitulo generali anni MDXCIX nonnullae con-

ditae fuere constitutiones, quae enumerantur, 580 *b* usque ad 582 *a*; quas confirmat Papa, nonnullis additis, nonnullis item immutatis, *ib. b*; quaeque praecipit stricte observari, 583 *a*.

Ordo Hospitalarius S. Ioannis Hierosolymitani. Concordia inita inter Linguas Italiae et Alemanniae huiusce Ordinis et eius causae, 572 *b* et *seq*. Concordia a 573 *b* ad 578 *a*. Illam confirmat Clemens, *ib. b*.

Ordo SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum. De mandato Pontificis, Congregatio cardinalium super ritibus et caeremoniis formam praefinivit communicationis indulgentiarum, 786 *b*; eademque congregatio praescripsit formam communicationis bonorum operum, 787 *a*; et alia ad rem decreta edidit, *ib.* Pontifex praedicta approbat et observari mandat, *ib. b*; irritatque in contrarium attentanda, *ib.*

Oriolensis dioecesis. *V.* Maurorum recentur conversorum.

Ossat (de) Arnaldus orator Henrici IV apud Pontificem, 306 *b*.

Oxomensis episcopus atque capitulum Congregationi Sacrorum Rituum supplicarunt pro controversia dirimenda circa associationem episcopi, tam in eundo ad ecclesiam, quam ab ea redeundo, 19 *a*. Congregatio decretum super hoc edidit, nonnullis adiunctis advertentiis, *ib. b* et *seq*. Episcopus et Capitulum supplicant pro confirmatione praedicti decreti, quod confirmat Pontifex, 20 *a* et *b*.

P

Pacensis episcopus. A Congregatione Concilii decretum latum fuerat super ordinatione eorum, qui vel a iudaeis vel ab haereticis originem ducunt, 84 *b*. Huic decreto Pacensis episcopus non parebat, quem admonet Clemens ut pareat, 85 *a*.

Parochias, in quibus commorantur Mauri ad christianam fidem conversi, erigendi et dotandi commissio data archiepiscopo Valentinensi, et episcopis Segobricensi et Oriolensi, 338 *a* et *seq*.

Patriarcha S. Marci Venetiarum. *V.* Venetiarum.

Pedemons. *V.* Sabaudia.

Perusinae universitatis studium generale quasdam ordinationes pro eius regimine a directoribus acceperat, 32 *a*; quas confirmari cupiunt a Pontifice; Clemens VIII rem nonnullis cardinalibus examinandam credidit, qui tertiariarum terminos praefixerunt, *ib. b*; nonnullaque alia statuerunt pro dicti studii bono regimine, 33 *a* et *b*. Praemissa omnia confirmat Papa, observarique mandat, exequutoribus designatis, *ib. b* et *seq*. Hoc studium generale plura a Romanis Pontificibus Leone X, Paulo III, Pio IV et Sixto V privilegia obtinuit, 71 *b*. Ea petunt confirmari lectores, *ib.*; Clemens confirmat, ratamque habet concessionem Leonis causas appellationum cognoscendi, 72 *a*. Plura de salarii augmento, *ib. b*. Sensus litterarum Apostolicarum explicatur, 73 *a*. Piscium lacus Trasimeni pretium lectoribus applicatur, *ib. b*.

Petri (S.) de Hospitaletto, Laudensis dioecesis. *V.* Eremitae sancti Hieronymi.

Philippus II Hispaniarum rex concordat cum ecclesiasticis provinciae Cathaloniae pro solutione primae decimae a Romanis Pontificibus eidem regi concessae, 45 *a*

et *seq.* Ipse rex absolvitur a quacumque censura, quod proventus ex Cruciata, *etc.*, in alios usus converterit quam eos, quorum intuitu concessi fuerant, 673 *b* et *seq.* Extensio indultorum Cruciatae, Subsidii excusati et Primae decimae ad alia pia opera, 674 *b*.

Philippus III Hispaniarum rex, filium se Romanae Ecclesiae declarans, petit ope divina adiuvari in sui regni gubernio, 474 *b*. Litterae ad Pontificem et ad oratorem Romae residentem missae, 475 *a*. Pontifex in illius dominiis solemnes processiones et supplicationes indicit, 475 *b*; aliaque pia opera, proposita plenaria indulgentia ad modum Iubilaei, 476 *a* et *b*; cum venia sibi confessarium eligendi, 477 *a*. Eumdem regem hortatur Papa, sedulam adhibeat curam in seligendis iis, qui ad episcopatum sunt promovendi, 478 *b*; neve crebras eorum translationes petat, 479 *a* et *b*; neve ad aulam regiam vocet, aut eorum opera, extra ecclesias, utatur nisi ob gravissimas causas, 480 *a* et *b*. Dispensationes super residentias revocat, *ib. b*. In investituris regni utriusque Siciliae concessis regibus Aragonum cautum erat ne ipsi eligerentur imperatores Romanorum, 534 *a*. Clemens tamen cum Philippo III dispensat ut una cum Sicilia possit ducatum Mediolani obtinere, *ib. b*. Huius dispensationis causas exponit fuse, 535 *a* et *b*. Iulius II concessit investituram regni Siciliae Ferdinando Hispaniarum regi et eius successoribus, 536 *b*. Idipsum fecit Leo X cum Carolo, qui fuit etiam imperator, 537 *a*. Iulius III investituram concessit Philippo II, *ib. b*. Clemens VIII investituram hanc cum solito censu annuo et conditionibus iampridem expressis Philippo III concedit, 539 *a*; cum lege declarandi infra annum, per auream bullam, se talem investituram ex mera liberalitate Pontificis obtinuisse, *ib. b*. Forma iuramenti ab oratore praestiti, *ib.* et *seq.* Rex modum servandum in appellationibus praescripsit, 560 *b*; quem approbat Clemens, servarique praecipit, 561 *b*.

Physicorum collegium in Urbe. *V.* Protomedici.

Pientinensis et Ilicinensis Ecclesiae separantur gravibus de causis, 143 *a*; et episcopus separatus unicuique praeficitur, ad preces etiam Ferdinandi Hetruriae magni ducis, *ib.* et *b*.

Pignora. V. Mons Pietatis.

Pinellus Dominicus cardinalis, protector Congregationis Italicae Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, 340 *b*.

Pontificale Romanum. Pius V Breviarium et Missale restituit, 246 *b*. Alii Pontifices ediderunt Pontificale, *ib.* Verum paullatim eius immutata forma, *ib.*; Clemens VIII emendari iubet, emendatum edi, editum evulgari, 247 *a*. Haec autem emendatio facta est adhibitis vetustissimis Vaticanis aliisque codicibus, *ib. b*. Demum observari praecipit, aliis omnibus quomodolibet interdictis, 248 *a*; nec alicui mutare aliquid permissum, *ib.* In omnibus ecclesiis introduci vult, *ib. b*.

Pontificum Romanorum cura pro optima valetudine conservanda totius reipublicae, 85 *a*.

Popelius Georgius, baro de Lobroviz. *V.* Collegium.

Portugalliae collector. Exorta controversia inter Philippum regem et abbatem generalem Congregationis de Alcobatia super iurepatronatus nonnullorum monasteriorum, 348 *b*, transactio inter partes inita est, conventumque abbatem gene-

ralem annuam pensionem quingentorum cruciatorum regiae capellae Ulixbonensi persoluturum, 349 *a* et *b*; Philippum vero iuspatronatus cedere super quinque monasteria, 350 *a*. Partes ratificantes concordiam, pontificiam sanctionem petunt, *ib.* Clemens VIII collectori spoliorum committit ut, re bene inspecta, concordiam confirmet, *ib. b*. Philippo iniungit ut Congregationem de Alcobatia immittat in possessionem monasteriorum, cum primum vacaverint, 351 *a*. Assignat tempus solvendae pensionis, *ib. b*.

Portugalliae regi conceditur indultum subdelegandi iudicem conservatorem in causis spectantibus ad Militiam Iesu Christi, S. Iacobi de Spatha, et S. Benedicti de Avis in eodem regno, 430 *a* et *b*.

Portugalliae reginae Catharinae super institutione legati annui mille et quingentorum scutorum statuta confecta ab exequutoribus testamentariis confirmantur, 649 *a* et *b*. Tenor capitulorum inseritur Bullae a pag. 650 ad pag. 653.

Pragmatica Bononiae publicatur de mandato Pontificis ad evitandos superfluos sumptus, 266 *a*. Eam confirmat Clemens, *ib.*

Preces primariae Poloniae regi concessae, seu indultum concedendi beneficia, 144 *a* et *b*.

Privilegia conceduntur mercatoribus advehentibus merces ad portum civitatis Anconae, 104 *a*. Causae constitutionis edendae, *ib.* Exemptio gabellae pro mercatoribus exteris ex orientalibus partibus merces Anconam adducentibus, vel ibi mercaturae caussa consistentibus, *ib. b*. Salviconductus eis concedendi, 105 *a*. Statuta Pauli III pro Hebraeis orientalibus Anconae commorantibus, *ib. b*. Constitutionis declaratio contra Hebraeos Anconae degentes, *ib.* Nonnullae pro mercatoribus prohibitiones, 106 *a*. Triticum Anconam advectum libere vendi potest, *ib.* Dispositiones circa vectigalia, circa consules civitatis, circa causas mercatorum, *ib. b*; et earum iudices, 107 *a*; qui nihil recipere nec emere possunt de mercibus navium, *ib. b*.

Professio in Ordinibus Regularium. Sixtus V formam tradidit recipiendorum novitiorum ad Ordines Regulares, 768 *a*. Gregorius XIV aliquid de illegitimis praescripsit, *ib. b*. Clemens praedictas constitutiones ad formam iuris reducit, *ib.*; poenas tamen superioribus impositas praeservat, 769 *a*. Causae ob quas depravantur religiones, *ib. b*. Pontifex novitios in locis destinandis tantum recipi mandat, *ib.*; usque ad deputationem non recipiantur, et alia ad rem, 770 *a*. Praedictum decretum ampliat idem Pontifex, *ib.* et *b*. Superiorum transgredientium poenae, 771 *a*. Decretum publicat super forma recipiendi novitios ad habitum et professionem regularem, *ib. b*. et *seq*. Institutiones super receptione et educatione novitiorum in monasteriis et conventibus designatis vel designandis, 772 *b* usque ad 777 *a*.

Protomedici et collegii physicorum de Urbe Sixtus IV confirmavit statuta, 85 *b*. Clemens VII id ipsum fecit, atque privilegia multa protomedico et collegio tribuit super approbatione physicorum, chirurgorum et aromatariorum, 86 *a*. Protomedicus et collegium incolumitati incolarum Status Ecclesiastici intendentes statuta reformarunt et alia pro feliciori collegii regimine statuerunt, *ib. b*; Confirmationem insuper praedictorum omnium petierunt a Papa, *ib.*; qui gratias omnes et statuta confirmat, *ib.* et *seq*.

R

Raymundi (S.) Barchinonensis canonizatio. Omni tempore quo ecclesia catholica tyrannorum et haereticorum perturbationes passa est, Deus suscitavit aliquem sanctum, qui fidem propagavit, 688 *a*. Raymundus Barchinonensis, Ordinis S. Dominici, vir sanctus et virtutibus plurimis ornatus, multos ad bonam frugem reduxit, *ibid. b*. Gratia curationum et vitae sanctitate praefulsit, 689 *a*. Miraculis clarus, quorum aliqua recenset, *ibid. b*. Doctor publice docet canones, *ibid*. Creatur canonicus Barchinonensis, *ibid*. Magna apud omnes eius auctoritas et sanctitatis opinio, 690 *a*. Ordinem Fratrum Praedicatorum ingreditur, inque eo professionem emittit, *ibid. b*. Virtutibus elucet, *ibid. b* et *seq*. Pauperum et captivorum curam praecipue gerit, 691 *b*. Ordinis Redemptionis Captivorum statuta praescribit et primum magistrum generalem creat, *ibid. b*. A Gregorio IX Romam vocatus venit, 692 *b*. Capellanus et poenitentiarius constituitur, *ibid*. Decretales in compendium redigit, *ibid*. Archiepiscopatum Tarraconensem recusat, 693 *a*. Barchinonem redit, *ibid*. Magister generalis Ordinis Praedicatorum absens creatus, biennio elapso, magistratu sponte se abdicat, 694 *a*. Plura alia virtutum et gratiarum insignia eius mortem praecedunt quae anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto accidit, cum annos fere centum esset natus, *ibid*. usque ad 696 *b*. Referuntur quae post eius mortem mirabilia operatus est Deus, 697 ad 699 *a*. Eius canonizationem cum plures petiissent, tandem praemissis omnibus praemittendis, Clemens VIII Sanctorum albo illum adscripsit, eiusque festivitas die VII ianuarii celebrari praecepit, *ibid*. usque ad 703 *b*. Indulgentiae de more concessae, 704 *a*.

Real (El) monasterium S. Laurentii. *V*. Laurentii (S.)

Reformati Fratres de Observantia dicebantur non servare regulam S. Francisci, 862 *a*. Pontifex eos vere dictae regulae observatores declarat, *ibid. b*; gratiisque et privilegiis Fratrum Minorum de Observantia frui posse, 863 *a*.

Reformatio regularium. *V*. Decreta generalia.

Refugii domum in Urbe instituit Clemens VIII pro pauperibus virginibus recipiendis in una eius parte; pro viduis in alia, ac demum pro mulieribus a turpi vita ad poenitentiam conversis in alia, 209 *a* et *b*. Haec nominatur monasterium Refugii B. M. Virginis, 220 *a*. Variae dispositiones circa superiores eorumque facultates, Virginum aliarumque qualitates et bonum earum regimen, *ibid. b*. Duas inibi congregationes erectae, indulgentiaeque personis dictarum congregationum concessae, 221, *b*. Iurisdictio iudicis dicti monasterii, 222 usque ad 224.

Regulares accedere nequeunt ad monasteria monialium, etiam si sibi sint subiecta, 78 *b* et *seqq*. Quoad delinquentes Concilium Tridentinum iussit certo modo puniri regulares extra claustra notorie delinquentes, 249 *a*. Cum vero haec dispositio exequutioni minime mandaretur, *ibid.*; Clemens VIII praescribit normam qua dicti Concilii decretum exequi debeat, *ibid. b*.

Religiosae Congregationes ab insignis sanctitatis viris, Spiritus Sancti afflatu, institutae, maximas Ecclesiae Dei utilitates omni tempore attulerunt, 146 *a*.

Romualdi (S.) abbatis, fundatoris Ordinis Camaldulensium, festus institutus, die septima februarii, 201 *b;* qui eius translationis est, 202 *a;* sub ritu duplici, *ib.*

Rosa (de) monasterium in Urbe S. Catharinae. Protector et congregatio huius monasterii cogere possunt puellarum parentes aut consanguineos, ad quos earum alimentatio spectat, ad praestandum eis alimenta, 870 *a* et *b*. Puellae vero in monasterio degentes nullo pacto contrahere possunt, absque licentia praelati, praeterquam in commodum monasterii, 871 *b*. A Congregatione vero dotatae et nuptae, si filios non habent, de suis bonis non disponant, etiam favore locorum piorum, *etc.*, 872 *a*.

Ruthena natio Romanae Ecclesiae unitur, 239 *b*. Series facti exponitur nominaque referuntur eorum qui, an. MDXCIV, redire ad Ecclesiam Romanam statuerunt, 240 *b*. Duo in primis fuere electi episcopi pro hac reconciliatione procuratores, 241 *a;* qui supplicant pro receptione, retentis ritibus graecis, *ibid. b*. Clemens, rebus in Congregatione S. Officii examinatis, concistorium indicit, 242 *a;* in quo lectae fuerunt litterae Ruthenorum, atque uterque episcopus fidei professionem emisit nomine totius nationis, *ibid. b*. Professio fidei episcopi Wlodimiriensis, 243 *a;* alteriusque procuratoris episcopi Luceoriensis, *ibid. b*. Nomina praelatorum, 244 *a*. Poenitentiario maiori ipsorum absolutio a censuris committitur, *ibid. b*. Ipsis vero procuratoribus venia data absolvendi caeteros suae nationis, 245 *a*. Admissio de qua supra, *ibid.* Pontificis precatio, *ibid. b*. Episcopi Rutheni supplicarunt recipi in Ecclesiae Catholicae gremium, 251 *a*. Motus proprius Pontificis quo petita concedit, *ibid. b*. Facultas archiepiscopo metropolitano Kioviensi et Haliciensi, vel de eius licentia alii catholico antistiti, consecrandi electos ad ecclesias cathedrales et sedes episcopales, 252 *a*. Romano tamen Pontifici reservatur confirmatio metropolitae, *ibid.* Confirmationis litterae secreto expediendae, *ibid. b*.

S

Sabaudia et Pedemons. Sixtus V Carolo Emmanueli duci Sabaudiae et Pedemontis subsidium quinquennale super fructibus ecclesiarum Sabaudiae, *etc.*, decem millium scutorum bis concessit, 217 *a*. Gregorius XIV huiusmodi subsidium prorogavit ad aliud quinquennium, *ibid. b*. Hocce autem subsidium adauget Clemens VIII in aliis quinque millibus scutis intra triennium exigendis, *ibid.*, causis fuse enarratis, 218 *a*. In exactionibus forma servanda a Sixto tradita, *ibid. b*. Nuncio apostolico exequutio constitutionis commissa, *ibid.* Nicolaus V Carolo Emmanueli promiserat nulla beneficia se collaturum nisi eodem consentiente, 196 *a* et *b*. Sixtus V statuit beneficia ecclesiastica eiusdem dominii Sabaudiae nonnisi oriundis vel incolis conferri posse, 197 *a*. Innocentius VIII et Iulius II praedicta confirmarunt, *ibid. b*. Bonifacius VIII ordinavit, sine licentia Sedis Apostolicae, non posse declarari sententiam excommunicationis contra Amadeum eiusque dominia, 197 *b*. Quod Carolo Comiti Iulius II confirmavit, 198 *a*. Leo X pontificia omnia et imperialia privilegia duci Sabaudiae concessa rata habet, *ibid.* Quod et Clemens VII praestavit, *ibid. b;* confirmavitque Gregorius XIII. Demum Clemens VIII omnia praedicta approbans innovat, 199 *b*.

Saccoccia vel *Sacchi* quid sint, 253 *b.*

Salisburgensis Archiepiscopus Wulfangus Theodoricus. *V.* Breviarium.

Salviati Antonius Maria, S. R. E. cardinalis, Montis Pietatis Urbis, dum vixit, protector, 854 *b.*

Sardiniae in regno, ad petitionem Philippi Hispaniarum regis, archiepiscoporum et episcoporum spolia pro ecclesiis inibi vacantibus destinantur, 120 *b* et *seq.* Inibi loca regularia reformantur per visitatores a Clemente VIII deputatos, 463 *a* et *b;* quibus amplissimae facultates ad rem conceduntur, *ibid.* et *seq.* Episcopo Calaritanensi iniungitur ut curet observantiam reformationis, 464 *a.*

Sardiniae episcoporum bona et fructus ecclesiarum vacantium Pius V asseruit ipsis ecclesiis, 608 *b.* Nonnulli tamen episcopi ea donabant suis consanguineis, 609 *a.* Philippus rex Papae supplicat ut consulat ecclesiarum indemnitati, *ibid.* Clemens Pii constitutionem innovat, donationesque hucusque factas irritat, *ibid. b.*

Scholares monasterii *El-Real* a Sixto V privilegium obtinuerant consequendi lauream doctoralem in qualibet universitate Hispaniarum, 210 *b.* Philippus rex privilegium hoc ad aliquos restringi petit, 211 *a.* Clemens restringit ad octo pro quolibet cursu scholastico, *ibid.*

Segobricensis dioecesis. *V.* Maurorum recenter conversorum.

Seguntinus episcopus quemdam annuum reditum fratribus Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, provinciae Castellae, tradit pro redimendis captivis, 356 *a;* cum conditione quod duo presbyteri semper Algerii commorentur, qui captivis sacramenta administrent, *ibid. b.* Administrator huius legati ab Hispaniarum rege nominandus, 357 *a;* summaeque in captivorum subsidium expendendae, *ibid. b.* Dispositiones variae ad rem, 358 *a* et *b.* Si Algerium in potestatem christianorum venerit, eadem summa in Africa pro eadem captivorum redemptione impendenda, 359 *a.* Matriti Ordinis documenta servanda, *ibid. b.* Pium opus Hispaniarum regi commendatur, 360 *a.* Quinam captivi caeteris praeferendi, *ibid. b.* Aliae dispositiones pro fundi perpetuitate et pio eius usu, 361 *a* et *b.* Ordo Redemptionis se obligare debet pro exequutione omnium quae a fundatore statuta sunt, 362 *b.* Superiores ordinis omnia praedicta admittunt; quae sanctionem Papae obtinent, 363 *a* et *b.* Rationes autem expensarum vult reddi coram administratore et vicario archiepiscopi Toletani, *ibid.*

Senarum civitatis monasteria monialium archiepiscopo subiicit Pius II, 519 *b.* Leo X aliqua sub regularibus posuit, 520 *a.* Clemens tandem VIII constitutionem Pianam renovat, *ibid. b;* vetatque Regularibus ne se in huiusmodi gubernio ingerant, 521 *a.*

Sigismundus I Poloniae rex supplicat Leoni X pro inserendo in Sanctorum albo beatum Hyacinthum polonum, 123 *b.* Idemque apud Clementem VIII instat Sigismundus III, eiusdem regni rex, 126 *a.*

Societatis Iesu fratres obtinuerunt a nonnullis Pontificibus facultatem absolvendi ab haeresi et libros prohibitos legendi, 83 *a.* Praepositus dictam facultatem revocari petit quoad fratres in regnis Hispaniarum degentes, in quibus officium S. Inquisitionis existit, *ibid. b.* Clemens facultates elargitas revocat, 84 *a.*

Somascha (De). *V.* Congregationis Clericorum Regularium.

Spinola Horatius, referendarius utriusque signaturae, vicelegatus Bononiensis, 380.
Spolia episcoporum in regno Sardiniae, 120 *a*. Pius V spolia et fructus ecclesiarum in dicto regno vacantium applicaverat reparationi earumdem ecclesiarum, et emptioni sacrarum suppellectilium, *ibid.*; quum, episcoporum negligentia, ecclesiae in eo regno fabricis, paramentis, omni denique decore imminutae reperirentur, 121 *a*. Sed cum ecclesiarum oeconomi ea sibi propria facerent, *ibid. b*; Clemens VIII vicario Turritanensis archiepiscopi committit ut eos cogat ad rationem perceptorum reddendam, poenis inobedientibus inflictis, 122 *a*; iisque et eorum haeredibus ad integram male expensorum restitutionem compulsis, *ibid. b*.
Stanislai (S.) episcopi et martyris festivitas instituta pro die septima mensis maii, 200 *b*.
Stephani (S.) Militia. Vidae Thomae (S.)
Subsidium scutorum quinquaginta millium in dominio reipublicae Venetorum, pro sublevandis C. A. angustiis, imponitur super fructibus beneficiorum, 193 *a* et *seq*. Nuncio Apostolico committitur huiusmodi subsidii exactio, *ibid. b*. Quae Congregationes ab huiusmodi onere eximantur, 194 *a*. Subcollectores deputari pluraque ad rem opportuna praestare dictus nuncius queit, 194 *b*. Pensionarii quoque in subsidio praestando comprehenduntur, 195 *a*. Super idem argumentum, 708 *a* usque ad 709 *b*.

T

Taberna Ferdinandus, in utraque signatura referendarius, collector generalis spoliorum C. A. in Portugalliae et Algarbiorum regnis, 348 *b* et *seq*.
Thesaurarius generalis transactionem iniit cum universitatibus Fori Saraceni, Theodorani, Casemattae, *etc.*, super exemptionibus a solutione onerum Cameralium, 446 *b*. Tenor transactionis, *ibid. b*. Papae chirographum, *ibid.* Transactionem confirmat Pontifex, 448 *b*.
Tholosanum seminarium. Cardinalis de Gioiosa seminarium Tholosanum erigit, 494 *b*; eique uniri petit prioratum et parochialem ecclesiam *de Fenovillet*, Ordinis S. Benedicti, Carcassonensis et Tholosanensis dioecesum, 495 *a*. Papa unit, *ibid. b*; duasque vicarias erigit pro duobus presbyteris saecularibus, *etc.*, 496 *b*.
Thomae (S.) Senensis praepositura supprimitur, 1 *a* et *seq.*; illius erectio in praeceptoriam, dosque ei assignata, 2 *b*. Gregorii XIV litterae, quamvis hac super re expeditae non fuerint, validantur, et omnia in ipsis ordinata confirmantur a Clemente, 3 *a* et *b*.
Thunonii in oppido, ob multas conversiones hominum ad veram fidem, 489 *a* et *b*, universitatem studiorum erigendam optime visum est, 490 *a*. Cui nonnullos prioratus uniri propositum fuit, *ibid. b*. Papa universitatem creat, prioratusque ipsi unit, 491 *a* et *b*; caeteraque praestat ad rem opportuna, 492 *a* et *b*. Albergamentum appellatur, *ibid.*
Trasimeni lacus conductores tres ex quatuor partibus ex quatreno super piscium venditione habeant, unam universitatis lectores, 73 *b*.

Tridentinae Ecclesiae praepositura. Paulus II concessit Sigismundo Austriaco, Tirolis comiti eiusque successoribus, ius patronatus ad praeposituram Tridentinam, 734 *b* et *seq.* Imposita tamen comitibus lege solvendi singulis annis unam cerae libram Sedi Apostolicae, 735 *b.* Qua per ignorantiam non soluta, Rodulphus sub eadem lege petit sibi iuspatronatus restitui, *ibid.* Annuit Papa, 736. Iusque praeservat proviso, *ibid.* Dictam cerae libram praestari iubet sub poena caducitatis, 737 *a.*

Tullensi in dioecesi plures abusus contra sacri Concilii Tridentini decretorum dispositionem irrepserant, quae summarie recensentur, 63 *a.* Pontifex Cristophoro episcopo Tullensi committit visitationem totius dioecesis ad eradicandos abusus, et Concilii Tridentini observantiam inducendam, *ibid. b.* Sequitur adhortatio ad Capitulum et canonicos Tullenses, ut iuxta Concilii Tridentini decreta episcopo suo pareant, 64 *a.*

Turcas contra bellum. Clemens VIII Turcarum conatus bellique apparatus in christifideles disertis verbis recenset, 98 *a;* fractamque triplici Rodulphi imperatoris victoria eorum audaciam innuit, *ibid. b.* Nihilominus paulo post insanior factus Turca, extrema quaeque Germaniae, Italiaeque minitatur, 99 *a.* Papa christianos principes hortatur ut Rodulpho auxilium ferant, seque non exiguam opem ei allaturum spondet, *ibid.* Sed cum Camera Apostolica aliis etiam impendiis exhausta impar ad hoc sit, clerum Status Ecclesiastici in partem tantae rei vocare se coactum fatetur, *ibid. b.* Sex proinde decimas super omnia beneficia saecularia et regularia imponit, 100 *a;* exceptis cardinalibus atque duodecim Regularibus Congregationibus, quae, temporibus Pii Papae V, pro subsidio ordinario cum Camera Apostolica compositionem inierunt, *ibid. b.* Alias sex decimas imponit super fructibus quarumcumque pensionum, supradictis exceptis, *ibid. b;* praefinito ad faciendas solutiones termino, *ibid.;* depositarium ad eas custodiendas instituit, 101 *a.* Non solventes aut fraudes committentes, poenis coercet, *ibid.* Decimas pensionum a beneficia possidentibus pensionariorum nomine solvendas esse declarat, *ibid.* Modus eas exigendi, *ibid.* Quietantiae a quibus faciendae, *ibid. b.* S. R. E. cardinalem Camerarium decimarum collectorem constituit cum amplissimis facultatibus, 102 *a* et *b.* Sacras suppellectiles loco monetae percipi prohibet, 103 *a.* Taxam pro quietantiis praefinit, *ibid. b.* In idem argumentum. Papa recenset Turcarum furorem et astutiam in christianos, 751 *b.* Quantum ipse elaboraverit ut foedus inter principes christianos contra eos constitueret, 752 *a.* Veneti Papae monitis obtemperantes arces portusque munierunt, et exercitum pararunt, *ibid. b.* Pontifex eis concessit decimam super bonis ecclesiasticis, *ibid.* Causas refert pro reipublicae Venetae decimas imponendo, 753 *a.* Octo decimas super bonis ecclesiasticis imponit, quae cedant in eiusdem subsidium, *ibid. b;* ac alias octo decimas super pensionibus, factis tamen nonnullis exceptionibus, 754 *a.* Quatuor decimas et dimidiam imponit super Congregationibus monasticis, quae compositionem inierunt sub Pio V, *ibid. b* et *seq.* Modum designat persolvendi huiusmodi decimas, 755 *b.* Exequutores deputat, assignato eis praemio bis mille scutorum, 756 *a.* Facultas necessaria eis impertitur, *ibid. b.* Vasa sacra, pignoris loco, capi vetat, 757 *b.*

Tyberis inundatio maxima et luctuosa Pontificis zelum charitatemque mirum in modum excitat, 467 *b;* ad optima consilia praebenda atque ad populum incitandum ut Deum puro corde deprecetur, atque a vitiis se abstinens, virtutes sequatur, 468 *a* et *b*. Supplicationes indicit, atque indulgentias elargitur, 469 *a* et *b*.

Typographia Vaticana. Sixtus V correctoribus typographiae Vaticanae nonnulla beneficia ecclesiastica addixerat, 81 *a*. Gregorius XIV de dictis beneficiis aliter disposuit, quod magno damno fuit typographiae, *ibid. b*. Clemens vero eidem restituere correctores voluit, et bibliothecae Vaticanae alios dare, *ib*. Suppressis itaque nonnullis officiis, quinque correctores pro utraque creat, 82 *a;* stipendium unicuique assignat, *ibid.;* nomina correctorum referuntur, *ibid.* et *b*. Praefectis bibliothecae et typographiae subiiciuntur, *ib*.

U

Urbani (S.) monasterium in Urbe. Erecta domo pro virginibus egenis ad ecclesiam Sanctae Euphemiae, nonnullae cupiebant fieri moniales, 562 *b*. Cardinalis Baronius monasterium pro eis erigi petit ad ecclesiam S. Urbani, *ibid.* Card. Sfortia commendatarius huiusmodi ecclesiam erigendo monasterio uniri assentitur, 363 *a*. Cappucinarum monasterium, ordinis S. Clarae, inibi erigendum designatur, *ibid.* Papa omnibus annuit, *ibid. b;* monasteriumque erigit sub regula S. Clarae, 564 *a*. Redituum assignatio, *ibid. b*. Iurisdictioni cardinalis vicarii et administratorum subiicitur, 565 *b*. Administratorum facultates et alia ad monasterii regimen, 566 *a* usque ad 568 *a*. Indulgentiarum communicatio, *ibid.*

Urgellensis dioecesis. *V.* Celsonae.

V

Vaticana typographia. *V.* Typographia Vaticana.

Venaissinus Comitatus. Clemens iusserat constitutionem de bono regimine redituum communitatum Status ecclesiastici observari in comitatu Avenionensi, 722 *b*. Eamdem observari praecipit in comitatu Venaissino, *ib*.

Venetiarum S. Marci ecclesiae collegiatae primicerio facultas conceditur utendi mitra et baculo, benedicendi paramenta et ornamenta ecclesiastica, necnon benedicendi populo, 318 *b*.

Veronense Capitulum inter et eiusdem urbis magistratus, episcopus decretum tulit super modo seipsum comitandi, et thurificandi Capitulum ac Magistratum, 90 *a*. Ab hoc decreto appellavit capitulum, *ibid. b*. Clemens VIII praescribit formam comitandi episcopum et magistratum incensandi, *ibid.* et 91 *a*. Nuncio apostolico demandatur exequutio, *ibid.* Iura Capituli quoad reliqua reservantur, *ibid.* Alias quascumque causas ad se avocat Pontifex, et auditoribus causarum Palatii Apostolici committit, *ibid.*

W

Wlodimirensis et Brestensis episcopi, rutheni ritus, aliique quae gesserint pro unione ad Romanam Ecclesiam, 253 *a*. Iisdem usum *Saccocciae* concedit dum pontificalia exercent, *ibid. b*. Clemens VIII vestes huiusmodi, caerulei coloris, auro argentoque intextas eisdem donat, 254 *a*.

Z

Zamoscii Ecclesia, Kelmensis dioecesis. *V*. Decano.
Zecchae. *V*. Monetariae officinae.

INDEX INITIALIS

A

Ad exequendum... nobis, 143.
Ad exequendum... paternis, 494.
Ad militantis, 529.
Ad Romani Pontificis, 438.
Ad Romanum Pontificem spectat dubia quaecumque, 317.
Ad Romanum... quae super, 464.
Æqua et circumspecta, 238.
Æquum reputamus, 1.
Æquum reputamus, 4.
Alias a nobis emanarunt, 879.
Alias felicis recordat. Gregorio XIII, 732.
Alias felicis recordat. Gregorius XIV, 763.
Alias, sicut accepimus, 485.
Ambitiosam honorum, 293.
Annus Domini, 504.
Apostolicae Sedis requirit, 608.
Apostolicae Sedis auctoritati, 858.
Apostolici... *etc.*, 812.
Apostolici muneris, divina, 870.
Apostolici muneris, *etc.*, 831.
Apostolici muneris nobis, 790.
Assidua pietatis, 108.

B

Benedictus Pater, 123.

C

Caeca et obdurata, 22.
Circumspecta Romani, 541.
Commissum nobis, 28.
Confirmationis nostrae, 71.
Controversiis et litibus, 256.
Cum ob nonnullas, 445.
Cum ad componendas, 856.
Cum ad sublevandum, 376.
Cum alias felicis, 204.
Cum alias sicut, 217.
Cum, ex iniuncto... fraternitati tuae, 84.
Cum ex iniuncto... in Congregatione, 414.
Cum Hebraeorum, 25.
Cum in diversis, 171.
Cum in Ecclesia Catholica, 788.
Cum litteris, 570.
Cum nos alias, per nostras, 559.
Cum nos alias, ut in universo, 717.
Cum nos heri, 383.
Cum nos nuper, 380.
Cum novissime, 597.
Cum nuper, 87.
Cum, sicut accepimus, in expeditione, 777.
Cum, sicut accepimus, licet alias felicis, 519.
Cum, sicut accepimus, licet ex antiqua, 133.
Cum, sicut accepimus, poenae, 346.
Cum, sicut accepimus, provisores, 325.
Cum, sicut non sine, 279.
Cupientes pro nostra, 722.

D

Debitum pastoralis, 562.
Decet ex benignitatis, 42.
Decet Romanum Pontificem ad tollendas, 739.
Decet Romanum Pontificem circa, 875.
Decet Romanum Pontificem dissensionum, 877.
Decet Romanum Pontificem dubia, 344.
Decet Romanum Pontificem... divinus cultus, 658.
Decet Romanum Pontificem, 548.

Decet Romanum Pontificem ea, quae, 196.
Decet Romanum Pontificem ea, quae de eius, 786.
Decet Romanum Pontificem ea suae confirmationis, 266.
Decet Romanum Pontificem ecclesiarum, 634.
Decet Romanum Pontificem, eos qui, 250.
Decet Romanum Pontificem iis, quae, 207.
Decet Romanum Pontificem insignium, 318.
Decet Romanum Pontificem... legata et bona, 324.
Decet Romanum Pontificem ordinariam, 80.
Decet Romanum Pontificem pias, 648.
Decet Romanum Pontificem quandocumque, 120.
Decet Romanum Pontificem... religiosorum, 206.
Decet Romanum... robore, 413.
Decet Romanum Pontificem super, 65.
De quiete, 521.
Dives in misericordia, 524.
Divinae gratiae, 304.
Divina clementia, 757.
Dubia quae, 607.
Dudum felicis, 210.

E

Ea Romani Pontificis, 280.
Eae sunt nostrae, 193.
Etsi alias felicis, 750.
Ex apostolicae, 104.
Ex consueta, 461.
Ex debito... nobis divina, 572.
Ex debito nostri ministerii, 172.
Ex debito pastoralis officii quo nobis, 864.
Ex debito pastoralis officii studemus, 90.
Exigit a nobis, 734.
Exigit pastoralis, 190.
Ex iniuncto... debito, 862.
Ex iniuncto... ea quae, 434.
Ex iniuncto... expedire, 737.
Ex iniuncto nobis apostolicae servitutis, 369.
Ex iniuncto nobis apostolici muneris debito, 364.
Ex iniuncto nobis desuper, 583.
Ex omnibus, 355.
Ex ore sedentis, 389.
Ex pastoralis, 580.
Exponi nobis nuper fecerunt, 233.
Exponi nobis nuper fecisti quod, 83.
Exponi nobis nuper fecistis, 431.
Exponi nobis nuper fecit charissimus... quod licet, 337.
Exponi nobis nuper fecit dilectus, 484.
Exponi nobis nuper fecit venerabilis, 780.
Exponi nobis... quod cum alias, 178.
Exponi nobis... quod cum in regno, 784.
Exponi siquidem, 546.
Exposcit debitum, 411.
Exposcit pastoralis, 292.
Expositum nobis, 367.
Ex quo divina, 227.
Ex quo in Ecclesia, 246.
Ex supernae, 225.
Ex venerabilis, 57.

F

Fidei ac devotionis, 458.
Fraternitatis tuae, 385.
Frumenti penuriam, 373.

G

Gloriosa progenitorum, 883.
Graves, quibus, 213.
Gregem Dominicum, 53.

H

His, quae, 571.
Honestis catholicorum, 603.
Humanae vitae, 436.

I

Iis quae pro felici, 184.
Illius, qui, 536.

In apostolicae, 619.
In conferendis, 551.
In his nostrae, 342.
In maximis, 109.
In sacra, 151.
In summis, 708.
In supereminenti, 600.
In suprema Ecclesiae, 768.
In suprema pastoralis, 751.
In supremo curae pastoralis, 219.
In supremo iustitiae, 511.
In supremo militantis, 625.
Intelleximus nuper, 681.
Inter caetera, 235.
Inter gravissimas curas, 482.
Inter gravissimas quas, 81.
Inter multiplices animi nostri, 139.
Inter multiplices nostri pastoralis, 32.
Inter multiplices pastoralis, 622.
Inter praecipuas, 449.
Iustitiae ratio, 270.

L

Laudabilis Apostolicae, 320.
Licet potestatis, 440.
Litium dispendiis, 17.

M

Magna dona, 478.
Magna quae... providere, 615.
Magna quae... provideri, 611.
Magnus Dominus, 239.
Maiestatis tuae ac dilectorum, 430.
Maiestatis tuae nomine, 560.
Manus Domini, 467.

N

Nullus omnino, 662.
Nuper a nobis, 844.
Nuper ad nos, 319.
Nuper siquidem, 545.
Nuper venerabiles, 880.

O

Officii nostri, 616.
Omne datum, 474.
Onerosa pastoralis, 631.
Ordinis vestri, 598.

P

Pastoralis nostra, 276.
Pastoralis nostrae, 463.
Pastoralis officii... cura, 778.
Pastoralis officii nobis divinitus, 92.
Pastoralis officii... ratio, 375.
Pastoralis Romani Pontificis, 182.
Pastoris aeterni, 767.
Pastoris muneri, 62.
Paterna de nostris, 352.
Paterna nostra erga cunctos, 270.
Paterna nostra erga quoscumque, 685.
Paterna nostra erga subditos, 592.
Paterna nostra erga vos, 481.
Paterna nostra in subditos, 202.
Pia mater Ecclesia, 201.
Pontificis auctoritas, 18.
Praeclara praedecessorum, 534.
Pro iniuncti nobis, 299.
Pro nostri pastoralis, 861.
Pro nostro munere... pertinere dignoscuntur, 163.
Pro nostro munere... super exactionibus, 45.
Propensa nostra, 673.

Q

Quae ad beatorum, 433.
Quaecumque ad divini cultus, 781.
Quae ad ecclesiarum, 856.
Quae ad pietatis, 849.
Quae ad prosperam, 34.
Quae ad Religiosorum antiquum, 860.
Quaecumque ad Religiosorum quietem, 277.
Quae ad Sanctorum, 200.

Quae ad tuenda, 56.
Quam semper, 267.
Quanto numerosi, 98.
Quoniam ab observantia, 731.
Quoniam in regimine, 428.
Quoniam nemo, 54.
Quoniam nostro, 21.
Quo viri, 85.

R

Ratio pastoralis, 386.
Redemptoris et Salvatoris, 488.
Regimini universalis, 74.
Regis pacifici, 471.
Religiosae congregationes, 146.
Romana Catholica Ecclesia, 687.
Romani Pontificis... circa illud, 176.
Romani Pontificis... circa piorum, 296.
Romani Pontificis circumspecta, 549.
Romani Pontificis consueta, 378.
Romani Pontificis... ecclesiarum, 348.
Romani Pontificis... in his, 150.
Romanum decet Pontificem ecclesiarum indemnitati, 847.
Romanum decet Pontificem, 591.
Romanum decet Pontificem suorum, 711.
Romanum decet Pontificem uti, 675.
Romanum Pontificem decet, 254.
Romanus Pontifex ea suae, 345,
Romanus Pontifex eos, 253.
Romanus Pontifex gratiarum, 336.
Romanus Pontifex pia loca, 60.
Romanus Pontifex universalis, 189.

S

Sacrarum religionum, 339.
Sacri apostolatus, 259.
Sacrosanctum catholicae, 231.
Salutis nostrae, 499.
Sancta Romana Ecclesia, 417.
Sanctae Romanae Ecclesiae, 873.
Sanctimoniales quae, 78.
Sanctimonialium, 510.
Sanctissimus... auditis, 855.
Sanctissimus... decrevit, 364.
Sanctissimus... volens, 648.
Sanctissimus... Facta ei, 783.
Sanctissimus in Christo, 427.
Sanctissimus... Presbyteri, 211.
Sanctissimus... Quoniam, 732.
Sedes Apostolica, 415.
Sincerae devotionis affectus, 446.
Sincerae devotionis et fidelitatis, 762.
Sincerae fidei... quem erga, 706.
Sincerae fidei... quo nos, 522.
Summa fraternitatis, 316.
Super... meritis licet, 653.
Super... quamquam, 67.
Superna... ex debito, 635.
Superna... meritis licet, 723.
Superna... super eminenti, 326.
Super... nullis nostris, 740.
Suscepti muneris, 249.

T

Tempus acceptabile, 548.
Tuae fraternitatis, 889.

U

Ut charissimus, 144.
Ut gratiae apostolicae, 764.

V

Volentes civitatem, 550.

INDEX RUBRICARUM

CONSTITUTIONUM

CLEMENTIS PP. VIII

AB ANNO SECUNDO SACRI EIUS PRINCIPATUS

AD TOTUM UNDECIMUM.

L. Validatio suppressionis praepositurae Sancti Thomae Senensis, quae fuerat Ordinis Humiliatorum, ac illius erectionis in praeceptoriam Militiae sancti Stephani unitam, quamvis apostolicae Gregorii XIV litterae expeditae hac super re non fuerint, *pag.* 1.

LI. Validatio erectionis officii praesidis Cancellariae pro expediendis litteris quorumcumque officiorum vacabilium, *etc.*, 4.

LII. Nullitates ex defectu iurisdictionis, citationis et mandati, et non aliae, in omnibus Status Ecclesiastici tribunalibus attendendae, 17.

LIII. Confirmatio decreti Congregationis Sacrorum Rituum, quo nonnulla statuuntur super associatione episcopi Oxomensis, tam in eundo ad ecclesiam quam ab ea redeundo, 18.

LIV. Prohibitio appellandi per religiosos Ordinis Fratrum Servorum B. Mariae Virginis a praelatis eiusdem Ordinis ad tribunalia saecularia, permissioque habendi recursum ad priorem generalem, protectorem, seu vice protectorem aut ad Romanum Pontificem, 21.

LV. Approbatio constitutionum Pauli IV et Pii V circa leges et ordinationes a Iudaeis ubique locorum observandas; et expulsio eorumdem ab omnibus civitatibus et terris Status Ecclesiastici, Roma, Avenione et Ancona exceptis, 22.

LVI. Contra Hebraeos tenentes legentesque libros Thalmudi et alios hactenus damnatos, aut blasphemias et contumelias in Deum et Sanctos continentes, 25.

LVII. Reformatio Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Cassinensis, seu Sanctae Iustinae, 28.

LVIII. Confirmantur quaedam ordinationes pro Universitate Studii Generalis Perusini, 32.

LIX. De electione praepositi generalis aliorumque praelatorum Congregationis monachorum Eremitarum sancti Hieronymi de Observantia; de Capitulorum generalium et diaetarum celebratione, totiusque Ordinis regimine, 34.

Sequitur reformatio circa totius Ordinis bonum regimen, 37.

LX. Confirmatio gratiarum a Pontificibus praedecessoribus concessarum Congregationi Clericorum Regularium sancti Maioli, alias de Somascha, cum aliorum privilegiorum concessione, 42.

LXI. Confirmatio concordiae initae inter ecclesiasticos provinciae Cathaloniae et Philippum II Hispaniae regem super solutione primae decimae a Romanis Pontificibus eidem regi concessae, 45.

LXII. Ea, quae a Pio IV et Sixto V gesta sunt pro confectione indicis librorum prohibitorum, confirmat, 53.

LXIII. Quod fratres Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo favores extra religionem non procurent pro impetrandis dignitatibus vel officiis ipsius Ordinis, 54.

LXIV. Prohibitio amovendi libros et alia monumenta ex bibliothecis Ordinis fratrum beatae Mariae de Monte Carmelo, 56.

LXV. Facultas cardinali Gioiosae, administratori ecclesiae Tolosanae, supprimendi decem capellanias, duas diaconias et duas subdiaconias et octo clericatus cathedralis ecclesiae Mirapicensis, et eorum fructus applicandi aliis beneficiatis dictae ecclesiae, 57.

Sequitur mandatum eidem cardinali Gioiosae, ut statuta a Ioanne PP. XXII edita, circa collationem dignitatum et canonicatuum ecclesiae Mirapicensis, curet observari, 58.

LXVI. Diversa privilegia, immunitates et indulta hospitali Sancti Spiritus Massiliensis conceduntur, 60.

LXVII. Committitur episcopo Tullensi ut ecclesias omnes et monasteria omnia, etiam exempta, suae dioecesis, auctoritate apostolica visitet, et observantiam decretorum Sacri Concilii Tridentini inducat, 62.

Sequitur adhortatio ad Capitulum et canonicos Tullenses ut, iuxta Concilii Tridentini decreta, episcopo suo pareant, 64.

LXVIII. Confirmatis litteris Gregorii XIII, revocatoque quodam brevi Sixti PP. V, regi catholico facultas conceditur causas omnes inter episcopos et capitula ac milites militiarum de Alcantara et de Calatrava vertentes componendi, 65.

LXIX. Oppidum Celsonae ab Urgellensi dioecesi seiungitur, et in civitatem erigitur, illiusque parochialis ecclesia cathedralis efficitur, 67.

LXX. Confirmatio privilegiorum collegii lectorum Universitatis Studii Generalis Perusini, 71.

LXXI. Confirmatio concordiae initae inter Alexandrum cardinalem Farnesium, et ecclesiasticos Avenionenses et comitatus Venaissini super exemptione cleri a lege spoliorum, et ratificatio litterarum Iulii III et Pii V, 74.

LXXII. Regularibus totius ducatus Ferrariae prohibetur accessus ad monasteria monialium, etiamsi subiecta sint, exceptis tantum confessario et visitatore, quibus accedere permittitur in casibus ad eorum munus spectantibus, 78.

LXXIII. Declaratur confraternitatem sancti Ioannis decollati Florentinensis non esse exemptam a iurisdictione Ordinarii, 80.

LXXIV. Suppressis nonnullis officiis in bibliotheca et typographia Vaticana, quinque officia correctorum librorum tum graecorum tum latinorum eriguntur in eadem bibliotheca, 81.

LXXV. Revocatio facultatum patribus Societatis Iesu concessarum absolvendi ab haeresi in regnis Hispaniarum, in quibus Officium S. Inquisitionis existit, 83.

LXXVI. Mandatur episcopo Pacensi ut exequatur decretum Sacrae Congregationis Concilii circa ordinationes novorum christianorum, 84.

LXXVII. Protomedici et Collegii physicorum de Urbe iurisdictio et facultates, 85.

LXXVIII. Extinctio litium super exemptionibus monasterii S. Laurentii *el Real* Ordinis S. Hieronymi, 87.

LXXIX. Declaratio super causis praecedentiarum inter Capitulum et magistratum Veronenses, cum avocatione aliarum causarum inter episcopum et Capitulum eiusdem ecclesiae vertentium, 90.

LXXX. Separatio Congregationis fratrum Discalceatorum Ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo, a fratribus Mitigatis dicti Ordinis, et declaratio muneris praelatorum dictae Congregationis, cum gratiarum communicatione, 92.

LXXXI. Sex decimas super omnibus beneficiis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, in tota Italia, aliasque decimas sex super fructibus quarumcumque pensionum imponit pro bello contra Turcas, exceptis Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, et duodecim Congregationibus Ordinum non mendicantium, quae concordiam cum Camera Apostolica inierunt super solutione subsidii ordinarii temporibus Pii PP. V, 98.

LXXXII. Concessio privilegiorum mercatoribus ad portum civitatis Anconae merces advehentibus, vel ibi mercaturae causa domicilium constituentibus, et iurisdictio consulum illorum causas cognoscendi, 104.

LXXXIII. Facultas Congregationi Clericorum Ministrantium Infirmis recipiendi novitios ad habitum, non expectato Capitulo generali nec provinciali, conceditur, 108.

LXXXIV. Facultas duodecim Congregationibus regularibus, quae a solutione decimarum impositarum pro bello contra Turcas fuerant exemptae, augendi Montem novennalem pro summa sexaginta millium scutorum in eamdem rem impendendorum, 109.

Sequitur confirmatio instrumenti ab iisdem Congregationibus initi cum Rev. Camera Apostolica pro augmento Montis novennalis, 113.

LXXXV. Vicarius Turritani archiepiscopi deputatur commissarius apostolicus ad recipiendas rationes ab oeconomis ecclesiarum Sardiniae super spoliis archiepiscoporum et episcoporum, fructuumque ecclesiarum vacantium, 120.

LXXXVI. Canonizatio S. Hyacinthi, Ordinis fratrum Praedicatorum, et festivitatis institutio pro die XVI mensis augusti, 123.

LXXXVII. Confirmatio transactionis inter thesaurarium et notarios reverendae Camerae Apostolicae initae super pretio scripturarum, quae a decedentibus notariis relinquuntur, 133.

LXXXVIII. Confirmatio erectionis collegii Anglicani Hispalensis, cui quamplurima conceduntur privilegia, 139.

LXXXIX. Dissolutio unionis Pientinensis et Ilcinensis ecclesiarum, 143.

XC. Luceoriensi episcopo delegatur exequutio primariarum precum Poloniae regi concessarum, seu indulti conferendi tria beneficia primo vacatura ecclesiarum Guesnensis, Cracoviensis, Wladislaviensis, Posnaniensis, Plocensis et Warmiensis, 144.

XCI. De largitione munerum utriusque sexus Regularibus interdicta, 146.

XCII. Facultas patriarchae Aquileiensis visitandi monasteria domosque regularium exemptorum, eosque ad suorum decretorum exequutionem compellendi, 150.

XCIII. Confirmatio erectionis collegii Societatis Iesu Comutaviensis, Pragensis dioecesis, in quo erigitur Universitas studii generalis, cum concessione privilegiorum, 151.

XCIV. Confirmatio concordiae inter regem catholicum eiusque successores et archiepiscopum Toletanensem pro tempore existentem super administratione collegii virginum nuncupati *Dominae Nostrae de Remedio* in civitate Toletana erecti, 163.

XCV. Pompeius Arrigonius, commissarius, delegatur ad constituendos terminos inter dominium ecclesiasticum et statum magni Ducis Hetruriae, 171.

XCVI. Confirmatio erectionis archiconfraternitatis B. Mariae de Suffragio, cui inter alia conceditur indultum anno quolibet unum reum condemnatum liberandi in festo Omnium Sanctorum vel in die Parasceve, 172.

Sequitur indultum liberandi unum condemnatum, 175.

XCVII. Cavetur ne quis monachus congregationis Beatae Mariae de Alcobatia, Ordinis Cisterciensis, regnorum Portugalliae, coram iudicibus saecularibus conveniatur, 176.

XCVIII. Archiepiscopo Valentinensi ac Oriolensi et Segobricensi episcopis committitur, ut augmentum decimarum et novalium proveniens ex irrigationibus fluminis Tibis in locis de Alicante, regi catholico persolvi curent, necnon cum operariis in deductione et irrigatione aquarum dicti fluminis dispensent super observatione festorum, 178.

XCIX. Nonnullae declarationes ad Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia reformationem conservandam et promovendam, 182.

C. Confirmatio ordinationum praefinitarum pro bono regimine Ordinis fratrum Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, et pro electione magistri generalis eiusdem, 184.

CI. Decano collegiatae ecclesiae Zamoscii, Kelmensis dioecesis, conceditur usus mitrae, baculi et aliorum insignium pontificalium, 189.

CII. Confirmatio concordiae inter archiepiscopum et capitulum ecclesiae Cameracensis super collatione canonicatuum et praebendarum eiusdem ecclesiae, 190.

CIII. Subsidium scutorum quinquaginta millium super fructibus quorumcumque beneficiorum in dominio Venetorum existentium pro Camera Apostolica unica vice exigendum, 193.

CIV. Confirmatio privilegiorum per diversos Romanos Pontifices concessorum Duci et nationi Sabaudiae super provisione beneficiorum, 196.

CV. Institutio festivitatis sancti Stanislai episcopi et martyris pro die VII mensis maii, duplici officii celebrandae, 200.

CVI. Institutio festivitatis S. Romualdi abbatis, Ordinis Camaldulensis fundatoris, die VII mensis februarii, duplici ritu de communi confessorum celebrandae, 201.

CVII. Officinae omnes monetariae Status Ecclesiastici, Romana excepta, supprimuntur, 202.

CVIII. Confirmatio nonnullorum privilegiorum nunc et pro tempore existentium Inquisitorum regnorum Portugalliae, 204.

CIX. De electione praelatorum fratrum Tertii Ordinis S. Fancisci de Poenitentia in communi, sub trium votorum substantialium professione, viventium, 206.

CX. Confirmatio edicti vicelegati Bononiensis super qualitatibus notariorum eiusdem civitatis, 207.

CXI. Indultum a Sixto Papa IV scholaribus monasterii *El Real* concessum, gradus laureamque consequendi in qualibet Hispaniarum Universitate, restringitur ad octo scholares pro quolibet cursu scholastico, 210.

CXII. Instructio super ritibus Italo-Graecorum, 211.

CXIII. Facultas reformatoribus civitatis Bononiensis vectigalia nonnulla augendi, et nova aliqua imponendi, 213.

CXIV. Subsidiis quinquennalibus scutorum decem millium Carolo Emmanueli a Sixto PP. V concessis super fructibus ecclesiarum et beneficiorum ducatus Sabaudiae et Pedemontis pro defensione earumdem ecclesiarum contra vicinos haereticos, additur aliud subsidium quinque millium scutorum intra triennium exigendum, 216.

CXV. Institutio monasterii seu domus, Refugii nuncupatae, in alma Urbe, virginum honestarumque viduarum educatione, et aliarum mulierum ad honestam vitam se convertentium probatione; cum subsidii assignatione, iudicisque specialis deputatione, ad eiusdem monasterii eiusque personarum et officialium lites diiudicandas, 219.

Sequitur iurisdictio iudicis dicti monasterii, 222.

CXVI. Concessio quorumcumque privilegiorum et gratiarum universitati Studii generalis Mexicanensis, 225.

CXVII. Approbatio et nova institutio Congregationis Clericorum saecularium in communi viventium, sub invocatione Beatae Mariae, dudum ab Alexandro episcopo Lucano in ea civitate erectae, cum indultorum concessione, et facultate alia ubique loca recipiendi, 227.

Sequitur facultas alia ubique loca recipiendi, 229.

CXVIII. Approbatio indicis librorum prohibitorum a Pio IV iam confirmati et nuper suppleti, et facultas cardinalium congregationis super indice decidendi dubia desuper emergentia, cum innovatione aliorum indultorum eis competentium, 230.

CXIX. Commissio nuncio Hispaniarum ut si concordiam inter regem catholicum ac archiepiscopum et ecclesiasticos civitatis et dioecesis Caesaraugustanensis initam super primitiis et decimis, quarum excrescentia, ob irrigationem fluminis a clarae memoriae Carolo V imperatore factam, eidem regi ex concessione apostolica debetur, eidem archiepiscopo et ecclesiasticis utilem esse compererit, apostolica auctoritate confirmet, 233.

CXX. Statuitur quod causae mercatorum Universitatis Anconitanae, qui merces suas, tam ad grossum, ut vocant, quam minutim vendunt, definiantur per consules mercatorum dictae Universitatis, 235.

CXXI. Quod in crimine assassinii contra personas ecclesiasticas declaratio spectet ad iudicem ecclesiasticum, et contra milites aliasque personas conventus et hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani pertineat ad eorum superiores, adiuncto episcopo loci, antequam iudices saeculares aliquam declaratoriam desuper ferant, vel ad poenarum exequutionem deveniant, 238.

CXXII. Unio nationis Ruthenae cum Ecclesia Romana, 239.

CXXIII. Approbatio *Pontificalis Romani* pro caeremoniis et ritibus ab Ecclesiae Catholicae episcopis observandis nuper restituti, 246.

CXXIV. De exequutione Concilii Tridentini contra regulares, non subditos episcopis, extra claustra notorie delinquentes, et de poenis eorum superiorum, qui illos punire negligunt, 249.

CXXV. Metropolitae Ruthenorum conceditur facultas consecrandi episcopos sui ritus pro ecclesiis vacantibus, qui tamen metropolita a Romano Pontifice debeat confirmari, 250.

CXXVI. Episcopis Wlodimiriensibus et Brestensibus, rutheni ritus, conceditur usus vestium sacrarum, quas *Saccocium* appellant, dalmaticarum et tunicarum instar, dum sacrosanctum missae sacrificium divinaque officia pontificali more celebrant, 252.

CXXVII. Moderatio bullae Sixti V contra clericos male promotos et eos promoventes editae, cum praeservatione poenarum ibidem simoniace ordinatis et ordinantibus inflictarum, 254.

CXXVIII. Facultas Philippo regi catholico, militiae de Montesia perpetuo administratori, ut in controversiis inter militiam praedictam et locorum Ordinarios, et alias ecclesiasticas personas ortis, pro concordia et amicabili compositione se interponere valeat, 255.

CXXIX. Erectio parochialis ecclesiae sancti Nicolai oppidi de Alicante in collegiatam, cum suppressione alterius parochialis, et illius unione mensae capitulari eiusdem collegiatae S. Nicolai, 259.

CXXX. Confirmatio pragmaticae ad evitandos superfluos sumptus in civitate Bononiensi, 266.

CXXXI. Iubilaeum ad divinam opem, pro sanctae catholicae fidei in regno Franciae exaltatione, et pristinae in eo tranquillitatis restitutione, implorandam, 267.

CXXXII. Statuit ut deinceps pignora apud Hebraeos consistentia, elapso spatio decem et octo mensium, in Monte Pietatis de Urbe vendi debeant, neque Hebraei plusquam duodecim scuta, pro quolibet pignore, mutuo dare possint, 269.

CXXXIII. Institutio congregationis super baronibus Status Ecclesiastici, cum iurisdictione eorum castra et bona, etiam fideicommissis subiecta, distrahendi pro satisfactione creditorum, 270.

CXXXIV. Moderatio censurarum contra extrahentes frumenta et aliud annonae genus extra Statum Ecclesiasticum per constitutionem Gregorii XIII inflictarum, 276.

CXXXV. Religiosis Congregationis S. Ioannis Evangelistae regnorum Portugalliae prohibetur quominus de rebus

suae religionis extra eam agant, vel favores captent, 277.

CXXXVI. Quod Itali extra Italiam non habitent in locis, ubi liber et publicus cultus sive usus catholicae religionis non existat, 279.

CXXXVII. Iurisdictio, facultates et privilegia auditoris Reverendae Camerae Apostolicae, necnon reformationes officialium eiusdem tribunalis, 280.

CXXXVIII. Declaratio quod filii civium Monasteriensium, legitimi et ingenui, a beneficiis collegiatarum, et filiae a monasteriis monialium excludi non possint, 292.

CXXXIX. Contra monachos Congregationis Camaldulensis officia et dignitates ambientes, 293.

CXL. Ordinationes pro bono regimine Congregationis fratrum Ioannis Dei nuncupatae, per universam Italiam, et electione maioris eiusdem Congregationis, 295.

CXLI. Confirmatio et declaratio constitutionis Gregorii XIII super reformatione fratrum Minorum S. Francisci strictioris observantiae, tam in Italia quam in regno Franciae et provinciis Belgii, 299.

Sequitur extensio dictae bullae ad Gallos et Belgicas, 301.

CXLII. Absolutio Henrici IV Francorum et Navarrae regis christianissimi, iniunctis ei salutaribus poenitentiis, 304.

Sequitur ratificatio Henrici regis, et promissio de adimplendo ea omnia, quae in praerelata constitutione sibi iniunguntur, 314.

Sequitur pontificium breve, quo Clemens Henrico gratulatur de ratificatione, Romanae aulae gaudium testatum facit, eumque ad perseverantiam adhortatur, 315.

CXLIII. Archiepiscopo Salisburgensi facultas conceditur imprimendi Breviarium Romanum cum Proprio eiusdem Ecclesiae, 316.

CXLIV. Confirmatio decreti Congregationis Concilii quo declaratur provisum de parochiali ecclesia per concursum, censendum esse approbatum in illa civitate vel oppido tantum, ubi est parochus, 317.

CXLV. Primicerio collegiatae ecclesiae Sancti Marci Venetiarum conceditur facultas utendi mitra et baculo, benedicendi paramenta et ornamenta ecclesiastica, necnon benedictionem supra populum impendendi, 318.

CXLVI. Fratres Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, nullo etiam etiam quarti voti praetextu vel indulto, de caetero recipiant Fratres Minores S. Francisci de Observantia, aut alterius strictioris Ordinis professores, 319.

CXLVII. Iurisdictio consulum artis aromatariorum Urbis cognoscendi causas ad artem spectantes, cum indultorum concessione, 320.

CXLVIII. Prohibet gubernatoribus hospitalis Sanctissimae Annunciatae civitatis Neapolitanae, quominus legata et alia relicta dicto hospitalis in usus, praeter mentem testatorum, insumant, 324.

CXLIX. Decernit provisores et procuratores hospitalium Reginae, in oppido Balneorum, et Regis, in civitate Colimbriensi, qui uno triennio provisoris seu procuratoris officio perfuncti sunt, ad idem officium nonnisi post integrum sexennium eligi posse, 325.

CL. Erectio collegii pauperum puellarum, et monasterii monialium in oppido civitatis Angelorum, Tlasca-

lanensis dioecesis, in Indiis Occidentalibus, 326.

CLI. Collegiales collegii medicorum civitatis Mediolanensis creantur comites palatini et Auratae militiae equites, 336.

CLII. Commissio archiepiscopo Valentinensi et episcopis Dertusensi, Segobricensi et Oriolensi erigendi dotandique parochias, in quibus Mauri ad christianam fidem conversi commorantur, referendique Apostolicae Sedi pro rerum gestarum confirmatione obtinenda, 337.

CLIII. Erectio domus ad ecclesiam Sanctae Mariae de Scala in regione Transtyberim de Urbe pro fratribus Carmelitis Discalceatis Italiae; quae quidem domus una cum conventu S. Annae et monasterio monialium Ianuensium disiunguntur a Congregatione Hispanica eiusdem Ordinis, et immediate Romano Pontifici subiiciuntur, 338.

CLIV. Concessio ecclesiae Sanctorum Quadraginta Martyrum de Urbe in regione Pineae confraternitati Stigmatum sancti Francisci, 342.

CLV. Declaratio paragraphi: *Qui vero*, cap. VI, sect. XXV, *De Reformatione*, pro Capitulo ecclesiae Cordubensis, 344.

CLVI. Confirmatio decreti Congregationis Concilii et episcopi Cassanensis super reductione sacerdotum Capituli sancti Iuliani de castro Villare Cassanensis dioecesis, 345.

CLVII. Statuitur poenas maleficiorum in civitate Bononiensi deponendas esse tantum penes depositarios Rev. Camerae Apostolicae, qui pecunias solvant descriptas in tabella quae inseritur, 346.

CLVIII. Committitur collectori Portugalliae ut confirmet concordiam initam inter Philippum regem et Congregationem Beatae Mariae de Alcobatia, Ordinis Cisterciensis, Portugalliae, et praesertim assignationem pensionis perpetuae D cruciatorum capellae regiae Ulixbonensi super fructibus quorumdam monasteriorum eiusdem Congregationis, 348.

CLIX. Prohibet quominus aliquo titulo insigniti possint eligi ad magistratum et dignitates civitatis Bononiensis, 352.

CLX. Confirmatio donationis cuiusdam annui reditus ab episcopo Seguntino factae domui Matritensi FF. Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum provinciae Castellae, ad effectum duos presbyteros in oppido Algerii sustentandi, cum aliis conditionibus ab eodem episcopo appositis, 355.

CLXI. Quando S. R. E. cardinales diaconi, ad ordinem presbyteratus transeunt, locum obtineant ante illos cardinales presbyteros, qui post eos ad cardinalatum assumpti fuerunt, 364.

CLXII. Unio medietatis fructuum praepositurae ecclesiae Hildesheimensis mensae episcopali, cum confirmatione iuris eligendi praepositum Capitulo, quatenus illi competat, vel accedat nova concessio; qui quidem electus a Sede Apostolica provisionem intra sex menses debeat obtinere, 364.

CLXIII. Committitur episcopo monasteriensi ut canonicatum et praebendam collegiatae ecclesiae S. Mauritii extra muros monasterienses vacantes supprimat, et uniat decanatui eiusdem ecclesiae, 367.

CLXIV. Confirmatio privilegiorum pro tempore existentis archiepiscopi Avenionensis, 369.

CLXV. Confirmatio et extensio constitutionum editarum contra extrahentes de Statu Ecclesiastico animalia, fruges et frumenta, etiam ex bonis ecclesiasticis collecta, et contra mercantes vel retinentes in dicto Statu sal exterum, baronesque ab eorum subditis ementes frumentum ultra usum unius anni, 373.

CLXVI. Leges servandae in concedenda laurea doctoratus Anglis catholicis, qui in seminariis operam studiis navant, 375.

CLXVII. Institutio trium novitiatuum vel seminariorum in tribus monasteriis Ordinis Sancti Basilii in Italia, cum assignatione subventionis per commendatarios ipsorum monasteriorum eis annuatim praestandae, 376.

CLXVIII. Confirmatio erectionis trium capellaniarum ab Anna Iagellonia et Sigismundo III Poloniae rege in ecclesia Sancti Nicolai civitatis Barensis fundatarum pro anima Bonae reginae Poloniae et Bari ducissae, 378.

CLXIX. Mandatum de immittendo Cameram Apostolicam in possessionem civitatis et ducatus Ferrariensis, iuxta sententiam prolatam contra Caesarem Estensem, 380.

CLXX. Mandatum de intimando Caesari Estensi sententiam, qua declaratur civitatem et ducatum Ferrariae devolutum fuisse ad Sanctam Romanam Ecclesiam Sedemque et Cameram Apostolicam, 382.

CLXXI. Declaratur archiepiscopum Bracharensem posse suos comprovinciales episcopos cogere ut sibi, eorum civitates ingredienti, processionaliter et cum toto clero, servata forma Pontificalis Romani obviam eant, pro prima tantum vice, 385.

CLXXII. Confirmatio et innovatio gratiarum et privilegiorum omnium, etiam per viam communicationis, concessorum Ordinibus tam Fratrum Minorum Regularis Observantiae, quam S. Clarae et Tertii Ordinis de Poenitentia sancti Francisci, in communione et sub tribus votis essentialibus viventium, in his quae Concilio Tridentino et decretis Fratrum Reformatorum non adversantur, 386.

CLXXIII. Poenae contra Caesarem Estensem eique faventes, si post lapsum terminorum, qui hic assignantur, quominus Ferrariae ducatum ad Camerae Apostolicae possessionem deveniat, impediverint, formaque praesentes litteras publicandi, 389.

CLXXIV. Confirmatio erectionis Congregationis Doctrinae Christianae in civitate Avenionensi, cum facultatum et indulgentiarum nonnullarum concessione, 411.

CLXXV. Confirmatio erectionis hospitalis senum et bibliothecae pro instructione cleri per archiepiscopum Capuanum factae, 413.

CLXXVI. Praecipitur archiepiscopo Elborensi ne novos christianos, qui originem a Iudaeis vel haereticis trahunt, iuxta sententiam Congregationis Concilii constitutionemque Bonifacii VIII, a sacris ordinibus excludat, 414.

CLXXVII. Collegium Ordinis Fratrum Praedicatorum civitatis Angelorum in Indiis Orientalibus provinciae Mexicanae, sub invocatione S. Ludovici, in publicam universitatem erigitur, eique privilegia, caeteris universitatibus studiorum generalium concedi solita, conceduntur, 415.

CLXXVIII. Ratificatio conventionum inter cardinalem Aldobrandinum, nomine Sedis Apostolicae, et ducissam Urbini, procuratorio nomine Caesaris Estensis, initarum super restitutione ducatus Ferrariensis, 417.

CLXXIX. Acceptatio devolutionis ducatus Ferrariae mox recuperati, eiusque et redituum incorporatio Reverendae Camerae Apostolicae, 427.

Sequitur alia itidem declaratio et applicatio, 428.

CLXXX. Cardinali Aldobrandino in civitate et ducatu Ferrariensi de latere legato, ut facilius civitatem et ducatum praedictos a gubernio ducali, ad normam regiminis aliarum provinciarum Status Ecclesiastici redigere possit, amplissimae facultates conceduntur, 428.

CLXXXI. Indultum Philippo II Portugalliae regi subdelegandi iudicem conservatorem in causis spectantibus ad militias Iesu Christi, S. Iacobi de Spatha et S. Benedicti de Avis in eodem Portugalliae regno, 429.

CLXXXII. Indultum procuratoribus ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum regnorum Castellae et Legionis, apud Sanctam Sedem et Matriti, percipiendi fructus et distributiones quotidianas suorum canonicatuum et praebendarum, etiam per sex menses post completam procurationem, 431.

CXXXIII. Beatum Gherardum Sagredum martyrem, ex Ordine sancti Benedicti, Martyrologio Romano adscribi posse concedit, 433.

CLXXXIV. Confirmatio libertatum et privilegiorum alias patronis hospitalis de Utrera, Hispalensis dioecesis, per diversos Romanos Pontifices concessorum, cum declaratione quod administratores dicti hospitalis non possint cogi ab archiepiscopo eiusque officialibus ad reddendam rationem, 434.

CLXXXV. Declarat Papam Romae esse eligendum, si ipse extra Urbem decesserit, 436.

CLXXXVI. Commissio collectori spoliorum Portugalliae examinandi et decidendi causas vertentes inter archiepiscopum Elborensem et militias Iesu Christi, sancti Iacobi de Spatha, et de Avis super iure visitandi, *etc.*, 438.

CLXXXVII. Iurisdictio et facultates Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis de latere legati in alma Urbe dimissi, ob discessum Summi Pontificis Ferrariam versus, et ad alia loca Status Ecclesiastici, 440.

CLXXXVIII. Declaratio quod officiales et curiales, tam sequentes Pontificem in suo ab Urbe discessu, quam in ea remanentes, sint vere curiales eorumque gaudeant praerogativis, et beneficia eorumdem Sedi Apostolicae remaneant affecta, 445.

CLXXXIX. Confirmatio transactionis initae inter universitates et homines Fori Saraceni, Theodorani, vicariatus Ardiani, Casemattae et Subrivoli, vicecomitatus ecclesiae Metropolitanae Ravennatensis, et thesaurarium generalem Camerae Apostolicae super exemptionibus a solutione onerum cameralium, 446.

CXC. Institutio magistratus et consilii centum virorum in civitate Ferrariae, cuius communitati nonnulla conceduntur privilegia, 449.

CXCI. Civitati et civibus Comaclensibus nonnulla conceduntur privilegia, 458.

CXCII. Similis concessio privilegiorum Communitati Terrae Centi, 461.

CXCIII. Deputatio visitatorum ad reformanda monasteria et loca regularia, tam virorum quam mulierum, in insula Sardiniae, sub directione archiepiscopi Calaritanensis, 463.

CXCIV. Declaratio super controversia orta inter nobiles viros familiae Ghisleriae super iure nominandi ad alumnatus collegii Ghislerii a Pio V Papiae erecti, 464.

CXCV. De luctuosa Tyberis inundatione in Urbe, et eius districtu, indictioneque publicarum supplicationum ad divinam misericordiam implorandam, 467.

CXCVI. Quod monachi Congregationis Beatae Mariae Fuliensis Cisterciensis Ordinis sancti Benedicti, in processionibus aliisque actibus publicis, omnibus fratr. Mendicantibus praecedant, 471.

CXCVII. Iubilaeum pro christifidelibus in regnis, provinciis, dominiis et locis Philippo III, Hispaniarum regi, subiectis ad implorandum divinum auxilium pro iusto felicique dictorum dominiorum regimine, 474.

CXCVIII. Admonetur Hispaniarum rex ut probos idoneosque viros ad episcopatus proponat, crebras episcoporum translationes non petat, et eorum opera extra eorumdem ecclesias non utatur, addita revocatione cuiuscumque dispensationis eis concessae non residendi, *etc.*, 478.

CXCIX. Civitati Ferrariensi conceditur ut apud Sedem Apostolicam oratorem habere et retinere possit, cui locus in capella et aliis actibus publicis pontificiis, ad instar aliorum oratorum, designatur, 481.

CC. Confirmantur statuta Congregationis Montis Virginis Ordinis S. Benedicti, antiquis abrogatis, 482.

CCI. Quod archiepiscopi et episcopi oleum Sanctum tradi curent fratribus Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, pro ministranda extrema unctione eiusdem Ordinis infirmis, 484.

CCII. Facultas episcopo Gebennensi supprimendi unionem factam a Gregorio XIII quorumdam beneficiorum militiae Ss. Mauritii et Lazari, ac erigendi novas parochias in balliagiis *de Ternier* et *Chablais*, 485.

CCIII. Erectio domus, Albergamentum nuncupatae, omnium scientiarum ac artium in oppido Thunonii, Gebennensis dioecesis, cum privilegiorum et indulgentiarum concessione, 488.

CCIV. Unio prioratus ac parochialis ecclesiae de *Fenovillet*, Ordinis sancti Benedicti, Carcassonensis et Tholosanensis dioecesum, Seminario Tholosanensi, 494.

CCV. Hospitali Trecentorum Coecorum Parisiis a S. Ludovico Franciae rege erecto confirmantur privilegia omnia, et praesertim facultas quaestores instituendi pro colligendis eleemosynis, servata tamen forma a sacro Concilio Tridentino praescripta, 499.

CCVI. Indictio universalis Iubilaei pro anno MDC, quo conceditur plenaria remissio peccatorum visitantibus basilicas Ss. Petri et Pauli Apostolorum, ac S. Ioannis Lateranensis et Beatae Mariae Maioris de Urbe, et aliae indulgentiae, durante dicto anno, suspensae declarantur, 504.

Sequitur suspensio aliarum indulgentiarum et absolvendi facultatum, durante hoc Iubilaeo, 508.

CCVII. Monasteria monialium sub cura fratrum Carmelitarum et Congregationis Mantuanae in Italia existentia, abdicantur a cura dictorum fratrum,

et subiiciuntur locorum Ordinariis, ita ut si contigat aliqua eorum extingui, bona extinctorum ad Congregationem praedictam libere revertantur, 510.

CCVIII. Institutio Rotae in civitate Ferrariae, Status Ecclesiastici, ad decidendas causas illius civitatis et territorii, cum indultorum concessione, 511.

CCIX. Monasteria monialium civitatis Senarum immediatae archiepiscopi iurisdictioni subiiciuntur, 519.

CCX. Facultas cardinalibus Caietano et Burghesio introducendi disciplinam in collegiis et seminariis nationis Anglicanae, tam in Hispaniis quam in partibus inferioris Germaniae erectis, ad formam regiminis collegii eiusdem nationis Romae erecti a Gregorio XIII, 521.

CCXI. Confirmatur statutum Capituli Basiliensis de non infeudandis bonis eiusdem ecclesiae, eorumque natura immutanda, 522.

CCXII. Hortatio pastoralis ad episcopos regni Galliae ut, pace iam composita inter reges Galliae et Hispaniarum, suo muneri animarumque saluti et catholicae fidei augmento ardentius incumbant, 524.

CCXIII. Institutio Congregationis fratrum Reformatorum et Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, 529.

CCXIV. Philippus III Hispaniarum rex solvitur a quocumque iuramento ac lege pontificia, ad hoc ut, una cum ducatu Mediolanensi, possit Siciliae regnum obtinere, 534.

CCXV. Philippo tertio Hispaniarum regi conceditur investitura regni Siciliae cum tota terra, quae est citra Pharum, usque ad confinia dominii Sedis et Camerae Apostolicae, 536.

CCXVI. Erectio collegii Clericorum Theutonicorum in oppido Mosecano in comitatu Hornensi, Leodiensis dioecesis, sub regimine PP. Societatis Iesu, 541.

CCXVII. Inquisitori generali in regnis Hispaniarum conceditur facultas deputandi inquisitorem in classibus regis catholici, pro causis ad suum forum spectantibus, 545.

CCXVIII. Similis concessio facultatis nuncio apostolico apud regem Hispaniarum deputandi aliquam personam ecclesiasticam, quae in eisdem classibus iurisdictionem ecclesiasticam exerceat, 546.

CCXIX. Adhortatio ad singulos archiepiscopos et episcopos ut, Iubilaei causa, Romam se conferant, 548.

CCXX. De receptione et professione novitiorum in Congregatione fratrum, Reformatorum Discalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini, nuper in Urbe instituta, 548.

CCXXI. Facultas eligendi confessorem, quae a Sede Apostolica datur in bulla Cruciatae et aliis indultis, non suffragatur personis Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, neque aliis quibuscumque regularibus, 549.

CCXXII. Praevia absolutione incolarum civitatis et comitatus Ferrariensis a transgressionibus constitutionum Pii Papae V de bonis emphyteuticis et patrimonialibus, poenisque, quas ea de causa incurrerunt ante illius comitatus devolutionem ad Sanctam Sedem, decernitur huiusmodi constitutiones esse imposterum observandas, 550.

CCXXIII. Cardinalis Aldobrandinus Sanctae Romanae Ecclesiae camerarius designatur, modificatis tamen nonnullis facultatibus, 551.

CCXXIV. Declarat, quocumque privilegio non obstante, neminem ex Ferrariensibus exemptum esse a sua opera praestanda custodiae et reparationi aggerum fluminis Padi, 559.

CCXXV. Modum a Philippo III Hispaniarum rege praescriptum in causis appellationum militum Militiarum de Calatrava et de Alcantara servari mandatur, 560.

CCXXVI. Erectio monasterii ad ecclesiam sancti Urbani in regione Montium de Urbe, cum concessione exemptionum et gratiarum, 562.

CCXXVII. Declaratio iurisdictionis et facultatum cardinalis camerarii quoad pignora Hebraeorum, 570.

CCXXVIII. Decernit, in partibus Indiarum, in Ordine fratrum Minorum Ordinis sancti Francisci de Observantia, non posse assumi ad munus provincialatus et aliorum officiorum, nisi filios aut addictos illis provinciis, 571.

CCXXIX. Confirmatio concordiae initae inter Linguas Italiae et Alemanniae Ordinis Hospitalarii S. Ioannis Hierosolymitani super optione nonnullorum prioratuum, 572.

CCXXX. Ordinationes pro bono regimine fratrum Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, et electione eius officialium, 580.

CCXXXI. Confirmatio litterarum Iulii II et Iulii III Pontificum, quibus Universitas Studii Generalis *de Alcalà de Henares* a quacumque iurisdictione archiepiscopi Toletani eximitur, solique Apostolicae Sedi subiecta declaratur, 583.

Sequitur confirmatio statuti a cardinale Ioanne Salviati, S. A. in Hispaniis legato, editi, quo cavetur ne quis ex Iudaeis aut Saracenis oriundus in collegio sancti Ildephonsi de Alcalà de Henares admitti possit, 589.

CCXXXII. Confirmantur privilegia omnia Universitati Studii generalis Ferrariensis hactenus concessa, 591.

CCXXXIII. Confirmatio moderationis, reductionis et suppressionis datiorum a card. Aldobrandino civitati et ducatui Ferrariensi concessarum, 592.

CCXXXIV. Caeremonialis episcoporum ad officia divina rite celebranda aliasque functiones itidem peragendas reformatio et approbatio, cum antiquorum permissione in his quae huic non adversantur, 597.

CCXXXV. Institutio duorum novitiatuum in duobus conventibus fratrum Eremitarum sancti Hieronymi Congregationis Beati Petri de Pisis, cum licentia recipiendi venientes ad Ordinem; et ambitus prohibitio, cum poenarum impositione, 598.

Sequitur ambitus prohibitio, 599.

CCXXXVI. Erectio oppidi Castri Plebis in civitatem, et ecclesiae ipsius in cathedralem, 600.

CCXXXVII. Confirmatio indulti Iulii II militibus Iesu Christi, sancti Iacobi de Spatha et sancti Benedicti de Avis concessi, ut proprium habere, et de suis bonis testari valeant, 603.

CCXXXVIII. Quod causae tam civiles quam criminales intra limites civitatis, ducatus et legationis Ferrariensis motae et movendae in prima instantia coram suis iudicibus ordinariis, in alia vero quacumque instantia in civitate Ferrariensi coram iudicibus a Sancta Sede deputatis, iuxta eorum privilegia, a iudicibus urbis Romae evocari non possint, exceptis iis, in quibus Camera Apostolica actrix vel rea fuerit, 607.

CCXXXIX. Donationes ab episcopis Sardiniae factae favore quarumcumque personarum et piorum locorum, non sequuta traditione et consignatione bonorum donatorum, nullae et irritae declarantur, tamquam factae in fraudem spoliorum ecclesiis cathedralibus concessorum, 608.

CCXL. Regio collegio oppidi Duacensis, Atrebatensis dioecesis, pensio D florenorum super fructibus abbatiae sancti Vedasti, eiusdem Atrebatensis dioecesis, reservatur in perpetuum, 611.

CCXLI. Similis reservatio pensionis bismille florenorum favore Universitatis Studii generalis Duacensis, Atrebatensis dioecesis, super fructibus eiusdem monasterii sancti Vedasti, 615.

CCXLII. Praescribitur forma observanda in assecurationibus faciendis reis Beneventum confugientibus, 616.

CCXLIII. Institutio Congregationis Italicae fratrum Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, separatae a Congregatione Hispaniae, cum facultate novitios extra Capitulum ad habitum recipiendi, 619.

CCXLIV. Privilegia pro agricultoribus agri Romani; et prohibitio ne barones bannimenta circa agriculturam promulgent, vel subditos impediant quominus extra eorum statum alienos agros conducant, colant, *etc.*, 622.

CCXLV. Institutio Collegii Scotorum in Urbe pie in orthodoxa fide bonarumque artium studiis instruendorum, cum redituum assignatione, 625.

CCXLVI. Omnium Mendicantium Ordinum superioribus facultas conceditur regulares sui Ordinis ad missiones Iaponicas, Chinam aliasque Indiae orientalis insulas mittendi; qui tamen servare debent quae in hac constitutione praescribuntur, 631.

CCXLVII. Litterae monitoriales ne appellationes a tribunali episcopi Cenetensis alio interponantur praeterquam ad Sedem Apostolicam, 633.

CCXLVIII. Reformatio regulae Congregationis clericorum Regularium Ministrantium Infirmis in hospitalibus et extra ea degentibus, 635.

CCXLIX. In causis ad sanctam Inquisitionem haereticae pravitatis spectantibus, iudices et officiales gratis omnia expediant, et mandata universalis Inquisitionis Romanae omnino exequantur, eiusque litteris quam primum respondeat, 648.

CCL. Confirmatio statutorum editorum ab exequutoribus testamentariis Catharinae reginae Portugalliae super institutione legati annui MD scutorum ab eadem relicti pro sustentatione viginti monialium, 648.

CCLI. Erectio oppidi Burgi S. Domnini in civitatem, et collegiatae ecclesiae sancti Domnini in cathedralem, 653.

CCLII. Renovatio sacrae Eremi Sanctae Mariae Montis Senarii prope civitatem Florentiae, Ordinis fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis; et praefinitio constitutionum pro recto eius regimine: novitiatusque in ipsa Eremo institutio, 658.

Sequitur alia ordinationum dictae sacrae Eremi praefinitio, 660.

Sequitur erectio novitiatus in dicta Eremo, 662.

CCLIII. Decreta generalia pro reformatione regularium, tam monachorum quam mendicantium, cuiuscumque Ordinis et Instituti, 662.

Sequuntur decreta pro reformatione Ordinis fratrum Servarum Beatae Mariae, 667.

CCLIV. Philippus III Hispaniarum rex absolvitur a quacumque censura quod proventus ex Cruciata, subsidio excusato et prima decima, in alios, quam eos, quorum intuitu concessi sunt, usus converterit, et huiusmodi indulta ad alia pia opera extenduntur, 673.

CCLV. Declaratur omnia regni Sardiniae beneficia indigenis, et in dicto regno natis, necnon naturalibus dumtaxat esse conferenda, 675.

CCLVI. Nuncius apostolicus apud Belgas deputatus iudex ordinarius et commissarius apostolicus in locis Leodiensis dioecesis, temporali Brabantiae ducum dominio subiectis, 681.

CCLVII. Confirmatio concordiae super Silvam Verdedae per deputatos factae, et ab Universitatibus Vignolae et Savignani, marchionatus Vignolae, ac Seravallis, comitatus Bononiensis, ac a duce Sorae, marchione Vignolae, necnon etiam duce Mutinae, ac vicelegato et assumptis Bononiensibus ratificatae, 685.

CCLVIII. Canonizatio S. Raymundi Barchinonensis, professoris Ordinis fratrum S. Dominici, eiusque relatio in numerum Ss. Confessorum: et institutio festivitatis pro die VII mensis ianuarii, 687.

CCLIX. Civibus Comaclensibus nonnulla privilegia conceduntur, 706.

CCLX. Subsidium quinquaginta millium scutorum super fructibus beneficiorum ecclesiasticorum, in dominio reipublicae Venetae existentium, ad gravissimas Apostolicae Sedis necessitates sublevandas imponitur, 707.

CCLXI. Declaratio et extensio constitutionis Sixti V, de non alienandis per subditos Status Ecclesiastici bonis, quae in eodem Statu existunt, favore non subditorum absque Sedis Apostolicae licentia, 710.

CCLXII. Praefinitio formae communicationis indulgentiarum orationumque, *etc.*, servandae a fratribus Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, statis diebus, quibus ipsi generalem benedictionem facere consueverunt, 717.

Sequitur forma benedictionis, 718.

Sequitur forma dictae communicationis a vicario Papae probata, et supra enunciata, 720.

CCLXIII. Committitur vicelegato Avenionensi ut curet in comitatu Venaissino observari constitutionem de bono regimine redituum communitatum Status Ecclesiastici, 722.

CCLXIV. Translatio ecclesiae cathedralis ac residentiae episcopi Elnensis ad ecclesiam sancti Ioannis Baptistae oppidi Perpiniani, 723.

CCLXV. Mandatur episcopis insulae Corsicae ac eorum in spiritualibus vicariis generalibus, ne regularium extra claustra degentium opera, sine Sedis Apostolicae licentia, utantur, 731.

CCLXVI. Decretum Congregationis S. Officii, quo cavetur quominus aliquis litaniis vel Sanctorum vel B. M. V. utatur, quae a Congregatione Sacrorum Rituum non fuerint approbatae, 732.

CCLXVII. Declaratio constitutionis Gregorii XIII, super creatione censuum in locis reipublicae Genuensi subiectis, 732.

CCLXVIII. Restitutio iurispatronatus ad praeposituram ecclesiae Tridentinensis favore Rodulphi imperatoris tamquam Tiroli comitis, eiusque in eodem comitatu successorum, 734.

CCLXIX. Exemptio a quacumque Ordinariorum iurisdictione capellae sancti Hieronymi, oppidi de Villa Vicosa ducis Bragantiae, illiusque decani, capellanorum et aliorum ministrorum, qui immediate subiiciuntur Sanctae Sedi Apostolicae eiusque collectori, 737.

CCLXX. Nonnullae declarationes super visitatione parochialium ecclesiarum ad hospitale sancti Ioannis Hierosolymitani pertinentium, per Ordinarios locorum, tamquam Sedis Apostolicae delegatos, facienda, 739.

CCLXXI. Dismembratio partis dioecesis et redituum ab Ecclesia cathedrali Clusinensi, eorumque unio Ecclesiae cathedrali Castri Plebis, 740.

CCLXXII. Mandatur Inquisitoribus contra haereticam pravitatem et locorum Ordinariis ut eos, qui ad presbyteratus ordinem non promoti, missas celebrant vel sacramentum poenitentiae ministrant, praevia degradatione, Curiae saeculari, debitis plectendos poenis, tradant, 750.

CCLXXIII. Octo decimas super fructibus beneficiorum ecclesiasticorum in dominio Venetorum existentium imponit pro eorum republica in subsidium expensarum belli contra Turcas, 751.

CCLXXIV. Confirmatio privilegiorum hospitalis Domus Dei Parisiensis, cum nonnullarum aliarum gratiarum concessione, 757.

CCLXXV. Zeccham publicam in civitate Ferrariensi institui permittit, in qua cudantur monetae, praevia facultate S. R. E. camerarii, necnon eiusdem comitatus legati, 761.

CCLXXVI. Quod fratres Cappucini Ordinis Minorum sancti Francisci a generali et definitoribus in Capitulo generali usque ad sequens Capitulum deputati, saecularium utriusque sexus confessiones audire valeant, 763.

CCLXXVII. Oppidum *Medina del Campo*, nonnullaque loca, quae ad abbatem eiusdem oppidi pertinebant, episcopi Vallisoletani iurisdictioni subiecta declarantur, 764.

CCLXXVIII. Episcopi eorumque officiales in partibus Indiarum admonentur ut proficiscentes ad partes *del Sur* et alias regiones auxilium praestent, 767.

CCLXXIX. Moderatio constitutionum Sixti V quoad nullitatem professionis emittendae a novitiis Ordinum regularium, cum praefinitione poenarum contra superiores qui, non servata forma eis tradita, eos receperint: et decreta generalia pro novitiorum receptione, institutione et educatione, 768.

Sequuntur decreta generalia ad novitiorum receptionem, professionem et institutionem spectantia, 769.

CCLXXX. Declaratur archiepiscopos et episcopos de cathedralibus et metropolitanis ecclesiis in Hungaria noviter provisos, non teneri accedere ad visitanda limina Apostolorum, nisi singulis quadrienniis, 777.

CCLXXXI. Confirmata cessione Henrici IV, Francorum regis, iuris nominandi abbatem perpetuum monasterii Fuiliensis, Congregationis eiusdem nominis, declaratur in eo abbatem triennalem per monachos esse eligendum, 777.

CCLXXXII. Commissio episcopo Eystettensi ut confirmet permutationem pagi *Oberhausen*, ad ecclesiam Augustanam spectantis, cum pago *Eppisburg*, ad praedictam civitatem pertinente, inter episcopum et ma-

gistratum Augustanum factam, quatenus eidem Ecclesiae utilis comperiatur, 780.

CCLXXXIII. Confirmatio statuti archiepiscopi Coloniensis, ecclesiae Hildeseimensis administratoris, quod octo praebendae eiusdem Capituli Hildeseimensis presbyteratus et diaconatus ordinem annexum habeant, 781.

CCXXXIV. Quando fratres Minores Ordinis S. Francisci Strictioris Observantiae possint in eorum ecclesiis habere organa, paramenta et vasa preciosa, 783.

CCLXXXV. Facultas archiepiscopo Valentinensi convertendi summam LX millium librarum ex pensionibus impositis pro erectione et dotatione parochialium, in emptionem redituum perpetuorum pro manutentione collegii puerorum ex genere Maurorum nuper conversorum, et erectione seminarii puellarum eiusdem generis, 784.

CCLXXXVI. Praefinitio formae communicationis indulgentiarum, orationumque ac aliorum bonorum operum, servanda a fratribus Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, statis diebus, quibus ipsi generalem benedictionem facere consueverunt, 786.

CCLXXXVII. Breviarii Romani iussu Pii V olim restituti et editi, et deinde perperam in aliquibus immutati, iterata restitutio, cum permissione Breviariorum iam impressorum, et prohibitione novum aliter de caetero imprimendi, 788.

CCLXXXVIII. Confirmatio erectionis et dotationis parochialium ecclesiarum in locis dioecesis Dertusensis pro instructione Maurorum recenter ad fidem catholicam conversorum, iuxta taxam a delegatis ab episcopo Dertusensi factam, 790.

CCLXXXIX. Similis erectio et dotatio parochialium in dioecesi Segobricensi, 812.

CCXC. In idem argumentum pro dioecesi Oriolensi, 831.

CCXCI. Episcopo et Capitulo Lucanensibus conceditur facultas omnia et singula, quae ad divinum cultum in eadem ecclesia pertinent, statuendi, et inobedientes distributionibus quotidianis ac fructibus suarum capellaniarum privandi, 844.

CCXCII. Statuitur eos, qui habitum devotionis hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani suscipiunt in regnis Hispaniarum, nullis gratiis et privilegiis, etiam fori, ac exemptionis decimarum frui, 847.

CCXCIII. Ampliatio constitutionis Gregorii XIII circa deposita apud Montem Pietatis de Urbe facienda; et iurisdictionis concessio illius protectori et iudici, in causis ipsius Montis interesse concernentibus, 848.

CCXCIV. Declaratio quod non liceat, per litteras seu internuntium, confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere; et prohibitio hanc propositionem docendi, defendendi, *etc.*, 855.

CCXCV. Deputatio commissarii pro componendis differentiis confinium inter Statum Ferrariae et Statum Mantuae, 856.

CCXCVI. Erectio prioratus S. Agnetis extra moenia Urbis in titulum abbatiae pro abbate eligendo ex Congregatione canonicorum regularium sancti Salvatoris, 856.

CCXCVII. Prohibitio iterataque damnatio operum Caroli Molinei haeretici, cum

revocatione licentiarum illa legendi et retinendi quibuscumque, etiam a supremis Inquisitoribus, concessarum, et cum inhibitione ne cuiquam de caetero, praeterquam a Summo Pontifice, concedantur, 858.

CCXCVIII. Praefinitio habitus coloris caerulei, quem deferre debent Religiosi Congregationis Canonicorum Saecularium S. Georgii in Alga Venetiarum, 860.

CCXCIX. Reductio provincialis et fratrum Tertii Ordinis sancti Francisci, provinciae Dalmatiae et Iustinopolitanae, ad obediantiam et subiectionem vicarii generalis eiusdem Ordinis, 861.

CCC. Declaratio quod fratres Minores S. Francisci Strictioris Observantiae non sunt novae Regulae professores, sed Regulae S. Francisci veri observatores, 862.

CCCI. Confirmatio concordiae inter episcopum et capitulum Barchinonenses initae super iurisdictione civili et criminali, 864.

CCCII. Ordinationes observandae in subministratione alimentorum, contractibusque et ultimis voluntatibus miserabilium virginum, in monasterio sanctae Catharinae de Rosa pie receptarum in Alma Urbe, 869.

CCCIII. Indulta Studii generalis civitatis Ferrariae, 872.

CCCIV. Declaratio quod verba: *ratione beneficii ecclesiastici*, addita in litteris confirmationis privilegiorum a Iulio PP. II concessorum collegio Universitatis Studii generalis de Alcalà de Henares, Toletanae dioecesis, non praeiudicant iuribus archiepiscopi Toletani, cum sint addita praeter mentem Pontificis confirmantis, 875.

CCCV. Quod fratres Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo ubique praecedant fratribus B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, 877.

Sequitur ampliatio dictae definitionis, 878.

CCCVI. Clero saeculari regnorum Hispaniarum adiudicatur praecedentia supra monachos et fratres quoscumque in omni loco, etiam in propriis ipsorum religiosorum monasteriis et ecclesiis, 879.

CCCVII. Nonnulla decreta sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium super modo servando a metropolitanis in causis appellationum, confirmantur pro dioecesi Colimbriensi, 880.

CCCVIII. Diversae facultates, gratiae et concessiones pro capellano maiori regiae capellae regis Neapolitani, 883.

CCCIX. Ex genere Maurorum progeniti in regno Portugalliae a mediis canonicatibus excluduntur, ac tertianariarum et quartanariarum tantummodo capaces declarantur, 889.

FINIS TOMI DECIMI.

V. ex delegatione D. D. Archiepiscopi Taur.

P. Clodovaeus a Costiliolis Ord. Min.

262.11
T 195 TAURINENSIS
25400

AUTHOR
Bullarium Diplom. et Privilegiorum

TITLE
Tome X

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	O'Brien

25400